
9
18 L
1

DEMONSTRATIONVM RELIGIONIS CHRISTIANAE EX VERBO DEI LIBRI TRES.

Auctore Francisco Sonnio Theologo.

Editio ſecunda ab Auctore diligenter recognita & locupletata.

Verbum Dei vitæ Euangelicæ ratio.



ANTVERPIÆ,
Apud Martini Nutij Viduam, Anno
M. D. LXII.

Cum gratia et priuilegio.

Regio edicto cautum est,ne quis præter Viduam Martini Nutij hosce Francisci Sonnij Demonst.Christ. Religion. Libros, in vniuerso R. M. Dominio imprimere liceat, aut alibi impressos venales proponere, sub pœnis in priuilegio Regio contentis & subsignatis

I. Facues.

TYPOGRAPHVS.

Dictiones, caritas sine h,auctor per ct & sine h, felix per e simplex, sic imprimere placuit secundum veram exquisitioris Ortographiæ traditionem. Ne mireris Lector.

TETRASTICHON.

Vt vaga dispergit Borealis nubila ventus,
Temporaq́ exoriens Sol tenebrosa fugat:
Sic liber hic Sonnî sectas, & dogmata praua
Soluit, & in fumos cogit abire leueis.



QVò propiùs aquam ex suo fonte hauseris, candide Lector, eò & salubrior est, & gustu suauior. Minus enim de succo alieno admixtum sit, suaque natiua qualitate plus habet oblectamenti et efficaciæ. Haud dissimiliter quò propiùs doctrinam salutis ex suo fonte imbiberis (qui est verbum Dei natiuum, purū, integrum) eò sanè afficit magis, magisq́ rapit in amorem numinis, cuius beneficētiæ erga nos velut prima est scaturigo, & medetur efficaciùs internis animi morbis, transformando recondita quadā energia, in eā, quæ secundū Deū est, creaturā. Quod certè licet olim studiosè perpenderint, veteris prosapiæ Orth: Patres pænè vniuersi: ab annis tamen plus minus ducentis, pleriq; rerū sacrarū tractatores proposuere Domini cõgregi, partim libris, partim viuis cõcionib. aquā procul nimis a suo fonte haustū, nimiumq́ respersam alieno succo, aut naturalis Philos. aut humanæ inuentionis, aut inanium ac sine pondere & neruis narrationum: adeò vt magna ex parte nauseosum reddiderint salutaris doctrinæ potum. Quo animaduerso cœperunt ij qui sectas amant, magno studio simulare vetustæ traditionis formā, nihil crepantes, nihil aliud iactitantes, quàm verbum Dei, Scripturam sacrā, Euangelium Christi: at imperitè animoque fallendi incautos, & id sanè ex principio non intellecto. Nescierunt enim quid sit, & vbi quærendum diuinæ reuelationis verbum, quod tantopere iactitabant, contendentes id in sola posse inueniri Scriptura sacra, cùm reuera & vetustius sit, & multò auctius quàm Scriptura. Eorū verò malum dolum licet ex eo detegere, quòd illam ipsam portionem diuini verbi, quam nobiscum communem retinent (Scripturam putà noui ac veteris Testam.) adeò deprauant adiectionibus, detractionibus, versionibus, commentarijs, vt dū maximè videntur sua dogmata retulisse in verbū Dei, deprehendantur à circumspectis viris nihil effecisse minus. Si quas autem integras scripturas promant, eas aut non suo loco, aut non eo sensu citant, quē in illis intendebat auctor Spiritus sanctus, aliena supponētes pro veris, meraq́ cacodidagmata pro axiomatibus sinceræ traditionis. Quæ duo, nempe haurire salutaris doctrinæ documenta procul à suo fonte, deinde ipsum fontem quoquo modo vitiare (sicuti vitiarunt à triginta sex annis instātissimè Hæretici) in quas angustias & calamitates coëgerint Ecclesiā Christi, cōstat palàm, vidēt omnes. Nec quidē ego ignorare possum, qui bonā studiorū meorū partē collocaui in libris machinationibusq́ Hæreticorū perlustrandis, quiq́ functus sum, annis abhinc plurimis, munere purgandæ fidei per ditiones inferioris Germaniæ sic iubentib. Pontifice max. & pientissimo Imper. Carolo V. Operæpretiū itaq; duxi, exhibere candori vestro lib. Demonst. Relig. Christianæ ex verbo Dei, in quib. sincerè atq; dilucidè, & velut per hypotyposin proponuntur cunctis amatoribus veritatis, quæcunq; ad verā, vereq́ Euangelicā Religionē pertinēt: nō ex lacunis aut cisternis, sed ex ipso primario fonte, verbo, inquā, Dei. Quos libros loco salutaris antidoti meditatus sum aduersus prædicta duo mala, quibus acerbissimè, & quasi extremè infestatur Ecclesia Catholica: eo inductus

1. Ioan. 3. metuenda illa sententia Ioann. Apost. qua dicit, Qui habuerit substantiā huius mundi, & viderit fratrē suū necessitatē habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo? Si enim excidat à caritate Dei, ac proinde à salute, qui fratri egestate laboranti nō subuenit: quanto magis ille, qui viderit suā, omniūq; Christifideliū cōmunem matrem, hoc est, Ecclesiā Catholicam calamitatibus oppressam, nec tamen illi vllas tulerit suppetias? Nam quē amabit opere & veritate, qui ne propriā quidem genitricē amat, cuius fetu nascitur, cuius lacte nutritur, gremio fouetur, spiritu animatur? Itaq; tu, inquit ad me cordis mei cogitatio, quomodo effugies iudiciū Dei? Quomodo retinebis vel scintillā caritatis (quā qui non habet, manet in morte) si non pro virib. succurras necessitati Reip. Christ. quā tot rationib. exploratā, tantaq; euidentia perspectā habes? Ex aduerso autē obstitit multo tempore conatib. meis angusta ingenij mediocritas, manūq; crebrò ab incepto opere retraxit. Ceterùm vicit tandē veritatis amor, vicit & zelus animarū. Cogitabā enim, Nūquid si nō habes Crœsi diuitias, ideo stipem negabis indigenti? Aut quia nō est penes te vberrima illa copia eruditionis sacræ, quā habuere proceres Ecclesiæ Basili. Hiero. Aug. ideo ne tantillū quidem facies, quantū de tua penuria vales? Quorsum igitur tantopere laudatur paupercula illa Euāgelica, quæ mittens duo æra minuta in Gazophylaciū, plus omnib. misisse dicitur: quia de sua penuria totū quod habuit, misit? Quorsum lex docet illū qui non habuit aurū, vel argentū, aut purpurā, aut lapides pretiosos, satisfecisse offerendo pilos caprarū, ad cōstruendū tabernaculū Dñi? Quorsum deniq; tā piè hortatur suū filiū Thobias senior dicens, Fili, quomodo poteris esto misericors. Si abundanter tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguū tibi fuerit, etiā exiguū libenter impertiri stude? Ne igitur impietatis arguar in die iudicij, aut pigritiæ, quasi concreditā pecuniam Dñi mei nō collocarim ad fenus, sed abscōditā in sudario, sub terrenis foderim occupationib. placuit hoc qualecūq; Demonst. opus ad tuā totiusq; Ecclesiæ vtilitatem edere. In quo si quid inueneris cōmodū tuis studijs tuisq; functionib. pro Sōnio, precor, deuotè Deū exora. Si vero vspiā cessasse videbimur, etiā Sonniū hominē esse memineris. Verū non hîc expectes variū opulentæ facundiæ ornatū, aut verborū lenocinio diserta, sed solida, sed veræ vitæ secundū Deū formādæ exegemata, facili quodā ac aperto dicēdi genere ad captū popularē digesta. Cū enim de Deo, ac diuinis vox est (vt Cypr. sententia vtar) vocis pura sinceritas, non eloquentiæ virib. nititur ad fidei argumenta, sed reb. At miraberis fortasse, cur hunc primū lib. totius operis exordium in lucem non dederimus sub alicuius magni noīs auspicio. Verùm mirari desines, si mecum perpendas, nullius posse noīs auspicium adeo faustum esse, nullius insuper hoīs tanta in me collata beneficia, nullū deniq; patrocinium æquè profuturum aduersus obtrectationes eorum qui gaudent contradicere, atq; vnius Dei Opt. Max. Vni itaq; Deo has nostrarum frugū primitias nuncupatas & dedicatas volumus. Vale beneuole lector, & quæ damus, eo quo dātur cādore, suscipe. Vltraiecti v. Cal. Oct. 1555.

TRACTA-

TRACTATVS PRIMVS DE VERBO DEI.

Quæ sit intẽtio auctoris, & totius operis summa. Cap. I.
Quid nomine verbi Dei intelligi debeat. Cap. II.
Quæ sint proprietates verbi diuini. Cap. III.
Omni & soli verbo Dei deberi fidem, qua Christifideles sumus. Cap. IIII.
Verbum Dei multo tempore fuisse seminatum in mundo, plusquàm vllæ extarent Scripturæ sacræ, scripturas autem posteà velut accessisse ad verbum Dei prius annuntiatum. Cap V.
Non omnia mysteria fidei, scripturis prodita esse, sed quædam traditione viua, ac veluti per manum, in omnem ætatem transfusa custodiri. Cap. VI.
Ex dictis sanctorum Patrum constare, multa pertinentia ad fidem, & religionẽ, tradita fuisse per manum citra scriptum. Cap. VII.
Quæ sint caussæ seruatæ traditionis simul cũ scripturis. Cap. VIII.
Quid propriè intelligatur per traditionẽ, & quæ sit traditio sancta, cui Apostolicam tribuimus auctoritatem. Cap. IX.
Vbi inuenienda sit traditio sancta, quam Apostolicam vocamus. Cap. X.
Quibus notis discernatur verum verbum Dei, ab adulterino verbo, quod non protulit Deus. Cap. XI.
Quomodo discernamus Scripturam sacram, à nòn sacra, traditionem quoque Apostolicam ab ea quæ non est talis. Cap. XII.
Vbi, & quando testata sit nobis Ecclesia de Scripturis sacris & traditionibus Apostolicis. Cap. XIII.
Iure præscriptionis vtendum esse, aduersus contẽtiosos, qui contumaciter reijciunt quasdam Scripturas sacras, aut traditiones antiquas. Cap. XIIII.
Quam impotens sit argumentum negatiuum, ab auctoritate scripturarum. Cap. XV.
Quàm potest multipliciter imponere argumentũ affirmatiuum factum ex Scripturis. Cap. XVI.
Tria esse in quibus velut suis finibus, ac propugnaculis tuta consistit fidei nostræ ac religionis defensio. Cap. XVII.

Quæ sit intentio auctoris, & totius operis summa. CAP. I.

MAGI.



DEmonstrationẽ tibi facturus, Ioachime fili, de Religione Christiana, non aliunde, quàm ex verbo Dei, principio id à te requiro, vt adsis totus, tam animo quàm corpore, vt auribus, ita & mente. DISCIP. Adero domine, etiam charta & calamo, & omni qua potero diligentia. Nam hoc nostro tempore, nihil tam desiderari video, quàm vt singula religionis nostræ demonstrentur verbo Dei. M. Cœpit profectò nunc mundus adeò esse Theologus, adeoque argutus in Scripturis, partim studio discendi, partim malitia contradicendi, partim libidine quadam nouandi omnia, vt subinde risum, sæpè etiam stomachum moueat, quidquid protuleris in concione, extra verbum Dei. Hoc passim: hoc publicè, & priuatim cunctis est in ore, hoc & appellant velut sacrum, ac supremum tribunal omnis controuersiæ dirimendæ, circa fidem ac religionem. Malè quidem, sed non prorsus immeritò, propter fabulosum genus docendi multorum. Quanquam igitur iam annum audientem te professiones theologicas, abundare confido præceptis eius institutionis: tamen, vt aliquando prodeas idoneus pastor gregis Dominici, potens exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, ex ipso cui addicti sunt principio; nolui prætermittere, quin & hoc genere demonstrandi singula ex verbo Dei, te populo conspicuum & vtilem facerem. Simplex erit, & plana institutio quam paramus, aptata vbique ad captum popularem, per interrogationes, secundum specimen quidem plebeas, veruntamen peropportunas ad docendum. Tu autem facilis esto, & quantum poteris succinctus in responsione, nihilominus liber ac argutus in proponendo, in arguendo, in replicando, donec effectum fuerit quod promittimus, id est, donec penitus elucescat demonstrata veritas religionis, qua Christianè viuitur. Omne enim studium nostrum, & intentio in hoc erit, vt plenè ac dilucidè demonstrentur singula, quæ ad ipsam veram, vereque Euangelicam Religionem pertinere dinoscuntur. D. Et quem, precor, seruabit dominus meus ordinem in progrediendo? M. Diuina aspirante gratia, absoluemus sex libris totam hanc demonstrandi institutionem, & id quidem hoc ordine. Primaria portio Religionis Christianæ est fides in Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Nam fide habemus accessum in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in

Summa operis absoluetur sex libris

spe gloriæ filiorū Dei. Et sine fide impossibile est placere Deo. Immo quidquid non est ex fide, peccatum appellatur à Paulo. Porro fidei obiectū est verbum Dei. Ideo primo libro agemus de verbo Dei, de fide insuper, & iustificatione quæ est per fidem. Secundò vero libro agemus de his quæ speciatim fide Catholica credenda sunt. Quoniam autem nihil profuerit credidisse, nisi & ex fide succrescat obedientia mandatorum Dei, dicente Samuele Propheta: Melior est obedientia quàm victimæ. Et Apostolo. Circuncisio nihil est, præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei: proptereà tertio libro faciemus demonstrationem de mandatis, & consilijs, ac permissionibus Dei. Priori quidem loco, de mandatis decalogi, secundum quod per Christum in noua lege renouata sunt, necnon de duobus illis primis ac maximis mandatis caritatis, ex quibus pendent vniuersa lex & Prophetæ. Posteriori verò loco, de ijs mandatis, consilijs, & permissionibus, quæ Euangelio Christi peculiaria sunt. Præterea quia in nullum nomen Religionis, siue verum, siue falsum, coagulari homines possunt, (sic enim habet Augustinus) nisi colligentur aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio, sine quibus perfici non potest pietas; ideo quarto libro agemus de Sacramentis Ecclesiæ. Adhæc quia fragilis est natura nostra, & paupercula, multorum atque adeò omnium egena, quibus sanctè viuitur; vt omnino subsistere non possit in vera Religione, sine gratuito diuinæ gratiæ auxilio: eam ob caussam quinto libro demonstrabimus quæ sint vera Christianorum sacrificia, orationes, obsecrationes, supplicationes, quibus propensum in nos, & propitium reddimus Deum, vt & condonet quod peccatum erat, & donet prætereà, sine quo religiosè viuere nemo potest. Sexto denique libro fiet demonstratio de virtute, eiusque officijs, speciebus, atque efficacia. Et quoniam opposita iuxta se posita magis elucescunt idcirco eodem libro simul agemus de vitijs virtuti contrarijs, quantum & quousque ex verbo Dei id fieri potest. Nec pertractabimus tantummodo rudimenta eorum, quæ diximus, sed & controuersias difficiliores propè vniuersas, quas peperit circa Religionem hoc nostrum seculum, simul explicabimus, vnamquamque suo loco: Idque, per gratiam Dei, eo demonstrandi genere, quò veritas adeò dilucidè ob oculos ponetur (quantum expedit populari institutioni) vt ea non poterit non perspici, nisi fortè ab illis, qui mentem fuligine errorum incurabiliter obtectam habent. Hunc sanè ordinem seruaturi ob institutionem quæ fit in volumine legis diuinæ. Nam Abraham primò credidit vocanti Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Deinde & obediuit offerens filium suum Isaac, & fides eius ex operibus obedientiæ consummata est. Tertiò accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ, pro se, suaque familia, vt coalesceret in populum sanctum, peculiarem Deo. Quartò sacrificijs & orationibus sic placuisse inuenitur, vt pater fieret multarum gentium, hoc est, omnium piè colentium Deum, cuiuscunque sint nationis. Quintò omni tempore vitæ adeò excreuit virtutem, vitans eius contrarium vitium, vt verè vir religiosus Deo probaretur. In fine autem operis subijciemus appendicem de vera falsaque Religione, in qua simul ostendemus, qui sint veri veræ Religionis alumni, qui infirmi, qui vacillantes, aut suspecti in eadem, qui insuper desertores. Et inter hos quidem, qui pro seductis, qui pro seductoribus, qui denique pro Schismaticis & Hæreticis habendi: et quemadmodum Præpositi Ecclesiæ, Principesque Reipublicæ Christianæ, vnumquemque pro sua qualitate tractare debeant, secundum traditionem Apostolicam. Ante omnia autem explicabimus quid sit verbum Dei, ex quo promissas demonstrationes faciemus, vbi quærendum, & quomodo discernendum.

Ad He. 11. — Quid primo libro tractabitur. — Quid secundo lib. — 1. Cori. 7. — Quid tertio libro. — Quid quarto libro. — Quid quinto libro. — Quid sexto libro. — Vnde hūc ordinem desumpserit auctor. — Quæ in fine operis adijcienda.

Quid nomine verbi Dei intelligi debeat.

CAP. II.

M. Multus vbique sermo est, & varia opinio de verbo Dei, dic igitur quā tu conceperis de ipso sententiam? D. Quod sit doctrina diuina, regula nostra. M. Rectè. Deus enim verbo suo velut regula actionum nostrarum, erudit nos, ac dirigit in viam salutis æternæ. Ceterū vt paulò propiùs accedamus ad explicationem vocis: verbum solet interpretari nuntius mentis. Verbum itaque Dei nuntius est mentis diuinæ, sicut verbum hominis est nuntius voluntatis humanæ. Quemadmodum enim voluntas hominis nemini potest cognita esse sine verbo hominis: ita & voluntas Dei, sine verbo Dei à nobis cognosci non potest. At nunc quæro ex te, an præcisè verbum Dei dici debeat, omne illud & solum, quod os Domini locutum fuerit? D. Omnino, sicut verbum

Quid sit verbū Dei

bum hominis dicitur omne quod loquitur os hominis. M. Non sis præceps fili. Siquidem hoc pacto,neque illud plenè, neque istud definitur verè. Plerunque enim nobis loquitur Deus verbum suum, non quidem suo, sed nostro hic viuentium ore, ponens verba sua in os hominis annuntiantis mysteria Dei. Et misit Dominus, inquit Hieremi. manum suam,& tetigit os meum,& dixit ad me:Ecce dedi verba mea in ore tuo.Hinc passim obuium habes in scripturis:Sicut dictum est à Domino per Prophetam dicentem.Hine quoque illud: Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domino. Non, inquit,ego vox clamans,sed ego vox clamantis, scilicet Dei, qui pro magnitudine desiderij per organum vocis meæ clamat potiùs quàm loquitur, ad petrosos & arefactos homines huius deserti mundi.Hinc & illud Prophetæ dicentis: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Hinc denique est quod Christus ait: Sermonem quem audistis non est meus,sed eius qui misit me Patris. Quapropter vt probè cognoscas verbum Dei, non debes tam attendere cuius ore, quam cuius pronuntietur spiritu. Nam homo spiritu Dei profert verbum Dei, & Deus per os hominis spiritu suo loquitur verbum suum diuinum, iuxta illud: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. In promptu est hic plura citare testimonia, at ista sufficiunt. Homo potest humana suo sensu concipere & eloqui, etiam si non didicerit ab alio. Porrò mysteria Dei,quæ captum mẽtis creatæ excedunt,concipere & eloqui omnino non potest absque spiritu Dei,reuelante, vel per internam inspirationem, vel per alterius instructionem. Sicuti enim nemo scit (Apostoli argumento vtar) quæ sunt hominis,nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt nemo cognouit,nisi spiritus Dei. Addit Apostolus: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo nobis donata sunt,quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis,sed in doctrina spiritus. Itaque definiendum erat verbum Dei hoc modo: Verbum Dei est,quod Deus loquitur spiritu suo diuino, siue per semetipsum, vt fecit ad Adam, ad Cain, ad Noë, ad Abraham, ad Moysen, ad Heliam, aliosque sanctos Dei homines, nonnunquam forinsecus, quasi ore ad os, aliquando intrinsecus, reuelans intus mysteria, siue per interpositas personas: vti solet maiestas regum, dans responsa per interpretes. Quo quidem modo

Hiere.1.
Lucæ.3.
Psal.44.
Ioan.14.
Matt.10.
Homo spiritu suo eloquitur humana, non autẽ mysteria Dei.
1.Cor.2.

patefecit nobis Deus multa per Angelos,plerasque per Prophetas: præcipua autem per filium suum vnigenitum Christum, illiusque Apostolos, vt docet Paulus dicens: Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio,quem constituit heredem vniuersorum,per quem fecit & sæcula. D. Verum tamen Apostoli & Euangelistæ videntur humano quodam ingenio & industria annuntiare historiam vitæ Iesu, & facta Apostolica,secundum quòd viderant & audierant,aut fideli narratione didicerant,vti historiographi solent describere gesta principum sibi cognita.Quę igitur hic ratio verbi Dei? M. Quemadmodum Deus vtitur ore hominum ad annuntiãdum verbum suũ, ita vtitur & spiritu humano, ac industria,prudentiaque hominis. Apostoli euangelizando indubiè vsi sunt sua memoria,suo lumine naturali, & industria: nihilominus quod euangelizarunt & scripserunt,reuera verbum Dei est, etiam si narrent facta merè humana: vt quòd paralyticus portabatur à quatuor: quòd Iudas per contractum vẽdiderit Christum triginta argenteis:quòd pretium librorum malorum quos combusserunt, Actorũ 19, inuentum sit denariorum quinquaginta millium. Deus enim sic temperauit facultates naturales Apostolorum spiritu suo diuino, in narrando quæ ad Euangelicam historiam pertinent,sic direxit,sicque illuminauit, partim suggerendo quæ ipse priùs egerat & docuerat, partim docendo quæ needum reuelata erant, vt non sint locuti nisi quod Deus per ipsos suo nomine doctum & annuntiatum voluit,in omnibus illorum dictis cooperando,& sermonem annuntiatum per eos confirmando, vti habes Marci vltimo, Illi autem profecti, inquit prædicauerunt vbique Domino cooperante,& sermonem confirmante, sequentibus signis: Cooperante quidem intus,quia Apostoli, vti testatur Lucas Actorum secundo capite,loquebantur varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: Confirmante verò sermonem sequentibus signis, quia dabat sermoni auctoritatem in cordibus audientium per attestationem miraculorum, quæ simul edebantur. Quod elegantissimè declarat Apostolus ad Hebræos secundo dicens: Quæ, scilicet salus, cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis,& varijs virtutibus,& Spiritus sancti distributionibus, secundum suam volun-

Hebræ.1.
Obiectio
Historica narratio Apostolorũ, reuera verbum Dei est.
Marc.2.
Matth.26
Act.19.
Ioan.16.

tatem. Enarratio itaque historiæ vitæ Iesu, signorum, & doctrinæ eius, Actorum item Apostolicorum & ceterorum huiusmodi, prout in scripturis noui & veteris testamenti descripta inueniuntur, duplici ratione verbum Dei dicitur: Quarum prior est, quia omnia hæc mundo reuelata sunt, & ostensa à Deo, veluti hoc modo loquente ad erudiendum homines in vitam æternam. Altera verò est, quia omnia hæc sunt annuntiata atque descripta Spiritu sancto intus docente, intus suggerente, intus ad eloquendum cooperante, denique & sermonem iam probatum confirmante per miracula, quò velut suus, ipsius Dei sermo ab hominibus reciperetur.

D. Ceterùm hoccine vniuersale est, quòd quotiescunque loquitur Deus verbum suum diuinum per hominem, id faciat, per Spiritum sanctum intus agentem? M. Prorsus, si loquamur de annuntiatione verbi primò prima, qua scilicet Deus primitus reuelat voluntatem suam hominibus. Nam aliud est de prædicationibus, quibus verbum Dei iam annuntiatum mundo, vlteriùs in animos aliorum, vel ex scripturis transfunditur, vel ex traditione, de qua paulò inferiùs tractabimus. Nunquam enim reuelauit Deus cælitus verbum suum: nunquam etiam prima annuntiatione manifestauit populo, neque per Patres veteris Testamenti, neque per Apostolicos viros noui Testamenti, sine spiritu suo intus reuelante, & intus dirigente organum vocis, vt non nisi sensa Dei loquerentur. Sicut ipse Christus promisit dicens: Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Per illum dabitur vobis in illa hora quid oporteat vos loqui. Dicit quid oporteat vos loqui, quia sic intus illuminabit, sicque spiritum vestrum temperabit, & otis linguam diriget, vt non loquamini aliena, aut indiscreta, aut placentia, sed idipsum duntaxat quod Deus intendit, quodque in caussa Dei loqui oportet. D. Credibile quidem est, non nisi Spiritu sancto fuisse locutos, eos de quibus legitur: Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. At temporibus ante Christum Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. M. Hoc loco te scire oportet, neutiquam alium fuisse Spiritum, qui olim in Patribus, alium qui his nouissimis diebus locutus est in Apostolis, sed vnum eundemque. Docet istud Di-

Prophetæ vet. testa. locuti sūt spiritu sancto.

uus Petrus in priori sua Canonica capit. 1. De qua, inquit, salute (scilicet animarum) requesierunt, atque scrutati sunt sancti Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, pronuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias: quibus reuelatum est quòd non sibijpsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis, per eos qui euangelizarunt vobis Spiritu sancto misso de cælo. Hæc Petrus. In qua sententia obseruabis tria. Primum eundem spiritum, qui locutus est in Christo & Apostolis, locutum fuisse olim in Prophetis, vnum enim sunt spiritus Dei Patris, spiritus Christi, & Spiritus sanctus. Secundum de eadem prorsus salute per eundem illum spiritum annuntiasse Patres ante Christum, & Apostolos post Christum, vtpute de redemptione quæ est in sanguine eius. Tertium illos olim fuisse locutos nobis, & ad nostram institutionem, ne dicamus non pertinere ad nos verbum Dei veteris Testamenti, vtque duplicis generis annuntiatione, Prophetica scilicet & Euangelica, immobilior esset testificatio veritatis. Certo certius est omnem scripturam veteris Testamenti, tàm esse à Spiritu sancto, quàm scripturam noui Testamenti, dicente Petro Apostolo: Non enim humana voluntate allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Agit enim ibi de Prophetijs veteris Testamenti, quia præcedit: Et habemus firmiorem Propheticum sermonem cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti, in hoc caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Hæreticum est asseuerare Patres veteris Testamenti non fuisse inspiratos Spiritu sancto, quando reuelabant mysteria eius Testamenti. Cuius hæresis notauit Dosithæum Samaritanum Tertullianus libro suo de hæresibus, qui primus ausus fuit Prophetas, quasi non in Spiritu sancto locutos, repudiare. Quod autem inuoluit argumentum tuum, videlicet, Spiritum sanctum tum temporis non fuisse datum, quia Iesus nondum erat glorificatus, nihil habet virium. Debet enim intelligi dictum illud Ioannis de visibili illa & admirabili missione Spiritus sancti, qua effusus fuit ad plenitudinem super Apostolos in die Pentecostes, multosque alios primitiuæ Ecclesiæ. Vtique tamen dabatur Spiritus sanctus in cordibus Sanctorum ante aduentum Christi, pro-

Scriptura vet. test. tā est Spiritus sancti q̄ scriptura noui testa.

2. Petr. 1.

prout apertè demonstratur ex illo Psalmistæ: Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali cōfirma me: apertissimè autem ex præallegata auctoritate Petri. D. Videtur ergo non posse pertinere ad verbum Dei, quod in Biblijs legitur dictum per malos aut sceleratos homines. M. Quare hoc? D. Quia mali non sunt inspirati Spiritu sancto, alieni enim sunt à sanctimonia. Itaque quod loquuntur, verbum Dei dici non potest, iuxta definitionem iam supra dictam. M. Vacui quidem sunt eiusmodi homines Spiritu sancto intùs habitante, & sanctificante corda ipsorum: attamen habent spiritum Dei forinsecus illuminantem, & ponentem verba Dei in ora ipsorum, si non ad illorum, certè ad Ecclesiæ vtilitatem. Sunt enim, præter gratiam Spiritus sancti gratum facientem, & aliæ gratiæ gratis datæ ad vtilitatem aliorum. Dicit enim Apostolus: Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatis in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hęc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult, etiam ijs quos non inhabitat, vt licet demonstrare ex septimo capite Matthæi: Vbi exclamantibus malis in hunc modū: Domine Domine nōnne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? confitebor, inquit Dominus illis: Quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Quòd autem Caiphas loquebatur verbum Dei, dicendo: Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat: clarè testatur Ioannes, inquiens: Hoc autem à semetipso non dixit, sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente &c. Rursum quòd Deus locutus sit verbum suum per Balaam filium suum Begor ariolum, patet Numerorum 22. 23. 24. Et venit ad eum Dominus, & pōsuit verbum suum in ore eius, & dixit Balaam ad Balech regem. Nōnne nuntijs tuis quos misisti ad me dixi. Si dederit mihi Balech domum suam plenì argenti, non potero præterire sermonem domini Dei mei, vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo. Profectò neuter istorum habebat Spiritum sanctum inhabitantem, quia vterque malus erat: vti constat ex eisdem locis. Quod tamen dixerunt, afflatu dixerunt Spiritus Dei reuelantis mysteria. D. Valde alienum apparet maiestatem diuinam in sacrosanctis mysterijs suis reuelandis, vsam fuisse hominum sceleratorum organo. M. Alienius erat verbum Dei incarnari ex vtero hominis, vt verum fieret: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. (Ceterum de verbo incarnato aliàs suus dicendi se offeret locus.) Alienius Deum mori pro nobis hominibus cum inimici essemus. Alienius, maculas, sordes, abominationes conscientiarum nostrarum ablui sanguine eius, qui super omnia est, & sexcenta alia alieniora sunt. Omnia tamen hæc contigerunt cùm placuit illi, cui quod placuit, alienum vltrà dici non debet. Interim perrarò inuenitur homini mente reprobo fuisse facta reuelatio mysterij diuini. Regulare autem est quod affirmat sanctus Petrus loco præallegato, nempe prophetias illatas esse mundo per sanctos Dei homines inspiratos Spiritu Dei, quia vasa pura esse conuenit eos qui sacrosanctum Dei verbum cælitus de puritatis fonte suscipiunt. Per sanctos, inquit, nec illo contentus, superaddit Spiritu sancto inspiratos, insinuando non omnes sanctos loqui prophetias, omnes tamen loquentes prophetias regulariter, & sanctos esse, & inspiratos Spiritu Dei sancto.

An per malos loquatur Spiritus sanctus verbū Dei.

1. Cor. 12.

Ioan. 11.

Quæ sint proprietates verbi diuini. CAP. III.



QVantum putas distare verbum Dei à verbo hominis? D. Quantum distat Deus ab homine, hoc est, infinitum. M. Optime. Quia verbum Dei manet in æternum: verbum autem hominis inter transitoria annumeratur, quasi vnum ex illis. Verè fenum est populus, inquit Esaias, exiccatum est fenum, & decidit flos eius: verbum autem Domini manet in æternum. Rursum quia verbum Dei est ipsa veritas: verbum autem hominis subinde est vanitas, nonnunquam mera falsitas. Est enim Deus verax: omnis autem homo mendax. Deinde, quia verbum Dei, est verbum vitæ. Cùm enim Dominus diceret ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit Petrus, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: verbum verò hominis non prodest quidquam in hac parte. Vt autem paucis expediam, prope idem sunt

M.

Differentia inter verbū Dei & verbū hominis. Esa. 40.

Rom. 3. Psal. 115. Ioan. 6.

Proprietates verbi Dei.

verbum Dei, lux mundi, lux vitæ, lumen vitæ, fons sapientiæ, sol iustitiæ, imber fecunditatis, reuelatio primæ veritatis, expressa voluntas Dei.

Verbum Dei est lux mūdi. Reuera enim verbum Dei, est lux quædam de cælo illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc sensu. Quia omnis qui illuminatur in hac vita ad inueniendam viam felicitatis supernæ, illuminatur lumine verbi diuini. Mundus totus est caliginosus, non quòd lumine corporali careat, sed quod propter tenebras, densissimosque fumos dissidentium opinionum, & plagam ignorantiæ, & infidelitatis errores, quibus obscuratur cor hominis, videre nequit vias vitæ, aut semitas iustitiæ, aut portas felicitatis æternæ.

Esa. 9. Populus, inquit Esaias, (idque refertur à Matthæo capite quarto) qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis, scilicet per verbum Dei in prædicatione Christi.

Psalm. 98. Verbum Dei lumē vitæ. Hinc & Propheta: Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum Domine. Quia autem verbum Dei mentes quas semel tetigerit, viuificat: haud secus atque radij Solares, vi quadam viuificatrice post brumam rediuiuum reddunt terræ solum: ideo lumen vitæ appellatur.

Sap. 6. Verbum Dei est imber fecūditatis. Nec dissimili ratione dicitur Sol iustitiæ siue intelligentiæ, quoniam opere impletum prorsus illustrem facit hominem decore iustitiæ. Quod autem sit imber fecunditatis declarat Esaias dicens:

Esa. 55. Et quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit, & germinare eam facit. Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. D. Ceterùm, qua ratione dicitur fons sapientiæ, cùm multi fuerint sapientia perecelebres etiam ante annunciatum verbum Dei? M. An sapiens, qui ne sui quidem notitiam habet?

Verbum Dei est fons sapientiæ. Sui autem notitiam quomodo habere potest, qui nescit Deum à quo factus est, nescit felicitatis æternæ beatitudinem, cuius gratia factus est, nec viam cognoscit qua itur in illam, nescit vulnera naturæ, nescit propriam insufficientiam ad bonum, nescit regenerationis & gratiæ superaddendæ necessitatem, dumque assequitur intellectu essentialia eius naturæ, quàm à progenitoribus morituræ carnis accepit, vix dimidium sui notitiam habet? Ignorat enim quòd nascimur omnes filij iræ, venundati sub peccato in damnationem mortis æternæ, quam nullus vnquam hominum per se euadere potest vllo studio virtutis. Insuper nescit mediatorem Iesum, & sanguinem redemptionis eius, & modum quo liberamur à peccato, à seruitute, a morte, & damnatione, in vitam gratiæ, vitam gloriæ, vitam sempiternam. Nescit resurrectionem ex mortuis. Denique & ignorat, qua tandem ratione, fluxa & caduca mundi huius transitura sint in statum quendam æternitatis. Hæc autem & cetera eiusmodi, quoniam non discuntur nisi verbo Dei, ideo dicendum est cum Ecclesiastico, quòd fons sapientiæ sit verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Eccle. 1.

Ideoque & iniusto titulo possederunt nomen sapientis septem illi quos Græci vocauerunt Sapientes. Quod animaduertens Pythagoras, prudenter recusauit appellationem sophi, hoc est, sapientis: dicens, quòd nullus mortalium, sed solus Deus sit sapiens. Quanquam & hoc non omnino sapienter dixerit, Addere enim oportebat, & cui voluit Deus reuelare per verbum suum, vel qui Spiritum sanctum acceperit ex Deo, dicente Saluatore: Confiteor tibi pater quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus (scilicet huius mundi, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Matth. 11.

Paulo quoque dicente: Oculus non vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis descendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum sanctum. Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Non igitur Philosophi mundi, sed nos Christiani sapientes esse possumus, quia nos habemus verbum Dei, non illi. Secundò quia nos habemus Spiritum sanctum qui ex Deo est, non illi. Tertiò quia nos sumus ex Deo in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia, non illis. Quoniam autem Arist. dicit: Errat omnis qui peccat: qui verò errat, non sapit. Similiter quoniam pronuntiat Sapiens: Sap. 1.

In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Nec dissimile est quod dicitur Iacobi 3: propterea non immeritò describimus veram sapientiam esse verbum Dei ad cor transiens, siue per quod corde creditur. Vera sapiētia est verbum Dei ad cor transiens.

Esse quidem verbum Dei eam ob caussam, quia in illo est vera, efficax, plenaque diuinarum simul ac humanarum rerum notitia, & quomodo illæ harum caussa existunt (sicut Cicero in sua descriptione sapientiæ posuit) præcipuè autem, quia ipsa sapientia dicit de se: Ego ex ore altissimi prodij, velut verbum eius: In me gratia Eccle. 24.

tia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Ad cor verò transiens: quia eloquia Dei tum demum, incipiunt nobis esse sapientia, dum capiunt in nobis, hoc est, dum cordi esse incipiunt. Vnde sicut vera sapientia non habitat, ita nec verbum Dei capit in homine subdito peccatis. De quo aliàs latius. Cur autem verbo Dei, & soli verbo Dei, adhibenda sit fides, quam qui habent. Christi fideles appellantur, eius nunc demonstrandi locus erit.

Sicuti verbum Dei non mittitur radicem iumalis, ita nec vera sapientia est in eis.

Omni & soli verbo Dei deberi fidem, qua Christifideles sumus.

CAP. IIII.



M. VErba, promissa, asserta, quod fide digna existát, vnde habét? D. Indubiè ab eo cuius sunt, nempe quia verax est persona referentis. M. Rursus, quòd verbo huius certa fide sit credendum, verbum autem illius non nisi aliquali seu humana credulitate suscipiendum: vnde prouenit? D. Ex diuersa qualitate pronunciantium. Quia vnus indubitatæ est veracitatis, alius non item. M. Tertiò quòd verbum hoc meritò ac obuia fide suscipi debeat, non autem illud: vnde accidit? D. Ex eo quòd verbum hoc, bona, vtilia, denique necessaria nunciat, illud verò minimè. M. Accipe igitur pro institutione tres propositiones. Prima est, verbum Dei quia Dei est, ideo ipsum suscipere oportet fide tali, quæ prorsus nullam admittit formidinem de opposito, nihil hæsitationis, nihil diffidentiæ. Nec aliam huius rationem quærere debes, quàm quia est Dei, hoc est, veritatis verbum. Est enim Deus ipsa veritas. Porrò veritatem aut falli, aut fallere æquè repugnat. Elogium autem veritatis huc pertinens pulcerrimum habetur Esdræ cap. 4. libri 3. Veritas, inquit, magna est & fortior præ omnibus. Omnis terra veritatem inuocat, cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum. Vinũ iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominũ, & iniqua omnia illorum opera, & non est in ipsis veritas: & in sua iniquitate peribunt, & veritas manet, & inualescit in æternum, & viuit, & obtinet in secula seculorum. Nec est apud eam accipere personas, neque differentias, sed quæ iusta sunt facit omnibus iniustis & malignis, & omnes benignantur in operibus eius, & non est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo, & regnum, & potestas, & maiestas omnium æuorum. Benedictus Deus veritatis.

Qua fide sit verbũ Dei suscipiendum 1. propô.

Elogium veritatis.

D. Inquit ille, Deus veritatis. Cadit ergo quod dicebatur, Deus est ipsa veritas. M. Illud benedictus Deus veritatis, dictum intelliges secundum phrasim, qua dicitur Deus misericordiarum, Deus virtutum, Deus iustitię, Deus totius consolationis: nẽpe quia sic est veritas & veritatis Deus, vt omnis quęcũq; inuenitur veritas sit ab eo, sic misericors & misericordia, sic virt' & virtutũ De', sic iustus & iustitia, vt prorsus nulli competant eadem, nisi donatione ipsius. Quapropter dicere verbum Dei, perinde est ac si dixeris verbum veritatis. Ab ipsa autem veritate non potest prodire nisi verum, consonum, æquum. Vnde euidenter consequitur, quod verbun Dei, eo ipso quo Dei est, & Dei esse cognoscitur, credi debeat fide penitus indubitata, quæ vt omnem dubietatem excludit, ita omnem aliam certitudinem longè excedit. D. Meritò addita videtur hæc clausula: Et Dei esse cognoscitur. Quoniam etiamsi verè Dei verbum esset, nesciretur tamen à Deo processisse, nequaquam eiuscemodi verbum fidem obtineret inter homines. M. De hoc dicemus abundè infra, etiam de medijs seu notis, quibus certo certius secernitur verbum Dei à verbo cuiusuis alterius. Vt autem ex scriptura habeas eius certitudinis, qua credi debet verbum Dei, dicit Apostolus: Qui (silicet Abraham) contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium. Credidit, inquam, quod dictum est ei: Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli, & arena maris. Et non est infirmatus in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm ferè esset centum annorum, nec emortuam vuluam Saræ. In repromissione enim Dei non hæsitauit diffidentia, sed confirmatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Hucusque Apostolus. Tu autem hic obserua, quod Abraham mox cognito verbo promissionis Dei credidit firmissimè contra spem & cursum naturæ, nec potuit physica ratione, aut vlla, vel sui senij, vel emortuæ naturæ vxoris consideratione abduci eò, vt vel quidquam in fide promissi hæsitaret: sed assertioni Dei, quia Dei erat, post habuit vniuersa, etiam si ignoraret modum, quo impleri posset. Quod est verè credere, vereque Deum

Scripturis probatur certitudo, qua credi debet verbũ Dei

Rom. 4. Gen. 13. 15. 45.

Roma. 4.

Deum col re tanquam meram primam infallibilemque veritatem. Ideoque subditur, dās gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus potens est & facere. Quoniam quidem in eo peculiariter damus gloriam Deo, si firmissimè atque indubitatè teneamus persuasum, etiam contra sensum proprium, & contra commune iudicium, denique contra insitam vim naturæ, quodcunque dixerit vel promiserit Deus. Hoc namque vnum fecisse, est reuera Deo tribuere quod super omnem creaturam est. Vt vel hinc intelligas, fidem qua sic credimus, partem esse religionis Christianæ, eamque eximiam, & certè præcipuam. Secunda propositio. Verbum Dei non grauatè suscipi debet aut otiosè, sed libenter, sed religiosè, sed corde piè sitibundo. Idque merito, vel eam ob caussam, quia ipsum continet Euangelium Dei quod sonat bonum nuntium, insuper quia lux mundi est, lumen vitæ, fons veræ sapientiæ etc. de quibus diximus suprà. Quæ quidem si animo obuio colamus, societatem habemus cum Deo, & vnū efficimur cum illo sin minus, perimus dicēte Ioāne: De⁹ lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum illo, & in tenebris (hoc est, extra præscriptum verbi Dei) ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce (hoc est, si secūdum institutionem verbi diuini vitam nostram dirigimus, vt verè eū Dauide dicamus: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine) societatem habemus ad inuicem (hoc est, nos cum illo, & ipse nobiscum) & sanguis Iesu Christi filij eius emūdat nos ab omni peccato. Ecce si ambulamus in luce verbi Dei, tunc demum societatem habemus cum Deo, tunc & abluimur à peccatis nostris per sanguinem filij eius. Addit his Saluator. Qui audit sermonem meū & custodit illum, non morietur in æternum. Item, Qui audit verbum Dei & custodit illud, habet vitam æternam. Fili non potest non ignominiosum esse & criminatione dignum spærnere vel negligere oblatum, quod tāti est, quod tam fructuosè possidetur, tam periculosè non habetur. Tertia propositio. Verbum hominis si suscipimus, non nisi humana credulitate suscipimus, neque huius aliam damus rationem, quam quia hominis est. Omnis enim homo, teste scriptura, mendax est, plus aliquid dic : Omnis ho o mendacium. D. Ego domine sic loquendo putarem me iniuriam facere, & naturæ humanæ, & creatori qui finxit illam. M. Scripturæ patrocinio sic loqui licet & mihi, & tibi, & omnibus alijs, quia secundum aliam versionem sic habet text. Omnis autem homo mendacium. Porrò non iccirco mendacium homo, quòd nihil sit veri in ipso aut sermone eius: sed quia plus habet de falsitate quam de veritate, plus de non ente quam de ente, plus de insipientia, imprudentia, iniustitia, stultitia, quam de virtutibus oppositis, natura impotens cernere verum, animo duplex, malitia fallax, vanus, inconstans, corde denique prauo ac inscrutabili. Hæc autem de homine dicta intellige prostatu naturæ corruptæ, & vt homo tantummodo est, necdum sanctus, aut spiritu Christi illustratus. Secus enim est de eo qui virtutibus pollet, & donis de sursum à patre luminum acceptis. Nam eiusmodi plus aliquid est quā homo: quia homo diuus, diuino lumine supra se eleuatus. Et certè in quantum talis, verax est, & veritatis doctrinam in alios trāsfundere potest, ad instar Lunæ: quæ dum accipit radios à Sole, potest & alia corpora illuminare, & quatenus ipsa participat à Sole, potest plus minúsue illustrare alia. Porrò si aspectum Solis non accipiat, nec ipsa quidem videri potest. Quales fuerunt sanctus Basilius, sanctus Ambrosius, sanctus Hieronymus, diuus Augustinus, Athanasius magnus, & eius eminentiæ multi alij. Tamen nec illorum quidem dictis debetur fides qua Christifideles sumus. Homines enim erant, cuiusmodi dum ex proprijs loquuntur, & falli possunt & fallere. D. Ergo nec Apostolicis dictis credendum foret: nam & illi homines erant. M. Non consequitur: quia in illis non proprius, sed Dei spiritus loquebatur, quem acceperant abundè. Ideoque non suū, sed Dei erat verbum quod prædicabant. D. At, qui sciri à nobis poterit, num Spiritu Dei, & non potius spiritu suo proprio loquutur is, qui vtrouis loqui potest? M. Expecta aliquantulum, mox dicturi sumus de ea quæstione, loco paulò oportuniori. Pro hac vice certum habe, verbo Dei, non verbo hominis, & præcisè ac soli verbo Dei deberi eam fidem, quam qui habent fideles: qui vero non habent, infideles appellantur. Cuius exactam rationem colliges, relicto ex Dionysio discipulo Pauli, libro de Diuinis nominibus, capite vij. Dicit enim: Fides est circa simplicem, & semper existentem veritatem, hoc est, eam veritatem quæ Deus est. Quæ quidem veritas, quoniam cum Deo abscondita manet (iuxta quod dicitur: Vere tu Deus absconditus

Marginalia: Secunda propositio. Quam obuiè de beat suscipi verbū Dei. — 1. Ioha. 1. — III. propositio. Verbo hominis non debetur fides qua Christifideles sumus. — Psalm. 115. — Simile. — Probatur soli verbo Dei deberi fidem. — Esa. 45.

ſconditus es) non cognoſci poteſt ſine lumine ſibi proportionato. Sicut & veritas creata, quæ in rebus eſt, nō intelligitur abſque lumine naturali, quod ſignatum eſt ſuper nos naturaliter. Rurſum quoniā aliter beatus, aliter viator participat de hoc lumine primæ veritati proportionato, ideo non vno modo, ſed variè pro vario ſtatu hominis fit hæc ſimplex, & ſemper exiſtēs veritas obiectum intellectus humani: vel per intuitionem qua contemplamur Deum præſentem velut facie ad faciem in lumine felicitatis ſupernæ, & tum efficitur viſio beatifica: vel per reuelationem in verbo Dei, qua velut in ſpeculo, & per ænigma, atque à longè cognoſcimus de Deo, & tum efficitur fides lumine gratiæ ſic promouente, & adiuuante infirmitatem noſtram, vt poſsimus hic firmiter aſſentire etiam non viſis, & non intellectis, neque vllam ſui apparentiam præbentibus. Quomodo etiam lumen gloriæ in ſtatu beatitudinis ita perficit intellectum humanum, vt valeat ſuſtinere ſuperexcellens illud, & ſuperexcedens obiectum beatificum gloriæ, non in deſtructionem potentiæ, ſed ad ſtabilem & plenam ipſius perfectionem. Itaque veritas prima, ſiue veritas ſimplex, & ſemper exiſtens (vti Dionyſius loquitur) nō abſolutè, ſed ſecundum aliquam ſpecificationem ſui eſt obiectum fidei, videlicet vt loquens ſiue reuelans ſe in verbo Dei. Quare proximum, & præciſum obiectū fidei Chriſtianæ eſt verbum Dei reuelans myſteria. Legiſtine apud Scholaſticos de obiecto fidei? D. Omnino, apud diuum Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. prima. M. Relege precor eundem locum ſimul cum commentarijs docti Caietani, & probabis ea quæ diximus. Vt autem ſingula quoad poſsibile fuerit, probemus teſtimonijs Apoſtolicis. Paulus dicens: Fides ex auditu eſt, auditus verò per verbum: verbum vtique Dei, nonne videtur tibi dicere, quod verbum Dei ſit præciſum obiectum fidei noſtræ? D. Neſcio, quia videtur ibi loqui de fide quæ concipitur ex vocali prædicatione, & auditu auriculari, quo audiuntur qui euangelizant verbū. M. Non poſſet melius reſponderi. Præcedit enim in eodem capite. Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Aut quomodo credent eum quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Literalis igitur ſenſus eſt, de corporalibus prædicatione & auditione. Nihilominus ſi extendatur idem proceſſus hoc pacto. Aut quomodo credent ei quem non audierūt vllo quidem modo, neque per verbum quod intus pulſat oſtium cordis, neq; per verbum quod foris ſonat ad aures capitis. Quomodo verò audient ſine prædicante, vel per viuæ vocis organum, vel per reuelationem internā, quę prædicatio quædā eſt, & quidem efficaciſsima? Nemo enim credit niſi audiat, audit autē omnis (qui audit quod credat) per verbum Dei. Audit, inquam, vel auribus, quæ foris ſunt corporis, vel auribus quæ intus ſunt cordis, vel vtriſque ſimul, quod eſt verè audire: Chriſto dicente ad Apoſtolos ſuos: Veſtri autem beati oculi quia vident, & aures veſtrę quia audiunt, vt foris ſcilicet ita & intus. Auditus autem tam hic quam ille, eſt per verbū ſiue foris prædicatū, ſiue intus reuelatū. Itaque vniuerſaliter fides ex auditu eſt, vel interiori vel exteriori, vel vtroque ſimul: auditus verò per verbum, vel intus reuelatū, vel foris prædicatum. Per verbum, inquam, Dei, nō hominis, hoc eſt, per verbum quatenus procedit à ſpiritu Dei, non quatenus procedit ab homine, etiam ſi per hominem prædicetur. Vt optimè explicat Apoſtolus primæ Theſſal. 2. dicēs. Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſsione: quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut verè eſt) vt verbum Dei. Quod enim de ore hominis quamlibet ſancti procedit, nō ideò credendum eſt quia hominis eſt, aut quia eſt hominis iuſti, docti, vel eloquentis, ſed quia Dei eſt loquentis per organum hominis. Hinc & iuſsit Corinthios captiuare intellectum in obſequium Chriſti, non autē in obſequium hominum. Concludo. Cœlitus verbo Dei reuelatū oportet, quod certa, quod indubitata, quod inſuperabili fide tenendum proponitur. Quapropter ſcopus huius Inſtitutionis noſtræ erit omnia quæ ad ſubſtantiam noſtræ religionis pertinent demonſtrare ex ipſo verbo Dei, vt plenè ſatisfiat tam hominum noſtri temporis expectationi quàm veritati doctrinæ.

Præciſum obiectū fidei eſt verbū Dei reuelans myſteria.

Rom. 10.

Matth. 13.

Vniuerſaliter fides eſt ex auditu.

2. Cor. 10.

Verbum Dei multo tempore fuiſſe ſeminatum in mūdo priuſquā vllæ extarēt ſcripturæ ſacræ: ſcripturas autem poſtea velut acceſsiſſe ad verbum Dei prius annunciatum. CAP. V.

DOMIne, nihil adhuc dixiſti de ſcriptura ſacra, quæ ſanè omniū iudicio æſtimatur verbum Dei. M. Vt dicis ita re vera eſt, etiā meo & veritatis iudicio. Verèque impius & blaſphemus dici meretur omnis, qui inficiatur

ſcripturam ſanctam eſſe verbum Dei, hoc eſt, qui negat ſcripturam ſacram inuiolatè verum, ac purum verbum Dei continere. Quod autem nondum de ea diximus, ideo factum eſt, quia needum dicendi locus fuit. Cùm enim ſit inquiſitio rerum: primò quæ ſubſtantiam concernũt: deinde de acciden tibus eius tractare conuenit. Accidit autem verbo Dei ſcriptum eſſe, ſiue per ſcripturam proponi hominibus. Viua etenim voce illatum eſt mundo, inſuper viua traditione cuſtoditum & transſuſum de animis in animos multo tempore per annos & ætates abſque omni ſcriptura. Ab initio etenim creaturę conditę vſque ad Moyſen fuit verbum Dei factũ, creditum, transfuſum, abſque chartis vel libris. Certo certius eſt quod dico, nec eget probatione, quia ante Moyſen nulla fuit ſcriptura ſacra, imò nulla omninò ſcriptura, vt communis eſt ſentẽtia, etiam Ethnicorũ. Fuit autem ſeminatũ tum temporis per os Domini verbum Dei ad Adam, ad Euam, ad Cain, ad Enoch qui ambulauit cum Deo, ad Noë, ad Abraham, Iſaac & Iacob, prout affirmat Moyſes per totum librum Geneſ. D. Cœpit tamen à tempore Moyſi ſcripturis tradi verbum diuinum, vt eſt videre in volumine Legis. M. Omnia quæ ſunt in Pentateucho, hoc eſt, quinque libris Moyſi locutus eſt Dominus velut ore ad os ad famulum ſuum Moyſen citra ſcriptum, excepto ſermone decem verborum quem Decalogum dicimus. Hunc enim tradidit Deus ſcriptum in duabus tabulis, manibus ſuis confectis. Quas cùm confregiſſet Moyſes zelo Domini commotus: ſecundò inſcripſit Deus digito ſuo eũdem decalogum in alijs lapideis tabulis confectis à Moyſe, vt eſt legere Exod. 32. & Deuter. 9. Eorum ergo quæ continentur volumine legis, nihil ſcripto illatum eſt mundo, nihil etiam à principio inſertum auribus filiorum Iſraël per ſcripturam, præter vnum decalogum: donec Moyſes mandatum acciperet à Deo ſcribendi ſingula in vno volumine. Quod & dedicare oportebat ſanguine, & exinde cuſtodire in arca fœderis in ſempiternum, ad perpetuam rei memoriã, verbique diuini teſtificationem, vt habes Deut. 24. & refert Paulus Hebr. 9. Ita quoque de reliqua parte veteris Teſtamenti cenſendum eſt quod primò reuelata fuit per viſiones, in ſomnia, ſiue oracula Dei. Hinc dicitur viſio Eſaię prophetę, viſio Ezechielis &c. D. Et Euangelium Chriſti nunquid à principio ſcripturis traditum eſt? M. ſaluator noſter toto vitæ ſuæ tempore nihil ſcripſit, niſi paucula verba digito ſuo in terrã: de quo habes Ioan. 8. & vnã epiſtolam quã putatur miſiſſe ad regem Abagarum ſecũdum narrationem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 15. libri primi. Nihil etiam mandauit Apoſtolis ſuis vt ſcriberent: Sed euntes in mundum vniuerſum (inquit) predicate Euãgelium omni creaturæ. Malens inſculpta eſſe mentibus credentium, quàm materialibus chartis ſancta Dei miſteria. Quoniã litera ſcripta vt vt manet, tamẽ nihil prodeſt, niſi ad penetralia tranſeat cordis. Itaque ſi tempus & ordinem ſcripti Euãgelij animaduertas, inuenies ſola traditione citra omnem ſcripturam viguiſſe doctrinam Euangelicam viginti annos à Chriſto paſſo, ſecũdum probatos auctores. Lege diuum Hieronymum in prologo ſuper quatuor Euangelia. Item in libro de viris illuſtribus. Lege præterea Irenæũ lib. 3. aduerſus Valentinũ, et Euſebium lib. 1. cap. 14. & inuenies quod Matthæus primus inter diſcipulos Domini ſcripſerit Euangelium ſuis Hebræis Hebraicis literis. Qua autem occaſione: explicat Euſebius loco iam citato dicens: Mattheus primò Hebreis predicauerat, verùm cùm pararet tranſitum ad gentes, patria lingua ſcripturam compoſuit, et ea quæ prædicauerat comprehendens, dereliquit ijs in memoriam à quibus proficiſcebatur, vt prædicaret gentibus. Quãdo autem Matthæus id fecerit, idem Euſebius libr. 5. cap. 8. exponit adducens teſtimonium ex 3. Irenæi libro his verbis: Matthæus quidem Hebræis propria illorum lingua conſcriptum edidit Euangelium, cùm Petrus & Paulus in vrbe Roma euangelizarent, atque Eccleſiæ ibi fundamenta ſolidarent. Cùm igitur ex Actis Apoſtolorum certum ſit Paulum ſub Neronis imperio Romam aduentaſſe (quamuis Petrus anteà tempore Claudij Romam veniſſet, Hiero. teſte) compertum habemus pluſquam viginti annis Eccleſiam ſine ſcripto Euangelio ſtetiſſe: licet alijs aliud videatur. Et certè ne tũc quidem omnibus diuulgatum fuit Euangelium Matthęi, ſed ſoli gẽti Hebræorum. Quod poſtea diuus Bartholomęus (vt teſtatur eius hiſtoria) in Indicum ſermonem vertit, atque deinde (vt Hier. lib. de viris illuſtribus tradit) Græcis literis fuit interpretatum, ſicque tandem plenariè Eccleſiæ traditum. D. Fortaſſe ſcripſerunt alij Euangeliſtæ longè ante Matthæum. M. Id dici non poſſe probant: Primò ordo quẽ ſortitum eſt Euangelium ſecundum Matthæum in volumine noui Teſtamenti: deinde Epiphanius tractans hæreſim Alogorum

Verbum Dei antiquius eſt ſcripturis ſacris.

Euãgeliũ non ſcripto, ſed viua voce à principio fuit traditum.

Chriſtus nihil nobis ſcripto reliquit.

Viguit doctrina Euãgelij annos 20. ante omnem ſcripturã noui Teſtamenti.

Quo tempore ſcripſerit Matthæus.

Matthęus ſcr pſit primus Euangelium.

Quo tempore scripsit Marcus & qua occasione.

rum & tempora Euangelistarum: post Matthæum (inquit insecutus est Marcus, iussus à sancto Petro Romæ Euangelium edere, qui vbi scripsisset mittitur in Aegyptiorum regionem. Qua autem occasione iussus sit scribere Euangelium, narrat Eusebius in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, cum Petri prædicationis meminit dicens. Sermo veritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur, vniuersorum mentes placido illustrauit auditu, vt quotidie audientibus illū nulla vnquam satietas fieret. Vnde neque auditio eis solum sufficeit, sed Marcum discipulum eius omnes precibus exorant, vti ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scriptura traderet, quo domi forisque in eiusmodi meditationibus manerent. Nec prius ab obsecrando desistunt, quàm quod orauerant impetrarent. Et hæc fuit caussa scribendi, quod secundum Marcum dicitur Euangelium. Ex quibus clarè datur intelligi Marcum scripsisse suum Euangelium, postquam Petrus iam multo tempore euangelizasset populo Romano. Nec sanè anteà quā Simonis impostoris magicas dementationes ac tenebras simul cum suo auctore Romæ extinxisset. vt idem Eusebius eodem libro asserit. Sentit & Irenæus lib. 3. contra Valentinum, post Apostolorum scilicet Petri & Pauli exitum de hoc mundo per mortē, Marcum discipulum & interpretem Petri, euulgasse suum Euangelium, vt toto orbe legeretur. Si igitur tempora diligenter supputemus, constabit plus quàm triginta annos fluxisse à Christo passo ante euulgationem Euangelij secundū Marcū. D. Et Lucas suū Euangeliū quo tēpore scripsit? M. Hoc aliquanto incertius est. Nam etsi Apostolus in sua epistola ad Cori. quam scripserat priusquam Romam venisset, tribuat diuo Lucæ laudem ex Euangelio dicens: Cuius laus est in Euangelio: tamen incertum manet, num intelligat hoc Apostolus de scripto an de viua voce annuntiato eius Euangelio. Epiphanius quidem lib. 2. tractans hæresim Alogorum sentit Lucam scripsisse circa idem ferè tempus quo scripsit Matthæus. Theophylactus verò super Matthæum asserit eum decimo quinto anno à Christo in cælos sublato scripsisse. Verisimilius tamē est eum post Matthæū & Marcum scripsisse. Primò quia multa videtur supplere quæ illi omiserunt. Secundò quia ab Hiero. Euseb. & Greg. Nazianzeno, & tota deniq; Eccles. eius Euangeliū post Matthæi & Marci Euangelia tertio loco ponitur in volumine noui Testamē-

Quo tempore scripserit Lucas suum Euāgeliū.

ti. Dicit enim Greg. in canone quē edidit de diuinis scripturis, Matth. scripsit Hebræis: Marcus Italis: Lucas Græcis: Ioannes omnibus, præco maximè vocalis atq; cælestis: tertio loco ponēs Lucā. Quod siue ideo fuerit quia suū Euangeliū Lucas post illos scripserit, siue quod tertio loco receptū est ab Ecclesia, etiamsi antea scriptum fuerit, perinde nobis in hoc nostro proposito esse debet. Demonstratū siquidem relinquimus, ad minus quindecim annis Ecclesiam stetisse sine scripto Euangelio, in quo concordant ferè omnes. Nā de Ioanne Euangelista extra omnē controuersiam est, quòd scripserit Apocalypsim suam in Pathmo insula, quo relegatus fuerat tempore Domitiani Imperatoris: Euangelium verò suū postquam reuocatus esset ex Pathmo circa finem vitæ suæ. Dicit enim Epiphanius loco suprà citato: Spiritus sanctus coëgit Ioannem recusantē annunciare, hoc est, scripto vulgare (de illa enim annūciatione loquitur) ob metū & humilitatem, in senecta ipsius post nonaginta annos vitæ suæ, post reuersionē eius a Pathmo quæ facta est sub Nerua: vel sub Claudio Cæsare: vt alij volunt: postquam multos annos in Asia transegisset, Euangeliū exposuit. Hęc ille. Vixit autē Ioannes annis nonaginta nouem, & obijt morte anno sexagesimo octauo post passionem, cùm Traianus iā potiretur reiū: vt testatur Hieronymus. Quare sexaginta annis stetit Ecclesia à Christo passo sine scripto Euāgelio Ioannis. D. Quid potuit precor tum impulisse sanctum Apostolum, vt inciperet scribere iam in vltima senecta vitæ? M. Huius aliam caussam Eusebius, aliam reddit diuus Hiero. Et potuit certè vtraque, quam reddunt, caussa fuisse istius dilationis. Euseb. lib. supra citato dicit: Tradunt Ioannem vsque ad vltimū penè vitæ suæ tempus, absque vllis scripturæ indicijs Euangelium prædicasse: sed cùm aliorum Euangeliorum etiam ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidem dicitur fidem & veritatem dictorum, deesse tamen vidit aliqua, & ea maximè quæ primo prædicationis suæ tempore Dominus gesserat. Hieronymus verò in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: Ioannes (inquit) Apostolus quem Iesus amauit plurimùm nouissimè omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis contra Cerinthum aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Hæc Hieron. His itaque duabus de caussis scripsit tandem, differens quousque per necessitatem

Quo tēpore & qua occasione scripserit Ioānes suum Euangelium.

B a potuit.

potuit. Quia maluit doctrinam sanctam cordibus insculptam, quod prodest, quàm chartis inscriptam, quod non prodest, custodiri & circumferri, exemplo magistri sui Christi. D. Stetit profectò (vti probant ista) tempore multo doctrina Euangelica absque scripto Euangelio, verùm quid potuit tum dirimere litem subortam in quæstione fidei? M. Verbum Dei, viua voce tra ditum, viuaque traditione custoditum. Nequaquam tum temporis obijciebatur contentiosis, sic scriptũ est, aut sic legistis. sed vt Apostolus inquit, siue ego, siue alij, sic prædicauimus, & sic credidistis. Rursum: In eo quod accepistis permanete. Item: Sic visum est nobis, & Spiritui sancto. Hoc satis erat tunc temporis, nec aliud respondebatur ab Apostolis. Si quis (inquit Paulus) videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinẽ non habemus, neque Ecclesia Dei: D. Et epistolæ Apostolorum an multo post prædicationem fidei æditæ sunt? M. Omnes epistolæ Apostolorum sunt commonefactoriæ rerum, quæ vel ab ipsis, vel ab alijs vi ua voce docta fuerant. Constat sanè ex primo cap. ad Galatas, item ex Actis Apostolorum, Paulum repleuisse Arabiam, Syriam & Cylieiam verbo Dei, priusquam vllam emit teret scripturam. Quando scripsit Tessalon. iam illis longè antea prædicauerat Euangelium, quia in illa epistola meminit de doctrina & præceptis eis traditis ante epistolam. Quando scripsit ad Romanos, iam Corinthijs prædicauerat, quia ex Corintho missa est epistola illa. Quũ verò scripsit Corint. iam prædicauerat Philip. Ad Galat. verò, & Philipp. & Colloss. & Philemonẽ, & secundã ad Timot. scripsit ex vrbe Roma. Primã autem ad Thimot. scripsit à Laodicæa metropoli Phrigiæ Capatianæ. Ad Titũ è Nicopoli Macedoniæ. Ad Hebræos deniq; ex Italia. Longo itaq; tempore doctrina per traditionem (quantũ ad ea quæ ex Paulo habet Ecclesia) præcessit eiusdem Pauli scripturas. Sic diui Petri epist. longè post prædicatum Euangelium scriptas esse cõstat luce clarius ex eisdem. Dicit enim in priore. Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone. Vbi per Babylonem vniuersi Patres intelligunt Romam, quæ luxu, luxuria, & omnis vitij corruptione non erat inferior Babylone. Certum est enim ex Historiographis Petrum multo tempore prædicasse in Iudea: adeo vt dicat Paulus: Qui operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Exinde Antiochiæ septem annis tenuisse sedem. Pontum insuper lustrasse, Galatiam, & Bithiniam, ad quos direxit priorem epistolam suam, priusquam Romam venisset: vt auctor est Epiphanius. Secundam verò scripsit sub extremum tempus vitæ suæ, dicens: Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus significauit mihi. Ex his colliges Euangelium salutis longè ante datum fuisse hominibus quàm scriptum, ante promulgatum, ante receptum, ante radices misisse in cordibus credentium annos plurimos priusquam prodiret vlla scriptura, vel Euangeliorum vel epistolarum. Antiquitate igitur venerabilius est verbum Dei, quàm scriptura veteris & noui Testamenti. Deinde colliges, modo quodam aliud esse verbum Dei, aliud scripturam verbi Dei, aliud denique traditionem verbi Dei. Item aliud Euangelium Christi, aliud traditionem, aliud scripturam eiusdem Euangelij. Ad Adam, Noë, Abraham, factum fuit verbum Dei: apud posteritatem verò eorum vsque ad Moysen non nisi traditio erat eiusdem verbi. Cui tandem per Moysen accessit & scriptura libri Geneseos, ac aliorum. Sic per Christum venit Euangelium in mundum: post Christum verò per Apostolos dilatauit se in omnem partem mundi traditio eiusdẽ Euangelij. Elapsis autem annis non paucis, tandem accessit, & scriptura Euangelica. Rursum, modo quodam vnum atque idem esse verbum Dei, traditionem, scripturamque eiusdem verbi diuini. Vnum quoque & idem esse Euangelium Christi & traditionẽ sanctam, scripturamq; sacram eiusdem Euãgelij, eò quòd illud in istis cõtineatur, & hæc sint vera, certa, irrefragabilis testificatio illius. Nec omnino dissimiliter, vno quidem modo, aliud & aliud sunt verbum Dei scriptum digito Dei in cordibus credentium (de quo habes Hier. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam: addit Apostolus: Non atramẽto, sed spiritu Dei viui, 2. Corin. 3.) & verbũ Dei scriptum in materialibus libris. Illud non nisi à pijs possidetur: istud verò cunctis esse potest pro enchyridio institutionis. Illud mox à reuelatione cœpit nobiscum esse: istud verò non nisi post longam prædicationẽ. Alio verò modo, vnum & idem sunt, quia idem continent, idem annũciant, & ad eandem erudiũt salutem: licet non æquè immediatè, aut æquè efficaciter. Itaq; & tempore antiquius, & efficacia præsentius, & ob manum scriptoris multò est venerabilius verbum Dei, siue Euangelium Christi inscriptũ cordibus

Quid respondebatur contentiosis ante scriptũ Euangeliũ. 1. Cori. 15. Actor. 15. 1. Cor. 10.

Quando sint æditæ epistolæ Apostolorum.

Euãgeliũ longè ante datum fuit hominibus quã scriptum in libris.

cordibus fidelium, quàm idem inscriptum membranis librorum.

Non omnia mysteria fidei scripturis prodita esse, sed quædam traditione viua, ac velut per manum in omnem ætatem transfusa custodiri.

CAP. VI.

M. Verbum Dei est ex tétius scriptura sacra.

NOn solum autem inuenitur verbum Dei antiquius esse scriptura sed & augustius, atque extensius, plura in se complectens, quàm vtriusque Testamenti scriptura. D. Huic apprime contradicút, qui hoc tempore sciśma faciunt. M. Attamen veritas est, vti demonstrabimus: primò ex ipsis scripturis sacris, deinde ex sanctorum patrum assertionibus. Apostolus Paulus sic scribit ad Corint. Laudo vos fratres quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Simili modo hortatur & Tessalonicenses hisce verbis. Itaque fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Audis hic Corinthios laudari, quod retineant præcepta tradita citra scriptum. Dico citra scriptum, quia in qua eos laudat, est prima ipsius ad Corinthios epistola, antequàm eos non nisi viua traditione instituerat. Audis & Tessalicen. acriter moneri, vt retineant traditiones, tam eas quas per sermonem citra scriptum, quàm illas quas per epistolam didicissent. Quæ loca tractans diuus Ioannes Chrysost. sic ait: Hinc patet quod non omnia per epistolam, sed multa etiam sine literis Apostoli Christi tradiderunt. Cuius alibi sæpè meminit Apostolus. Eadem verò fide digna sunt tam illa quàm ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ dignam putauimus. Traditio est, nihil quæras amplius. Hęc ille. Eandem quoque Apostoli sententiam ad Tessalicen. tractans Bulgarius vetustus auctor probatæ eruditionis sic inquit: Hine sanè perspicuum est pleraque Paulum sine scriptis, sermone duntaxat, hoc est, viua voce, non epistolis solùm his tradidisse. Non enim secus illa atque hæc fide sunt digna. Itaque & Ecclesiæ traditionem dignam existimemus, cui præstanda sit fides, vt si quid ab ea sit traditum nihil vltra perquiras. Hęc Bulgarius. Eundem præterea locum Pauli tractans Ioannes Damascenus libro 4. capite 1... vbi de imaginibus Sanctorum adorandis tradit. Quod plurima (inquit) sancti tradiderunt sine scripto. Docet Paulus gentium Apostolus scribens: Ergo fratres state, & tenete traditiones nostras quas edocti estis siue per sermonem, siue per epistolam. Et ad Corinth. Laudo vos fratres quia per omnia mei meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones tenetis. Hæc Damascenus. Stetit olim Ecclesia plus minus triginta annos illuminata tantummodo tribus scriptis Euangelijs, Matthæi, Marci, Lucæ. Quot autem toto hoc tempore quædam tradebantur, & posteris tradenda docebantur, quæ necdum scripta erant, testatur Euágelium Ioannis scribentis de verbo incarnato, de regeneratione ex aqua & Spiritu sancto, de nuptijs in Cana Galilææ, & alijs plurimis quæ egit & docuit Christus priusquá Ioannes mitteretur in carcerem, quorum alij nullam fecerunt mentionem. Quæ & caussa fuit vt scriberet & ipse suum Euangelium. Vti suprà probauimus. Quo tamen Euangelio Ioannis accedente, nec rum quidem omnia scripto comprehensa sunt. Dicit enim cap. 20. sui Euangelij: Multa quidé & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt in libro hoc. Et vltimo cap. Sunt & alia (inquit) quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse; qui scribendi sunt, libros. D. At verò & hoc dicit eodem 20. cap. Hæc auté scripta sunt, vt credatis quod Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Vnde posse colligi videtur, saltè omnia illa quę credere necesse est, expressa esse scripturis quatuor Euangeliorum. M. Ex illo Ioannis nihil aliud inferri potest, quàm quod Ioannes Euangelista enarrauerit populo, quæ sufficere videbantur ad faciendam fidem de Christo, & beneficio redemptionis eius, idque ad vtilitatem ipsorum quibus scribebat: nempe vt credentes vitam habeant in nomine eius. Ex quibus non consequitur omnia mysteria fidei & religionis prodita esse vel Ioannis vel quatuor Euangelistarum scriptis. Quoniam in his nihil adhuc habetur, de his quæ contigerunt post ascensioné Domini in cælum: Nihil de modo quo missus est visibiliter Spiritus sanctus in Apost. Nihil de his quę operatus est igneus ille spiritus per manus Apost. Nihil de vocatione gentiú ad fidé: de cessatione legaliú: de platatione Ecclesiarú inter gétes, de cóuersione Pauli, de segregatione eius & Barnabæ ad Apostolatum inter gétes, & ceteris eiusmodi quę Lucas exposuit in lib. Act. Apostolorú. Nihil de ordinatione Episcoporú per ciuitates, nihil de qualitatibus requisitis in ijs qui ordinari debét, de quibus Apos. Timotheo & Tito per epistolas scribit. Nihil de diuer-

Marginalia: 1. Cor. 11. — 2. Tess. 2. — 2. Tess. 2. — 1. Cor. 11. — Stetit Ecclesia annis multis habens tátúmodo tria Euangelia. — Obiectio. — Solutio. — Numerátur multa non scripta in Euang. quę tamé pertinent ad doctriná fidei.

diuersitate numerum spiritus sancti in my stico corpore, nō ad schisma, sed ad cōsummationem ijs suis. De coniugio impari secundum cultum: de eo quod vir nudo capite, mulier verò non nisi velato capite debet orare, quodque mulieri omnino non permittitur loqui in Ecclesia, de quibus ac alijs instruit Corinthios per priorem epistolam. Qualia etiam quam plurima, & perquàm necessaria ad religionem possunt demonstrari in alijs aliorum Apostolorū scriptis, quorum nulla est mētio in Euangelijs. Addo quod nec in ipsis adhuc epistolis tradita sunt omnia quæ ad populi institutionem circa mysteria religionis desiderabantur. Dicit enim Paulus vndecimo cap. prioris ad Corinthios: Cætera (scilicet pertinentia ad debitum vsum corporis & sanguinis Christi) cùm venero disponam. Dicit & Ioannes in sua secunda Cano. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum. Spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui, vt gaudium vestrum plenū sit. Simile dicit & in tertia sua Canonica. Facit quoque Paulus II. cap. epistol. prioris ad Corint. & in prima ad Tessal. 4. cap. mentionem præceptorum, quæ tradidit illis docendo. De quibus præceptis nihil inuenitur vspiam in scripturis. Præterea: Sapientiam (inquit) loquimur inter perfectos. Scribimus quidem omnibus etiam paruulis & imperfectis, sed sapientiam loquimur (nota quod dicit, loquimur, non autem scribimus aut dictamus) inter perfectos. Ex quo licet inferre quod viua voce aperuit multa mysteria Episcopis, Euangelistis, & perfectioribus, quæ non commisit omnibus per scriptas epistolas. Quid enim ex diuo Petro qui post Christum superuixit in Ecclesia circiter annos 37. quid (inquam) in eius monumentis habemus Ecclesiæ relictum præter duas breues epistolas? An non putabimus eum alia pleraque & saluberrima tradidisse dogmata, quæ literis minimè commendauit, præsertim, cùm tā familiariter cunctis interfuerit, quæ Christus vel docuit vel mirifice fecit? Sed & de Iacobo & Iuda quid præter vnicam vtriusque epistolam accepimus? De ceteris verò Apostolis, si subduxeris Euangelistas) nihil, ne verbum quidem habemus scriptum, & tamen singulos salutaria reliquisse documenta, nemini potest obscurum esse. Itaque vt finiā, si omnia credenda agendaque sufficienter descripta erant in Euangelijs Mathæi, Marci, Lucæ, cur necessarium iudicauit Ioannes in extrema sua senecta superaddere & quartum Euāgelium?

Epilogus prædictorum.

Rursum si scripturis quatuor Euangeliorum omnia comprehendebantur, cur operæpretium erat, vt Apostoli multa detegerent suis epistolis? quod Lucas scriberet acta Apostolorum? Ioannes Apocalypsim? deinde si omnia saluti nostræ expedientia descripta sunt in libris noui Testamenti: cur dicit Paulus: Cetera cùm venero disponam? Cur Ioannes: Multa habeo vobis scribere, sed nolui per chartam? &c. Cur monent vt persistant in traditionibus per sermonem? Vt teneant præcepta tradita, quorum nulla extat scriptura? Si denique nulla est ratio traditionum habenda, cur ad illas remittit Moyses dicens: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi? Cur vel si la traditione viguerunt inter fideles sabbati sanctificatio, animalium mūdorum & immundorum discretio, sacrificandi ritus, obseruatio de non manducando sanguine, & id genus alia per annos plus minus bis mille, à Noë vsque ad scriptam legem Moysi? Nec loquebatur hominibus verbum Dei tum temporis minus in arcana illa traditione, quam posteà in libris Moysi, cum ferè omnia essent in legem scriptā traducta. Sed & post modicum ostendam tibi quædam in vniuersali Ecclesia recepta, & ea quidem necessaria ad salutē, quæ ex scripturis sacris demonstrari non possunt. Nūc autem videamus, an consentiant nobiscum Patres qui antiquitate iuxta & sanctimonia conspicui habentur, qui nec possunt tempore controuersiæ nunc introductæ alteri parti plus æquo videri studere. Deut. 32.

Ex dictis Patrum constare multa pertinentia ad fidem & religionē tradita fuisse extra scriptum, velut per manum. CAP. VII.

Docet Dionysius Areopagita discipulus Pauli lib. 1. Eccl. Hierar. cap. 1. circa finem vbi testatur, eloquia diuina duplicis esse generis: nimirum quædam in sanctis & theologicis libris nobis commendata, & alia præterea quæ ex animo in animum (medio intercurrente verbo, corporali quidem, sed quod carnis sensum penitus excedat) sine literis transfusa, si quidem (vt subdit) primi illi sacerdotes duces nostri (Apostolos intelligit) summa illa & supersubstantialia partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt. Item Basilius magnus libro de Spiritu sancto cap. 27. & 29. allegans verba Apostoli 2. ad Tessal. 2. Itaque fratres state & tenete traditiones, &c. vt supra. Et 1. ad Corint. 11. Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut

Dionysius.

Basilius.

& sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. docet & infert quòd dogmata quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, habemus partim ex conscripta doctrina, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio: addens, quòd vtraque ad pietatem eandem vim habent. Ad hæc Apostolicum (inquit) arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. Nam in antiquitate sua velut canicie quadam reuerendum quid habent: Si enim (inquit) aggrediamur consuetudines nullis scriptis proditas, velut non magnam vim habentes reijcere imprudentes, etiam ipsis principalibus Euangelij partibus iniuriam inferemus, imò potiùs ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Et enarrans ibidem varios actus Euangelicæ obseruantiæ, nempe quòd figura crucis signamus nos, quòd verba inuocationis facimus, dum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quod benedicimus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, ipsamque olei illinitionem facimus, quę doctrina, inquit, scripto docuit? ex qua scriptura manauit? nónne ex tacita, & arcana traditione, quàm solicito silentio Patres nostri conseruarunt, vtpote docti mysteriorum reuerentiam ac auctoritatem silentio custodiri. Sanctus quoque Irenæus eandem sententiam confirmat lib. contra hæreses 3. Quid enim (ait) & si de modica aliqua quæstione disputatio esset, nónne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidissimum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam, habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterum traditionem diligenter custodientes. Hucusque Irenæus. Dicit & Origenes homil. 5. super Numer. hoc modo. Sed in Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla, quæ omnibus facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem quasi fundimus orationem, non facilè puto quiquam esse ratione compertum. Sed & Eucharistiæ, seu percipiendę, seu quo ritu geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumq; & ordinum, atque interrogationum & responsionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen hæc omnia operta licet & velata portamus super humeros, cùm ita implemus ea, & exequimur, vt à magno Pontifice Christo & à filijs eius tradita, & commédata suscepimus. Vide quàm serio docet Origenes nos debere dictas obseruationes Ecclesiasticas implere simul & exequi, sicut à magno Pontifice Christo, atque filijs eius, (nimirum Apostolis) traditas & commendatas suscepimus. Ad eundem modum docent antiqui Patres omnes, Diuus Athanasius in disputatione contra Arrium, Tertull. lib. de præscriptionibus hæreticorum, & lib. de corona militis. August. in responsione ad inquisitiones Ianuarij: Quorum sententias inferius tibi loco opportuniori explicabimus. Vnum duntaxat addo quod Epiphanius titulo aduersus eos qui se Apostolicos vocant induxit (inquiens): Oportet autem & traditione vti. Non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt, quapropter aliqua sacris scripturis, aliqua traditione sancti Apostoli nobis reliquerunt, quemadmodum dicit sanctus Paulus: Sicut tradidi vobis. Et alibi: Sic doceo, & sic tradidi Ecclesijs. Multa igitur mysteria citra scripturam, plura ex scripturis canonicis veneramur, credimus, & religiosa obseruantia custodimus. Nec minus illa quàm ista, fide digna sancti Patres arbitrati sunt, quod tam illa quàm ista certo certius contineat verbum Dei in se. Quapropter de istis duobus scilicet scriptura sacra, & traditione sancta non incongruè dici potest. Hi sunt termini quos transgredi prohibuit Salomon, dicens. Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui, partim scriptis, partim traditione. Hæ sunt viæ antiquæ per quas Hieremias populum Dei incedere volebat, quum dixit: State super vias antiquas, & videte, & interrogate de semitis antiquis, hoc est, de his quæ antiquitus aut scripta, aut tradita sunt, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requié animabus vestris. Hæ sunt denique semitæ propter quas dicebat Ecclesiast. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis (vel per scripturam vel per traditionem) quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Ceterùm audistine quid obijciant hæretici aduersum hæc? Dicunt illi Deutero. quarto, sic præcipit Dominus: Nō addetis ad verbum quod vobis loquor, nec aufe-

Eadē vim habent quæ traditione accepimus, quā quæ scripta sunt.

Irenæus lib. 3. ca. 4

Origenes.

Epiphanius.

Prou. 22.

Hiere. 6.

Eccle. 6.

Obiectio prima.

auferetis ex eo. Item Deutero. 12. cap. Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam nec minuas. Ergo ex tot scripturam inserunt nihil esse recipiendum in cultum religionis: neque esse confugiendum ad vllas traditiones scripturis non proditas. D. Memini me simile quid audiuisse: sed quid ad hæc respondebimus? M. Quod eiusmodi scripturæ non debent, Solutio. neque possunt intelligi, nisi de additione aut subtractione, quæ sensum mandati, siue verbi Dei cœlitus annunciati peruerteret, aut quoquo modo corrumperet, sed puram simplicemque mandati formam debere seruari in qua datum est. Quo modo intellexit dicta loca Diuus Ambrosius lib. de Paradiso. Aut responderi potest, ibidem prohiberi ne illis libris quippiam addatur tanquam dictum à Domino, quod non erat ibi à Domino dictum, néue subtrahatur quasi tum temporis non dictum a Domino, quum tamen ab eodem dictum ibidem erat. Nam error esset pestilentissimus, velle asserere propter dictas prohibitiones, nihil recipiédum præter ea quæ Dominus locutus fuerat Moysi. Nam hoc pacto non esset recipiendum quod habetur in fine Deuteronomij de morte Moysi, & de fletu quo fleuerunt eum filij Israel. Neque superaddi debuissent ad pentateuchum, hoc est, quinque libros Moysi, alij libri bibliorum, videlicet Iosue, Iudicum, Regum, Prophetarum, quatuor Euangeliorum &c. quæ est hæresis Samaritanorum & Saducæorum, exterminans dicto vno quidquid est religionis Christianæ. Addo præterea, quod dictæ scripturę non possunt intelligi de additione quæ facit ad explicationem mandati, aut obseruantiam exactiorem. Constat enim ipsum Moysen addidisse quædam ad præcepta Dei explicationis caussa: vt Exodi 12. adiecit de fasciculo hysopi, & de aspersione &c. Similiter Exodi 20. 23. 24. addidit interpretando, vt in die sabbati neque ignis accendatur in omnibus eorú habitaculis. Insuper & mortis pœnam ibidem comminatur violantibus sabbatum. Item Exodi 20. 24. interpretando primum præceptum Domini, addidit. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, & per nomen illius iurabis. Sa- Obiect. 2. tis de hoc. Quod autem obijciunt illud ad Galatas primo cap. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod euangelizatum est, Solutio. anathema sit: absurdius est, quàm vt responsione egeat. Non enim dicit Apostolus: Si quis euangelizauerit pręter id quod scriptum est, sed præter id quod euangelizatum est.

Constat autem ex præmissis plurima euangelizata esse ac tradita citra scriptum, viuaque tradit one semper de animo in animú transfusa absque scriptura Neq; dicit Apostolus si quis euangelizauerit plus quàm accepistis, sed præter quam accepistis. Siquidem prius non est inconueniens: nam & ipse Apostolus plus postea euágelizauit, quàm antea euangelizatum erat, dicens 1. ad Thessalo. 3. Abundantius orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus quæ desunt fidei vestræ. Posterius verò, nempe euangelizate præter id quod euangelizatú est, hoc est, aduersum, vel diuersum, siue aliud aut repugnans ab eo, quod euangelizatum est, prorsus habetur inconueniens, estque contra regulam fidei. Vide Augustinum tracta- tu 98. super Ioannem. D. Etiam audiui Obiect. 3. obijci illud Apocalypsis vltimo: Si quis apposuerit ad hoc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Ergo (inquit) nihil credendum aut recipiendum in cultú religionis, nisi quod inuenitur in canonica scriptura bibliorum. M. Et hæc obiectio non minus est infirma reliquis. Loquitur Solutio. enim ibi Ioannes de verbis prophetiæ lib. Apocalypsis, volens nihil illis addendum fiue inserendum, quasi tunc reuelatum Ioanni, aut in illo libro descriptum ab eodem. Prout patet ex subiectis & immediatè præeuntibus particulis, loquentibus apertè de verbis prophetiæ libri huius, nempe Apocalypseos. Nec omnino aliter intelligi potest. Nam post Apocalypsim superaddidit ipse Ioannes totum Euangelium: quod inscribitur secundum Ioannem: tres item epistolas, quæ omnia plena sunt saluberrimis doctrinis: quarum nulla est mentio in Apocalypsi. Viua quoque voce rediens ex Pathmo plurimas traditiones fecit: vti ex supra dictis patet. Nihil igitur militant eiusmodi argumenta contra traditiones Apostolicas, in quibus verbum Dei nobis etiam citra scriptum ministratur, vt verbum Dei partim scriptú, partim non scriptum viua quadá traditione semper in Ecclesia fuisse custoditum, ex his clarissimè constet.

Quæ sint caussæ seruatæ traditionis, simul cum scripturis. CAP. VIII.



ET quę poss it esse caussa seruatæ M. traditionis simul cum ipsa scriptura? M. Huius rei plures & eædem grauissimæ assignatur caus- Prima sæ. Prima est. Quemadmodum enim primitiua Ecclesia alia infantibus, alia adole- caussa seruatę tradi scen-

Bonis simul cum scriptura, Ioan.16. scentioribus, alia conueniebant prouectis, adeò vt Christus dicat ad Apostolos suos ante missionem spiritus sancti: Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò: ideo iam non trado quæ habeo tradere, quia vos non potestis portare modò: Et Paulus ad Corinthios: Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis: per lac intelligens elementa doctrinæ Euangelicæ faciliora intellectu: per escam verò, arcana mysteria recondita à captu communi: ita conuenit alia docere electos seorsum, alia dum mixtim ac sparsim seminati sunt inter impios Iudæos vel gentes. Cuius quidem rei viuum exemplum est Lucæ 8. Nam Saluator multa occultabat ab Apostolis quum erant cum turbis, quæ seorsum illos docebat, dicens: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Quapropter omnino non conueniebat pingi mysteria religionis nostræ ad viuum depingi scripturis, sicque vulgari quàmdiu Christiani adhuc mixtim intra gẽtes aut Iudæos habitabant: ne hoc modo violaretur præceptum illud Dominicum: Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargitis ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos. Iudicarunt igitur Apostoli necessarium magis citra scriptum transfundere quædã ex animo in animum, velut per manum, & sub silentio, quàm per scripturam exponere ea gẽtium dentibus rũpenda, & pedibus conculcanda. Quod & fecisse constat diuũ Petrũ, quemadmodum est videre in libris recognitionũ Clementis, qui oculatus testis fuerat actorum Petri: Itẽ in lib. Sanctorum Martyrũ & Pontificum Anacleti, Euaristi, & Alexandri, qui postea traditiones Petri scripto cõmendauerunt Ecclesijs, postquam in respublicas coalescere cœperãt. Secunda caussa seruatæ traditionis est, ne nimia cõmunicatione sui vilescat (etiã inter domesticos) quod sacrosanctũ est: sed preciũ retineat, & semper in veneratione existat. Hãc caussam demonstrat B. Basilius ex his quæ contigerunt in veteri Testamẽto dicẽs. Moyses multa instituit quæ scripto nõ accepit, vt quod sacerdos magnus solus in sancta sanctorum intraret, & hoc semel in anno, & certa quadã hora, & solos Leuitas dignos mysterio iudicarit, & multa alia quę cõtemptũ parerẽt, si cõmunia essent, instituit. Ad eundẽ modũ Apostoli, & Patres in occulto silentio mysterijs auctoritatẽ conseruarunt. Neq; enim omnino mysteriũ est, quod ad populares, & vulgares aures effertur. Hęc est ratio, inquit, quod aliqua tradita sint citra scripturã, vt ne dogmatum cognitio neglecta fieret, & in cõtemptũ apud vulgus veniret propter consuetudinẽ. Aliud enim est dogma, aliud prædicatio. Dogmata enim silẽtur: prædicationes verò publicãtur. Hucusq; Basilius. Quæ caussa olim etiã antiquissimos illos philosophos, Trismegistũ, Pythagoram, & q̃ plurimos alios continuit, ne omninò scriberent dogmata sua, sed viua tantũ voce docerent: quo minùs vilescerent, & in contemptũ venirent apud vulgus hominum. Mouit quoq; Dionysiũ Pauli discipulũ, vt cõmonefaceret Timotheũ cap. 1 cœlest. hierar. (ad quẽ librũ illũ destinauit) hoc modo. Obsecro diligentius, ne sancta sanctorũ efferas, néue profanis luminibus violanda permittas. Verũ reuereberis, rogo, magis, occultaq; Dei mysteria spiritualibus & inuisibilibus notionibus honorabis, atq; intemerata seruabis, nequaquã ea passim rudibus tradẽs, sed sanctis solis sanctarũ rerũ intelligẽtias sacratius pandens. Tertia caussa est: vt ipsis scripturis aliquale sit præsidium ex arcana traditione & probata viuẽdi cõsuetudine: Iuxta illud: Optima legum interpres, consuetudo. Quã ob caussam spiritus sanctus præuidẽs inuerecũdos hæreticos surrecturos: alios (cuiusmodi fuere Marcionitę) qui omnes noui testamẽti scripturas tẽtarũt corrũpere: alios verò qui prorsus negarẽt scripturas: alios deniq; qui pro libidine ingenij traherẽt scripturarum sensum quocunque luberet, voluit proinde mysteriorũ traditionẽ, simul cũ scriptura in Ecclesia persistere, vt tali casu, vel per traditionẽ sanctã possent & falsarij argui temeritatis: & populus Dei in officio cõtineri: vt factũ legitur tẽpore Tertulliani & Irenæi: vti ex scriptis eorum constat. Et nunc quoque fieri debet quum passim deprauantur, mutilantur, & reijciũtur scripturæ, vel omnes, vel partim, prout libido fert animi.

Marginal notes: 1. Cor. 3. — Matth. 7. — Secunda caussa. — Basilius. — Tertia caussa.

Quid propriè intelligatur per traditionem, & quæ sit traditio sancta, cui Apostolicam tribuimus auctoritatem. CAP. IX.



CEterùm quid Dominus meus intelligit per traditionem? M. Idipsum quod Apostolus depositum vocat, concludens epistolam suam priorem ad Timotheum, hoc modo. O Timothee depositum custodi: deuitans

1. Tim. 6.

tans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittētes circa fidem exciderunt. Depositum (inquit) custodi, id est, quod tibi creditum est, quod tuæ fidei commissum est, quod accepisti: institutionem dico à nobis, ceterisque discipulis Domini transfusam: custodi, hoc est, inuiolatam, illibatamque conserua: ne obliteretur, néue profanis nouitatibus adulteretur, vel falsi nominis sciētia ei supponatur. Ne præsumptio superaddat, aut inuertat iudicium proprij sensus, aut quouis modo corrumpat. Per depositū itaque intelligit Apostolus, fidei commissum, siue (vt iurisperiti loquuntur) rem nō vsurpationis priuatæ, sed doctrinæ antiquæ productione Apostolicam, vsu receptam, consuetudine probatam: quam nos vocabulo vsitato in omnibus Patrum scriptis traditionem dicimus. Equidem non admittit circunstantia textus aliam huius loci interpretationē. Quid enim sonat deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ? Nisi quod sola nouitate suspectum debet esse, quidquid à veneranda antiquitate alienum fuerit, solaque oppositione pestiferum iudicari, quantumcunque præclarum appareat, specioso nomine falsæ scientiæ. Sunt etenim vocum nouitates quædam à spurijs & suppositijs filijs recens excogitæ ad subuersionem Orthodoxæ fidei, patribus prorsus inauditæ. Quales sunt, terrores conscientiæ pro pœnitentia, Cœna dominica pro sacramento Eucharistiæ, iustitia extrinseca, fides specialis, & cetera eiusmodi. Sunt & vanitates vocum sine pondere veritatis, sine radice traditionis antiquæ. Nam vt quidam legunt vocum nouitates, ita alij legunt vocum vanitates: quod dictio Græca aliud significet per diphthongon scripta, aliud sine diphthongo. Diuus Chrysostomus, recētes quasdam & nouas adhortationes, vocum nouitates appellauit. Hic igitur obseruabis iuxta Theophylacti & Augustini monita, esse quandam vocum nouitatem non profanā, quasdam item scientias non falsi nominis. Non enim (inquit diuus Augustinus contra Faustum) deuitās verborum nouitates, sed addidit profanas: Sunt enim & in doctrina religionis congruentes verborum nouitates: sicut ipsum nomen Christianorum, quum dici cœperit, nouū erat. In Antiochia enim primum post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicuti legimus in Actis Apostolorum: Et Xenodochia, ac monasteria postea sunt appellata nouis no-

Quid intelligatur per vocē depositū.

Sūt quędā vocū nouitates non profanæ.

Act. 11.

minibus. Res enim ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Patres olim aduersus impietatem Arrianorum hæreticorum nouum nomen homousion condiderunt: sed non rem nouam tali nomine designarunt. Hoc enim vocatur homousion, quod est, ego & pater vnum sumus, vnius videlicet eiusdemque substantiæ. Nam si omnis nouitas profana esset, nec à Domino diceretur: Mandatum nouum do vobis: Nec testamentum nouum appellaretur: Nec cantaret vniuersa terra canticum nouum: Sed profanas verborum nouitates, & pollicitationes falsæ scientiæ prohibet Apostolus dicens: O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocū nouitates, & contradictiones falsi nominis sciētiæ, quam quidam promittētes circa fidem exciderunt. Nihil enim tam amàt isti, quàm scientiā promittere, & fidem rerum verarū, quas credere paruuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere. Porrò ad profanas vocum vanitates, obiectionesque scientiæ falsi nominis, ne respondendū quidem est, sed contemptu quodam euertendæ sunt eiusmodi, & excutiendæ. Neque enim est vt cū talibus confligatur fideles: vacuum est, nouum est, oppositio est alicuius quæ falso nominatur scientia, ergo deuita. Nihil quæras amplius, sed nec rationē aut certamen cum huiusmodi admittas: at deuita magis. D. Sed nunquid nō aliud est depositum, quàm traditio? M. In materia religionis, de qua loquimur nos, & de qua loquebatur Apostolus, agens cum Timotheo, prorsus non aliud est depositum q̄ traditio. Quod ne finxisse videar, & nō potiùs à Patribus accepisse: Tertull. peruetustus auctor de præscriptionibus hæreticorum sic dicit: Traditiones per viuam vocem doctrinæ Ecclesiasticæ, appellat Apostolus depositū. Theophylactus quoque sic interpretatur, Depositum serua, id est omnia quę tibi à me sunt cōmissa, scilicet in traditione fidei, tanq̄ à Domino prouenientia custodi. Quoties ferè hortatur Paulus suos, vt permaneāt in eo quod acceperūt, vel vt idipsum dicāt omnes, & in eadem permaneant sententia, vti hortatur sæpius: Et quum scribit Corinthijs. Notum vobis facio Euangelium, quod prædicaui, quod & accepistis, in quo & statis: Item sic prædicauimus, & sic credidistis: toties depositum fidei intelligit siue traditionem. Non sanè quamlibet, sed eam quæ ex doctrina Christi vel Apostolorum procedens, acceptatione populi, & communi insuper omni-

1. Cor. 1.

1. Corint. 15. 5.

omnium vsu, sacra & inuiolabilis habetur. Est enim traditio, doctrina quædam vel bi diuini per Apostolicos viros annunciata, & deinde iuxta seriem temporum, ex animo in animum transfusa, medio intercurrente verbo, recepta populi consensu, atque com muni vsu fidelium comprobata, citra scriptum, viua tantummodo voce, & eadem vbique consuetudine nota. Nam quæ scripto facta est doctrina, illam scripturam sacram appellamus. Quæ verò non nisi viua voce, & consuetudine transfunditur, recepto iam vocabulo traditionē dicimus. D. Nonne & scriptura traditio quædam est? M. Omninò, & quidē sacrosancta, ac toti orbi venerabilis. Prout facilè demonstrat locus ille Pauli: Itaque fratres state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Locus item Act.7. vbi (inquiunt Iudæi) audiuimus eum (scilicet Stephanum) dicentem quoniā Dominus Iesus Nazarenus destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Ecce quidquid traditum erat à Moyse siue scripto, siue per manum, vocant traditiones. Sic Cyprianus subinde vocat Dominicam traditionem, quam in scripturis nobis donauit Dominus. D. Vnde ergo distinctio hæc, qua traditio diuiditur à scriptura? M. Rerum pluralitas, pariter & vocum penuria cogunt, non rarò vocem generis per se positam accipi pro specie: Sicuti vox baptismus generalis ad omnem ablutionem, passim in scripturis accipitur pro ablutione sacramentali. Item vox presbyter significans omnem seniorē, accipitur plerunque pro sacerdote. Similiter & vox traditio per se posita, capitur pro doctrina per manum accepta citra scriptum: etiamsi ex impositione vocabuli significet omnem doctrinam, siue hoc, siue illo modo factam, malam, bonam, laudabilem, illaudabilem, sacram, prophanam, diuinam, humanam. D. Quo igitur modo intelligi potest, de quali traditione sit sermo, hoc vel illo loco? M. Subinde ex filo orationis, siue circunstantijs textus: aliquando ex adiunctione, aut materia subiecta, verbi gratia. Cùm dicit Saluator: Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Accipitur pro traditione humana, eaque mala: quod constat cùm ex adiuncta particula, vestram, tum ex materia subiecta, quia increpat eos Dominus super traditione impediente mandatum Dei. Cùm autem dicit Apostolus: Aemulator existens meorum paternarum traditionum, accipitur pro traditionibus veteris legis, quales quales fuerint. Porrò in progressu huius nostri instituti, si quando demonstrabimus veritatem, ex traditione (vt fiet nonnunquam, sed rarius) non inducemus tum quamcunque traditionem: sed eam duntaxat, quæ est sacra, Apostolica, vniuersalis, eo quòd tantummodo in illa certo contineatur verbū Dei, non autem in humanis & particularibus traditionibus.

Describitur traditio. | Matth.15.

Vbi inuenienda sit traditio sancta, quam Apostolicam vocamus. CAP. X.


T vbi quærenda erit huiusmodi traditio sacra, Apostolica, vniuersalis? M. In viua & vniformi doctrina Ecclesiæ, pariter & generali consuetudine per omnem vbique locum orbis Christiani à sæculis hucusque obseruata: Illa quidem docetur idem siue idipsum apud omnes homines, per omnem ætatem, & in omnibus scholis, ac basilicis. Ista verò communi totius populi Christiani consensu recepta parem cum lege Dei scripta vim obtinere creditur. De illa habes I. ad Corinth. I. ad Philipp. 2. & alijs in locis. De ista verò I. ad Corinth. II. Apostolus pri cap. priors epistolæ ad Corinth. sic scribit: Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti, in eodem sensu, & eadē sententia. Ad Philipp. verò sic scribit. Si qua ergo consolatio in Christo, si quòd solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meū, vt idem sapiatis, eandem charitatem habētes, vnanimes idipsum sentientes. In quibus locis siue legatur idipsum, sicut communis textus habet, siue idem, vt volunt alij, semper particula, idem, vel idipsum, relationem importat. Non quidem ad hunc vel illum, sed ad omnes, sed ad vniuersam Ecclesiam vel præcedentem, vel tum præsentem, vel ad vtramque simul, quod verisimilius est, vt sit sensus. Idipsum siue idem illud quod à patribus accepistis, idem illud quod docent omnes aliæ Ecclesiæ, denique idem illud quod retinet vniuersitas credentium, hoc dicatis omnes. Non idipsum, aut idem illud quod tenent quidam ex vobis, suo sensu abundantes, ne peius quid dicam: sed idem illud quod à nobis traditum, per omnem Ecclesiam ab vniuersis custoditur. Ita vt non sint inter vos schismata, hoc est, diuisiones, siue dissidia, quibus vel à patribus, vel ab alijs Ecclesijs, vel denique inter vos diuisi essetis circa fidem & religionem.

D. | Phil.2. | Quid sit idipsum dicere.

nem. Hic est verus & germanus sensus verborum Apostoli. Per quæ quoniam tanta diligentia ea inculcat, tam Corinthijs quàm Philippens. licet sanè intelligere mirabilem inesse vim communi doctrinæ Ecclesiæ. Si enim non esset prorsus efficax ad stabiliendum hominem in fide, non toties tantaque instantia hortaretur Apostolus vniuersos ad illam. De consuetudine autem quæ non est aliquorum tantum, sed omnium Ecclesiarum, quòd vim legis scriptæ habeat, clarè demonstrant verba Apostoli dicentis: Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Corinthij argutia subtiles, ne obijcerent syllogismos, & argumenta contra traditionem consuetudine viuendi perspicuam. Nos (inquit) talem consuetudinem non habemus, siue altercandi, siue quod vir comam nutriat, aut mulier capitis velamen omittat. Ne autem quis paruipendendum existimaret, quod Paulus cum paucis Discipulis illam consuetudinem non haberet, addit: Neque Ecclesia Dei, seu vt alij legunt, neque Ecclesiæ Dei, obijciens simul generalem vniuersæ Ecclesiæ, vel omnium Ecclesiarum consuetudinem. Qualis nullo pacto, aut negligi potest, aut paruipendi, eò quod vim scriptæ doctrinæ Apostolicæ habeat, imò plus aliquid habeat, vti apparet. Quia ipsemet Paulus, suas præscriptas leges de velandis mulieribus, non autem velandis viris, consuetudine omnium Ecclesiarum confirmat. Quasi diceret: Si scripta nostra, nostraque viuendi obseruantia non persuadeant, saltem moueat vos consuetudo generalis omnium Ecclesiarum. Consuetudinem verò rationabiliter, ac meritò tantum virium habere, quantum scriptam legem, demonstrat pius Papa vir admirandæ eruditionis dicens: Vis legis ex consensu resultat, consensus autem non minor inest consuetudini, quàm legi scriptæ. Nam consuetudinem longus & approbatus vsus inducit, quæ nullius impediente clamore, diuino magis quàm humano videtur recepta consilio. Leges autem quàmuis Dei nutu decerni credantur, sæpè tamen vel populi, vel Senatus magna parte dissentiente traduntur. Ob quam rem non minus plectendus est vetustæ consuetudinis, quàm scriptæ legis præuaricator. D. Regula illa qua dicitur, consuetudo vim legis obtinet, habet quidem locum in rebus Polyticis: verùm transferre illam ad ea quæ non ab homine, neque per hominem consistunt: vt sunt res fidei, & religionis, alienum videtur. M. Alienum dici non potest, quod Apostolus velut proprium ac pertinens inducit ad stabiliendum mores hominis Christiani. Iterum alienum dici non potest, quo diuus Augustinus vtitur aduersus Pelagianos, ad probandum fidei articulum de baptismo paruulorum dicens: Paruuli baptizati in numero credentium ponuntur, & hoc solùm ex consuetudine Ecclesiæ antiqua, Canonica, fundatissima. Et rursus: Iam (inquit) superiùs ostendimus paruulum credere, & inter baptizatos computari, hoc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatissimæ veritatis obtinet Canon. Contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietauerit, ipse potiùs confringetur. Idem insuper Augustinus epistola 118. ad Ianuarium: Quædam (inquit) tota per orbem frequentat Ecclesia, quæ similiter atque illa quæ sacræ scripturæ præscribit auctoritas, obseruanda sunt. Nam quod est eiusmodi, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Cuius aptissimam in eadem epistola rationem reddit, dicens: Illa enim quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs (quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas) commendata, atque statuta retineri. Sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa quacunque se diffundit Ecclesia. Reddit quoque eiusdem rationem Leo ille ter maximus in sermone de ieiunio dicens. Dubitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam eruditionis esse diuinæ. Et quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum, de traditione Apostolica, & de sancti spiritus prodire doctrina. Quæ nunc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, vt ea omnes, & obedienter custodiant & sapienter intelligant. Possem hic similes sententias ex diuo Hieronymo & Tertulliano ac alijs tibi citare, sed differo in opportuniorem locum, atque magis commodum. D. Quid si consuetudo scripturis aduersetur? M. Hic nos oportet (inquit Augustinus) extra omnem esse controuersiam. Non enim istiusmodi moribus, verùm ei quod sacræ scripturæ auctoritas requirit obsequendum est. Domi-

De efficacia cõsuetudinis.

2. Cor. 11.

Præfert Apostolus cõsuetudinem vniuersalem auctoritati suæ epistolæ.

Ratio pij Papæ de efficacia consuetudinis.

Consuetudine probantur vt mores viuendi ita & articuli fidei.

Malæ cõsuetudini nõ est obtemperandum.

mi-

minus enim non ego sum consuetudo, sed ego (inquit) sum veritas lib. 3. de Baptis. contra Donatistas. D. Quid si bona fuerit consuetudo, attamen non vniuersalis per omnem Ecclesiam? M. Iterum respondet tibi diuus Augustinus dicens: Alia quædam non tota obseruat Ecclesia, sed per loca terrarum regionesque ad ædificationem fidei & moris, secundum singularum Ecclesiarum speciales conditiones introducta & recepta variantur. De quibus censet ipse Augustinus ita dicens: Totum hoc genus rerum liberas habet obseruantias. Nec disciplina vlla est in his melior graui prudentiq; Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque forte deuenerit. Ne aut ipse cuiquã sit offendiculo, aut alius quispiam sibi. De quo genere consuetudinis subdit ibidem Augustinus responsum B. Ambrosij dicens: Mater mea Mediolanũ me consecuta, inueniens Ecclesiam sabbato non ieiunantem, cœperat perturbari, & fluctuare quid ageret, cùm ego talia non curabam. Sed propter eam cõsului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium: Respõdit ille, se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret: quia si melius nosceret, id potiùs obseruaret. Cumque ego putassem nulla reddita ratione, sola auctoritate sua nos voluisse admonere, ne sabbato ieiunaremus, subsecutus est, & ait mihi. Cùm Romam venio, ieiuno in sabbato, cùm hic sum, non ieiuno: sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm matri renunciassem libenter amplexa est. Ego verò de hac sententia, etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cælesti oraculo suscepérim: epistola 118. ad Ianuarium cap. 2. Sunt autem præter hæc & alia in Ecclesia Christi, quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus cõtinentur, nec in Concilijs Episcoporum statuta inueniũtur, nec cõsuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt. Neque itẽ notis & rationabilibus caussis existentibus alicubi instituta sunt: sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur. Ita vt vix, aut omnino nunquam inueniri possint caussæ, quas in eis constituendis homines secuti sunt: & quorũ obseruationes alioqui inutiles, & infructuosæ sunt, sicut quando non aliò quàm ad seruilem grauamen populi Christiani tẽdunt. D. Et de his quid cẽsere nos oportet? M. Diuus August. sine vlla dubitatione eiusmodi resecanda existimat, vbi datur resecandi facultas, vt de quibus solis dixerit Christus: In vanum me colunt, docentes mandata & traditiones hominum. Admonet tamen idem Augustinus, prudenter & cum discretione talem resectionem fieri debere. Ipsa enim, inquit, consuetudinis mutatio, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est. Atque hinc fieri existimant, vt Ecclesia Dei, inter multam paleam, multaque zizania constituta toleret & dissimulet, & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Hæc fili & similia inuenies prolixè tractata in responsionibus diui Augustini ad quæstiones Ianuarij duobus libris, siue duabus epistolis intitulatis, ad quęstiones Ianuarij, quę in ordine epistolarum sunt 118. & 119. Item lib. 4. cap. 7. contra Donatistas. Item lib. 3. de baptismo contra Donatistas, & libro de dogmatibus Ecclesiasticis, & multis alijs locis librorum eiusdem Augustini. Vt autem rem absoluam, idque verbis eiusdem Augustini: Catholica (inquit) Ecclesia per orbem terrarum diffusa, tribus modis probatur existere. Quidquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut traditio vtilis, aut certè propria & particularis instructio. Subiungit: Sed auctoritate tota constringitur (ita scilicet) vt nemini liceat priuato suo consilio, aut aduersus scripturam, aut vtilem istiusmodi traditionem aliquo modo temerè obniti. Vtraque enim hæc auctoritatis priuilegio pollent, & in vtrisque omni dubietate procul, verum ac purum verbum Dei proponitur.

Cõsuetudini particulari ob téperandũ in eo loco vbi obtinuit.

Venerabilis sententia D. Ambrosij.

Sententia Augusti. de infructuosis obseruantijs.

Matth. 15.

Quibus modis discernatur verum verbum Dei, ab adulterino verbo quod non protulit Deus. CAP. XI.



NVnc ad quæstiones quas prius sæpè proponere volui. Quarum prima est: Sancti Dei homines locuti sunt verbũ Dei, locuti sunt & verbum suum. Quibus igitur notis cognoscam, quod illorum verbum sit verbum Dei, spiritu Dei suggerente pronunciatum: quod verò suum proprium verbum, non nisi humano spiritu prolatum? Secunda: Scripserunt Prophetæ, scripserunt Apostoli, scripserunt & sancti Patres. M. Adde, scripserunt etiam & pseudoprophetæ, pseudoapostoli, pseudochristiani, & quidem multa. Etenim circa exordia nascentis Ecclesiæ circumferebant Montani heretici Euangelium quoddam sub nomine Petri Apostoli. Marcionitę verò aliud quoddam sub nomine Pauli Apostolo-

D. Proponuntur tres quæstiones.

Prima quæstio.

Secunda quæstio.

stoli. Sed & olim obtrusa fuere simplicitati credenti im Euangelium secundum Bartholomæum, Euangelium secundum Andræam, Euangelium secundum Thomam, Euangelium secundum Mathiam, Euangelium secundum Nicodemum, Euangelium secundum Hebræos, & quod vocant Euangelium secundum Aegyptios, teste Theophylacto, quod inscribitur Euangelium secundum duodecim. Quam audaciā supponendi Euāgelia, diuus Lucas satis innuit cū orditur suū Euangelium dicens: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum &c. Per hoc enim quod dicit, multi conati sunt, innuit diuersorum temeritatem in scribenda historia vitæ Iesu. Fuerunt insuper & tunc temporis, qui secundum beatum Paulum adulterabāt verbum Dei: secundum diuum Petrum verò deprauabant scripturas ab ipsismet Apostolis ac Prophetis datas, cap. tertio posterioris suæ epistolæ. D. Et inter hæc tam varia Euangelia, alia vera, alia supposititia, alia integra, alia deprauata, alia à sectarijs, alia à rectè sentientibus suscepta, quibus obsecro indicijs cognoscemus illam scripturam, quæ verè est diuina, non continens nisi purum ac sincerum verbum Dei? Tertia autem quæstio quam volebam proponere est ista. Videmus introductas in Ecclesiam varias traditiones, vt bonas, ita & vanas ac superuacaneas, ne dicam, superstitiosas: quibus itaque signis internoscemus, quæ sit traditio verè Apostolica, quam diuinam licet appellare, quæ non? M. Peropportunas mouisti quæstiones. Ceterùm quantum ad primam penè nulla est difficultas hoc nostro tempore. Nihil enim nunc recipimus, aut veneramur tanquam verbum Dei, nisi quod continetur in Scriptura sacra, aut alioqui per traditionem vniuersalem matris Ecclesiæ proponitur. Dicant qui velint sibi spiritum locutum esse, aut vidisse visiones, vel somnia se somniasse, nos tamen nihil talium pro verbo Dei recipimus, nisi quatenus consonat scripturis, & antiquæ traditioni Ecclesiæ. Neque enim possumus, lege Apostolica id nobis prohibente per Apostolum Christi dicentem: Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præter id quod euangelizatum est, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico vobis: Si quis vobis euāgelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit, ad Galatas primo. D. In primitiua igitur Ecclesia quomodo discernebatur verbum Dei à non verbo Dei? M. Magisterio spiritus sancti, lumine fidei, attestatione Dei insignis, & miraculis, consensu matris Ecclesiæ. Christus Dominus post cœnam nouissimam, il[..]urus seipsum syderibus intra pauc[..]s dies, omnia quæ forent institutioni fidelium, deinceps necessaria, retulit ad magisterium Spiritus sancti, dicens ad Apostolos contristatos de abitu suo: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Subdit: Paracletus autem spiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixerim vobis, Ioannis 14. Item capite decimosexto. Adhue (inquit) multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à seipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. De quo etiam permagnificè promittit in ipso die ascensionis, Lucæ vltimo & Actorum primo. Refert & Apostolus Paulus ad Ephesios quinto omnium rerum manifestationem ad ipsum lumen dicens: Omnia quę arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur (secundum aliam translationem) quod manifestat, lumen est. Quidquid enim celant nox & caligo, retegit atque manifestat lumen. Vtque oculus corporalis non videt sine lumine corporali, ita & mens quæ spiritalis est, non intelligit sine lumine spiritali. De quo dictū est per Prophetam: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Et quemadmodum lumine naturali videtur quidquid est rerū naturalium: ita lumine supernaturali videtur quidquid est rerū supernaturaliū. De quo lumine dicit Ioannes: Tenebræ transierunt, & verū lumen iam lucet, hoc est, lumē fidei, videlicet cælestis quædā illustratio præueniens mentem priusquam immutetur in assensum fidei. De quo lumine etiā frequēs inuenitur mētio in doctrina quā Christus per semetipsum fecit, vt ibi: Si lumē quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebrę quātæ erunt? De testificatione autē Dei per signa & miracula frequēter monet Saluator in suis prædicationibus, remittens ad signa siue opera miraculorum suorū. Primò discipulos Ioannis Baptistæ dicens: Euntes renūciante Ioāni quę audistis & vidistis. Cœci vidēt, claudi ambulāt, leprosi mūdantur, surdi audiūt, mortui resurgunt, pauperes euāgelizātur. Secundò Iudęos, rursum dicēs: Ego autē habeo testimonium maius Ioānis. Opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiā ea: ipsa opera quę ego facio, testimoniū perhibent de me, quia pater

Marginal notes (left column): Tertia quæstio. — Resolutio primæ quæstionis. — Regula Apostolica de non recipiēdo nouo verbo Dei. Galat. 1. — Primitiua Eccle-

Marginal notes (right column): [.]ia aliter discernit verbum Dei quā nostra. — De magisterio Spiritus sancti. — Ioan. 14. — De lumine fidei. — 1. Ioan. 2. — Matth. 6. — Saluator probat doctrinā suā per miracula. Matth. 11. — Ioan. 5.

pater

Ioan.10. pater me misit. Et alibi: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi nõ vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Tertiò proprios discipulos dicens: Verba quę ego loquor vobis, à Ioan.14. meipso non loquor: pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Vides quàm passim refert Saluator suæ doctrinæ attestationem in ipsa opera, signa, siue miracula, quæ dedit illi pater de cælo vt faceret. Vnde & postea Apostolorum doctrinam hoc eodem modo dedit manifestam fieri quod ex Deo esset, dicente Marco: Illi autem (scilicet Apostoli) profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Tribus itaque prædictis videlicet spiritus sancti magisterio, lumine fidei, & miraculorum attestatione secernebatur olim verbum Dei, ab eo quod non protulerat Deus. At nunc distinctione quadam opus est. Nam aliter discernunt verbum Dei ab eo quod non est verbum Dei, illi quibus immediatè reuelatur cælitus, vt Noë, Abraham, Moyses, Helias, Paulus Apostolus: aliter illi ad quos loquitur Deus mediatè, per ora scilicet Prophetarum, Christi, & Apostolorum eius. Nam qui prioris ordinis sunt, cognoscunt & discernunt verbum Dei, solius luminis supernaturalis illustratione, & spiritus sancti magisterio, absque miraculis aut vlla exteriori testificatione Dei etenim opera perfecta sunt. Quapropter dum reuelat homini verbum suum, sic illustrat intus mentem, vt discernere possit reuelatum verbum non esse nisi ipsius Dei verbum, quod alioqui facultatem mentis excedit. Sicque spiritus sui operatione dirigit, & instruit cogitationes audientis, vt verè intelligat esse veri Dei verbum quod suscipit. Nam & discretio spirituum loquentium hominibus, est donum spiritus sancti: vti docet Apostolus 1. ad Corinth. 12. Nec istud demõstrari debet aliunde, quàm illis scripturis quæ supra posuimus de magisterio spiritus sancti, & lumine fidei. D. Attamen dubitabat Zacharias de verbo Dei facto ad se per Angelum Domini. M. Non tam dubitabat ille an esset verbum Dei, quàm an fieret quod promittebatur verbo Dei: vti ex textu constat. Veruntamen hoc, & si quid tale legatur, sic factum creditur dispensatione diuina, vt miraculo superaddito magis celebre esset, quod nunciabatur, & nobilis fieret in prophetia qui eousque obscurus fuerat in hac parte. Illis verò, qui sunt posterioris ordinis, præter lumen fidei & magisterium spiritus sancti, datur & clara quædam atque sensibilis attestatio in designatione miraculorum, vti ex præallegatis scripturis fit manifestum: Partim vt fides nostra credentium non sit leuis, aut temeraria: partim vt inexcusabilis existat omnis, qui vti audiuit vocem annunciantium verbum Dei, ita & vidit stupenda illa miracula quæ superaddidit Deus, iuxta quod dicit Saluator: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum, Ioannis decimoquinto. Percurre si placet omnes libros noui ac veteris Testamenti, certè non inuenies vnquam introductam nouam aliquam doctrinam Patribus inauditam, absque solenni attestatione miraculorum. Quando Deus introduxit doctrinam circuncisionis, non vtique id fecit sine multis miraculis, quæ contigerunt circa Abraham patrem circuncisionis. Quando insuper populo acquisitionis filijs Israël dare voluit peculiarem legem, peculiare sacerdotium, peculiaria sacrificia & cæremonias, cuiusmodi patres eorum non acceperant, innumera vereque stupenda per Moysen ædidit miracula, quibus testaretur à se suoque verbo hæc procedere, non ab humana cogitatione. Denique quando placuit altissimo transferre sacerdotium, & legem, sacrificia & cæremonias veteris populi, vt fecit per Christum filium suum, rursum adiecit miracula, & multo quidem plura, multoque maiora quàm priùs, vt abundè testaretur nouam doctrinam Christi & Apostolorum reuera à Deo esse: vti est videre in historia Euangelica. Quod sanè dico, & iterum atque iterum tibi dictum cupio, vt animaduertas quàm sunt alieni à scripturis, quamque leues, ne dicam excordes, qui hoc tempore suscipiunt, & quidem retinent mordicus doctrinas Patribus nostris prorsus inauditas. Suscipiunt dico, citra miracula & absque omni attestatione cælitus facta: idque contra mandatum Apostolicum ad Galat. 1. cap. supra citato. D. Sed neque nos nostram doctrinam nunc temporis declaramus per miracula magis quàm hæretici doctrinam suam. M. Nos euangelizamus quod euangelizatum est ab initio, & credimus quod acceptum est à Patribus: illi verò annunciant præter id quod euangelizatum est, nouum quid, quod Patrum sinceritas ignorauit. Ipsorum itaq; est per noua miracula ostendere nouam suam doctrinam ex Deo

De attestatione per miracula.

Aliter decernunt verbum quibus reuelatur, aliter quibus vlterius annũciatur.

Nunquã fuit introducta noua doctrina fidei sine miraculis.

Noua doctrina fidei debet ostendi miraculis, nõ autẽ antiqua doctrina.

Deo esse. Quod enim nouum infertur, nouã requirit approbationem: quod verò ab antiquo retinetur, non nisi suæ antiquitatis eget attestatione. Quæ quidem miracula etiamsi nunc temporis superadderentur, tamen suscipi non deberet quod præter acceptum à Patribus docent, propter ante dictum Apostolicum mãdatum. Edicit enim Apostolus: Sed licet nos (ego scilicet meique collegæ Apostoli qui testimonium habemus, per miracula quæ passim & palàm operamur) aut Angelus de cælo euangelizat præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Horrendum profectò mandatum, & reuera omnibus Christifidelibus valde metuendũ. Nostrum ergo tantummodo est fideliter retinere, quod fideliter traditum est à Patribus, secundum quod idem Apostolus præcipit dicens: State & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostrã, 2. ad Thessalon. 2. Nihilominus etiam nostram doctrinam ostendimus ex eisdem vtique miraculis, quibus olim in sua origine attestata est. De quibus sanè miraculis quod fuerint vera miracula, non nisi virtute diuina perpetrata nunc certiùs & infallibiliùs constat per ipsas scripturas & Ecclesiæ testimonium, quàm potuit olim illis constare per ocularem inspectionem. Eò quòd sensus falli potest (quomodo fallebatur per magiam Simonis Actorum 8. & magiã Barieu Actorum 13. & incantationes Aegyptiacas Exodi 7.) scriptura autem & Ecclesia fallere non possunt. D. Ergo nec miraculorum attestatio est sufficiens, quia fallere potest. M. Non consequitur. Aliud enim est miraculũ, aliud magica illusio. Interim verum est quod dicis per se loquendo. Quia olim multi videntes miracula Christi & Apostolorum minimè crediderunt. Cuius ratio vna, quæ pertinet ad propositum nostrum, redditur ista: Nempè quod lumen fidei non illuxit mentibus eorum, neque spiritus Dei informabat eos, quomodo aptum erat vt crederent, eò quòd non essent præordinati ad vitam. Alia ratio est, quia noluerunt intendere oculos suos in lumen illud fidei, etiamsi offerretur. Dilexerunt enim magis tenebras quàm lucem. Qui autem crediderunt, lumine fidei, & magisterio Spiritus sancti didicerunt illa Christi & Apostolorum miracula, esse vera miracula, reuera cælitus data in attestationem doctrinæ quæ fiebat. D. Addidisti superiùs quarto loco consensum matris Ecclesiæ. M. Addidi eam sanè ob caussam, quia nemo singulatim certus est de lumine fidei aut magisterio Spiritus sancti, nisi fortè duces fidei nostrę, qui Spiritũ sanctum acceperant, vt visibiliter, ita ad plenitudinẽ. Ecclesia autẽ certa est de vtroq;: quẽadmodum iamiam incipiemus demõstrare. Itaq; vbi cõcurrunt lumen fidei, & magisterium Spiritus sancti, attestatio miraculorum, consensus denique mãtris Ecclesiæ, ibi demum est omnimoda & infallibilis certitudo discernendi verbum Dei ab eo quod non protulit Deus.

Non sufficit per se miraculorum attestatio.

De cõsensu matris Ecclesiæ

In discernenda doctrina fidei.

Quo medio discernimus scripturam sacram à nõ sacra, traditionem quoq; Apostolicam, ab ea, quæ non est talis. CAP. XII.



M. Ad secundam autem & tertiã quęstionum tuarum hanc accipe satisfactionem. Scripturam sacram ab alia non sacra: traditiones item Apostolicas ab ijs quæ irrepsere humana inuentione, dignoscimus, & quidem certo ac infallibiliter, iudicio & attestatione matris Ecclesiæ: Accedentibus rursum lumine fidei, & magisterio Spiritus sancti, sine quibus nõ intelligitur ne natura quidem & qualitas Ecclesiæ: vt quam ipsa receperit & retulerit vel in Canonem scripturarum sacrarum, vel in numerum Apostolicarum traditionum, illi tribuamus planè diuinam auctoritatem probandæ veritatis Catholicæ. D. An igitur scriptura sacra & traditio sancta habeãt suam auctoritatẽ ac certitudinẽ ab Ecclesia? M. Non vtique ab Ecclesia: attamen non sine Ecclesia sic attestante & iudicante, exempli gratia. Gemma reperta ab ijs qui gemmarum pretia ignorant, pretium quidem & valorem habet ex natura sua: attamen illis qui inuenerunt non est pretiosa: nisi postquàm accesserit iudicium peritorum in hac parte. Aliud simile ex ipsa scriptura tertio Regum 3. Cùm duæ mulieres meretrices cõtenderent super infante, vtrius esset filius, Salomon per iudicium reddens infantem ei quæ verè mater erat, non effecit quod puer ille esset filius matris suæ, sed declarauit, & auctoritate iudiciali decreuit, vt deinceps haberetur pro eius filio, & non ampliùs super ea re contenderetur. D. Et qua ratione precor conuenit Ecclesiæ iudicare seu testari de scripturis ac traditione? M. Primò ea ratione: quia vtroque prior est Ecclesia, suis auribus excipiens doctrinam sanctam à Christo & Apostolis eius, suisque oculis contemplans miracula, quibus cælitus comprobata fuit. Vnde rectè iudicare potuit & de traditionibus quæ posteà fiebant, & de scripturis, an conformes essent ei doctrinæ, quam ab ipsis Apostolis exceperat. Tu si audisses

Attestatione Ecclesiæ cognoscuntur scripturę sacrę & traditiones Apostolicæ.

disses Christum docentem, vidisses insuper miracula eius, & ordinem vitæ, nonne postea potuisses iudicare, num scripta historia vitæ Iesu syncerè fuisset scripta, an non? D. Potuissem. M. Potuit ergo & primitiua Ecclesia candem ob caussam: dicente Saluatore nostro ad Apostolos, Ioannis 15. Et vos testimonium perhibebitis (scilicet de me) quia ab initio mecum estis: dicente etiam Ioanne in sua prima Canonica circa initium: Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ &c. annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum. Si rectè testari potuerūt Apostoli de factis & doctrina Christi: quia viderant, & audierant; & personaliter interfuerant. Si præterea rectè testari potuerunt Lucas & Marcus Euangelistæ, quia fideli narratione didicerant ab his, qui ipsi viderant, & interfuerant, dicente Luca in præfatione sui Euangelij: Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis, visum est mihi assecuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi scribere, &cet. Ergo rectissimè nobis testari potuit primitiua Ecclesia quę scripturæ, quæq; traditiones verè essent conformes verbo à Christo & Apostolis annunciato, quæ non: quia partim ipsa interfuerat annunciationi, partim fideli narratione didicerat ab ijs qui ipsi interfuerant. Secundò ex ratione, quia ipsa Ecclesia est prælecta Christi sponsa quam diligit Christus sicut semetipsum, nutrit, & fouet, tradens seipsum pro ea: vti eleganter prosequitur Apostolus ad Ephesios quinto. Insuper quia est & mater nostra, vt idem Apostolus tradit ad Galatas quarto. Et quis obsecro posset esse tam idoneus testis eorum, quibus annunciatur Christus, scripturæ scilicet & traditionis, quàm prælecta illius sponsa mater nostra? Quæ vti de illo falsum testari non potest, propter amorem coniugalem, & æterni cōiugij vinculum: ita & nobis imponere non valet propter viscera sua materna, quorum pignora operatione spiritus sancti existimus. Tertiò ex eo, quoniam Ecclesia in testanda veritate, quemadmodum vtroq; vtpote scripturis & traditione est antiquior, & extensior, ita & auctoritate maior: Idque, non solum propter inhabitatem spiritum sanctum, quo animatur, regitur, illustratur, haud secus atque homo spiritu suo animali: sed etiam propter verbum Christi clara voce promittentis priusquā extaret vlla scriptura his verbis. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Hoc est, malitia, error, hæresis, persecutio, etiamsi summa sint, & erumpendo cumulatim, porris inferni ad plenū aperrtis oppugnent, non tamen præualebunt aduersus eam, vt aberrare faciant. In quod verbum Christi prospiciens Apostolus constanter pronunciauit Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis. Quartò ex eo, quoniam legitimum est Ecclesiæ, testari de Christo, & per consequens de ijs quibus annunciatur Christus, scriptura scilicet & traditione. Legitimum dixi: nam sunt illegitimi testes, qui ingerunt suum testimonium non vocati neque rogati. Ecclesia autem non solum vocata est atque rogata, sed & mandatum accepit perhibendi testimoniū de Christo: quod pius est, accepit spiritum de cælo, quo possit testari infallibiliter, nedum veraciter. Lege primum caput Actorum, vbi sic habetur: Dixit autem eis (scilicet qui conuenerant) nō est vestrum nosse tempora vel momenta, quę posuit pater in sua ipsius potestate: sed accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Porrò numerus eorū qui conuenerant quibus dixit hæc Saluator, erat non tantùm centum viginti personarum, de quibus ex eodem capite paulò inferius cōstat: sed plusquam quingentorum fratrum, vt ex certis rationibus & scripturis colligunt sancti Patres. Et nos latius demonstrabimus infrà in tractatu de ascensione Domini. Qui vtiq; repræsentabant Ecclesiā Christi, quin potiùs erant tota Christi Ecclesia, nō enim erat alia tunc temporis. Ergo ex dictis verbis accepit Ecclesia mandatum perhibendi testimonium de Christo: & per cōsequens de doctrina eius. D. Sermo Christi dirigitur ibi ad personás tunc præsentes: sed quid hoc attinet ad alios nunc viuentes, aut eos qui tēporę medio vixerunt? M. Quoniam Christus tum temporis loquitur ad omnes simul sub voce plurali citra specificationem vllius personæ: ideo intelligitur hæc requisitio testimonij ferendi facta directè & immediatè ad ipsum conuentum, siue ipsam Ecclesiam credentium: non autē ad singulares personas, nisi secūdario, & quatenus erant illius congregationis membra. Secundò, quoniam illa erat matrix Ecclesia, siue seminarium quoddam succedentiū sibi Ecclesiarum. Ideo intelligitur sermo factus ad illā, simul factus ad omnē succrescentē Ecclesiam, hoc est, ad totam Ecclesiam, q̄diu durat secundum successionē nascętium & decedentium, etiam ad finem

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Math. 16.

Quarta ratio.

Ecclesia accepit mandatū testandi de scriptu ris.

finē vsq; mundi. Veluti si dux Brabantiæ statueret, dicens: Vos Louanienses in administratione Ducatus Brabantiæ, habebitis primum locum dicendæ sententiæ: vos Bruxellenses secundum: vos Antuerpienses tertium, &c. Nemo profectò secus intelligeret istud, quàm quod dictæ ordinationes fierent ad ipsas Cōmunitates Louaniens. Bruxellens. & cet. non autem ad personas singulares, nisi quatenus & quamdiu sunt mēbra Cōmunitatis. Nec solùm Communitates hominū tunc viuētium, sed ad Communitatem Louaniensium pro toto tempore quo stabit ciuitas illa, per successionem nascentium & decedentium ciuium Louaniens. & sic de alijs. Quod etiam colligi potest hoc loco ex particula subiecta, videlicet vsque ad vltimum terræ. Verisimile enim est, ne dicam certum, tēpore Apostolorum, & multis annis post Apostolos, necdum fuisse prædicatum Euangelium vsq; ad vltimum terræ. Porrò infallibilitas testimonij quod Christus ibidē requirit ab Ecclesia facilè colligitur ex filo orationis. Dicit enim: Accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes: quasi diceret, & per hoc, nēpe acceptum spiritum sanctum eritis mihi testes, haud dubiè infallibiles & irrefragabiles, sicut ille & infallibilis est & irrefragabilis. Potest nihilominus idem probari, & sanè fortius, ex fine Euangelij secundum Matthæum vbi habet: Euntes ergo in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, &c. & docentes eos seruare quęcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Nunquid Apostoli ad quos loquebatur ista Christus, vixerunt vsque ad consummationem seculi? D. Imò ne vnus quidem illorum superstes fuit anno centesimo post Christum passum. M. Disce ergo Saluatorem in dicta promissione sic locutum esse ad collegium discipulorum suorum, vt in illo simul loqueretur ad vniuersam Ecclesiā, continuandam serie quadam successionis, vsque ad consummationem seculi. Eò quod illud collegium discipulorū Domini erat tanquam parens siue matrix continens velut in visceribus suis vniuersam succedentem Ecclesiam. Sicut olim in visceribus Adæ erat tota posteritas succrescentium hominum: propter quod & benedictio, maledictioque facta Adæ vt primo parenti, transit ad omnes homines vsque in præsentem diem, & ad finem vsque generationis humanę: sic promissio facta collegio Apostolorum, hoc est, primitiuæ Ecclesiæ tanquam matriei aliarum, transit ad vniuersam succedentem Ecclesiam, vsque

Probatur infallibilitas testimonij Ecclesiæ.

Matth. 28

Promissio facta primitiuę Ecclesiæ trāsit ad vniuersam succedentē Ecclesiam.

ad finem militiæ Christiani super terram. Apostoli quidem omnes morituri erant intra paucos annos: tamen successio illorum nequaquam erat interitura vsque ad consummationem seculi. Est autem consummatio seculi, finis mundi, vti patet Apocalypsis 10. D. Nonne iam defecit successor Andreæ Apostoli in Asia longè ante finem mundi. Successor Ioannis Apostoli in Epheso. Successor Philippi in Scythia, cùm in omnibus istis Ecclesijs non inueniatur iam doctor verbi diuini? M. Disce ergo secundò in his verbis: Ecce ego vobiscū sum &c. promissionē factam esse directè & principaliter ipsi collegio, non singularibus personis, aut singulis partibus collegij: eò quòd Saluator loquitur sermone plurali, & collectiuo. Vox enim, vobiscum, est multitudinis vocabulū. Quapropter nō promittitur hic infallibilitas doctrinæ, aut certum & præsens auxilium Saluatoris, singulis pastoribus Ecclesiæ, vel etiā particularibus Ecclesijs, Asiæ, Græciæ, Galliæ, Germaniæ &c. sed vniuersitati pastorum Ecclesiæ, vniuersali quoq; Ecclesiæ: quorum vtrumq; in dicto Apostolorum collegio repræsentabatur. Cum quia sanè promissione stare potest: primò q̃ multi particulares homines permittuntur à Christo abire in errores, sicuti abijt Nicolaus aduena, vnus ex septem diaconis, de quibus Actorum 6. Tertulliano & Eusebio sic attestantibus: Abierunt quoq; Hymenæus, & Philetus, & Alexander, de quibus 1. ad Timoth. primo cap. & 2. ad Timoth. secundo. Nec non & Galatæ redeuntes ad infirma & egena elementa legis, vt habes ad Gala. tertio. quales Apostolus vocat subtractionis filios. Deinde etiam quòd multæ particulares Ecclesiæ in his, aut illis regionibus prorsus deserantur à Christo, occulto quidem, sed non nisi iusto iudicio propter peccata earum. Verùm vt deficiat in vniuersum pastor in Ecclesia & doctor veritatis, aut tota aberret Ecclesia fieri omnino non potest propter hanc promissionem Christi. Quod autem successor Petri, & eius Ecclesia Romana necdum defecerit, nec vnquam defectura sit, est, ob aliam promissionem peculiariter factam Petro, veluti vniuersalis Ecclesiæ pastori primario, cùm diceret Saluator: Et ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua. Lucæ vigesimo secundo. D. Ceterùm quomodo Christus exaltatus ad dexteram Dei patris in cælis potest nunc temporis esse cum Ecclesia militāte hic in terris, iuxta dictam suam promissionem? M. Dixit Saluator: Ecce ego vobiscum sum per verbum præsentis temporis,

Qua ratione Christus

regnans in cælis nunc est nobiscum in terris.

poris, non quidem ero, per verbum futuri temporis: quanquam sermo & promissio penitus spectarent tempus futurum: tum vt significaret se verum Deum esse, cui tantummodo cōuenit esse, non autem fuisse aut futurum esse: tum vt intelligamus Ecclesiæ promitti per hoc præsentiam Iesu, non quidem corporalem, sed diuinam, qua sic assistit forinsecus, vt & operetur intus in corde. Dicens autem, vobiscum sum omnibus diebus, sermone vniuersali, profectò nullum excepit diem à sua nobiscum præsentia, nullam admittit interpellationem, quin semper adfuturus sit tanquam adiutor & director Ecclesiæ suæ vsque ad consummationem sæculi. Similiter autem modo oportet te intelligere omnes eiusmodi scripturas, videlicet. Non deseram vos neque dereliquam: Non relinquam vos orphanos: Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis quæcunque dixero vobis: Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. In omnibus enim his scripturis debes aduertere esse sermonem pluralem, & quasi collectiuum, quo fit promissio directè congregationi credentium, non autem singulis de credentibus. Quàm enim varij permittantur passim excidere à gratia, in quam vocati erant iā diximus. Quod verò non quemuis de congregatione illuminet spiritus Dei per semetipsum intus in corde, ne sanctos quidem, quātò minus dyscolos & immorigeros, neque de his quæ ad propriam personam pertinent, ne quede his quæ communem Ecclesiam concernunt, hinc fit manifestum. Moyses vir Deo placens loquebatur ore ad os cum Domino, & tamen per Ietro socerum suum instrui debebat, de quibusdam verè ac necessariò pertinentibus ad regimen tantæ multitudinis. In super Dauid qui propter eximias inspirationes, Prophetæ nomen peculiariter obtinuit, de quibusdam suam personam necessariò cōcernentibus instruebatur per Natham Prophetam, non autem per internas inspirationes. Et ad Paulum Apostolum iam requirentem: Domine quid me vis facere, dixit Dominus: Surge & ingredere ciuitatem & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere: Dicetur, scilicet per Ananiam discipulum. Sic & Cornelius Centurio, cuius orationes & eleemosinæ Deo placuerunt, instructus est non per Spiritum sanctum intus reuelantem, sed per Petrum Apostolum foris docentem. Vt igitur licet ex eiusmodi scripturis colligere,

Spiritus sanctus nō quéuis illuminat tus in corde per reuelationē

Exod. 18.

1. Reg. 12.

Actor. 9.

Actor. 10.

quod Christus infallibiliter semper assistit Ecclesiæ suæ, eamque illuminat de omnibus: ita de singularibus personis non licet idipsum colligere, nisi quatenus & quamdiu se continent bono animo in gremio matris Ecclesię. Tales enim, quantum in se est, nunquam deserit Deus, quin & illuminabit illos de omnibus ad suam salutem necessarijs, vel per internas inspirationes, vel per communem doctrinam matris Ecclesiæ, vel per alicuius ex ea inspirati adhortationem, aliòue modo quem Deus magis conuenientem nouerit: nempe per bona exempla, aut ægrotationē, aut aduersitates: de quibus suo loco latiùs dicetur. Præmissis autem addendū est id quod Saluator dicit, Matthæi 18. capit. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Quæ quidem Saluatoris constitutio, si veritatem habet in singulis Prælatis, vt habet: multò magis habere debet in vniuersis simul Pastoribus Ecclesię: maximè coniunctim atque concorditer vnum & idem ligantibus vel dissoluentibus, vt fit in plenarijs Concilijs Ecclesię. Addendum similiter quod permittit Petro, Math. 16. Et dabo tibi claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram, &c. Ex quibus euidentissimè colligitur quod Ecclesia habet non solum potestatem testimonij ferendi super scripturis & traditione, sed & discernendi iudicialiter. Idque adeò per auctoritatem, vt si quis non audiat Ecclesiam decernentem hāc scripturam esse diuinam, illam verò non, hāc traditionem manasse ab ipsismet Apostolis, illam verò non, iure habendus sit velut Ethnicus & publicanus, hoc est, ἄθεος & alienus à salute, quæ est in Christo Iesu. Bifariam itaque reddimur per Ecclesiam certiores de Canonicis scripturis & traditionibus Apostolicis, testimonio scilicet & auctoritatis iudicio.

Penes Ecclesiā est potestas iudicialiter decernendi quę sit scriptura sacra, quæ non.

Vbi & quando testata sit nobis Ecclesia de scripturis sacris & traditionibus Apostolicis. CAP. XIII.



Nunc restat difficultas, nempe vbi, & quando testata sit Ecclesia, aut iudicium auctoritatis interposuerit super scripturis & traditionibus. M. De traditionibus, suis id locis ostendemus, quādo opportunum erit. Foret enim nimis immensum præstare hoc de singulis vno isto loco. De scripturis autem dedit nobis suum testimonium suumque iudicium ma

Ecclesia testatur de scripturis quadrupliciter.

ter Ecclesia: Primò in Apostolicis viris, quos nascens Dei beneficio sortita est: Secundò in definitionibus sedis Apostolicæ, penes quam est plenitudo suæ potestatis: Tertiò in plenarijs Concilijs, quæ pro necessitatibus occurrentibus sæpius celebrare cõpulsa est: Quartò in communi & vniformi attestatione omnium sibi succedentium Ecclesiarum, omniumque Patrum quos habuit secundum seriem temporum hyperaspistas & defensores fidei suæ ac religionis. D. Profectò tanta attestatio meritò sufficere debet vniuersis, qui pietatem amant. M. Qui primam seu matricem gubernarunt Ecclesiam, ipsi primitijs spiritus sancti pleni, & miraculis gloriosi, qui aut ipsi interfuerant doctrinæ Dominicæ & Apostolicæ, aut fideli narratione acceperant ab ijs qui interfuerant, suam fidei sinceritatem declarantes operatione Spiritus S. Isti dico, videntes lumine fidei (quod in ipsis limpidissimum erat) quatuor Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis planè consonare cum ea doctrina, quam à Christo & Apostolis hauserant, alia autem Euangelia, quæ circumferebãtur sub nominibus Petri, Andreæ, Bartholomæi, ac ceterorum, non item testati sunt & iudicarunt prædicta quatuor Euangelia verè esse diuina, nihil spirantia præter verbum Dei, ideoque in vsu retinenda, vniuersis alijs reprobatis. Huius autem non possum tibi aliam dare probationem, quàm quæ est ex oculari inspectione, id est, lectione operum, quæ mox post tempora Apostolorum edita sunt: nempe Polycarpi, Dionysij Areopagitæ, Philonis, Tertulliani, qui in suis scriptis vsi sunt nostris libris noui Testamenti, tanquam Canonicis, & à maioribus sufficienter comprobatis. Astipulatur huic nostræ assertioni Athanasius ille magnus in quadam Paschali epistola, vbi secernere volens libros Canonicos à non Canonicis, hæc verba præfatur: Quoniam nonnulli aggressi sunt & sibi scribere quæ apocrypha dicuntur, ac deinde eadem cum libris diuino afflatu compositis miscere atque confundere, de quibus (scilicet libris diuino afflatu compositis) certum habemus, sicut maioribus nostris traditum est, ab ijs qui oculis suis initio res ipsas viderunt, ipsiusque verbi ministri fuerunt, quoniam hoc illi tentarunt decreto & hortatu fratrum. Hæc ille. Idem inuenies apud Eusebium lib. 3. D. Et quomodo tunc temporis constabat de libris veteris Testamenti? M. Per doctrinam Christi & Apostolorum, qui docendo citarunt testimonia ex libris Moysi ex libris Salomonis, ex libro Psalmorum, ex libris Prophetarum, ac alijs, tanquam ex illis, qui Canonicam & irrefragabilem habebant auctoritatem: quemadmodum est videre in nostris libris noui Testamenti. Præter hoc autem iam comprobati fuerant dicti libri veteris Testamenti à sæculis multis, vsu & auctoritate Ecclesiæ quæ steterat ante Euangelium Christi plus minus bis mille annis. D. Vbi autem definiunt Sedes Apostolica, aut Oecumenica Concilia super libris sacræ scripturæ? M. Lege inter Canones Apostolicos quos recepit & approbauit sexta Synodus Ecclesiæ, octuagesimum quartum Canonẽ qui incipit: Sunto omnibus vobis clericis simul & laicis veneranda & sacri libri, &c. & videbis ibi canonizatos à Diuo Clemente Papa secũdo quos habemus noui ac veteris Testamenti libros. Nam Canon ille est Clementis, vt ex fine eius colligere licet. Lege prætereà decretalem epistolam Innocentij Papæ eius nominis primi ad Exuperium Tolosanum Episcopum circa finem. Is enim Põtifex vir sanctus, nec minus doctus sic ait. Qui verò libri recipiantur in Canonem sacrarum scripturarum breuis connexus ostendit. Hęc sunt ergo quę desiderata moneri voce voluisti. Moysi libri quinque, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerorum, Deuteronomium, necnon & Iesu Naue & Iudicum, & Regũ libri quatuor, simul & Ruth. Prophetarum libri sedecim, Salomonis libri quinque, Psalterium: Item Historiarum, Iob vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon duo: Item noui Testamenti libri quatuor, hoc est, quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: Pauli epistolæ quatuordecim, Epistolæ Ioannis tres, Epistolæ Petri duæ, Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, Actus Apostolorũ, Apocalypsis Ioannis. Lege prætereà caput 35. decretorum Concilij Laodicensis. Caput item 45. Decretorum Concilij Carthaginensis tertij. Denique lege sessionem 3. Concilij Tridẽtini his nostris dieb⁹ celebrati (cui ipse interfui secundò, vtraque vice, menses decem) & inuenies per Ecclesiam sæpiùs magna cum inquisitione definitũ fuisse super libris quos nunc habemus noui & veteris Testamenti. Quòd si lubet etiam videre quid sentiat in hac parte diuus Augustinus (cuius solius iudicium nemini nunc viuentium cedere debet) lege caput octauum secundi libri eius de doctrina Christiana, & inuenies penes eum catalogum sacrorum librorum quem recenset Innocentius primus, & Concilium Carthaginense tertium: quem eundem catalogum etiam Concilium Tridentinum confirmauit. Quartum autem modum quo Ecclesia testatur super scripturis quem posuimus suprà, apertis

Primò.

De libris veteris Testamenti quomodo primitiua Ecclesia cognouerit quod diuini libri essent.

Definiuit Ecclesia de libris Canonicis scripturæ sacræ.

Deinde per Concilia generalia.

Tertiò per viros doctos omni exceptione maiores.

Quartò per successionem tẽporũ quibus in vsu fuerunt.

apertissimè tradit nobis diuus Irenæus libro 3. aduersus hæreses, docens quòd scripturas eas Canonicas esse credimus, quas Apostoli à Christo, & primitiuæ Ecclesiæ ab Apostolis & ceteræ exinde Ecclesiæ per vniuersum orbem, ab Ecclesijs secundum seriem successionis antiquioribus acceperunt. Quas & nos deinceps habemus diligentia Patrum in hæc vsque tempora custoditas, prouidente Dei Spiritu sancto, qui olim locutus est in Patribus & Prophetis: nouissimè nobis & in Christo filio, & in Apostolis Spiritu sancto plenis. In ipso autem exordio obtrusa Ecclesijs sub nomine beati Petri apocrypha quædam (ex quibus posteà deprehendebantur hæretici depromere patrocinia suarum hæresiũ) reiecta sunt, hoc solo nomine quòd traditioni ab Apostolis receptæ non per omnia consentirent, quanquam ab aliquibus minùs oculatis approbaretur: vt poteris ipse legere apud Eusebium libro secundo suæ historiæ. Hæc autem & huiusmodi aduertens diuus Augustinus, & sedulò vrgens aduersus epistolam Manichæi cap. quinto, quasi concludendo dicit: Ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoneret auctoritas. Ex quibus verbis licet & illud colligere quod diximus suprà. Ecclesiam non solum testimonio, sed & auctoritatis iudicio quo pollet, discernere nobis inter scripturam sacram & nõ sacram: quia dicit nisi me commoneret Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, nedum attestatio eius quanquam vel illa sola omnibus beneuolis sufficere debeat. D. Nihilominus hodie quidam non recipiunt libros Machabæorum, epist. Pauli ad Hebræos, epistolam Iacobi, epistolam Petri secundam. M. Quidam etiam nec Christum recipiunt. Nunquid ideo perijt à nobis veritatis attestatio? Fuit equidem olim super illis & nonnullis alijs libris suscitata controuersia, at procedente inquisitione legitimè compertum est, & deinde auctoritate definitum, tam illos esse sacros, atque vniuersos alios quos pro sacris habemus, ideoque in Canonem sacrorũ librorum referendos, & pro Canonicis habẽdos sub anathematis pœna.

[margin: Obiectio] [margin: Solutio.]

Iure præscriptionis vtendum esse aduersus contentiosos, qui contumaciter reijciunt quasdam scripturas sacras, aut traditiones antiquas.

CAP. XIIII.

M.  Si quis autem contentiosus omnino velit esse, oganniens nescio quid, contra tam dictas attestationes & decreta matris Ecclesiæ, huic obijcimus præscriptionem, & eam sanè legitimam ac sufficientem vtriusque iuris beneficio, immo etiam iurisgentium auctoritate: vt prorsus compesci debeat publica auctoritate qui nec hoc pacto acquiescit. Citat' quispiam in iudiciũ super agro suo, aut parte hæreditatis paternæ, nonne præscriptione defendet se, etiamsi desint sibi omnia alia munimenta Iuris? Nónne & sola præscriptione absoluitur ab impetitione aduersarij, modò legitima sit, triginta aut quadraginta annorũ? D. Esto: At istud obtinet duntaxat in rebus corporalibus. M. Obtinet sanè & in rebus religionis nostræ. Nam insignis ille & antiquissimus auctor Tertullianus, quoties hæreticos insectatur, eis præscriptionem posse se veritatis obijcere solet. Quem sanè modum obseruat non solùm aduersus Marcionem & Hermogìnem, quos acerrimè coarguit: verùm etiam edidit librum aduersus omnes hereticos, cui de præscriptione hæreticorum fecit titulum. In quo libro multis aduersus eos rationibus docet de veritate Catholica iam præscriptum esse & præscribendum. Si tempore Tertulliani, qui floruit circa annum Domini 130. quando duntaxat steterat Ecclesia à Christo passo plus minus centum 30. annis. Si dico, tum temporis validum erat argumentum à præscriptione, quantò magis debet nunc esse irrefragabile, post præscriptionem longissimi temporis, nimirum sexcentorum annorùm: plus dico, mille annorum, immo mille ducentorum, trecentorum, quadringentorum annorum & vltra? Nam quæ hoc tempore est Ecclesia Catholica, habet eosdem libros sacros, atque easdem traditiones, & ex illis credit eadem, docet eadem, colit denique eodem modo: quos libros & quas traditiones habuit, quæque ex illis credidit, docuit, atque in cultu retinuit Ecclesia præcedens nos, ducentos quinquaginta, trecentos, vel quadringentos annos. Patet id manifestè ex scriptis, quibus statum fidei ac religionis sui temporis depinxerunt nobis sancti Dei homines, qui illis tẽporibus claruerunt, viri in scripturis diuinis illuminatissimi, vt sanctus Bonauẽtura, diuus Thomas Aquinas, Albertus magnus Episcopus Ratisponensis, diuus Bernardus abbas Clareuallen. Lombardus Episcopus Parisiensis. Ricardus, & Hugo de sancto Victore, alijque quàm plurimi vita probati, & in rebus fidei insigniter oculati. Ad hoc Ecclesia quæ stetit tempore istorum adamussim conspirabat cum ea quæ fuit ante mille annos, aut mille ducentos, mille trecẽtos, mille quadringentos

[margin: Reijcientibus quasdam scripturas & antiquas traditiones, obijcienda præscriptio ecclesiæ.]

[margin: Præscriptio obtinet etiam in rebus fidei & religionis.]

tos, sicque ascendendo in ipsa vsque Apostolorum tempora. Patet & hoc euidenter ex libris relictis nobis per diuum Augustinum, diuum Hieron. diuum Chrysost. diuum Ambrosium, diuum Basilium, diuum Athanasium, per Cyprianum Martyrem, qui claruit anno 252. post Christum, per Tertullianum, per Philonem Alexandrinum, Dionysium Areopagitam Apostolum & Martyrem Galliæ. Quorum vterque vixit temporibus Apostolorum: ille vsque ad annum 50. iste vsque ad annum 115. post Christum passum. Et hi omnes sicut reliquerunt nobis eandem doctrinam fidei, quam nunc hoc nostro sæculo tradimus, ita conformiter probauerunt quisque suo tempore fidem suam, suamque religionē ex eisdem scripturis noui ac veteris Testamēti, ex eisdem quoque viuis traditionibus, qui bus vtitur hodierno adhuc die sancta Romana ac vniuersalis Ecclesia. De quatuor itaque Euangelijs, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, & ceteris vniuersis libris Bibliorum olim in Canonem receptis nihil amplius dubitari potest, vel propter solam præscriptionem millenariam & eo maiorem. Sic vel sola præscriptione certa & indubitata haberi debet traditio, de Trinitate personarum in diuinis, de Baptismo paruulorum, de perpetua virginitate Mariæ, de pœnis purgatorijs animarum, de delectu ciborum, de quadragesimali obseruantia ieiuniorum, & quàm plurimis alijs, de quibus suis locis tractabimus. Obijcientibus itaque, quo iure retineamus hæc & eiusmodi in vsu, dicamus iure præscriptionis. Quod si insuper contendant productis, nescio quibus rationibus aut scripturis, respondendum est, quod hallucinantur ipsi potiùs quàm Ecclesia, quæ magisterio Spiritus sancti edocta ex scripturis & ratione, possedit ea optima fide iam multis centenarijs annis, citra vllam interpellationem temporis. D. At præscribi nō potest contra veritatem. M. Esto: subindè tamen vel sola præscriptione elucescit veritas iuris secundum leges, quæ prius non deerat: adhæc vel sola præscriptione ostenditur veritas iustæ possessionis, quæ aliàs probari nequit. Ventiletur caussa coram quocunque velis tribunali, si præscriptio tua est legitima, si omni exceptione maior, quia centenaria vel millenaria, mox excidit caussa aduersarius, & iudicatur apud te esse veritas iustæ possessionis.

Præscriptione ostenditur veritas iustæ possessionis.

Quàm impotens sit argumentum negatiuum sumptum ab auctoritate scripturarum.

CAP. XV.



Ontingit passim duobus vti argumentis ab auctoritate scripturarū, quorum alterum est affirmatiuum alterū negatiuum. Negatiuè quidem ratiocinantur hoc modo. Non legitur in scripturis sacris sic traditum à Christo, vel Apostolis eius: igitur non pertinet ad veritatem religionis Christianæ: aut simili modo. Tibi autem quid apparet de huiusmodi genere argumentandi? D. Quod sit alienissimum ab arte, nam illationem negatiuam ab auctoritate nihil concludere, certo certius est. Non enim sequitur: Cicero parens eloquentiæ, non est eo pacto locutus, ergo nemo sic dixerit Latinè. M. Quid si quispiā sic intulisset, aut mox, aut annis aliquot post Christum passum? D. Is penè nihil credidisset mysteriorum Euangelij, quia nihil adhuc proditum erat scripturis. M. Nunc autem an quæso plus habebit roboris eiusmodi illatio, quàm olim habuit? D. Minimè. Quia negatiua est ab auctoritate. M. Secundò, quia per remotionem vnius vel alterius partis obiecti, non rectè excluditur operatio potentiæ. Veluti si inferas: Non est coloratū, ergo non potest videri. Nam Sol colore carens, luce sua ac lumine visibilis est. Itaque à simili non licet hoc pacto inferre: Non est scriptum in libris veteris ac noui Testamenti, ergo non est credendum fide Catholica. Nam potuit manasse ad nos vsque, ex traditione Apostolica, vel ex plenarijs Concilijs Ecclesiæ, quibus reuelatur nobis verbū Dei haud secus atque scripturis. Quid autem si inferat quis hoc modo: Non est vspiam reuelatum verbo Dei, neque in scripturis, neque in traditione Apostolica, neq; in plenarijs Cōcilijs, & sic deinceps: igitur non debetur ei fides? D. Iam bona est illatio à sufficienti inductione. Sublatis enim omnibus partibus obiecti, adeoq; toto obiecto, iam nulla potest esse operatio potentiæ. M. Rem tenes, laudo memoriam. Simili autem ratione, licet non consequatur: Christus viuens in terris nihil tale docuit, igitur nō est credendum (dicit enim ipse: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò) valet tamen hæc illatio: neque Christus hoc docuit, neque Proph. ante Christū, neque Apost. post Christum, neque mater Ecclesia per Spiritum sanctum illuminata vsquam sic tradidit: ergo non pertinet ad veritatem religionis. Iā enim colligitur & argumentatur per sufficientem inductionem, à remotione omniū quibus in hac parte debetur auctoritas. D. Ceterùm quid respondebimus ex ipso verbo Dei iis, qui vbiq; scripturā exigunt super articulis fidei,

M. Quantum valeat argumentū negatiuū ab auctoritate scripturarum

Exigentibus vbique scri-

ptur aquid respondē dum ex ipsis scriptu ris.

fidei, aut mysterijs vel cæremonijs Ecclesiæ? Nam quod adfertur ex Dialectica leuiusculū ducunt. M. Quod respondendū docuit Christus Matth.18. dicens: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus. Non enim dixit, si scripturam non audierit, sed si Ecclesiam non audierit: maximè quidem vniuersalem per omnem ætatem, omnemq; locum sic docentem, Si dico, illam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus: Secundò quod respondit Apostolus Corinthijs dicens: Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Sicut suprà latius explicauimus. Tertiò quod respondit Tertullianus libro de corona militis dicens: Obijcientibus nobis hæreticis, quonam scripturę loco demonstremus hæc, scilicet, Eucharistiæ Sacramentum, non de aliorum manu quàm præsidentium sumere. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua diē facere, Dominico die ieiunium nefas dicere, vel geniculis adorare: Eadem à Pascha vsque ad Pentecosten ieiunij immunitate gaudere, ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacrum, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quacunque nos conuersatio exercet, frontem signaculo terere: Harum, inquit, & aliarum disciplinarum, si legem scripturarum expostules, inuenies nullam. Traditio tibi prætendetur autrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Rationē traditionis & consuetudinis fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces (præmisit ibidem paulò ante). Plane vt ratio quærenda sit consuetudinis, sed salua obseruatione, nec in destructionem eius, sed potiùs in ædificationem, quo magis obserues, cùm fueris etiam de ratione securus. Prædictas obseruantias si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ indubiè manauit de traditione Apostolorū. Quomodo enim vsurpari quid potest, si prius traditum nō sit? Ergo nec nullum: nec incertum videri potest delictum, quoniam committitur in obseruationem, suo iam nomine vindicandam & satis autoratam consensus patrocinio. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cùm deficit lex. Nec differt scriptura an ratione consistat, quandò & legem ratio commendat. Hæc ille, sparsim in principio libri de corona militis. Quartò respondebimus quod respondit diuus Ambrosius: Traditio est, nihil quæras amplius. Denique quod responderunt diuus Basilius libro de Spiritu sancto pro defensione multarum

1. Cor. 11.

cæremoniarum Ecclesiæ: Et diuus Augustinus contra Donatistas pro Baptismo paruulorum. Quorum sententias habes paulò superius explicatas. Profectò qui non mouentur eo argumento, quod Christo, quod Apostolo, quod vetustissimis & probatæ doctrinę auctoribus quàm maximè placuit, illos ne audire quidem vltra oportet in vlla disputatione circa fidem. Quid tibi nunc apparet de ijs qui asseuerant solum ea credenda esse quę ex scripturis probari possunt? D. Quod seductores sunt, errantes, & in errorem mittentes. M. Dic igitur illis, cùm vel fortuitò vel insidiosè venerint ad te, ex informatione diui Basilij. Si solùm scripturis creditis, ergo nihil creditis. Respondebunt illi. Quomodo nihil? Immo omnia credimus quæ quatuor Euangelijs, adeoque totius noui ac veteris Testamenti scripturis prodita sunt. Tunc autem tu quæres. Quæ sunt illa quatuor Euangelia? Dicent Matth. Marci, Lucæ, Ioannis. Ibi replicabis: Et quo testimonio, quóue iudicio scitis ista Euangelia esse Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, & non aliorum? Aut qua ratione cognoscitis epistolas Paulinas esse veraciter Pauli Apostoli, & non alicuius suppo nentis illas nomini Apostolico? Indubiè hic aut tacendum erit eis, aut confugiendum ad traditionem antiquam, & infallibilem Ecclesiæ àuctoritatem, velut ancoram sacram. Videlicet quia sic attestata est auctoritas matris Ecclesiæ, sic docet fundatissima antiquitatis traditio, sic in Concilijs Spiritu sancto suggerente determinatum est, sic concorditer per omnem ætatem Ecclesiæ docuerunt vniuersi patres. Et quotquot præfuerunt ante nos Catholici scriptores, vsi sunt ad probationem dictorum suorum his eisdem libris veteris & noui Testamenti, tanquam libris Canonicis. Huc dico, huc illis confugiendum est. Non enim possunt homines huius temporis doctiores esse, aut circunspectiores, quàm fuerunt diuus Augustinus, diuus Basilius, Origenes, alijque Patres, qui non alio inducti quàm Ecclesiæ testimonio, & traditionis antiquæ, receperunt scripturam noui Testamenti, tanquam diuinam, reuera cælitus illatam auribus nostris, & ab ipsismet Prophetis, Euangelistis, ac Apostolis inspiratis Spiritu sancto, sic compositam, sicque digestam in posteritatis vsum. Porrò si sacram scripturam citra scripturarum testimonium, ex sola traditione & vniformi Ecclesiæ attestatione recipiunt, cur non & alia amplectuntur Religionis mysteria ex traditione eiusdem Ecclesiæ iugi quadam obseruantia custodita, ab ex-

Hæretici sunt qui solis scripturis credendum contendunt.

ab exordio nascentis Euangelij vsque nunc? Quod si in scripturis comprobandis auctoritatem Ecclesiæ non recipiunt, ergo incerti manent & de libris veteris ac noui Testamẽti, & de ijs quæ ex eisdem libris traduntur. Quapropter prorsus nihil credunt, quia de nullo habent certitudinem, quamdiu non credunt auctoritati Ecclesiæ attestantis. Cuius auctoritatem recipere velut infallibilem in quibusdam, in alijs verò non item, hominis est iudicantis de Ecclesia, suumque iudicium præferentis vnanimi attestationi omnium Patrum, omnium Sanctorũ, omniumque doctorum, qui fuerunt ab initio nascentis Ecclesiæ vsque nunc. Qui autem iudicat sententiæ Ecclesiæ adhærendum in hoc, non autem in illo, non filius est obedientiæ matris suæ Ecclesiæ: sed censor fit eiusdem: tractans illam haud secus atque solent qui pro tribunalibus sedent, populum sibi subiectum. Quod quàm sit plenum arrogantiæ, & impietatis, nemo nõ intelligit: Fili memor esto eorum, quæ te hodie moneo, & caue, ne & tu eiusmodi arrogantiæ vento rapiaris. D. Domine dum viuam, omnia hæc altissima mente reposita manebunt.

Quam potest multipliciter imponere argumentũ affirmatiuum factum ex Scripturis. CAP. XVI.

M. NVnc paucula dicamus de affirmatiuo argumento quo vtuntur inferentes, hoc aut simili modo. Dicit Apost. Arbitramur hominem iustificari, per fidem sine operibus legis, ergo fides est quæ iustificat hominem. D. Et in eiusmodi argumentis an possit esse aliquid periculi? M. Hic opus est distinctione. Si enim legitimè procedas argumentando ex scripturis integris, & incorruptis, intellectis eo sensu quem auctor scripturæ Spiritus sanctus intendebat, vtique bona est illatio. Si verò argumentum feceris ex scripturis aut mutilis, aut deprauatis, aut intellectis secundum sensum quem quisque sibi præsumit, iam plurimùm est periculi, ne error concludatur pro veritate, scelus pro pietate. Olim Arrius pro stabiliendo errore suo, quod docuit Christũ quidem similem Patri, & vnum cum Patre largitate gratiæ & concordia voluntatum, non autem proprietate naturæ, produxit, quadraginta scripturarum capita. Sic Heluidius docens impiè, matrem Domini non permansisse virginem, plurimas attulit pro se scripturas. Sic Pelagiani docentes Baptisma non prodesse infantibus, valde multas pro

Argumentum affirmatiuũ ex scripturis etiam suũ periculũ habet.

Hæretici ferè semper producunt scripturas pro se.

se statuerunt scripturas. Et ferè omnes hæretici semper confugerunt ad scripturas. Aliunde (inquit Tertullianus) non possunt de rebus fidei aut excitari hæreses, aut excitatæ personam induere veritatis, nisi ex literis fidei. Et diuus Augustinus: Omnis, inquit, hæresis ex scripturis fundamentum sui erroris petit. D. Et quæ huius est ratio, vt sic contra fidem vertatur quod pro fide stabilienda cælitus datum est? M. Quia contingit scripturas multipliciter corrumpi, versione, editione, adiectionibus, detractionibus. Item multipliciter alio sensu intelligi quàm auctor ipsius Spiritus sanctus eam intellexit. Tantum autem obstrepit veritati adulter sensus, quãtum corruptor stylus variæ præsumptionis: vti docuit Tertullianus libro de præscriptionibus hæreticorum, mox post tempora Apostolorum: Ostendens ibidem, quòd hæresis si quas scripturas recipit, eas adiectionibus & detractionibus ad dispositionem sui instituti interuertit. Et si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat nihilo minus diuersas expositiones commentata, cõuertit siue controuertit. De quo si placet certius audire testimonium. Ecce Princeps Apostolorum Petrus cap. 3. suæ secundæ epistolæ, sic inquit. Sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his. In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & ceteras scripturas, ad suã ipsorum perditionem. Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. Fili obserua duo in hac Petri sententia. Primùm in scripturis epistolarum Pauli esse quędam difficilia intellectu, & illa eam ob caussam deprauari, partim ab indoctis, partim ad instabilibus, hoc est, vacillantibus circa fidem. Secundùm etiam ceteras scripturas, alioqui faciles intellectu, deprauari ab eisdem, ad suam ipsorum perditionem, quo scilicet faciliùs stabiliant sua praua quæ cõceperunt dogmata. Et crede mihi, veritatem enim dicam, quòd hoc nostro seculo inuenta sunt diuersarum editionum Biblia, plus minus viginti numero, prorsus corruptissima per malitiam hæreticorum. Alia in summarijs capitum, alia in annotationibus marginalibus, alia in indicibus, plurima in ipso simul textu. Nonnulla verò inuenta sunt valde truncata, vel subtractis quibusdam libris, vt libris Machabæorum, & epist. Apost. Iacobi, ac Pauli ad Hebræos, & Petri 2. epist. vel inscriptione seu prænotatione quasi apocrypha essent. Noua autem Testa-

Scriptura multipliciter vitiatur.

Quãta sit corruptio nostro tẽpore librorum vet. & nou. Test.

Testamenta deprauatissima passim occurrũt sine numero in omni idiomate, Latino, Græco, Teutonico, Gallico, Italico. Si Testamenta hominum vel instrumenta contractuum aliqua ex parte corrupta & vitiata, nihil vltra habent auctoritatis, coram quibuscunque etiam tribunalibus fuerint producta, profectò multò minus retinere debent auctoritatem deprauata instrumenta noui ac veteris Testamenti. Hanc igitur ob caussam non valet argumentum affirmatiuum à scripturis, nisi integræ sint & incorruptæ, quia ab vna nonnunquam dictione, immo ab vna syllaba dependet veritas Catholica: vti pulcerrimè ostédit Hilarius & etiam Cyprianus in particula, Et, super illo verbo Saluatoris Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcũque ligaueris super terram, erit ligatũ & in cęlis. Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quapropter si quis produeat textum Pauli, & dicat: Ecce sic habet Apostolus ad Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari per solam fidem sine operibus legis, ergo sola fides iustificat: Respondendũ est illi non valere illationem, quia procedit ex scriptura deprauata adiectione illius particulæ, solam. Rursus si quis produeat contra bona opera illud Petri: Quapropter fratres magis satagite, vt certam vestram vocationem & electionem faciatis. Dicendum talem nihil posse efficere, quia procedit ex scriptura deprauata substractione harum vocum, per bona opera. Quomodo eo loco plurima noua Testamenta Gallica & Teutonica deprauata sunt. Tertiò si quis producat exemplar Teutonicum, dicens: Ecce Paulus reprehendit Galatas dicens: *Ghy houd daghen ende maenden, ende feesten, ende iaer feesten*; Ergo non sunt obseruanda villa festa per annum. Respondendum est tali argumentum nihil habere virium, quia procedit ex scriptura versione deprauata: aliter enim habet textus Latinus, aliter hæc versio Teutonica. Similia possunt quàm plurima hoc loco adduci, sed hæc sufficiunt, quo & ipse abstineas, & alios tuæ curæ committendos abstinere doceas à corruptis libris, quorũ nunc plenus orbis Christianus. D. Dabo operam. M. Prætereà diuus Hieronymus super epist. ad Galatas pronunciat hoc modo: Quicunque scripturam aliter interpretatur, quàm sensus Spiritus sancti efflagitat, licet ab Ecclesia non recesserit, hæreticus appellatur. Porro ex Petri verbis demõstratũ est in scripturis esse quędam difficilia intellectu, in quibus facilè potest quis pro artificio ingenij sui statuere varias ac alienas sententias, ab

2. Petr. 1.

ijs quas Spiritus sanctus intendebat, easque palliare multis scripturis in speciem satis apparentibus. Quapropter non oportet statim acquiescere argumento ex scripturis producto, nisi constet assumptam scripturam intelligi eo sensu, quem Spiritus Dei in ea docere voluit, secundum Tropum, Metaphorã, Allegoriam, aliasq; sermonũ figuras, ac phrases. Scribitur Matthæi 18. Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & proijce abs te. Hic si inferas hoc pacto: Traxit me oculus meus in illicitum amorem, ergo debeo corporaliter illum eruere, & proijcere à me: sine dubio eõcludes meram quandam ac crudelem in teipsum tyrannidem, qualem nec mansuetissimus ille Iesus voluit docere, nec vllus vnquã Euãgelicæ traditionis discipulus in se est executus: Incidens in hunc errorem ex scripturis intellectis propriè: eo sensu quem verba per se significant: cùm tamen Spiritus sanctus intellexerit eas Metaphoricè, de ijs quæ nobis vice oculorum sunt, aut manuum, aut pedum. Sic quando dixit Saluator: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Multi discipulorum eius abierunt retrorsum, & iam non cum illo ambulabant: Quia quod ille de mystica siue Sacramentali dicebat manducatione sub specie panis, illi intelligebant de corporali manducatione sub propria specie carnis. Sunt in scripturis variæ & densissimæ quædam obscuritates, partim ex rerum sublimitate de quibus tractat, ad quas acies mentis veluti tacta ab excellenti lumine obstupescit, adeò vt exclamet Apostolus. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Partim ex dictione sermonis non vbiq; clarè eloquentis auctoris mentem, dum signorum, vt frequẽs est, vel ignota, vel multiplex est significatio, aut varia orationis distinctio, aut alia & alia pronunciatio sententiæ, troporumque inuolutio. Exempla caussa breuitatis omittam. In eiusmodi igitur obscuritatibus scripturarum, si quis proprio nitatur ingenio, tam facilè statuet argumentũ erroris quàm veritatis: vt fecerunt ac faciũt Arrius, Heluidius, Enobius, Pelagius, Lutherus, Bucerus, Melanthon, ac alij eius notę homines. D. Quid igitur consilij captandum, ue & nos sicut illi ex scripturis errorem pro veritate statuamus? M. Hoc ipsum quod consuluit diuus Hieronymus in hac re oculatissimus, in epistola sua ad Paulinum dicens: In Actis Apostolorum Sanctus Eunu-

Ioann. 6.

Rom. 11.

D chus

In scripturis intelligendis opus est magistrum sequi.

chus, cum legeret Isaiam, interrogatus à Philippo: Putásne intelligis quæ legis? Respondit. Quomodo possim, nisi aliquis me docuerit? Ego (inquit) vt de me loquar interim, nec sanctior sum, nec studiosior hoc Eunucho. Et subdit: Hæc à me breuiter perstricta sunt, vt intelligeres te in scripturis sanctis sine præuio, & monstrante semitam ingredi non posse. D. Attamen clamant passim hoc tempore scripturas apertas esse & claras, nec opus esse vllius instructione, per se posse sufficienter intelligi. M. Horum stultitiam admodum cum stomacho insectatur diuus Hieronymus in eadem epistola, hoc argumento. Taceo de Grammaticis, & Rhetoribus, Physicis, Geometris, Dialecticis, Musicis, Astronomis, Astrologis, Medicis, quorum scientia mortalibus vel vtilissima est, & in tres partes scinditur, videlicet in doctrinam, rationem, & vsum. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua quàm manu administrantur. Agricolæ, cementarij, fabri, metallorum lignorúmue cæsores, lanarij quoque & fullones, & ceteri, qui variam supellectilem & vilia opuscula fabricātur, absque doctore esse non possunt quod cupiunt: Quod Medicorum est, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctiq; poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris literis Philosophantur. Alij discunt, prô pudor, à feminis quod viros doceant. Et ne parum hoc sit, quadam facilitate edisserunt alijs, quod ipsi non intelligunt. Ecce quāto ardore insectatur temeritatem illorum, qui aut edisserunt scripturas, aut disputant de scripturis, priusquam ab aliquo monstrante verum scripturę sensum didicerint. D. Quem ergo sequar ducem? Promittentium se habere scientiā Dei, alij errant, & in errorem mittunt, alij tametsi hodie rectè doceant, tamen cras deuiare possunt: homines enim sunt, sensu & iudicio mutabiles. M. Vis igitur demonstrem tibi ducem certum, indubitatum, irrefragabilem? D. Rogo etiam atque etiam. M. Ecce Ecclesia sancta Catholica, mater nostra, prælecta Christi sponsa, de qua pronuntiat Apostolus dicens: Columna est & firmamentum veritatis. Hæc infallibiliter ducet te in eum intellectum scripturarum quem auctor Spiritus sanctus intendebat. D. Quo precor modo? M. Per antiquam, venerandam,

Sententia Hie. docētis scripturas per se non posse intelligi.

Quem oportet pręcipuè sequi ducem in scripturis intelligendis.

atque vniuersalem traditionem ab intio vsque modo custoditam, per sacrorum Conciliorum definitiones, per concordem omnium sanctorum Patrum elucidationem. Vt si quid obscurum occurrat in scripturis aut ambiguū, aut à malè ingeniosis cōtrouersum tū recurras ad vniuersalem traditionē omniū Ecclesiarum, maximè præcedētiū: Item ad saluberrima illa Oecumenica quę anteà fuerūt Concilia: Tertiò ad interpretationem præcūtium Patrum sanctorumq; Pontificum. Qui licet diuersis temporibus, tamen eandem ac consentientem protulerunt de ambiguis scriptis sententiam. Atque ab illis disces, quid in eiusmodi difficultatibus scripturarum voluerit significare Spiritus sanctus. Iam tibi ostendimus testimonio Ecclesiæ nos discere quæ sit scriptura Canonica, quæ non. Nec dissimiliter faciendum, dum de sensu scripturarum controuertitur. Tum enim debemus ab eadē Ecclesia discere quis sit Germanus earum intellectus, quis non. Dixit enim Saluator: Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille suggeret vobis (id est Ecclesię, quam vos representatis) omnia, videlicet quæ sit traditio sancta, quæ scriptura Canonica, quis earum intellectus, & quis vtriusque proprius vsus. Valde ex animo, & cum pondere verborum mandat Apostolus Timotheo suo, seruare depositum, hoc est, concreditam suæ fidei doctrinam, ex traditione maiorum. Mandat & alijs non altū sapere, non etiam plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatē, siue ad mensuram, hoc est, non plus aut minus, quàm patitur regula fidei, comunis scilicet traditio Ecclesię. Itē mādat idipsum dicere, idemq; sapere, & in eadē persistere sententia: deniq; non aliud euangelizare, quàm euāgelizatum est. Quæ indubiè aliquo referūtur quia relatiua sunt vt diximus supra. Nec possūt aliò referri, quàm ad certā aliquā & indubitatam regulā. Est autē certissima regula, commune iudiciū, siue consensus omniū Patrum, & vniformis atque vetusta traditio totius Ecclesiæ, cùm Apost. in dictis particulis relatiuis respexerit ad acceptam à se doctrinā, iamq; per omnem Ecclesiam vsitatam. Quapropter velut sollenne mandatū à nobis haberi debet, vt in scripturis explicandis & mysterijs fidei enucleandis, non altum, non nouū, non aliud dicamus, sed idipsum duntaxat quod habet regula traditionis antiquæ. Producunt quidem scripturas quàm plurimas pro se Arrius Heluidius, Lutherus, Bucerus, Philippus, sed nulla seruata mensura ad hanc regulam fidei. Tradunt easdē ad sensum quem sibi quisque pręsumit, euāgelizātes ex illis nō idipsum

Quę sit regula fidei

sed

sed aliud quàm vsque modò docuit vniuersitas Christifidelium, confictis pro artificio ingenij sui nouis sententijs, auribus Patrum inauditis, vt sit verissimum, quod eleganter prædixit diuus Petrus: Fictis verbis de vobis negociabuntur. Hinc beatus Clemens olim studiosè monuit vt lex Dei cùm legitur, non secundum propriam ingenij virtutem vel intelligentiam legatur aut doceatur. Sunt enim multa verba, inquit, in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum quem vnusquisque sibi præsumpserit. Et ideo oportet scientiam scripturarũ ab eo discere, qui eam à maioribus secundum datam sibi virtutem seruat, &c. Lege epistolam eius quartam, quæ est ad Ecclesiam Hierosolymitanam. Hinc & Eusebius lib. 2. cap. 9. plurimùm cõmendat eos, qui non ex propria præsumptione scripturas interpretantur, sed ex antiquorum traditione, quòd & ipsos ab ipsis Apostolis eam intelligentiam suscepisse constabat. Quod etiam fecisse Gregorium Nazianzenum, & Basilium quodam loco cum laude commemorat. Hinc denique illud Hieronymi quod suprà exposuimus, nempe in scripturis sanctis sine præuio, & monstrante semitam non posse nos ingredi. Est autem in hac parte dux & magistra præcipua mater Ecclesia Catholica, vt quidquid illa vel consonum vel absonum monstrauerit, id tale à nobis habeatur. Quoniam verò sub magisterio Ecclesiæ velut hypodidascalos quosdam habere conuenit, sanè in delegendis illis ita circunspecti esse debemus, vt quos mater Ecclesia probauerit (vti probauit sanctos Doctores, Augustinum Hieronymum, Gregorium, Ambrosium & in vsum recepit) ab eisdem libenter scripturarũ sensum discamus. Quos verò illa reprobauit, eos velut pestes vbique fugiamus. Inter eos autem qui nunc temporis viuunt, & necdum probati sunt, vel reprobati iudicio Ecclesiæ, tam diu illorum interpretationibus adhæreamus, quàmdiu non deflectunt à prænominata regula traditionis antiquæ. Quod si tandem de aliquo olfacere cœperis, tunc demum memor esto anathematis Apostolici, de quo dixit: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod euangelizauimus, anathema sit. Si autem latiùs cupis informari de hac materia, lege secundũ librum de dogmatibus Ecclesiasticis celebris doctoris Turnhout præceptoris mei, & Roffens. contra articulos Lutheri in principio de decem veritatibus: maximè autem Augustinum libr. de doctrina Christiana: & post hunc vetustissimum illum Tertullianum de præscriptionibus hæreticorum. In quo libro solicitè docet præcauendum esse, ne in solis scripturis constituamus certamen veritatis, dicẽs. Quid promouebis exercitatissimè scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur ex diuerso: si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in cõtentionem. Nihil consequêris nisi vilem de blasphematione laudem. Ille verò, si quis est, cuius caussa in congressum descendis scripturarum, vt eũ dubitantem confirmes ad veritatem, an non magis ad hæreses demerget? Hoc ipso motus quod te videat nihil promouisse, æquo gradu negandi & defendendi, diuersa parte statutum, certè & pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresin iudicet. Hæc vtique & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere nobis potius adulteria scripturarum, & expositionum earũ mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. Ergo non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parũ certa. Hæc Tertullianus. D. Igitur quomodo præstabit dominus meus quod promisit: nempe se omnia demonstraturum ex verbo Dei? M. Neutiquam promisi me demõstraturum singula ex scripturis sacris. Meminisse te oportet quod diximus verbum Dei nobis proponi, partim in scripturis, partim in vetusta & vniuersali traditione: Ecclesiam autem viuo suo testimonio per inhabitantẽ Spiritum sanctum nos certos reddere de vtroque. Atque licet scripturæ per se & quouis modo intellectæ non præstent idoneam demonstrationem veritatis, tamen canonizatæ per Ecclesiam, insuper productæ in eo sensu quem Ecclesia testatur eis germanum esse iam certo certius ostendunt quàm sequi oporteat fidei veritatem. Tertullianus autem loquitur de his qui libero ingenio ludunt in scripturis, neque addicti manent ad villam regulam aut communis fidei, aut traditionis antiquæ, aut Ecclesiæ sic attestantis & approbantis, cùm tamen Apostolus moneat Timotheum dicens: Qui ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutẽ per fidem quæ est in Christo Iesu. Quasi diceret: Nudas scripturas sine fidei regula (hoc est, intellectas extra sensum quem semper fide retinuit communis Ecclesiæ traditio, non posse instruere ad salutem.

Elegãs sententia Tertulliani.

Archimagistra est mater Ecclesia.

Qui Doctores legendi, qui reiiciendi.

Galat. 1.

Tria esse in quibus velut suis finibus ac propugnaculis tuta consistit fidei nostræ ac religionis defensio.

CAP. XVII.

D. Spiritus sanctus est præcipuus tutor fidei



VT igitur præmissorũ velut epilogum habeam, dic precor summatim in quibus potissimùm consistat plena fidei nostræ, & religionis defensio? M. In Deo ipso & illuminatore mentium Spiritu sancto, dante & conseruante tam initium quàm incrementum fidei in cordibus nostris. Dei enim donũ est fides, & ea quæ ex fide pendet religio. Quapropter curare oportet ante omnia, vt corde bono, omnibusque votis inhęreamus Deo, & seruatori nostro Christo: nequando offensus auferat à nobis Spiritũ veritatis, & tradat nos propter peccata nostra in sensum reprobũ, repletos spiritibus errorum & seductionis, habeatque locum in nobis quod dictum est per Esaiam ad Iudæos: Aure audietis, & non intelligetis, videntes videbitis, & non perspicietis. Manus siquidem Domini est, vindicantis occultam malitiam agentium in hypocrisi, vt ex literis fidei, non nisi documenta contra fidem elicere studeant. Secundum Deum autem sunt tria hæc: videlicet, Traditio sancta, Scriptura sacra, Auctoritas matris Ecclesiæ. In quibus coniunctim seu simul sumptis, velut suis finibus ac propugnaculis tuta manet fidei nostræ & religionis defensio. Non autẽ in quolibet eorum seorsum. Non enim in sola scriptura. Quia scriptura neque sibi auctoritatem dare, neque sui interpres esse potuit. Sed nec omnia mysteria fidei scripturis prodita sunt: Non etiam in sola traditione. Quia placuit Spiritui sancto, & Apostolis superaddere scripturam tanquam certum instrumentum historiæ vitæ Iesu, & Apostolorum cum multis documentis, in quibus velut speculo esset videre formam vitæ nostræ. Non deniq; in sola auctoritate Ecclesiæ. Quoniam quæ nunc temporis est Ecclesia, non nisi ex scripturis, & traditione antiqua cognosci potest, cessantibus modò signis & prodigijs, quibus olim nascens Ecclesia sufficienter demõstrari poterat. Sunt vtique tria hæc sibi inuicem cognata & cohærentia nexu quodam inseparabili in defensione religionis nostræ: vt si vnum sustuleris opposita credulitate, totum stabilimentum fidei eneruaueris. Si enim reijcis auctoritatem Ecclesiæ, iam scripturã perdidisti, vt suprà demõstrauimus, nec scire poteris quæ sit verè Apostolica traditio, quæ non. Si scripturam negaueris, simul cum scriptura maiestatem Ecclesiæ negasti. Scripturis enim ostendi debet quàm habeat à Deo auctoritatem mater Ecclesia. Quòd si tantũmodo partem reijcis scripturarum, vt faciũt hoc tempore nonnulli, iam totam reuera sustulisti. Non enim alia ratione constat de vna parte scripturarum, quàm de alia. Si denique auersaris tanquã vana, aut superstitiosa, quæ in traditione per manum accepta sunt, & ritu vniuersali per omnem Ecclesiam velut sancita existunt, iam vniuersam Ecclesiam insimulasti erroris, quod doctrix fuerit aut fautrix superstitionis, & vanitatis. Igitur in omnib. suspecta Ecclesia, quia in vno de errore conuicta: incertum quoque erit quidquid ex eius definitione pendet. Vana igitur & incerta erit omnis religio nostra, totaque certitudo fidei in incertitudinem recurret opinionum. Vnde totum labefactat quisquis vnum ex dictis tribus opposita credulitate sustulerit. Iudex est, proculdubio & testis idonea veritatis credendæ scriptura sacra: attamen insufficiẽs manet, si præsidio aliorum destituatur. Iudex item, & testis idonea traditio sancta: sed & ipsa per se insufficiens. Tertiò iudex & testis idonea mater Ecclesia: verùm alijs sublatis perdit & illa auctoritatem. Porrò tria hæc simul iuncta prorsus insuperabile habent religionis Christianæ propugnaculum. Sicut eleganter dixit Ecclesiastes: Funiculus triplex difficilè rumpitur. Quod huic loco quàm maximè quadrat. Quia sicut quælibet chorda seorsum frangitur citra difficultatem: verùm funis contextus ex tribus, non nisi difficillimè: ita quodlibet dictorum trium seorsum facile subuertitur, vel modico argumento. Verùm vbi tria ista connexa fuerint inter sese & contexta ad modum funis, iam nulla vi argumentorum, nullaque malitia solui potest, quod in doctrina religionis eo funiculo triplici colligamus. Concludam itaque verbis beati Hieronymi aduersus Luciferanos. Non igitur sibi blandiantur hæretici, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, cùm & diabolus de scripturis aliqua sit locutus, & scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo. Alioqui si literam sequimur, possumus & nos quoque nouum vobis dogma componere, vt asseramus non esse in Ecclesia recipiendos, qui & calceati sunt, & duas tunicas habent, Lucæ 9. Scriptura insuper, quæ 1. Ioan. 4. dicit: Omnis spiritus, qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est, interpretationem recipit. Alioqui & ex Deo esset ipse malignus spiritus, qui confitebatur Christum in carne venisse dicens. Scio quod tu es Christus filius Dei. Hæc ille.

Esa. 6. (margin)

Tria sunt in quibus cõsistit plena fidei defensio.

Cõclusio

DE FIDE ET IVSTIFICATIONE TRACTATVS SECVNDVS.

De voce fides & varijs eius significationibus. Cap.I.

De differentijs, quas accipit fides ex parte obiectorum. Cap.2.

De differentijs quæ sunt in fide ex parte habētis fidem. Cap.3

De fidei definitione, quam ponit Apostolus ad Hebræos vndecimo capite. Cap.4.

Fidem esse re ipsa distinctam à spe & caritate, atque subiecto ab eisdem separabilem. Cap.5.

Qui sint errores hoc potißimùm seculo circa fidem iustificantem, quodq; fides, quam vocant specialem, non sit nisi ficta fides. Cap.6.

De vera iustitia qua homo iustus reputatur coram Deo. Cap.7.

De alijs particularibus iustitijs an nos iustos reddant coram Deo, quodq; iustitia fidei reuera donum Dei est, & non ex nobis. Cap.8.

De nouo dogmate, quo fingunt quidam hominē nonnisi extrinsecus iustificari quadam iustitia extrinseca, quæ extra ipsum est. Cap.9.

De vocibus istis, sola, omnino gratis, absq; respectu operum, quousque admitti debeant in doctrina iustificationis. Cap.10.

Quæ sint opera præcedentia fidem, quæ sequētia, & quomodo hæc, non autē illa cooperantur ad iustificationem hominis. Cap.11.

Quomodo & quo genere caussarum iustificet fides, & ea quæ ex fide procedunt. Cap.12.

De voce fides, & varijs eius significationibus.

CAP. I.

M. T autem exordiamur promissas Demōstrationes: Primum ostēdemus scripturis quid sit fides, qua Christi fideles sumus, quàm sit necessaria, & quomodo per ipsam habeamus accessum in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Ne autem tu, aut alius quispiam vocis æquiuocatione decipiatur: aduertendum venit quòd fidei vocabulum vt apud scriptores Latinæ linguæ, ita & in scripturis sacris variam sortiatur significationem. Nam aliquando accipitur pro constantia in præstando quod anteá promiseras. Qua significatione dicit Apostolus ad Rom.3. Quid enim si quidam illorū non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Fidem Dei, id est, constantiam & fidelitatem Dei in seruādo promissa. Nec dissonat ab hac significatione quod dicitur 1. ad Tim.5. de viduis iunioribus. Habentes, inquit damnationē, quia primam fidem irritā fecerunt. Fidem primā, id est, priorem illam veritatem & constantiam, quam debebant voto suo & sponsioni semel emisse. D. In hac certé significatione videtur Cicero primo libro Officiorum accepisse fidem, cùm dicit: Fides est dictorum conuentorumque constantia & veritas. Sic appellara, vt Stoicis videtur, quatenus fiat quod dictum siue conuentum erat. M. Rectè. Quam etymologiam alio loco insinuat idem Cicero dicens: Duæ syllabæ sonant, cùm dicitur fides. Prior syllaba est à facto, posterior à dicto. Interrogo ego te, inquit, vtrum credas, dicis credo: fac quod dicis, & est fides. A fide autem in hac significatione fit fidelis, pro firmo ac constáre in seruandis promissis. Vt ibi: Si non credimus, ille, scilicet Deus, fidelis permanet, seipsum negare non potest. Aliquando verò accipitur fides pro conscientia intus diiudicante quid verum, quid falsum in his quæ aguntur quid simulatum fucatumq;, quid sincerum ac simplex. Quo sensu Apost. loquitur ad Rom.14. dicens: Omne quod nō est ex fide, peccatum est. Ex fide, inquit, hoc est, ex veritate & sinceritate conscientiæ, sic veluti religiosè persuasum habentis. Nec ista acceptio fidei debet velut aliena iudicari. Nā quod nos vulgò dicimus conscientiā, Cicero sæpius appellat fidē: vt in orat. pro Archita. Adest, inquit, vir summa auctoritate & religione ac fide L. Lucillus, &c. Accipitur insuper nonnunquā fides pro eo quod fide creditur, siue fide apprehenditur. Vt in Symbolo docti ac sancti Athanasij cùm dicit: Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter firmiterq́; crediderit, saluus esse non poterit. Id est, hæc sunt fide Catholica credenda, quæ nisi quisq;, &c. Nec potest vox fides, eo loco aliter accipi salua sententia auctoris: Aliquando etiá sic accipitur, vt ea quę sibi tribuantur eo loco, tribuātur ei nō tā ratione sui, quatenus cognitio est, vel assensus mentis quàm ratione eius quod fide creditur & velut fide subsistit in nobis. Quo sanè modo accipitur apud Paulū, & id ferè quoties antithesim significat inter fidē & legē, vt vbi: Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Per fidem, id est, per ea quæ fide credūtur, veluti per gratiam Dei, per mediatorem Christū, & redemptionē quæ est in sanguine eius, per operationē Spiritus sancti viuificantis corda nostra. Enimuero per illa vt fide apprehensa sunt, & fide quasi subsistunt in nobis, arbitramur hominem iustificari, etiamsi opera legis nō faciat, neque vnquam fecerit.

Fides vno modo accipitur pro constātia.

Fides alio modo accipitur pro conscientia,

Tertio accipitur pro his, quæ fide credūtur.

Nota.

Lex non iustificat, hoc est, ea quæ lege præscripta sunt, aut obseruantur in legis traditio ne: ea dico, non faciũt hominem iustũ coram Deo. Cæterùm fides, hoc est, quæ fide intelligimus & credimus nobis donata per Christũ iustum faciunt: Vt iustificatio per fidem fieri intelligatur, quia fit per ea quæ fide apprehẽduntur, & fide subsistunt in nobis: Per legem verò fieri non posse dicatur, quia ea quæ lege præscribuntur prorsus nullã habent vim iustificandi hominem. Et hæc, sine dubiò, est sententia Apostoli quoties fidem legi, aut legem siue opera legis opponit fidei. Nõ enim laborat in illis locis, an assensus mentis, quo credimus, iustificet. Quoniã nec ipsa qualitas mentis quæ fides vocatur, nec ipsum credere iustificat hominẽ effectiuè vel meritoriè, licet reputetur homini ad iustitiam, vt in frã audies: sed quæ fide apprehenduntur, ea reuera iustificant & effectiuè & meritoriè hominem, vel absq; obseruatione legis. Et istud est quod Apostolus voluit ad Rom. 3. & 4. inculcare aduersus Iudæos gloriantes in lege, quasi nemo posset iustus fieri, etiam per Christum, absque obseruatione legis: ostendens eis ex scripturis veteris Testamenti Abrahã Patriarcham fuisse iustificatũ per fidem, hoc est, per ea, quæ fide apprehendit ex reuelatione sibi facta, videlicet per omnipotentem bonitatem Dei, & per mediatorem ac redẽptorem ex suo semine nasciturũ, longè antequã lex data esset, aut vlla curreret obseruatio legis Mosaicæ. Quod tibi diligenter est obseruãdum, vt euadas difficultates scripturarum, quemadmodũ posteà latiùs aperiemus. Quartò accipitur fides tam apud auctores Latinæ linguæ, quàm in scripturis sacris, pro habitu seu qualitate mentis, qua assentimur ijs quæ supra captũ nostrum sunt, vel alioqui needũ sensu aut ratione nobis perspicua existũt. Assentimur, inquam, solummodo propter auctoritatem siue veracitatem referentis, aut reuelantis, aut docentis. Hinc Aristoteles: Addiscentem, inquit, oportet credere siue fidẽ adhibere, etiamsi captũ eius excedant quæ docẽtur, donec melius sentiat. Et Apost. ad Rom. 1. Desidero enim videre vos, &c. Subdit: Id est, simul consolari in vobis, per eam, quę in uicem est, fidem vestram atque meam.

Qualitas fidei non iustificat, sed ea quę fide apprehenduntur.

Quartò accipitur fides pro- priè, pro assensu eorum quæ credũtur.

De differentijs quas accipit fides ex parte obiectorum. CAP. II.

M. Fides accipit diuer sitatem ex parte obiectorum.



CEterùm in hac significatione postrema accipit fides permagnam adhuc æquiuocationem ex parte suorum obiectorum. Nam si captiuat sese intellectus in assensum rerum quę non videntur, quoniam verax est is qui sic asseruit: nempe vir probus, aut fida historia, iã est fides humana siue historica, qua homo homini credit, tantum habens de certitudine quantum verax est assertor rei propositæ. Si verò captiuat se intellectus in assensum, eam sanè ob caussam, quoniam veritas prima Deus ipse sic reuelauit per verbum suum, sic asseruit aut promisit, iam est fides sacra, qua fideles siue Christifideles dicimur. Quam appellare licet Catholicam, quia omni homini per omnem ætatem mundi, semper necessaria fuit, & erit, vt gratiam Dei & salutem cõsequatur: Item Christianam & Euangelicam, quia per eam Christo incorporamur, & doctrinæ Euangelicæ alumni efficimur. Et ista fides tantùm habet de certitudine, quantùm veritas prima, ipse scilicet Deus habet de veracitate. Tantoque certior scientia est & omni notitia perficiente intellectum, quanto infallibilior est creator omni sua creatura. Potest enim quidquid est creatæ naturę aliter se se habere, & fallere notitiam de se conceptã, etiamsi euidenti quadam ratione, & ex primis rerum principijs concepta sit: vti fefellit Nabuchodonosor regem natura ignis euidẽter cognita. Nam quem extruxerat ad cõbustionem trium puerorum, Sidrach, Misach, Abdenago, factus est illis instar venti roris suauiter flantis ad refrigerationem. Daniel 3. Deus autem reuelando ea, quæ credũtur, neque falli potest quoquo modo, neque fallere. Si enim potest aut falli aut fallere, nequaquam Deus haberi debet. Veruntamen licet certior sit notũta fidei quàm notitia scientiæ (de certitudine quę est ex parte obiecti loquor) tamen ista euidentior est quo ad nos hic peregrinantes à Domino, quàm illa. Cuius ratio assignatur: quia scientia est rerum quæ clarè videntur lumine naturali in suis principijs: Fides verò est rerum non apparentium, atque eorum quæ ex parte, & velut per speculum in ænigmate hic cognoscuntur, vt habes 1. ad Corinthios 13. Videmus nunc, inquit Apostolus, per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscã sicut & cognitus sum, clara scilicet & intuitiua notitia, quam visionem appellamus, in quam tandem velut suum præmium commutabitur fides nostra. D. Et fides qua credimus historiæ vitæ Iesu, Actis idem Apostolorum, alijsque narratis in nouo ac veteri Testamento, debet ne appellari fides historica? M. Hic distinctione opus est. Nam si quis credat illis tanquã ijs quę enarrata sunt, aut scriptã perso-

obiectorum suorum.

Fides historica siue humana.

Fides Catholica, certior est scientia.

Fides historicæ Euãgelicæ.

quãdo dicenda sit historica quando Euangelica,

personis fide dignis, quomodo credimus enarratis à Iosepho in libris Antiquitatum Iudaicarum, quod is habeatur fidus ac verax historiographus, huius fides nõ est alia quàm historica fides. Si quis verò fide sua excipiat talia, tanquã verbum Dei, reuera ab ipso Deo ac spiritu suo diuino sic pronuntiatum, licet ore & opera hominum Prophetarũ aut Apostolorum (quomodo excipiebant Tessalonicens. verbum prædicationis Pauli, non vt verbum hominis, sed sicuti verè erat, vt verbum Dei 1. Tessalo. 2.) huius fides est reuera plus q̃ historica: nempè sacra & Christiana ac cœlitus infusa, etiam si informis sit, hoc est, caritate & spiritu sanctificationis carẽs. Nam talis accipit narrationes in scripturis factas, nõ tãquam narrationes hominũ historiographorum Lucæ, Matthæi, Pauli & c. sed tanq̃ narrationes diuinas verbo Dei factas, licet ore hominum. Fides ergo eius est plus quàm humana, quia verè diuina, eleuans mentem in Deum ipsum, longè supra id quod est humanæ cogitationis aut industriæ. D. Alud tamen dicunt isti neochristiani, asseuerantes talem fidem non esse nisi historicam. M. Sed malè & imperitè, immo impiè, vt pleraque alia. Cuius ratio, præter scripturam iam citatam, assignatur ista. Fides speciem sortitur & vnitatem à formali ratione sui proprij obiecti. Obiectum autem formale fidei qua Christifideles sumus, est infallibilis illa & prima veritas Dei reuelantis mysteria secundum attestationem Prophetarum, Christi, Apostolorum, ac totius exinde Ecclesiæ, qualem attestationem meritò legitimam appellamus. Vnde quicunque fide recipit historias scripturarum, aut Patrum traditionem propter veritatem primam loquẽtem in eis, iuxta attestationem legitimam matris Ecclesiæ, is indubiè Christianè & plus quàm historicè credit, siue iustus existat siue peccator. Qua quidem formali ratione obiecti prætermissa vel in toto vel in parte, vt credat quidem, sed nõ propterea quia Deus sic reuelauit: aut quod Deus sic reuelauerit, non habet legitimè certum, sed tantummodo quia ipse ita imaginatur, aut proprij sensus iudicio, aut hominis alicuius persuasione, talis reuera non nisi historicè credit, aut erroneè, aut impiè siue hæreticè. D. Quid si quispiam reijciat oppo-

Qui hæreticus est in vno articulo nõ retinet Christianã fidem.

sita credulitate vnum ac alterum articulum religionis nostræ, negans scilicet baptismum paruulorum, aut Eucharistiæ veritatem, ille an in reliquis in quibus nobiscum consentit veram ac Christianam habeat fidem? M. Minimè. Immo prorsus nullam verè Christianam ac Catholicam vllius articuli fidem habet. Ratio est in prõptu: Quia iam excidit à formali ratione obiecti. Non enim innititur communi attestationi Ecclesiæ, quæ est regula infallibilis cognoscendi verbum siue reuelationem Dei: vt ex supradictis meminisse debes: sed innititur proprio aut priuato alicuius iudicio. Ideoque quod credit, est vel propterea, quia fingit ipsemet sibi sic reuelatum esse: vel, quia fictioni alterius subscribit, saltem nulla debita ac legitima ratione à Deo reuelatum esse cognoscit. Quapropter illius fides nõ debet dici vera fides, aut Christiana fides, aut Catholica fides, sed præmatura fides, qua nimis citò creditur: quam & scriptura redarguit, dicens: Qui cito credit, leuis est corde: aut ficta fides, de qua habes primæ ad Timoth. 1. Finis præcepti caritas, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Et 2. Petri 2. fictis verbis de vobis negotiantur. Fictum siquidem dicitur, quod ingeniosè pro industria agentis est excogitatum: cuiusmodi est fides omnium sectariorum nostri temporis: nam singuli pro ingenio artificiosè fingunt tale quid, aut tale reuelatum esse à Deo, tale verò ac tale non esse reuelatum à Deo, hoc est, fingunt quosdam nouos fidei articulos, veteribus reiectis. Ac proinde eorum fides rectissimè Apostolico verbo vocatur ficta fides. Et de studio illorum conuenienter dicitur illud Petri: Fictis verbis in populo negotiantur, aut laudis aut ventris caussa. Vnde à viris Scholasticis licet incongruo, tamen verissimo sermone sic doctum legitur: Quicunque discredit vni articulo, id est, perperàm credit, pertinaciter inhærendo sententiæ contrariæ, is reliquorum Christianam fidem non habet. Sicut enim qui vnum peccatum mortale admittit veram caritatem perdit, etiamsi retinere videatur quam habebat dilectionem: sic discredens in vno, quamuis in alijs articulis videatur seruare adhæsionem mentis, non tamen seruat, per veram dico fidem, qua Christifideles sumus, sed potiùs per fictam opinionem pendentem ex propria aut malè docentium persuasione. Quemadmodum qui conclusioni adhæret, non retinens medium demonstrationis eius, non adhæret illi per scientiam, sed per opinionem.

Ficta fides quæ dicatur.

Eccle. 19.

De differentijs, quæ sunt in fide ex parte habentis fidem. CAP. III.



Accipit præterea fides permultas differentias ex parte eius qui fidem habet. Etenim dicunt Apostoli ad Christum: Domine adauge nobis fidem. Et Paulus: Infirmum in fide suscipite

M.

Luc. 17. Fides parua.

Rom. 14.

pite. Quòd si est infirmitas, est sine dubio & sanitas fidei, sicuti alibi ostendit Apostolus dicens: Increpa illos durè, vt sint sani in fide. Sana autem fides dicitur quæ est perfecta, potens capere omnia, nec in vllo scandalizatur. Et fides Petri nonne arguitur à Domino tanquam modica? Modicæ, inquit, fidei quare dubitasti? Fides autem Chananææ mulieris prædicatur, ne ab eodem Domino tanquam magna? Dicit enim: O mulier, magna est fides tua. Sic de Centurione ait sequentibus se: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Præterea est fides in quibusdam viua, in alijs verò mortua: in quibusdam otiosa, in alijs studiosa, in quibusdā ad cor transiens, in alijs verò in solo intellectu consistens, vt habes Iacobi 2. ad Galat. 5. Rom. 10. alijsque in locis, sicut infra latiùs explicabimus. Adhæc est fides quædam perfecta in genere fidei, ita vt montes transferat, & alia operetur miracula, non tamen saluans hominem, de qua habes 1. ad Corinth. 13. & Matthæi 7. Est & fides perfecta atque saluās, qualis fuit in Apostolis alijsque Sanctis. Est denique fides velut occulta, non prodiens in confessionem, qualis erat in Nicodemo qui venit nocte ad Christum, Ioannis 3. Et multi ex principibus Iudæorum crediderunt in eū, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur, Ioannis 12. Fides quoque zelans fortiterque prodiens in confessionem, qualis fuit in Apostolis post acceptum Spiritum sanctum, Actorum 2. 3. 4. 5. De qua & Paulus scribit dicens: Ore autem fit confessio ad salutem, ad Roman. 10. Omnes autem eiusmodi differentię sunt fidei qua Christifideles sumus, atque surgunt ex parte eius qui fidem habet, secundum aliam ac aliam intellectus aut voluntatis dispositionem. D. Nonne fides est habitus siue qualitas ipsius intellectus? M. Vtique. D. Quomodo igitur mutatur fides ex alia ac alia dispositione voluntatis? M. Quoniam actus fidei, scilicet ipsum credere ac confiteri sic sunt intellectus, vt tamen pendeant ex determinatione voluntatis. Vide Thomam 22. q. 1. ar. 4. ac alijs. Nemo enim credit eam ob caussam, quia euidentia eius quod creditur, rapit aut immutat intellectum: sed ideo, quia imperio voluntatis captiuat intellectum suum in assensum rei cælitus annuntiatæ, siue in obsequium Christi, vt loquitur Apostolus, volens illi constanter ac firmiter inhærere absque formidine de opposito. Quod igitur aliquorum fides sit infirma, modica, imperfecta, mortua, aliorum verò fides sana, magna, perfecta, viua, prouenit, partim ex intellectu in quo est, eò quòd vis intellectiua in vno sit perspicacior, quàm in alio: in vno item maiori lumine cælitus illustrata, aut pleniùs per Theologicam scientiam edocta, quàm in alio: partim ex voluntate quæ potest maiori minoriue fiducia, minori insuper maioriue feruore dilectionis, denique purgationibus affectibus mouere intellectum vnius, quàm alterius, secundum quod gratia Dei est copiosior in vno, quàm in alio: Studium quoque virtutis magis est huic cordi quàm illi. Quoniam itaque assensus fidei quæ est in mente, pendet à voluntate, ideo vt reuera dici possit fides hominem debitè fidelem faciens, potissimùm vt dici possit fides perfecta, debet ei adiuncta esse certa quædam, firmaque animi fiducia, firmitas, siue constantia, qua absque vlla hæsitatione prorsus & immobiliter velit inniti veritati menti impressæ ex verbo Dei. Sicuti & error fidei fictæ non est perfectus error hæresim constituens, nisi ei accedat pertinacia in voluntate, quā penitus velit insistere fictioni conceptæ, non obstante Ecclesiæ iudicio in contrariū. Quæ quidem fiducia neutiquam æqualis est in omnibus, quibus illa rationis fides est æqualis. Sicut nec pertinacia æqualis est omnibus, quibus error mentis est æqualis. De hac autem fiducia, qua fides exornatur vt perfecta sit, intelligitur illud: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Et illud: Confide filia, fides tua (scilicet tali fiducia, qualem in te cerno, exornata) saluam te fecit. Etiā illud: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. De tali item fide sic fiducialiter tendente in Deum dicuntur illa, Postulet autem in fide nihil hęsitās. Rursum: Si habueritis fidē, & nihil hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis: sed & si monti huic dixeritis, tollere, & iacta te in mare, fiet: & omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes, accipiens. D. Cæterùm, differunt ne quasi toto genere, mentis assensus, & animi siue voluntatis fiducia? M. Differunt. Attamen fides vt perfecta sit, qua scilicet anima debitè, & quidem vniuersa anima, non autem sola ratio, diuinæ veritati innitatur, vtrumque dictorum velut quasdam sui partes in se complectitur: Sua autem incrementa & decrementa (de quibus in his scripturis. Modicæ fidei quare dubitasti? Quid timidi estis modicæ fidei? O mulier magna est fides tua) accipit præcipuè ex parte fiduciæ: Suos verò profectus (de quibus in his scripturis, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël, quantam scilicet habet hic Centurio. Item, Respondens Petrus dixit:

Infirma. Tit. 1. Sana. Modica. Matth. 14. Magna. Matth. 15. Matth. 8. Viua. Mortua. Otiosa. Studiosa. Ad cor trāsiens. Perfecta non saluans. Occulta. Fides cōfitens. Actus fidei pendet à voluntate.

Fides ad sui perfectionē requirit quandam animi fiduciam. Matth. 14. Matth. 9. Matth. 9. Iacob. 1. Matth. 21. Matth. 14. Matth. 8. Matth. 15. Matth. 8.

Matth. 16 dixit: Tu es Christus filius Dei viui &c.) accipit principaliter ex parte intellectus magis minusque illustrati cælitus, magis minusque perspicacis ad comprehendendum articulos
Luc. 17. fidei. Postulatio autem Apostolorum, qua petunt: Domine adauge nobis fidem, referenda est ad vtramque partem fidei: nempè vt eis intellectum aperiat lumine cælesti, quò plura, idque perspicaciùs de Deo intelligant per fidem, vtque affectum roboret & confirmet, quò constantiùs & immobiliùs persi-
Scripturæ loquentes de fide vtraq; sui parte perfecta. stant in his quæ mente intellexerunt, fitque illorum fides, vti debet, perfecta. De fide autem vtraque sui parte perfecta, insinuat Apostolus se loqui, cùm dicit: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam &c. signifi-
1. Cor. 13. cat, inquam, primò per hoc quod dicit, omnem, hoc est, perfectam, nempè vtraque sui parte absolutam. Nam omne & perfectum, vnum sunt secundum Aristotelem 1. de cælo: Secundò, per hoc quod adiungit dicens, ita vt montes transferam. Nam miraculorũ operatio præcipuè spectat hanc secũdam fidei partem: sicuti facilè probari potest ex eo, quod respondens Saluator suis Apostolis interrogantibus: quare nos non potuimus eijcere illud? (scilicet dæmonium) dicit, pro-
Matth. 17 pter incredulitatem vestram: Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit. Quo loco incredulitas nequaquam accipitur pro dubietate mentis certitudini fidei opposita (quoniam dubitare in fide, est non credere: Apostoli autem haud dubiè credebant tum temporis ea, quæ à Christo prædicabantur): sed accipitur pro fluctuatione siue timiditate, aut potiùs diffidentia quadam animi opposita fiduciæ, de qua diximus. Qua incredulitate siue fluctuatione existente in voluntate, fides non est perfecta. Verùm illa sublata, & accedente debita confidentia animi, siue constantia, iam fides fit
Matth. 13. perfecta, etiamsi sit sicut granum sinapis, id est, velut minimum quid, contempta habeatur in hoc mundo, propter stultitiam prædicationis, vt Apostolus loquitur: crescens interim paulatim in arborem, in qua volatilia cæli, hoc est, cogitationes summa petentes nidulantur. Et quamlibet parua sit, potest nihilominus maxima operari, etiam montes transferre, modò ratio ædificandæ Ecclesiæ, atque necessitas id expostulent. Nam quod citra iustam caussam id faceret, aut præter necessariam vtilitatem, stultum foret, quale quid non est expectandum à Deo Opt. Max.
D. Nonne fiducia pertinet ad spem, ipsius spei quasi quoddam robur importans?

M. Etiam spes habet suam fiduciam impetrandi gratiam post culpam, & obtinendi vitam per Euangelium Christi. Sicuti & ardens illa exuberantis caritatis dilectio, qua affectus amãtis velut liquescit in amato Deo, secum habet & aliã quandã fidentiã siue fiduciã dictã à fido, qua totus inhæret homo Deo, totumque se committit bonitati eius: haud secus atque vxor flagrans casto amore per omnia confidit se marito supra omnes res mundi amato. Prima fiducia, quæ est fidei qua debitè fideles sumus, respicit veracitatem & infallibilitatem reuelantis Dei: quadum voluntas affecta est, velut imperat rationi, ne se auertat à veritate reuelata, etiamsi eam needum videat. Nam quis est verè Christianus, qui non firmissimè ac toto animo confidit, quæ facta credimus circa mundi opificium & redemptionem hominis, ita facta esse ad vtilitatem nostram, quæque futura credimus de iudicio, & pœnis infernalibus ita ventura esse ad laudem bonorum, ostensionem verò iustitiæ Dei in eos qui malè agunt? Secunda fiducia quæ est spei, respicit bonum futurum, quatenus sibi suo tempore est communicandum, firmans animam contra timores ac meticulositates oppositas. Tertia verò quæ est illius eminentis atque ardentis caritatis, respicit bonum non vt futurum, sed potiùs vt præsens, & velut amplexibus comprehensum. Qua sanè exclamat Apostolus dicens: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque principatus, &cet. separabunt me à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu. Roma. 8.

Fiducia nõ solum pertinet ad spem.

De fidei definitione, quam ponit Apostolus ad Hebræos vndecimo capite.

CAP. IIII.



Ides vtraq; sui parte perfecta modo iam dicto, definitur ne vspiam in scripturis? M. Vtique. Et quidem clara, succincta, proprijssimaque definitione: quam ponit Apostolus ad Hebræos II. cap. dicens. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. D. Substantiam rei solebamus dicere id ex quo res constat, sicuti carnem & ossa appellamus substãtiam hominis. M. Etiam fundamentum rei, soliditatem, ac neruum, siue id quo res subsistit, vocamus substantiam eius. Vnde Plinius: Substantia inquit, omnis orationis, fuit cohortatio eius ad pacem: Et Psalm. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Atque hoc quidem sensu dicit Psalm. 18

D.

Definitio fidei.

Apo-

Apostolus, fidem esse substantiam rerum sperandarum: quoniam fides est id quo res sperandæ subsistunt in animo credentis, velut fundamento seu soliditate quadam. Per res autē sperādas intelliges ea, quæ cùm longè sepofita sint à sensu (nam quod quis videt quomodo sperat? inquit Apostolus) tamen in se suaque natura talia sunt, quòd ab omnibus meritò sperari debeant, vt bona cælestia, salus animarum, corporum resurrectio, immortalitas, beatitudo, & cetera eiusmodi. Bona siquidem mundi huius, vt diuitiæ, honores, dignitates, sperandarum rerum nomine indigna sunt. Sunt enim res relinquendæ secundum Euangelium, & quod plus est, res æstimandæ velut stercora, secundum Apost. tantum abest, vt vel sperari debeant, vel cor eis apponi. Quod autem res sperandæ alioqui semotissimæ à nobis, reuera sint atque subsistant in cognitione nostra credentium, in affectu quoque & expectatione: hoc vni debemus fidei vtraque sui parte perfectæ, quam definit Apostolus. Qua fide adeò fixè manent illæ in cordibus nostris, vt nulla mora, nullaque vexatione, non mille millium mortium tormentis expugnari possent à nobis. Quod Apostolus ibidem multis demōstrat exemplis. Et manifestè patet in sufferentia Martyrum ac Confessorum, quam pertulerunt pro rebus per Christum sperandis, sine querela. Vnde quò eadem fides fuerit virtute perfectior, transiens ad cor per amorem, eò pleniùs subsistunt per eam speranda, non solùm in intellectu hominis, sed & in affectu voluntatis, vt cognoscat speranda, amet insuper, & anhelet ad ea, quantum potest. Porrò fidem illam, quæ est rationis assensus, tantummodo perficiens intellectum, nemo propriè dixerit substantiam esse rerum sperandarum. Quoniam per illam speranda non subsistunt in nobis sub ratione qua speranda sunt, licet per ipsam sint in nobis, modo quo cognitum est in cognoscente. D. Et quæ speranda subsistunt in me per fidem, qua credo æterna supplicia damnatorum? M. Omnia quæ verbo Dei promissa sunt. Nam fides qua credis de pœnis inferni, primò & immediatè innititur verbo Dei, velut proprio suo obiecto, in quo vtique continentur omnia & singula speranda: omnia insuper quæ credit fidelis, vna & eadem fide credit. Aliud autem est de particulari assensu huius vel illius credibilis. Vt enim articulus de pœnis inferni non est obiectum fidei nisi secundariò & per inductionem, scilicet quatenus verbo Dei est reuelatus: ita assensus eius non est propriè fides, sed actus quidam fidei, in quem mens nostra secum ratiocinando conuincitur ex fide verbi diuini. Apostolus autē definit hic fidem, qua fideles sumus, non actum hunc, vel illum fidei. Et licet ad multò plura se extendat fides, quàm quæ speranda sunt: tamen vniuersaliter verum est, quod fide velut substantia seu soliditate quadam subsistunt in nobis vniuersa speranda à Deo per Christum Dominum: aliter tamen ac aliter in diuersis personis, iuxta aliam ac aliam dispositionem fidei, vti diximus. Nunc pergamus ad reliquam partem definitionis, videlicet argumentum rerum non apparentium. D. Cicero in Topicis: Argumentum, inquit, est ratio rei dubiæ fidem faciens. Simile est & apud Aristotelem. M. Illi loquuntur de argumento quo constituitur ratiocinatio aut oratio. Propriè verò argumentum dicitur medium, quo mens secum deliberans conuincitur in assensum rei propositę: sicuti intellectus principiorum, est medium, siue argumentum capiendi scientiam de conclusione. Nec dissimiliter hoc loco fides qua firmiter inhæremus verbo Dei, est medium siue argumentū accipiendi certum ac indubitatum assensum de hoc articulo, Christus sedet ad dexteram Dei patris, singulisque alijs credibilibus, etiam si omnino nullam sui apparentiam præbeant. Veluti si quis quærat, quare persuasum habes resurrectionem mortuorum, dicis, quia credo verbo Dei, quo euangelizatur futura in nouissimo die. Nec aliud respondendum est ad alios articulos fidei, quales sunt: Incarnatio filij Dei, Conceptio eiusdem de Spiritu sancto, Regeneratio per Baptismum, Vita æterna post mortem, Transsubstantiatio panis Eucharistiæ, Operatio sanguinis Christi in Sacramentis, & cetera eiusmodi. Quæ omnia dicuntur non apparētia ab Apostolo, quoniam de se nullum præbent specimen, nec vllam apparētiam in se habent, qua traherent in assensum sui. Estque omnium eiusmodi sola fides argumentum, rapiens intellectum nostrum incertum, firmum, atque constantem assensum: Adeò, vt omnia illa mens nostra habeat persuasissima, citra omnem formidinem, ac animi fluctuationem: quia confidenter credit verbo Dei sic euangelizanti, voluntate ita imperante, licet nondum videat ratio, sed nec videre possit eorum dem veritatem. Vnde diuus Ambrosius tractans dictam definitionem fidei loco vocis, Argumentum, ponit conuictionem, dicens. Fides est conuictio earum rerum quæ non videntur, quia fides quasi compellit in assensum eorum, quæ viribus rationis humanæ inue-

Quæ proprie dicātur res sperādæ.

Matth. 19

Philip. 3.

Heb. 11.

Quæ sperāda subsistant in nobis per fidem gehennæ.

Exponitur alia pars definitionis fidei.

Alijs scripturis probatur fides esse eorũ quæ non videntur.

inuestigari nequeunt: vti pulcerrimè demonstrant ex alijs scripturis diuus Basilius, & diuus Augustinus. Diuus quidem Basilius ex illo Actorum tertio: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Fides, inquit, non Geometricis aut necessarijs nititur probationibus. Dic quæso, quid ad fidem faciendam veritatemque persuadendam vehementius, an Dialecticæ propositiones seu syllogismata consequentia trahentes? an potius tale tantumque ostentum ab omnibus clarissimè visum, omnemque virtutem excedens? Hæc ille exponens Psalmum cxv. Diuus verò Augustinus ex illo Esaiæ 7. Nisi crediderítis, non intelligetis (contra eos qui dicunt fidem non adhibendam ante rationem, sed primò ratione intelligendum quod proponitur, deinde credendum: quemadmodum impiè docuit Petrus Abailardus, cuius insaniã depingit Bernardus epistola sua 190.)

Error Petri Abailardi dicẽtis rationẽ debere præire fidem.

Habet inquit Augustinus & fides ipsa lumen suum in scripturis, in Prophetia, in Euangelio, in Apostolicis lectionibus. Et paucis interpositis subdit. Videtis ergo fratres, quàm sint peruersi & properando vitiosi, qui tanquam immaturi conceptus ante ortum quærunt abortum, qui nobis dicunt, quid me iubes credere quod non video? Videam ego aliquid, vt credam. Iubes credendum quod non videam? Ego videre volo, & videndo credere, & non audiendo. Dicat Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. Ascendere vis, & gradus obliuisceris. Vtique peruerse homo, si iam tibi possem ostendere quid videres, non hortarer vt crederes. Quid enim est fides, nisi credere quod non vides? vt in mysterijs Dei concipiendis, fides debeat esse præambulo: intelligentia verò pedissequa. D. Attamen Thomas Apostolus credidit quia vidit & palpauit, nec credere voluit priùs quàm vidisset dicens: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. M. Aliud vidit Thomas, aliud credidit. Hominem vidit, & Deum confessus est, dicens. Dominus meus & Deus meus, fide credendo hominem illum quem palpabat & videbat, Deum suum ac Dominum esse. Quod vtique videre aut palpare non potuit. Vnde subdit Saluator. Quia vidisti me Thoma, supple surrexisse à mortuis, credidisti, beati qui non viderunt (hoc resurrectionis meæ miraculum) & crediderunt, scilicet me esse Deum suum ac Dominum. Quòd si non sit adhibenda fides ante rationem, vt somniauit Abailardus, immeritò laudauit Paulus Abraham patrem credentium, quòd contra spem in spem credidit. Fuit & Zacharias pater Ioannis Baptistæ immeritò reprehensus, quia partum vxoris suæ, quam senem ac sterilem sciebat, credere noluit. Nec prudenter dixisset Apostolus. Sermo meus & prædicatio mea non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostẽtione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Nam si non sunt credenda, nisi ea quæ ratione comprehendi possunt, penderet fides nostra ex humana sapientia, nec rectè dixisset Apostolus, fidem non esse ex sapientia hominum, sed ex virtute Dei: Itaque cordatè, propriè, ac luculenter depinxit nobis Apostolus naturam fidei, qua Christifideles sumus, hac antedicta sua definitione. Nec vllo modo audiendi sunt, qui fingunt Apostolũ ibi loqui non de fide, qua ea quæ credenda sunt, credimus, sed de fide qua alicui fidimus, hoc est, de fiducia. D. Simile quid & egò audiui à quibusdam, qui assertionem suam nitebantur probare ex eo quod præcedit dictam descriptionem Apostoli, videlicet: Iustus autem meus ex fide viuit., hoc est, ex fiducia, siue certa expectatione eorũ quæ promissa sunt à Deo. M. Porrò rem se longè aliter habere conuincunt, partim ipsamet verba Apostoli, partim sanctorum Patrum interpretationes. Principiò Apostolus, mox post illam fidei definitionem, subiungit multa quæ ad fiduciam referri non possunt: Vt est illud, Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Et illud, Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus remunerator sit. At credere hæc, quomodo, precor, posset ad fiduciam referri? Post sunt autem omnia alia quæ ibidem subiũgit Apostolus rectè intelligi de fide qua fideles sumus, debitè ac fiducialiter credentes verbo & promissis Dei. Nam quod dicitur: Fide plurimã hostiã Abel, q̃ Cain obtulit Deo. An de nuda fiducia intelligẽdũ erit, & nõ potiùs de fide perfecta, qua Abel totus, vt mẽte, ita & affectu tendebat in Deũ, fidẽtissimè credẽs omnia esse à Deo, ideoq; de adipibus, hoc est, de melioribus offerendum fore pro gratiarum actione? Et illud: Fide translatus est Enoch. An non de ea fide erit intelligendum, qua totus assensu affectuq; ferebatur in ea quæ Dei reuelatione cognoscebat? Sic quod scribitur de Noë, Abraham, Sara, & subsequentibus Patribus, proculdubiò debet intelligi de fide qua prorsus fiducialiter crediderũt verbis & promissis Dei. Et si quædã propius videatur perti-

Ioan. 20.

Ioan. 20. Aliud vidit Thomas, Apostolus aliud credidit.

Rom. 4.

Luc. 1.

1. Cor. 2.

Error eorũ, qui dicũt Apostolũ hic nõ definire fidem, sed fiduciam.

Heb. 10.

Heb. 11.

pertinere ad fiduciam (vt non videntur meo sanè iudicio) tamen non possunt pertinere nisi ad eam fiduciam, quæ præsupponit & surgit ex fide, quam antea definierat Apostolus. Quod autem in illo Abacuc Prophetæ: Iustus ex fide viuit, rectius ac verius accipiatur fides pro fide qua firmiter credimus, & citra vacillationem, hoc est, diffidentiam animi inhæremus dictis ac promissis Dei, quàm pro fiducia, fit manifestum ex primo capite ad Romanos, & tertio ad Galatas, in quibus citatur eadem auctoritas: Fit, dico, manifestum bene perpendentibus ordinem & filum orationis Apostolicæ in dictis locis. Tu perpende singula & idem meecum iudicabis. Nunc audi sententias Patrum. Magnus ille Basilius in expositione Psalm. cxv. interpretatur antedictum locum definitionis fidei, de fide qua debitè fideles sumus, nō de fiducia. Item Beatus Augustinus in libro quinquaginta homeliarum: homelia 32. exponit eundem locum Pauli de fide, & non de fiducia. Insuper Beatus Bernardus in antedicta epistola cxc. Et Theophylactus in Commentarijs super epistolam ad Hebræos exponunt eundem locum de fide qua credimus, vt dixi, non autem de fiducia. Et hæc quidem meritò tibi omnibusque beneuolis Christianis sufficere debent, quoad prædictam difficultatem & fidei definitionem. Dico igitur loco epilogi. Fides est virtus, qua fideliter ac fiducialiter creduntur quæ non videntur, quaque subsistunt in nobis quæ speranda proponuntur. Scholasticè autem sic describitur. Fides est habitus animi, qua certò, & absq; omni hæsitatione assentimur his, quæ à Deo salutis nostræ caussa reuelata sunt, quo velut immobili fundamento, rebus per Christum sperandis inhæremus. Nunc dicito mihi quare intellectus, scientia, opinio, & cetera eiusmodi nō sunt fides? D. Quia illa sunt rerum apparentium, aut euidenter, aut probabiliter: Fides autem est rerum non apparentium. Rursum per illa non subsistunt in nobis ea, quæ in futurum speranda sunt: fides autem est substantia rerum sperandarum.

Sententiç Patrum.

Aliæ definitiones fidei.

Fidem esse re ipsa distinctam à spe, & caritate, atq; subiecto ab eisdem separabilem.

CAP. V.

D. Nunc opportunè mihi quærendum videtur: Num fides de qua hucusque est dictum, sit re ipsa distincta à spe & caritate? M. Distinctionem esse inter has virtutes, non solùm scripturæ demonstrant, sed & propriæ earū descriptiones euidenter conuincunt. Siquidem spes est certa expectatio bonorum futurorum, ad quæ, velut suo tempore vtilia sibi, quis anhelat. Nemo enim sperat malum, aut obtinere bonum, quo nunc temporis fruitur: Nam quod quis videt, inquit Apostolus, quid sperat? Similiter quod quis bonum cōsiderat, non tamen sibi præparatum, quomodo sperat? Fides verò est indubitatus assensus cum animi fiducia in verbum Dei: siue illud nūtiet bonum, siue malum, siue præteritum, siue futurum, siue præsens: tantummodo in hoc communicans cum spe, quod sit rerum, quæ non videntur. Caritas autem est ordinata debitaque dilectio, qua diligitur Deus propter se, proximus verò propter Deum, vel in Deo: Ita, vt caritas non sit propriè rerum, sed personarum: quia species est amicitiæ inter personas, propter aliquid verè amabile consideratum in ipsis personis, vt personæ sunt. Quas differentias benè perpendens Apostolus 1. ad Corinthi. 13. dixit. Nunc manent fides, spes, caritas, tria hæc, maior autem horum est caritas. Tria, inquit, hæc: distincta proinde vt sint necesse est. Inquit præterea: Nunc manent: quia post peregrinationem istam, dum in superna patria erimus, non manent simul tria hæc: sed manet sola caritas, quæ nunquam excidit (vt declarat ibidem Apostolus) sed quo prorius ruit in amplexus amati, eò plenior efficitur. Fides autem & spes excidunt in patria, & transeunt: fides in claram visionem, spes verò in gaudium & exultationem, vtrunque cum securitate rei possessæ. Rursum ergo distincta esse oportet, vt manente caritate in patria, reliqua ibidem esse non possint. Et eodem capite paulò superius declarat Apostolus, Fidem non solum re ipsa distinctam esse à caritate, sed planè separabilem ab eadem nunc in hac peregrinatione, etiam illam quam exposuimus dici perfectam fidem, constantem omnibus suis partibus. Si habuero, inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Idem clarè testatur Ioannes Euangelista dicens: Veruntamen ex principibus multi crediderunt in eum (Ergò fidem habebant) Sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Ergò eidem caritatem Dei non habebant. Quapropter confiteri oportet fidem & distinctam à caritate, & subiecto separabilem esse ab eadem, tam in hac vita quàm in futura beatitudine. Nec posset

Ostenditur distinctio inter

Fidē, spē, & caritatem.

Rom. 8.

Fidē esse separabilē à caritate.

1. Cor. 13.

Ioan. 12.

possit demonstrari istud euidentiùs, quàm ex illo Matthæi 7. vbi sic legis: Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, inquit Christus, quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Profectò magna fides est, qua sic duplicatò dicitur Domine, Dominè, quaque miracula fiunt. Hæc tamen caritate carere potest, quia dicit Dominus: Nunquam noui vos, discedite à me &c. non obstante quod fidem etiam miraculorum feracem habeatis. Fidem autem eiusmodi quæ caritatem secum non habet, appellant Doctores scholæ Theologicæ fidē informē. Eam verò quæ caritatē secū habet, appellāt fidē formatam.

Fides informis, & des formata.

D. Et appellationes tales an vspiam sint in scripturis? M. Non sunt. Sed inuenit eiusmodi voces diligentia Scholasticorum, doctrinæ gratia: quò rem editam scripturis, breuiter & distinctè auditoribus suis explicarent: intelligentes per fidem formatam eam fidem, quæ habet formam virtutis Euangelicæ, hoc est, caritatem: quam docet Paulus esse fidem valentem siue operantem per dilectionem: quam & Iacobus vocat fidem viuam, bonorumque operum feracem, qua corde, hoc est, amore siue amando creditur. Prout idem Paulus scribit ad Romanos dicens: Corde creditur ad iustitiam. Siquidem per cor intelligit scriptura amorem, iuxta illud: Fili præbe mihi cor tuum, id est, amorem tuum, siue affectum. D. Tradit Aristoteles formam esse, quæ dat esse rei. At caritas quomodo dat esse fidei, eùm sit in quibusdam vera fides, vel absque caritate, vti dictum est? M. Caritas non dat fidei suum esse propriæ naturæ, qua est firmus assensus veritatis reuelatæ. Siquidem hanc naturam non habet fides à caritate, (possum enim credere illi quem non diligo, & à quo nihil spero accipere) sed dat fidei esse virtutis Euangelicæ. Nam à caritate habet fides quod sit virtus. Virtus, inquam, non naturalis, non philosophica (qualis non potest iuuare aut formare, nisi ad naturæ vel honestatis humanæ officia) sed vera, sed Euangelica, sed diuina virtus, vim habens immutandi totum hominem in melius, vt sit deinceps iustus, sanctus, filius Dei, heres regni, alumnus vitæ æternæ, potens vincere mortem, infernum, & quidquid est diabolicæ machinationis, iuxta illud Apostoli: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Per fidem, inquam, caritate formatam, siue per dilectionem operantem, vt sit vera Euangelica virtus. Nam hoc est esse virtutem veram ac Euangelicam, videlicet, operari per dilectionem caritatis infusæ in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Siquidem quando sic operatur habitus vel infusus vel acquisitus, tum demum adiuuat & eleuat hominem extra necessitatem mortis, ac damnationis, totumque statum eius meliorem facit in perpetuas æternitates. Quo sanè modo caritas est forma, non solùm fidei, sed & omnibus habitibus animæ, vt veræ & Euangelicæ virtutes existant. Per fidem autem informem intelligunt Scholastici eam fidem, quæ caret hac forma virtutis Euangelicæ: quam secundum Paulum licet vocare fidem impotentem atque inutilem coram Deo: quia per eam, inquit, nihil sum. Iacobus verò expressè eam vocat fidem mortuam vt dictum est. Quoniam quod formam non habet, etiam actione caret, & velut mortuum sine functione vitæ manet. Quanquam autem dictæ appellationes non sint in scripturis, non tamen propterea abstinendum est ab illis. Apostolus enim quādo præcipit vitandas vocum nouitates primo ad Timoth. vltimo, non præcipit vitandas quaslibet vocum nouitates, sed profanas duntaxat, dicens: O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocū nouitates: quomodo supra latiùs ex diuo Augustino alijsque Patribus docuimus.

Quomodo caritas sit forma fidei.

Heb. 11.

Quæ sit fides informis.

1. Cor. 13.

Qui sint errores hoc potissimùm seculo circa fidem iustificantem, quodq; fides, quam vocant specialem, non sit nisi ficta fides.

CAP. VI.

Saepè multumque controuertitur nunc temporis de virtute, siue efficacia fidei qua fideles sumus: multis contendentibus nos sola fide iustificari, & saluari per Christum, idque merè gratis, absque vllo respectu operum, solaque fide certò accipere nos tam iustificationem quàm salutem. Quòd si verum est, profectò magnam debemus laudem fidei Christianæ. D.

M. Errant prorsus, & certè tota via, qui sic dogmatizant. Primò in particula exclusiua, Sola, quam nusquam adiectā inuenies, quoties fidei in scripturis tribuitur iustificatio: sed nec addi potest, salua veritate aliarum scripturarum. Secundò errant in voce, Iustificari: per quam intelligunt iustum fieri: non quidem iustum iustitia inhærente, qua mens intus rediret ad debitam rectitudinem, sed iustum iustitia quadam extrinseca: nempè ea quæ est, & manet in Christo mediatore, sitq; nostra solummodo per reputationē siue imputa-

Primus error latet in particula, Sola. Secundus error latet in voce, Iustificari.

putationem, dum fide velut manu illam apprehendimus. Tertiò errant in aduerbio gratis: quo illi docent debere nos ita gratis à Deo per Christum iustificationem & salutem expectare, vt si quid nos ipsi ea in re, aut eius rei gratia, nostrorum operum, nostræ præparationis, nostri studij, aut conatus adiunxerimus, hoc ipsum ad diuinæ gratiæ iniuriam pertinere intelligant. Atque ideo plerunque addunt merè, dicentes merè gratis. D. Nónne scripturæ, & nostræ quoque Scholæ docent, hominem gratis & absque operum meritis iustificari? M. Docent sanè: sed multò aliter, magisque Euangelicè, quàm illi, vti audies. Quartò errant in eo quod addunt, absque vllo respectu operum: quasi non posset iustitia in nobis accrescere, & consummatior effici, sancto bonorum operum exercitio: salusque obtineri, virtutum meritis. Quintò errant in voce, Fides, & adiecta particula Certò: per fidem intelligentes, non vtique veram ac Catholicam fidem, sed fidem quandam specialem, vt vocant, qua quis adeò certò, adeoque infallibiliter statuit sibi remissa esse peccata, atque certò credit Christum natum ac passum pro nobis. Ideoque specialem vocant, quòd per eam credant non in genere tantùm pœnitentibus remitti peccata per Christum, sed specialiter sibi iam remissa esse peccata, sibique Deum propitium factum propter Christum. Cuiusmodi fides reuera est ficta fides, scripturis ac Patribus penitus incognita. Vnde piè pariter ac prudenter ad informationem simplicium statuit schola Theologica Louaniens. hunc articulum. Fides qua quis firmiter credit, ac certò statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet fundamentum in scripturis, immo eisdem aduersatur. Vt autem rem aperiamus: tu quid fide Christiana credendum existimas ex demonstrationibus supra positis? D. Quod verbo Dei est reuelatum, atq; illud solum. M. Et qua de caussa credis? D. Quia reuelatum est à Deo, vti legitimo testimonio matris Ecclesiæ nobis constat. M. Nunc autem vbi posset reuelatum inueniri quód tibi Ioachimo remissa sunt peccata tua, quòd tibi datus est spiritus sanctificationis, quòd tu Ioachimus factus es filius Dei, heres æterni regni? An tale quid legitur in scripturis? An vnquã hoc docuerunt traditiones Apostolicæ? Vel vspiã super eo definierit mater Ecclesia? D. Puto quod non. M. Puto inquis? Certo certius est, neque in scripturis, neque in traditionibus Apostolicis, neq; in saluberrimis, quæ habemus, Concilijs Ecclesiæ factã esse vllam reuelationem in particulari de me, aut de te, aut quopiã nunc viuentiũ, quòd Deo grati sumus, & accepti tanquam filij eius. Fuerũt quædam huc pertinentia olim reuelata Deiparæ Virgini, Angelo dicẽte: Aue gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu inter mulieres. Ecce cõcipies in vtero, & paries & filiũ &c. Potuit ergò omnia hæc de se credere fide indubitata virgo Maria. Dixit & Saluator de Nathanael: Ecce verus Israëlita, in quo dolus nõ est. Potuit ergo hoc ipsum de se credere Nathanael. Dixit insuper paralytico. Confide fili remittũtur tibi peccata tua. Itẽ de Magdalena: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et ad illam: Fides tua te saluã fecit, vade in pace. Meritò ergo potuerunt isti credere firma fide sibi hæc contigisse per Christum. De me autem, vel de te, vbi quæso simile quid reuelatum inuenitur: vt fide speciali certò ac infallibiliter credam, mihi eiusmodi contigisse? D. Nusquam: nisi fortassis in istis vniuersalibus propositionibus. Omnis qui credit in illum non confundetur. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. M. Ceterùm nunquid ex illis vniuersalibus inferre licebit. Ergo Ioachimus iustus est, & saluus erit? D. Non. Primum subsumere oportebat. Et Ioachimus credit in illũ vei eq; pœnitet &c. M. Optimè. Quia salus non offertur per Christũ, nisi certo modo qualificatis. Sicut demonstrant hæ scripturæ: Nisi quis renatus fuerit ex aquã & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Pœnitentiã agite, appropinquauit regnũ Dei. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Factus est omnibus obtẽperantibus sibi caussa salutis æternæ. Et pluros, quas longum esset recitare. Ecce qualitates fidei, baptismi, pœnitentiæ, & spontaneæ voluntatis ad obtemperandum Christo prærequiruntur. At esto quòd sis ita qualificatus, nempè sincerè credẽs, vereq; pœnitẽs, & voluntáriè obtẽperãs. Vnde precor scis te ita qualificatũ esse? an per reuelationẽ Dei? D. Minimè, sed per experiẽtiã, siue per sensum, quo sentio me intus taliter affectũ. M. Itaq; minor propositio quã subsumẽdã dicebas, nõ est fidei, quia nõ scitur per reuelationem, sed per sensum. Quapropter nec cõclusio quæ infertur poterit esse fidei. Quia iuxta regulã Dialecticã: Cõclusio semper sequitur debiliorẽ partẽ antecedẽtis: vt si illa sit probabilis, cõclusio illata solũ probabilis esse debeat. Reliqua tu tecũ perpende. Quia itaq; nemo scit per reuelationẽ se sincerè credere, vereq; pœnitere, & cõuersum esse ad Deũ: sed si aliquo modo sciat,

scit

Tertius error latet in voce, merè gratis.

Quartus error latet in illo, absq. vllo respectu operum.

Quintus error latet in voce fides & adiuncta particula Certò.

Conuincitur fides specialis non esse fides.

Qui acceperũt specialẽ de se reuelationẽ potuerũt & habere de se specialẽ fidem.

Luc. 1.
Ioan. 1.
Matth. 9.
Luc. 7.
Rom. 10.
Mar. vlt.

Salus non offertur, per Christum nisi certo modo qualificatis.

Ioan. 3.
Matth. 4.
Luc. 13.
Heb. 5.

scit tantummodo proprio sensu, & experientia affectuum, vel testimonio conscientiæ suæ, ideo rectè inferre licet neminem posse certò statuere sibi remissa esse peccata, carere titudine quæ fidei esset, & hominem prorsus redderet securum. Nam experientia sensuũ, & propriæ conscientiæ testimonium, quibus iudico me sinceré credere in illum, vereque pœnitere, non habent infallibilitatem: propterea quod cor hominis instabile sit, pariter & inscrutabile. Quemadmodum conuincit irrefragabiliter vna sententia Apostoli dicentis. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Quasi diceret: Non testatur mihi conscientia, quòd aliquid omiserim eorum, quæ requirit Deus in Apostolo, vt iustus sit: attamen propter hoc non audeo certò statuere quòd coram Deo iustus existam. Superaddunt autem quidam illorum huic suæ ineptiæ, dicentes hanc fidem specialem prorsus inseparabilem ab eo, qui semel verè sic credidit: eò quòd per talem fidem quis fiat ouis Christi. Oues autem Christi nemo potest rapere de manu eius. D. Posset quis similiter inferre de vera fide Catholica: Quoniam per illam reuera efficimur oues Christi. M. Bene dicis. Vt auté falsitas rei appareat: fingamus quod tibi sit reuelatum, te nunc iustificatum esse, vt reuelatum fuit Magdalenæ verbo Christi: Nunquid propterea securus eris, & citra omnem formidinem certus, te semper talem mansurum, ac saluum fore? Quorsum igitur expressè tradunt scripturæ quòd contingit hominem excidere à veritate, excidere circa fidem, excidere à gratia, excidere à simplicitate, excidere à propria firmitate? Item euacuari à Christo, & naufragium facere circa fidem? Hæc enim omnia habet scriptura sancta. At qui excidit ab aliquo, indubiè in eo fuit vnde excidit. Sic qui euacuatur ab aliquo, particeps fuit illius vnde euacuatur. Et nemo naufragium circa fidem facere potest, nisi qui in naui fuit Ecclesiæ. Scribit Apostolus Galatis semel Christo incorporatis: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Sic Romanis credentibus scribit: Tu autem fide stas, noli altum sapere: sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forté nec tibi parcat, ad Romanos vndecimo. Et rursum: Qui existimat se stare: videat ne cadat. Hinc hortatur Philipppens. dicens: Itaque carissimi mei, sicut semper obedistis, nõ in præsentia mea tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Hinc & Saluator tam inculcat studiosè repetitis vicibus illud Euangelium, Vigilate, dicens: Itaque vigilate, vigilate semper: iterum dico vigilate: quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Sed quid in re clara terimus tempus? Abeant fictores isti, si non in malam rem, saltem ad rotas figulorum, qui tam imprudenter (& quidem contra proprium suum principium, quo dicunt nihil credendũ esse præter verbum Dei) fingunt nobis fidem specialem, & eam (quod multò est alienius) prorsus inseparabilem ab illo cui semel contigit. Addunt tertiò in supplementum sui erroris, hanc fidem specialem nunquam esse, neque posse esse, sine caritate. Quem errorem tetrum ac pestilentem, quia superiùs ex scripturis abundè conuicimus, nihil hic de eo dicendum iudico. D. Ceterùm quid ad argumentum quod faciunt? Per fidem quis efficitur ouis Christi; Oues autem Christi nemo rapit de manu eius. Ergo. M. Et non peribunt in æternum, inquit Saluator, de ouibus suis: Rursum, & non rapiet eas quisquam de manu mea: Volens ostendere tam esse potentem salutem quam ipse daturus erat, vt nemo posset eam quoquo modo impedire, vi, astu, vllaue alia machinatione, neque in vita hac, neque in morte, neque post mortem, sed saluæ forent in æternum. Intellige dum ipsæmet oues se continent in simplicitate ouium, nec Christi ouile deserunt. Nam potest quisque dum velit sua sponte (quia liberum hominis arbitrium non aufert redemptio Christi) aliò se conuertere, animique sui malitia excidere à veritate, à fide, à simplicitate, à caritate, atque sic euacuari à Christo (vt scripturæ superius citatæ demonstrant) adeoque in lupum degenerare & perire: non tamen nisi sua ipsius voluntate: non vi, potentia, astu, malitia alicuius alterius. Nemo enim læditur nisi à seipso, vt pulcerrimè deducit Chrysostomus. Nemo separatur à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu, per alium vel aliud, quodcunque fuerit illud (vt Apostolus docet ad Roman. octauo. Potest tamen ipsemet seipsum separare modò velit, ipsemet excidere, modò negligés & supinus existat. Satis de hoc. Reliquos verò errores in principio huius capitis enumeratos palã detegere nõ valemus, nisi priùs demõstremus, qd sit vera iustitia, qua iusti sumus corã Deo.

Notitia ex proprio sensu, vel testimonio conscientiæ nõ est infallibilis. 1.Cor.8.

Error maximus dicentiũ hominé nõ posse excidere à fide speciali semel obtenta.

2.Tim.2. 1.Tim.6. Ad Gal.5. 2.Cor.11. 2.Pet.3. Gal.5. 1.Tim.1.

Galat.5. Rom.11.

1 Cor.10. Ephe.2.

Luc.21.

Mar.13.

Tertius illorũ error, quo dicũt fidé hanc non posse esse sine caritate.

Argumẽtũ eorum, qui fidem specialem prædicãt. Ioan.10. Solutio.

De vera iustitia, qua homo iustus reputatur coram Deo. CAP. VII.


Ria hæc, ius, iustum, iustitia, permagnam inter se habent cognationem. Nam, vt inquit Vlpianus, à iustitia nomen iuris est appellatum.

M. Vnde dicatur ius & iustitia.

latum.Ius autem ars æqui & boni est, secundum Celsum.Porrò à iure deductum volunt nomen iusti, quòd præcepta iuris obseruet. Iustitia autè à Iurisperitis definitur esse constans & perpetua voluntas tribuens vnicuique ius suum, Deo religionem, parentibus obedientiam, maioribus reuerentiam, paribus concordiam, minoribus disciplinam, sibipsi castimoniam, miseris compassionem. D. Simili modo inquit Cicero. Iustitia est habitus siue affectio animi suum cuique tribuens. M. Vnde iustitia absolutè dicta (de qua hic tractabimus) est virtus seu animi qualitas, qua quis est quoquo versum quod esse debet ad Deum, ad proximum, ad seipsum tribuendo, vnicuique quod illi est iure debitum, secundum præcepta legum, debitaque officia virtutum. Igitur qui caret pietate, is non habet iustitiam. Ratio est, quoniã non reddit vicem Deo, patriæ, & parentibus optimo iure debitam. Rursum: Qui in commutationibus rerum fraudat proximum, aut est immisericors erga miseros, vel negligens erga subditos, vel sibi pro ratione, qua donatus est, non satisfaciens, is non habet iustitiam. Nec id solum eam ob caussam, quòd non reddit hominibus quod illis debetur: sed etiam ideo quia illis non reddendo, non reddit Deo ius suum, hoc est, debitam obedientiam: lex enim Dei hæc omnia implere iubet. Item qui non credit verbo Dei sufficienter sibi promulgato, neque fiduciam habet in eo, qui habet omnipotentiam eum infinita bonitate, & misericordia coniunctam, is non potest dici iustus: iniuriam enim facit primæ veritati, & omnipotenti bonitati Dei. Sic qui intus in corde non implet debitum caritatis, diligendo Deum ex toto corde, tota anima, omnibusque viribus, & proximum sicut seipsum, is iustitiam non habet. Ratio est, quoniam non facit primum præcipuumque debitum, ad quod obstringitur à Deo, à natura, in lege, in Euangelio, ratione creationis, ratione redemptionis, ratione adoptionis. Vt igitur summatim dicam: Quicunque vllo modo peccat, vel fotis vel intus in corde (de peccatis mortalibus loquor) is omnino perdit iustitiam. Quia secundum definitionem Ioannis, Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. D. Quid, si vnum tantummodo peccatum faciat? M. Vnum solum peccatum vniuersam hominis iustitiam subuertit. Quemadmodum enim quod ex vna parte retortum est, aut inflexum, hoc neutiquam rectũ dici potest: Ita qui aliqua ex parte vel vnum debitum prætermittit, is nullo

Nemo iustus, nisi impleat omnia legũ & virtutũ debita.

Nemo iustus, qui debitũ officijs virtutũ caret.

Nemo iustus quãdiu perseuerat peccare. 1. Ioan. 3.

pacto iustus dici potest. Hinc illud Apost. Iacobi: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omniũ reus. D. At fingamus quòd quis vltra non peccet, seruet insuper quantum in se est, præcepta caritatis, & omnia alia quæ legis sunt, an ne tunc reuera iustus existit? M. Ne sic quidẽ iustus dici potest. Quia etsi vltra non peccet nouũ peccatũ, nihilominus manet obæratus diuinæ iustitiæ, & reus siue debitor propter præcedentia delicta nondum cõdonata, pro quibus needum quidquam recompensauit, vti palàm demonstrant scripturę Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Qui verò dixerit fratri suo racha, reus erit cõcilio Qui dixerit fatue, reus erit gehenæ ignis. Post peccatum commissum, reus inquit iudicij, concilij, gehennæ ignis, etiam si affectus peccandi iam cessset. Dicit enim omnis qui irascitur, reus est, haud dubiè post iram iam perpetratam & transeuntem. Nemo autem reus est, nisi quia iusti violator existit. Itẽ dimitte nobis debita nostra, id est, peccata nostra, quæ postquàm commissa sunt debitores nos tibi constituũt. Et illud: Oblatus est illi vnus qui debebat decem millia talenta, id est, qui innumeris peccatis obstrictus erat diuinæ iustitiæ: Neque solum diuinæ iustitiæ, sed & illi qui potestatem accepit in eos qui malè agunt. Horum autem debitorum est legitima obsignatio, quam Apostolus vocat chirographum peccati, curritque indesinẽter tempus quo soluere debes. Quæ duo, scilicet debere, & non reddere tempore constituto, vbi concurrunt, iniustum faciunt non reddentem debitum. Non potest itaque peccator fieri iustus, nisi priùs satisfaciat iustitiæ diuinæ, vel dando, vel patiendo condignum aliquid pro ingratitudine, rebellione, & iniquitate, quæ insunt commissis suis peccatis. Quod quidem condignum, quoniam non habet ex se, aut in sua potestate, debet confugere ad Christum fide sua, & offerre Deo patri, quantum satis est iustitiæ læsæ de thezauro redẽptionis, quæ est in sanguine Christi: simul cum pœnitudine cordis proprij, & proposito exinde reddẽdi Deo honorẽ & obediẽtiam, quæ peccando iniustè Deo subtraxerat. Fit enim iustificatio secundum Apostolum per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentationem Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi. Quam Apostoli

Iacob. 2.

Nemo iustus nisi fuerit à præcedentiũ delictorũ debitis exoneratus.

Matth. 5.

Matth. 6.

Matth. 18.

Colloss. 2.

Debitum præcedẽtiũ delictorũ redimitur sanguine Christi per fidẽ.

Rom. 3.

stoli auream sententiam infra latiùs explicabimus. Ad hæc verò, quia Deus per sacramentum illud magnum quod est in Christo & Ecclesia (de quo Apostolus loquitur ad Ephes. 5.) fecit Ecclesiam esse vnam cum Christo, quodam æterni coniugij vinculo: Ideo nemo post iniquitatem commissam potest iustificari, vt sit quod esse debet in communi familia, filius scilicet pacis, & obedientiæ, nisi priùs reconcilietur Ecclesiæ, quæ est mater nostra & prælecta Christi sponsa, satisfaciendo legibus quas communes esse voluerunt omnibus peccantibus, & Deus paterfamilias, & sponsus Ecclesiæ Christus. D. Et quæ sunt istæ leges? M. Quas passim proponit Euangelium, tractans primò de pœnitentia peccatorum, de confessione, & potestate remittendi retinendique peccata delinquentium. Ioan. 20. 1. Io. 1. Matth. 4. 8. Luc. 13. Act. 19. Iacobi vltimo. Deinde de disciplina sufferenda pro peccatis commissis, de qua habemus viua quædam exēpla in factis Publicani, Magdalenæ, Pauli, Dauidis, necnon in lacrymis Petri post negationem qua abnegauerat Christum, in doctrina insuper Ioannis Baptistæ de fructibus pœnitentiæ, & Pauli docentis, quòd Deus castigat omnem filium quem recipit. D. An non peccator iustificatur aliquando, vel sine his in solo voto melioris vitæ? M. Prorsus. Sicut legimus de Dauide. Dixi, inquit Dauid, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatē cordis mei. Nos autem tradimus quod regulare est secundum expressam institutionem verbi diuini, datam Ecclesiæ in terris. Quanquam & hæc quæ diximus aliquo modo habeat homo vel ante iustificationem, dum reuera inesse voto pœnitentis cognoscuntur à Deo: sicuti exactè demonstrabimus lib. 4. de Sacramentis. Neque prætereundum est hoc loco, esse quædam peccata iniustitiæ aduersus proximum. Qualia sunt furtum, sacrilegium, falsum testimonium, homicidium, vsura, detractio, & id genus alia, à quibus non iustificatur homo, nisi priùs reconcilietur illi, qui propter huiusmodi peccata habet querelam aduersus eum. Docet enim Saluator Matth. 5. dicens: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuū ante altare, & vade, priùs reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offer munus tuum. Quia non potest gratum esse Deo quod facis, nisi priùs reconcilieris fratri, quem iniquè offenderas. Redūdat enim in communem patrem omnis iniquitas in fratrem commissa. Nec

Peccator non fit iustus nisi prius reconcilietur Ecclesiæ.

Heb. 12.

Psalm. 38.

Nemo iustus nisi reconcilietur proximo quem læserat per iniquitatem.

dimittitur peccatum, teste Augustino, nisi restituatur ablatum. Nequaquam igitur satis est, de cetero non facere peccata, vt ex iniusto iustus esse incipias. D. Et istis, vt iam dixisti, ita peractis, an tunc homo reuera iustus existat? M. Necdum iustus, ne sic quidem. Per ea enim quæ dicta sunt, nondum omnino est, quod iure eum esse oportet ad finem creationis suæ. Deus enim creauit hominem ad imaginem suam Gen. 1. Finis autem huius creationis erat felicitas æterna in regno & gloria maiestatis suę, sicut scriptum est: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Ne verò deesset homini debita qualitas, siue proportio ad dictum creationis suæ finem obtinendum, fecit ab initio Deus hominem rectum, vti testatur Ecclesiastes, id est, debitè qualificatum, sicque dispositum per gratiam iustitiæ originalis naturæ superadditam, vt oportuit ad consecutionē dicti finis. Qua gratia velut semine quodam ex Deo, cœpit homo consors esse diuinæ naturæ, & viuere iam non solùm naturaliter, sed & spiritualiter vitam quandam sanctam quæ secundum Deum est: qua sola idoneus est inferi sedibus æternis, vt sit tandem idipsum ad quod creatus erat. Vis verbo vno demonstrem tibi, quod non est quispiam iustus, nisi viuat vita gratiæ in Deo? Ecce sic infert Apostolus. Si data esset lex quæ posset viuificare: verè ex lege esset iustitia. Coniunctio, si, haud dubiè facit necessariam illationem: qua necessitate consequitur, legem, quia non potest viuificare in Deo, ideo nec posse iustificare. Nam iustitia vera non est sine vita, qua viuitur in Deo diuinè & spiritualiter. In qua vita erat homo constitutus beneficio Dei ante peccatum. Quapropter qui non habet neque gratiam iustitiæ originalem, neque alia dona æquiualētia, quibus similiter efficiatur consors diuinæ naturæ, vt denuo viuat in Deo (vti Adam olim ante peccatum viuificatus erat) is nondum rectus est aut iustus, hoc est, talis, qualem eum iure esse oportet. Iure autem tenetur quisque esse in eo ordine, statu, & qualitate, vnde posset consequi finem ob quem creatus est. Qui verò non est quod iure esse debet, idque non necessitate, sed spōtanea operatione suæ iniquitatis, is haud dubie iniustus est. D. Et vnde obsecro surgit hoc ius, quo quis tenetur esse in eo ordine, & qualitate, vnde sit idoneus ad finem creationis suæ? M. Ex ipsa dico creatione, & conditione hominis, sicut vniuersa alia primæua iura naturæ. Nam vnde surgit ius quo debeo me conseruare in

Nemo iustus nisi fuerit restitutus in eum ordinē vnde peccando exciderat.

Matth. 25

Eccle. 7.

Galat. 3.

Ius quo quis tenetur esse idoneus ad finem creationis suę vnde surgat.

vita, & ob quod non possum meipsum interficere? Nónne illinc quod factus sum à Domino omnium, ad hoc, vt sim membrum vnum in vniuerso? Item vnde nascitur ius viuendi secundum rectam rationem, nisi ex eo quia factus sum animal rationale, habens lumen vultus Domini signatum super me, ad eum finem, vt sim in actionibus meis ratione moderatus? Quapropter sicut ille, qui dimissa ratione ducem sequitur concupiscentiam carnis, reuerà iniustus est, eam ob caussam, quia aliud de se facit, quàm ius habet à Deo conditore suo, sibíque iniurius efficitur, comparatus nunc iumentis insipientibus, & similis factus illis, quorum Dominus institutus erat: Iuxta illud: Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & omnibus animantibus quæ mouentur super terram: Sic quicunque sua culpa excidit ab eo ordine, & qualitate, vnde idoneus erat ad finem creationis suæ, is reuera iniustus est quàm diu sic manet. Primò quia destruit ordinem quem conditor Deus in rebus esse voluit, fraudans Dominum suum intento fine in opere creationis suæ. Secundò quia talentum acceptum à Domino ad vsuram, hoc est, gratiam Dei qua erat debitè, qualificatus ad finem suum, non solùm non reddit cum fenore, sed & abijcit, & abdicat à se. Fit ergo iniustus seruus, iniquus Domino suo, acceptum talentum ad fenus, abscondēs sub terra, aut perdens, aut conuertens in aliud contra Domini committentis beneplacitum. Quòd si talis non est culpabiliter iniustus, nequaquam debuit seruus ille abscondens talentum Domini sui sub terram, criminari vt piger & nequam, ligatisque propterea manibus & pedibus proijci in tenebras exteriores: quod tamen velut factum bene, laudat parabola Euangelica. Matth. 25. Luc. 19. Nam iste ne custodit quidem gratiam gratum facientem tantum abest, vt ea vtatur ad finem propter quem acceperat illam. Tertiò qui sic agit, ille interimit (quod iniustissimū est) se creaturam Domini sui, Domino inuito, adeoque contradicente, vt puniat factum damnatione æterna. Quapropter eam etiam ob caussam iniustus, quia sibi nequam & iniquus, inferens sibi mortem, nedum priuans se felicitate æterna, ad quam creatus erat. Sicut Adam comedens de fructu vetito factus est iniustus: non solum quia substraxit legitimo domino obedientiam, & talento iustitiæ originalis abutebatur: sed etiam ideo, quia sibi mortem intulit, seque immortalitate, in qua creatus erat, priuauit: vti habes Genesis 3. Hæc debes fili, oculatissimè perpendere, alioquin nunquam intelliges naturam veræ iustitiæ. Nisi enim habeat quis hæc tria, videlicet quod redemerit sua præcedentium delictorum debita, secundò quod velit deinceps implere præcepta Dei, & matris Ecclesiæ, tertiò quod restitutus sit in eum ordinē & qualitatem, vnde attingere possit finem creationis suæ, nullo modo dicendus est esse iustus, hoc est, talis, qualis iure esse debet. Dicta autem tria dum insunt, tum demum inest ea quæ reuera & absolutè dici potest iustitia. Quam scriptura appellat aliquando iustitiam Dei, siue quæ ex Deo est, aut qua iusti sumus coram Deo: aliquando iustitiam fidei, siue quæ ex fide est: aliquando iustitiam Christi, aut iustitiam Dei in Christo: aliquando iustitiam absolutè, hoc est, sine addito: quòd ipsa sola sit vnica, ac vera iustitia, faciēs hominem esse, quod ipsum quaqua versum esset oportet, sic dispositum sub Deo, sicut oportet, sic ad proximum, vt oportet, ita ad seipsum & in viribus suis, quo modo secundum rectæ rationis dictamen fideique lumen oportet: ita denique ad futuram gloriam in quam creatus erat, vti oportet, pro statu, loci, ac temporis huius conditione. Iustitia itaque qua iusti sumus coram Deo, per se importat rectitudinem, qua idonei sumus ad finem creationis nostræ, qualis rectitudo debet meritò esse in nobis ratione eiusdem creationis. Rectitudo autem eiusmodi velut essentialiter includit duo pro statu naturæ lapsæ. Primò ablationem peccatorum, quibus fit defectio siue degeneratio ab eiusmodi rectitudine. Peccata verò auferuntur remissione debitorum, quibus se homo peccando obæratuerat diuinæ iustitiæ, & ablutione siue expiatione sordium, quæ animam contaminauerant, & abominabilem reddiderant coram Deo. Deinde & regenerationem siue renouationem Spiritus sancti per dona cælestia, quibus iterum efficimur consortes diuinæ naturæ, & noua creatura in Deo, siue filij Dei. Sine quibus vtique non est aptitudo ad finem creationis nostræ, etiamsi peccata modo iam dicto sublata forēt. Nam quod non est consors diuinæ naturæ, neque viuit, ne initiatiuè quidem, vitam quandam æternam secundum Deum: neque debitè est ordinatum quaqua versum per caritatē, quā in nos infundit Spiritus sanctus: quo precor modo poterit aptū esse sedibus æternis, regno beatitudinis, triūphali cōsortio superbenedictę Trinitatis, ac alijs quę solis spiritibus æternis cōmunia sunt? D. Et quibus obsecro scripturis hæc demōstrabis? M. Istis. Non intrabit in eā, scilicet cælestem Hierusalem,

Genes. 1.

Rationes ob quas iniustus est dicendus, qui nō est in eo statu, vnde posset consequi finem suum.

Quid per se importet vox iustitia.

Apoc. 21.

Scripturæ quibus declarantur prædicta pertinere ad iustificationem. Apocal. 22. Gal. 5. lem aliquid coinquinatum, aut abominatio-
nem faciens, & mendacium. Sed foris canes,
& venefici, & impudici, & homicidæ & ido-
lis seruientes, & omnis qui amat vel facit mẽ-
dacium. Et illud Pauli: Quæ prædico vobis,
sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, re-
gnum Dei non consequentur: loquitur de
prædictis operibus carnis. Ratio est quoniã
peccata faciunt hominem adeò degenerare
ab ea rectitudine, in qua ab exordio crea-
tus erat, vt in conspectu Dei iam non sit, nisi
vt canis, aut abominatio quędam. Dicitur au
tem 1. ad Corint. 6. Et hæc quidem (videlicet,
fornicarij, adulteri, idolis seruientes, &c.)
fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed
iustificati estis in nomine domini nostri Iesu
Christi, & in Spiritu Dei nostri. Vbi notabis
duo præcedere iustificationem, quæ velut es-
sentialia sunt rectitudini quam importat iu-
stificatio, videlicet: ablutionem peccatorum
& sanctificationem, quæ fit per dona pretio-
sa gratiarum Dei. De debitis verò quæ in-
sunt peccatis, & quæ remissa esse oportet an-
te iustificationem, iam paulò antè indicaui-
mus scripturas. Scripturæ autem quæ vltra
ablutionem peccatorum, exigunt & rege-
nerationem aut renouationem hominis in
nouam creaturam, vt sit iustus, sunt istæ. Si
enim data esset lex quæ posset viuificare: ve-
rè ex lege esset iustitia. Vbi notabis, quod vi-
Galat. 3. uificare est, viuum facere, nõ sanè vita corpo
rali, sed vita animę, qua secundum Deum vi-
uimus, qua & filij Dei nominamur. Qua si-
quidem vita quod potest viuificare, potest
& iustificare. Quod verò hac vita non potest
Ioan. 3. viuificare, nec potest iustificare. Item: Amen
amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo
non potest videre regnum Dei: Et iterum: A-
mẽ amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex
aqua & Spiritu sancto, non potest introire in
regnum Dei: Quod natum est ex Spiritu, Spi
ritus est. Et ad Titum. Saluos nos fecit per la
Tit. 3. uacrum regenerationis & renouationis Spi-
ritus sancti, quem effudit in nos abundè. Vo-
luntarie enim genuit nos verbo veritatis, vt si-
Iac. 1. mus initium aliquod creaturæ eius, quamsci
licet destinauerat in gloriam beatitudinis.
Et rursum: Spiritum accepistis adoptionis fi-
Rom. 8. liorum, in quo clamamus abba, pater. Ipse e-
nim Spiritus testimonium reddit Spiritui no
stro quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & he
redes, heredes quidem Dei, coheredes autem
Christi. Esse enim filium Dei, siue nouam crea
turam in Deo, operatione Spiritus sancti, siue
per regenerationem in Baptismo, siue per
resuscitationem in Sacramento Pœniten-
tiæ, hoc dico prorsus est essentiale rectitudi
ni, in qua consistit iustitia vera. Reliqua verò,
videlicet, esse heredem Dei, coheredem Chri
sti, consequuntur: vt benè indicar sermo A-
postoli: Insuper & diuus Petrus. Per cogni-
tionem, inquit, eius qui vocauit nos propria 2.Pet.1.
gloria & virtute, per quæ maxima & pretiosa
nobis promissa donauit: vt per hoc efficiami
ni diuinæ consortes naturæ, fugientes eius,
quæ in mundo est, concupiscentiæ corru-
ptionem. Possent adduci & infinitæ aliæ scri-
pturæ huc pertinentes, vt illæ: Nos scimus 1.Ioan.3.
quoniam translati sumus de morte ad vitam
quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, Rom. 5.
manet in morte, diligit, inquam, ea caritate,
quæ ex Deo est, & diffunditur in cordibus
nostris per Spiritum sanctum, qui datus est
nobis, manet in morte, & per consequens lõ
gè extra illam rectitudinem, qua idonei su-
mus ad finem creationis nostræ. Et hæc qui-
dem copiosissimè docent vniuersi Patres: In
primis diuus Augustinus toto ferè libro de
Spiritu & Litera. Item de peccatorum meri-
tis & remissione, dicens libro. 1. cap. 10. Legi-
mus iustificari hominem in Christo propter
occultam communicationem & inspiratio-
nem occultæ gratiæ spiritalis, qua quisquis
adhæret Domino, vnus Spiritus est. Et libr.
de natura & gratia cap 36. Qui scilicet Chri-
stus præstat Spiritum sanctum qui datus est
nobis, per quem diffunditur caritas in cor-
dibus nostris, per quam iusti sunt quicun-
que sunt iusti, Nam caritas Spiritu Dei viui-
fica diffusa est in cordibus nostris, & reponit
hominem eò, vnde aptus sit fini creationis
suæ, & ordinem ponit in omnibus viribus,
omnibusque actibus eius. Quapropter cari-
tas ab Augustino non incongruè vocatur i-
psamet iustitia, qua iusti sumus coram
Deo.

De alijs particularibus iustitijs, an nos iustos reddant coram Deo, quodq; iustitia fidei reuera donum Dei sit, & non ex nobis.

CAP. VIII.

Sunt autem & aliæ iustitiæ quædam, vt iustitia Commutatiua, M.
& iustitia Distributiua, quæ qui-
dem veri iusti rationem ha-
bent, sed non sunt integra iusti-
tia, efficiens hominem prorsus ac totum re-

ctum,tā intus in seipso,& sub Domino Deo suo,quàm in cōmutationibus rerū ad proximū.Item iustitia Legalis quę forinsecus præcepta legis exequitur. Et iustitia Politica imples officiū boni ciuis.Iustitia in super Naturalis siue humana,quę naturalem rationis facultatem non egreditur,nec aliunq quàm naturæ proportiatum finem spectat. Etiam iustitiæ quædam sunt facientes hominem iustū non quidem simpliciter,sed iustum secundū quid:nempe secundum exteriorem conuersationem,& ordinem facultatis naturalis.Sicut candor dentium facit Aethiopem album secundum quid:non autem album simpliciter. Iustitia autem quam vulgò Pharisaicam vocamus,de qua habes Matth.6.non est iustitia sed fucus quidam,seu hypocriticа iustitiæ simulatio. Hinc Saluator ad Apostolos. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum,non intrabitis in regnū cælorum. D. Ibi saluator videtur in parte approbasse illorum iustitiam,plus tamen requisiisse in Apostolis. M. Non respexit Saluator solùm ad illam hypocriticam ipsorum iustitiam,sed etiam ad alias iustitias eorum, Naturalem,Legalem, Politicam, Distributiuā, Commutatiuam,quas habere potuerūt quidam sinceriores inter illos:sicut & multi Romanorum & Græcorum habuere. Nihilominus dixit:Vos Apostoli,& omnes Christiani, nisi abūdauerit iustitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, Græcorum, & Romanorum,& qui inter eos optimi esse videntur Philosophorum,(nam ideo meminit nominatim Scribarum & Pharisæorū, quod illi præ ceteris videbātur iustissimi)vt sit vera integraq; iustitia quę vos faciat iustos omni ex parte,intus & foris,vt coram hominibus, ita & coram Deo:non intrabitis in regnum cælorum. Fili,aliud est remissio peccatorum,aliud iustificatio. Iterum aliud iustificatio impij,aliud iustificatio absolutè dicta. Nam potest intelligi iustificatio absque remissione peccatorum. Adam enim in prima creatione rerum,iustificabatur à Domino per iustitiam originalem:naturæ superadditam in ipso creationis suæ momento, antequam peccasset. Potest etiam intelligi remissio peccatorū absque iustificatione. Vt si impius per gratiam condonationis reponatur in puris naturalibus tunc enim remissa essent peccata, sed tamen persona nō esset adhuc iustificata. Sicut si Adā creatus fuisset in puris naturalibus, & nō accepisset desuper infusam iustitiam originalē, profectò non fuisset iustus: quia non fuisset quod eum esse oportuit ad finem creationis suæ. D. Ergo fuisset iniustus. M. Non consequitur. Quia datur medium inter iustum & iniustum. Fuisset quidem Adam eo casu imperfectus:sed non iniustus. Quia hæc imperfectio non ei imputanda,sed in Dei voluntatem fuisset referenda. Iustificatio autem impij,sine remissione peccatorum,& gratiarum donatione intelligi non potest:vti demonstrabimus infrà. At nunc quid tibi apparet, ex his quæ diximus? D. Certè quòd nostra iustitia,qua verè,& corā Deo iusti sumus,quanquam sit intus in nobis, & in visceribus nostris Dei miseratione diffusa,longè tamen extra nostram potestatem sit posita, adeo vt ex nobis vel nostris viribus parari nequeat. Ponamus enim quod possit quis æquus esse in commutationibus rerum, & foris vtcunque præstare quod præcipit natura,lex, scriptum Euangelium, nemo tamen potest se liberum facere à peccatis in Deum commissis, nemo potest viuificare seipsum,& consortem diuinæ naturæ efficere,vt sit denuò in ea qualitate,vnde peccando exciderat humana natura. M. Optimè,rem ipsam tenes. Hinc Apostol. Ignorantes, inquit de Iudæis, iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Rursum:vt inueniar, inquit, in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est,sed illam quæ ex fide est Christi,quę ex Deo est iustitia in fide. Si enim ex lege est iustitia,ergo Christus gratis,hoc est, sine causa mortuus est. Quæ illatio Apostoli prorsus conuincit per necessariam consequentiā. Quapropter & nos simili inferendi lege rationabiliter dicimus cum diuo Aug. Si ex natura aut viribus liberi arbitrij est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Scimus autē quod ex operibus legis siue naturalis siue Mosaicæ non iustificabitur omnis homo coram illo. Nam si ex eiusmodi operibus Abraham iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Talis enim iustitia est Politica tantùm,& Moralis reddens habentem,si qua laude dignum, tantummodo laude & gloria dignum inter homines,eo quod attingit decorum siue rectitudinem honestatis humanę ad finem felicitatis cuiusdam humanæ, quæ vtique est moritura simul cum homine: non autem apud Deum, quia non inducit eam rectitudinem in qua creatus est homo à conditore Deo, neque aptat ad illum finem, propter quem Deus ipse creauit hominem, nempe vt tandem homo vnum fit cum Deo, ipse Deificatus & particeps felicitatis æternæ sicut Deus. Ad quod dum surgit & aptatur homo,tum demum habet gloriam apud Deum. Ceterùm ad hoc surgere non potest ex loco & statu,in quo erat propter peccatum: neq;

Matth.5.

aliud est remissio peccatorū aliud iusti ficatio.

Inter iustum & iniustum est dare medium.

Iustitia qua iusti sumus coram Deo non est ex nobis, neque nostris paratur viribus,

Rom. 10.

Philip.3.

Vt neu ex lege Moy si, ita ex nulla lege neque viribus nostris est iustitia.

Rom.4.

per vires naturales, neque per legem, neque per institutionem & auxilium hominũ. Potest autem eò surgere per gratiam Dei, per fidem, per redemptionem, quę est in sanguine Christi, quę omnia sunt eximia & pretiosa dona Dei. Habet ergo gloriam in hac parte non apud homines, quia nihil humani est, quò possit eò surgere, sed apud Deum, quia Dei sunt munera gratis & misericorditer sibi à Deo impensa, quibus eò surgere potest, vt sit quod esse debet secundũ rationem creationis suæ.

De nouo dogmate, quo fingunt quidam hominem non nisi extrinsecus iustificari quadam iustitia extrinseca, quæ extra ipsũ est. C. IX.

M.



Extrinsecè iustificari & extrinseca iustitia sunt prophanę vocum appellationes.

Nunc clara demonstratione retegamus errores illos, quos suprà enumerauimus. Quantum autem ad primum, satis superq; demonstratum est, in præmissis, iustitiam fidei, qua iusti sumus coram Deo reuera nobis inesse, cordibusque nostris per modum formæ inhærere. Nam quod fingunt alij de eo quod est extrinsecus iustificari, & de extrinseca iustitia, planè continet profanas vocum nouitates, effictas ad stabilimentum erroris, ideoque vitandas secundum mandatum Apostoli dicentis. O Timothee depositum custodi, profanas vocum nouitates vel inanitates ditans. Sicuti hucusq; vitauit easdem nouitates siue nouas appellationes in materia iustificationis veneranda Patrum Antiquitas. D. Illi verò qui has voces introduxere, adferúntne colorem aliquẽ huius suæ nouæ traditionis? M. Adferunt. Sed qualem efficiunt radij solares per pictum aliquod vitrum, hoc est colorem falso apparentem. Sic enim colligunt. Iustum dicitur quod exactè respondet suæ regulæ. Regula autem nobis præfixa est lex Dei, de diligendo Deũ ex toto corde, & de non cõcupiscendo. Nemo autem dum hic peregrinatur à Domino, diligit quantum diligere debet: nẽpe ex toto corde, adeò vt ad nihil aliud cor afficiatur, nemo est sine concupiscentia, nemo sine peccato inhabitante in carne sua. Imò si dixerimus quoniã peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Addunt ex Esaia dicente: Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersę iustitię nostræ, item ex Iob. Non iustificabitur homo compositus Deo. Ex quibus eliciunt immundas esse iustitias nostras coram Deo: quòd plus est, nihil esse comparatione Dei. Vnde tandem concludũt. Igitur in nobis nulla est, neque esse potest iustitia inhærens animabus nostris, qua iusti reputemur coram Deo. Itaque si iusti sumus coram Deo, vt sumus, quotquot fide Christum apprehendimus, sumus tales extrinsecus, per iustitiam quæ in Christo est, procul extra nos nobis tamen imputatam propter fidem in ipsum. Hæc ferè summa est eorum quibus vrgent iustitiam extrinsecam. D. Et ista conuincúntne? M. Minimè. Nihil enim aliud probant, quàm quòd iustitia nostra non habet pro tempore peregrinationis huius eam perfectionem, quam habitura est in patria. Item quòd non semper, neque in omnibus attingit omnem perfectionem possibilem status huius vitæ. Tertiò quòd secum admittit in mortali isto corpore multas rebelliones, & impuritates, & minutula peccata non pauca: quod libenter concedimus. At nunc sciẽdum est, quòd perfectio rei est accidens eius. Accidens autem si desit, non propterea mox oportet rẽ sublatam esse. Perfectio hominis, est robur eius, accrescens statura eius, peritia, industria, prudẽtia ei⁹. Quę si desint, vt desunt infantibus, nõ propterea cõsequitur infantes nõ esse homines. Secũdò sciendũ, quòd defectus perfectionis, quæ potuit inesse, nõ debet statim culpa iudicari. Alioqui, sancti infimi ordinis, non habentes perfectionem supremi ordinis, habent culpam. Cæterùm defectus perfectionis necessariæ, modo tibi tua culpa accidat, in peccatum reputatur. Multa ex parte nobis hic cõtingunt, quæ tamen veritatem possident, & sine culpa manent. Hic ex parte cognoscimus, inquit Apostol. & ex parte prophetamus, verè tamen cognoscimus, vereque prophetamus. Hic quoque minùs perfectè diligimus, quàm in patria, verè tamẽ diligimus, & quidem perfectè, quantum satis est mandato Dei. Quod vel vna auctoritate Apostolicà demonstrari potest. Docet enim Ioannes: Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit: mendax est, & in eo veritas nõ est. Qui autem seruat verbum (hoc est mandatum) eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est. Et quinto cap. Hæc est enim caritas Dei, vt mandata eius custodiamus. Itaque qui sic toto corde diligit Deum, vt nihil eorum, quæ ille præcepit, omittat, nihil etiam eorum, quę vetuit faciat, ille reuera satisfacit præceptioni de diligendo Deum, & habet in se caritatẽ verè perfectam: perfectam, inquã, perfectione viæ. Vbi autem est vera caritas, ibi est & vera iustitia: vt audisti ex Aug. & mox pleniùs audies. Spiritus viuificus Dei, regenerans aut reformans in nouam creaturam, est ipsum substantiale fundamẽtum iustitię: caritas vero ab eodẽ spiritu diffusã in cordib. nostris, est ipsa rectitudo actionum, qua importat iustitia. Igitur quamdiu nõ extinguimus Spiritũ Dei in nobis

1.Tim. 6.

Argumenta quæ adferunt hæretici pro extrinseca iustitia.

Ioa.1.

Esa.64.

Iob.9.

Solutio dictorum argumentorum.

Perfectio rei est accidẽs eius

Scripturis docetur quod hic possumus satisfacere præcepto caritatis.

1.Ioan. 11.

nobis, iuxta adhortationem Apost. Spiritum nolite extinguere, sed manet ille in nobis, testimonium reddens spiritui nostro quod sumus filij Dei: Item quàm diu non inuertimus ordinem caritatis, per enorme peccatũ, quod Mortale siue damnabile dicimus, tam diu retinemus veram iustitiam, qua iusti sumus coram Deo: semper tamen minùs perfectam, quàm meritò esse posset, iuxta feruorem caritatis etiam in hac peregrinatione. Quapropter aduertere debes, quòd iustitia fidei, quia seminatur in nobis per modũ renascentiæ, velut fetus nouæ infantiæ (iuxta illud Petri: Quasi modo geniti infantes. Et illud Iac. Vt simus initium aliquod creaturæ eius) ideo habet suas ætates, suosq; profectus, incrementa & decrementa, magis denique aut minus: secũdum quod magis aut minus ei subseruiunt antedictæ iustitiæ, & virtutum officia, magis minúsue feruet caritas Spiritu Dei viuifico diffusa in cordibus nostris. Docet enim scriptura. Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus, sanctificetur adhuc. Docet & Aug. cõcludens suum librum de natura & gratia hoc modo. Caritas ergo inchoata, inchoata est iustitia, caritas prouecta, est iustitia prouecta, caritas consummata, est iustitia consummata. Atque huc sané pertinet quod eleganter docet diuus Bernardus de gradibus iustitiæ, sermone 5. super verbis Esaię dicens: Quod quędam est iustitia recta, nõ tamen pura. Qualis in nobis viatoribus est, in quibus per gratiã reparatis, non regnat peccatũ vt obediamus concupiscentijs eius: impura tamen est, quia non sumus prorsus immunis ab omni culpa. Alia est iustitia recta, & pura, sed non firma, qualis erat iustitia originalis. Tertia est recta, pura, ac firma: et sublimis quidem, sed tamen longè inferior quàm sit diuina: Qualis est iustitia Angelorũ. Non enim innata est eis, sed à Deo collata: à Deo, vt natura ipsa Angelorũ, quantum ex se est, non modò iustitiæ, sed etiam iniustitiæ capax inueniatur. Quarta est recta, pura, firma, & prorsus immutabilis, qualis est iustitia Dei, quę omnino omnibusque numeris est absolutissima. Ad illud autem quod obijciunt de cõcupiscentia, & peccatis, sine quibus non viuit homo, dices. Verũ quidem esse, quòd caro concupiscit indesinẽter aduersus spiritum, etiam in homine iustificato, vti docet Apost. ad Gal. 5. & ad Rom. 8. Ceterùm hęc carnis concupiscẽtia nõ est tibi aut mihi prohibita lege Domini, ac proinde non imputatur nobis in peccatũ. Non enim dicit lex, Caro tua non concupiscet, aut in carne tua non habebis concupiscentiam: verùm sic dicit lex. Non concupisces, id est, tu homo, ea parte qua homo es, hoc est ratione deliberata, non concupisces. Quod concupiscere, ratione scilicet deliberata, est, vti alibi vocat Apostolus, desideria carnis perficere ad Gal. 5. Curam carnis facere in desiderijs, ad Rom. 13. Seruire desiderijs & voluptatibus. 2. ad Timoth. 3. Ire post carnem in concupiscentia, 2. Petri 2. Exardescere in desiderijs, ad Rom. 1. Neque hortatur Apostolus ne sit in nobis peccatum, sed vt non regnet in nobis, vt obediamus concupiscentijs eius, ad Rom. 7. Siquidem hoc est peccatum regnare in nobis, obedire concupiscentijs eius. Docens ad Rom. 7. nobis non imputandum esse quod in nobis, nolentibus nobis, operatur peccatum habitans in carne, hoc est, concupiscentia. Dicit enim: Si quod odi malũ hoc facio, iam non ego (quia non mea voluntate consentiente) operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum. Scio enim quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundũ interiorem hominem. Video autem aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mẽbris meis. Hæc Paulus. Porrò circumferre hic secum concupiscentiam malorũ tanquam malum adiacens, tanquam peccatum habitans in carne, tanquàm legẽ membrorũ captiuantẽ in lege peccati ac mortis, mera miseria, meraq; seruitus est, & captiuitas, non autem peccatũ propriè dictum, imputabile ad culpã dãnationis. Siquidem, teste Augu. peccatum tam est voluntarium, vt si nõ sit voluntarium peccatum esse non possit. Qua sentẽtia dicit Aug. li. primo Retractationum se definiuisse peccatum quod ita est peccatum vt non sit pœna peccati. Nam quod est pœna peccati, vt sunt primi motus concupiscentiæ in regeneratis, propriè non est peccatum. D. Qua igitur ratione vocatur concupiscentia peccatum? M. Figuratè sic vocatur. Tum quia fomes est & incitamentum peccati: tum quia ex peccato primi parentis relicta est: partim in pœnam inobediẽtiæ commissę. partim in exercitium virtutis colendæ. Sicuti scriptura manum Ioachimi facta, manus Ioachimi dicitur. Cuiusmodi exemplum tradit nobis ipsemet August. docendi gratia. Potest nihilominus elici ex scriptura simile exemplum non minus proprium. Vt sciant, inquit Propheta, quia manus tua hæc. Vbi manus sine dubio accipitur pro saluti potenti manu Domini facta, quia subdit: Et tu Domine fecisti eam scilicet manum, hoc est, eam salutem manu tua

Iustitia fidei suscipit incrementa & decrementa.

1. Petr. 2. Iacob. 1.

Apoca. 22

Bernard° ponit quatuor gradus iustitiæ.

Solutio argumenti, quod fit ex parte concupiscentiæ.

Quaratione vocetur concupiscentia peccatum in hominibus iustis.

Psal. 108.

tua consummatam. Denique ideo vocatur a-
liqua ratione, sed impropria, peccatum: quia
adhuc nititur contra dominatum mẽtis. Mo
uet enim concupiscentia contra dominatum
mentis, tam post regenerationem, quàm ante
regenerationem. Ceterùm quàm diu ille mo
tus non potest aliquo modo dici tuus, hoc
est, à te commissus, tua scilicet ipsius volun-
tate, vel saltem voluntate aliena primi paren
tis Adæ, tam diu non est peccatum propriè di
ctum, hoc est, peccatum ab homine commis-
sum contra legem Dei, homini, vt homo est,
datam. Sicuti in nobis regeneratis primi mo
tus concupiscentiæ non committuntur à no-
bis neque nostra voluntate. Nam præueniũt
siue precurrunt voluntatem nostram: Neque
voluntate aliena primi parentis Adæ: quia re
generati sumus in Christo, qua regeneratio-
ne moritur in nobis vetus Adam, & vetus vi
ta, teste Apost. Adeo vt nihil amplius nobis
sit imputabile velut peccatum ratione volun
tatis primi parẽtis Adæ, eò quòd ille ampliùs
non est in nobis, neque nos in illo. Vt dicat i-
Rom. 8. dem Apost. plano & absoluto sermone: Nihil
igitur dãnationis est ijs qui sunt (nota sunt)
in Christo Iesu, & non secundum carnem am
bulãt: Nihil; inquit dãnationis, hoc est, quod
aliquo modo damnari aut culpari, veluti pec
catum aut delictum possit, est ijs qui sunt iam
in Christo Iesu per regenerationem, quàmdiu
ipsi non ambulant secũdum carnem sua pro-
pria voluntate vel consentiente in motum cõ
cupiscentiæ, vel non impediente vbi aduertit
& impedire potest. Vt sit verum quòd tãtùm
prodest naturæ humanæ beneficium allatum
per Christum: quantùm obfuit eidem naturę
maleficium illatum per Adam. Sintq́; verè li-
beri à peccato, quos fili' liberauit, siue liber-
tate Euangelica donauit. Verùm si nostra re-
generatorũ volũtas, domina & regina actio-
num (quas hominis, vt homo est, esse dicimus
quasq́; illi, siue ad laudem, siue ad culpã, impu
tare licet) omittat vel committat quippiam
contra legem Dei, vel contra feruorem carita
tis, vt facile & subinde cõtingit, plus aliquid
dico, contra ordinem caritatis, attamen qua-
si ex surreptione, aut vehemẽti perturbatione
priusquàm secum debitè deliberare poterat,
etiam hoc sanè peccatũ dicimus: sed nõ Mor
tale peccatum, verùm leuiusculum, quod Ve
niale appellamus. De cuiusmodi peccatis in-
telligendũ venit, quod Ioannes Euang. docet
in sua prima Cano. dicẽs. Si dixerimus quo-
niam peccatum non habemus, ipsi nos sedu-
cimus, & veritas in nobis non est. Ceterùm
peccata hæc, quoniam non extinguunt in no
bis Spiritum Christi, nec nouam illam creatu
ram, quæ secundum Deũ est, interimunt, ne-
que propriè inuertũt ordinem caritatis, quia
citra debitam deliberationem contingunt,
ideo non tollunt iustitiam fidei, qua iusti su-
mus coram Deo. Sed sicut minũt dilectionẽ
caritatis, ita & iustitiam fidei minùs plenam,
& abundantem efficiunt, & in circuitu suo
multis, quasi maculis respersam reddunt. Ve-
runtamen illud Esa. 64. neutiquam huc cita-
ri debet, vt citant hæretici, quasi Esa. ibi vo-
luerit docere nostram iustitiam fidei, esse im
mundam instar panni mulieris menstruatæ. Exponitur dictũ Esaiæ de panno mẽstruatæ.
D. Hoc tamen videtur satis cõsonare doctri
næ diui Bernardi iam citatæ. M. Nequaquam.
Loquitur enim Esaias de iustitijs operũ, quas
Iudaicus populus ex obseruatione legis sibi
conquirebat, alioqui immundus, iniustus, fœ
tidus, atque longè extra gratiam Dei positus
dicẽs: quòd vniuersæ illæ iustitiæ legis, in qui
bus gloriari poterãt, sunt sicut pannus men-
struatæ: Qui licet in quibusdam partibus ni
torem quendam retineat, tamen sic turpitu-
dinis sanguine respersus est, vt sit planè immũ
dus, ac fœtidus, nec in conspectum hominum
prodire debet, quantò minùs in conspectum
Dei. Lege textum, & me verum dixisse iudi-
cabis, sic enim habet: Ecce tu Domine Deus
iratus es, & peccauim', & in ipsis fuimus sem
per, & saluabimur (scilicet supereminente tua
bonitate) & facti sumus vt immundi omnes
nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iu
stitiæ nostræ (scilicet quas secũdum legis ob-
seruationem collegimus nobis) Et cecidimus
quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ
quasi ventus abstulerunt nos, &c. An hìc lo-
quitur Propheta de iustitia fidei, qua iusti cõ
stituimur coram Deo? Et non potiùs de iu-
stitijs operum, quas homo operatur implen
do legis decretum, nihilominus permanens
in diuersis iniquitatibus, & peccatis? Sõnium
est quod fingunt. Quia iustitia fidei vna est nu
meroq́; singulari effertur: iustitia verò operũ
plures sunt, & numero plurali efferuntur, vt
eas eloquitur Esaias. Nec minùs quoque ine
ptũ est citare hoc loco illud Iob 25. Nunquid
iustificari potest homo comparatus Deo, aut Exponitur quod obiectum fuit ex 25. cap. Iob.
apparere mundus, natus de muliere? Princi-
pio, quoniam Baldad Suhites qui dixit istud,
parum habet auctoritatis ad astruendam fi-
dei veritatẽ. Si verò dixeris, idem assertum es
se ab ipso Iob cap. 9. Scies sententiam illius
dicti esse istam. Quod homo operãs ea par-
te qua homo est, & omnib. virib. humanę suę
virtutis intendens benefacere, nihil aliud in
se habens, quàm quod secum attulit ex visce
ribus maternis, aut studio virium suarum si-
bi cõparauit, nõ potest apparere iustus coram
Deo

Deo, Quin potiùs omnib. suis iustitijs, quas solius liberi arbitrij viribus parauit, nihil est comparatus Deo. Deniq; quòd homo renatus, & intus gratia Dei sanctificatus, viués in hoc mundo, tot imperfectionibus, tot minutulis peccatis, tot excessibus & defectibus inuoluitur, vt compositus Deo, potius iniustus quàm iustus, potiùs tenebræ, quàm lux diei debeat, eò quòd in Deo prorsus nihil est impuritatis, nihil imperfectionis vel minimæ In homine autem sancto ac iusto cócurrunt plerunque impuritates quædam, & minutila peccata. qualia tamen neque spiritum extinguút neque caritatem inuertunt, quare nec iustitiã fidei, qua iusti dicimur, auferunt. Quod vtiq; verum arbitramur, vti in supradictis demonstrauimus, constanter asserentes quòd ipsa iustitia fidei, desuper cordibus nostris infusa operatione Spiritus sancti, qui datus est nobis aliquid est, immo multum est cõparata Deo.

Iustitia fidei comparata Deo multũ est.

Hoc siquidem, quod est fetus nouæ prolis cõparatus viro perfectę ætatis, quòd filius recés natus comparatus suo parenti, quod lumen candelæ comparatũ luci Solis, quod denique semen comparatum messi futuræ. Omnis, inquit Apostolus Ioannes, qui natus est ex Deo peccatum nõ facit (scilicet enorme quod vocamus mortale, veram peccati rationem possidens) quoniam semen Dei in eo manet, & nõ potest peccare, quia ex Deo natus est. Audis semen Dei, quod est iustitia qua iusti sumus coram Deo. Audis quoque nos natos esse ex Deo, per modum licet infantiæ: quia nõdum apparuit quod erimus. Sicut igitur lumen cãdelæ, verè lumen est, lucem prębens omnibus qui in domo sunt, fetus quoque nouæ prolis verè homo est: non obstantibus, imperfectione, inęqualitate, dissimilitudine, quas est inuenire in lumine candelæ comparatione Solis, in fetu insuper comparatione parentis, vtque semen veraciter in se cõplectitur totam messem, cuius tamen comparatione ferè nihil apparet. Ita iustitia fidei nobis inhærens tenera iustitia est, in se virtualiter complectens illam absolutam & glorificatam iustitiam futuri sæculi, qua tandé comparati Deo non vtiq; iam nihil dicemur, quin potiùs vnum erimus cũ Deo, teste Saluatore dicente: Rogo pater vt omnes vnũ sint nobiscũ, sicut ego & tu Pater sum⁹. Vt omnes vnũ sint sicut tu Pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnũ sint: vt credat mundus quia tu me misisti. Similimodo vt dictũ Iob, ita intelliges & illud Psal. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Omnis, inquit, viuens, quicunque ille fuerit siue Angelus, siue homo, siue veteris siue noui Testamenti, nõ iustificabitur, inquã, in conspectu tuo: ex his scilicet quæ ipse agit suis sibique innatis viribus naturæ, non concurrente neque cooperante gratia diuina. Vtique tamen iustificabitur coram Deo homo Christianus, ex his quæ Spiritus Dei in eo, & per eum operatur, per fidem, aliaque dona, Dei miseratione cælitus infusa.

1. Ioan. 5.

Ioan. 17.

Psal. 142.

Alia obiectio.

Philip. 3.

1. Cor. 1.

D. Intelligo. Attamen illa loca Pauli, Vt inueniar in illo, scilicet Christo, non habens meam iustitiã quæ ex lege est, sed iustitiam quæ ex fide est Iesu Christi. Item. Qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, &c. videtur innuere quòd iusti sumus, non nostra nobis inhærente iustitia: sed iustitia Christi, quæ ex fide est.

Solutio.

M. Apostolus priori loco, non dicit: Vt inueniar non habens iustitiam, sic absolutè citra additionem: sed vt inueniar non habens meam iustitiam quæ ex lege est: sed quę ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est, vtique in me. Ideóque dicta est iustitia Dei: quia ex Deo, & per illius miserationem nobis inest: Iustitia insuper Christi, quia non contingit nobis, nisi per Christum, & per gloriosa merita eius. Iustitia denique fidei: quia datur, apprehenditurque per fidem. Illud autem, Qui factus est nobis sapientia, iustitia, &c. interpretatur Theophylactus dicens: id est, sapientes nos & iustos, & sanctos, & liberos fecit.

Exponitur illud, Factus est nobis sapientia.

D. Quare igitur non dixit Apostolus: Sapientes nos ac iustos fecit, sed factus est nobis sapientia & iustitia &c. M. Respondit idem Theophylactus. Vt largitatem doni & exuberantiam ostenderet. Perinde ac si diceret: totus seipsum nobis tradidit, factus scilicet nobis totalis ratio & caussa, quòd Deo donante sapiamus sapientia Euangelica, quòd iusti simus vera iustitia fidei Deo placente. Quis vnquam Catholicorum hic somniauit eiuscemodi Commentarium? Factus est, nobis sapientia, hoc est, effecit quod sapiamus extrinsecus sapientia, quæ in ipso est: aut effecit nos sanctos extrinsecus sanctimonia quæ in ipso est: nobis interim intus in corde permanentibus stultis & profanis? Quare nec in isto eiusmodi Commentarius recipi debet: Factus est nobis iustitia, id est, effecit nos iustos extrinsecus iustitia quæ extra nos est, & permanet in ipso: nobis interim permanentibus in nostris iniustitijs & iniquitatibus. Quasi Deus propter filium suum reputet eos iustos, qui reuera sunt iniusti & impœnitentes. Aut Christus suis meritis patronus sit factus iniquitatis, & non magis mortuus sit, vt deleat iniquitates omnium nostrum. Alienũ est, blasphemum est, & impiũ, neque viro benè Christiano in animum vel mentem venire debet. Nũquid non iudicium Dei est secundum veritatem?

Esa. 5. tem Verbum Domini apud Esaiam sic habet: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Væ qui iustificatis impium pro muneribus. Num iniquus Deus? An non potiùs iniqui illi, qui blasphemando docent Deum propter filium suum reputare pro pio & iusto eum, qui manet reuera impius, & iniu- Ezech. 11. stus? Vbi ergo manebit promissio Dei facta per os Prophetæ: Dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, Et auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum? Vbi & illud, quod nunc imple- 2. Pet. 1. tum asseruit Petrus, dicens: Per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ? Vbi denique illud: Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate, ad Ephes. 1? Et sexcenta alia his similia. Valeāt igitur isti extrinsecarij cum suis profanis & blasphemis vocibus, extrinsecus iustificari, extrinsēca iustitia. Nobis autem certissimum maneat, secundum traditionem scripturarum, quòd iustitia iusti in eo & super eum: sicut impietas impij in eo, & super eum. D. Iustitia itaque Christi quomodo se habet ad iustitiam fidei nobis inhærentem. M. Sicut caussa sine qua non. Præterea sicut caussa exēplaris, plus dico, sicut Modi quibus se habet iustitia Christi ad nostrā iustitiam. caussa efficiens, non vtique principaliter; sed per modum inducentis, & impellentis principale agens ad effectionem nostræ iustitiæ: Addo quod amplius est: sicut caussa meritoria. Quia meruit Christus sua iustitia, sibique debitum fecit, quod nobis ritè credentibus infundatur iustitia, qua iusti sumus coram Deo. Primum habes Ioannis 15. dicente Domino: Sine me nihil potestis facere: quod & apta quadam Parabola ibidem probat. Secundum, videlicet iustitiam Christi esse exemplar primarium nostræ iustitiæ formandæ probatur, Quoniam qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse am- 1. Petr. 2. bulare 1. Ioannis 2. Rursus: Christus passus est pro nobis, inquit Petrus, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et tota scriptura Euangelica, nihil ferè aliud agit, quàm quòd proponit Christum in actioni- Matth. 10 bus suis, & iustitijs imitandum, ipso Christo Hebr. 7. 9 dicente: Qui non sequitur me (id est imitatur me) non est me dignus. Tertium verò licet sic probare. Quoniam, sicut Apostolus docet ad Hebræos, Christus ascendit in ipsum cælum, vt appareat nūc vultui Dei pro nobis, semper viuens ad interpellandum pro nobis: Ad interpellandum, hoc est, vt sua iustitia præsentata, velut interrumpat conceptam indignationem Dei aduersus genus humanum. Quæ indignatio intelligitur in nomine vultus, iuxta illud: Vultus autem Domini su- Psalm. 33. per facientes mala: Atque hoc est quod Propheta rogat dicens: Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui, id est, Psalm. 73. in iustitiam Christi tui (quia iustitia, velut facie, quis cognoscitur probaturque Deo) atque illa inclineris, vt propitius fias. Vltimum denique, videlicet, quòd iustitia Christi, ratione passionum, quas vt iustus & propter iustitiam sustinuit pro nobis, promeruit, vt cælitus iustificemur ab impietatibus nostris, luculentissimè probabimus infrà in Articulo Symboli: Passus sub Pontio Pilato. D. Nunc autem quæ est caussa principaliter operans in nobis iustitiam fidei? M. Deus ipse Quæ sint caussæ principales iustitiæ nostræ. in sæcula benedictus. Omnipotens namque miseratio Dei patris, diuinitas Christi Domini, virtus Spiritus sancti, caussant effectiuè in nobis eam iustitiam, qua iusti sumus co- Esa. 43. ram Deo. Ego sum, ego ipse sum, inquit Dominus, qui deleo iniquitates tuas propter me. Narra si quid habes vt iustificeris. Deus est qui iustificat. Nam quos vocauit, hos & iustificauit, ad Romanos 8. Rursum: Sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Qui opera- 1. Cor. 6. tur in nobis fidem, spem, dilectionem, cordisque immutationem, quibus velut caussis dispositiuis & susceptiuis præparamur à Domino ad iustitiam suscipiendam. Effundit insuper in nos pretiosa illa dona Dei, quibus efficitur in nobis cor nouum, spiritus nouus, nouaque creatura secundum Deum, amor denique velut diuinus, cōtinens hominem quaqua versum in ordine & officio. Atque illa pretiosa dona gratiarum Dei, sunt caussa formalis nostræ iustitiæ, qua anima est iusta. Quomodo homo bene dispositus, sanitate est sanus. Ita vt totum Deo, & benedicto filio eius tribuere oporteat, nihil omnino nostris viribus, nostræque vigilantiæ, aut vllis operibus nostris præuijs vel concurrentibus. Quasi per illa hæc efficiamus in nobis: quanquam non fiant à Deo in nobis adultis sine illis: Vel promereamur vt fiant à Deo in visceribus nostris. Vt infrà latiùs ac distinctius explicabimus.

De vocibus istis sola, omnino gratis, absque respectu operum, quousque admitti debeant in doctrina iustificationis. CAP. X.

M. Nunc ad reliquas deceptiones eorum quas suprà notauimus in his vocibus, sola fides, omnino gratis, ábsque vllo respectu operum. D. Quid precor volunt excludi, dum dicunt sola fide nos iustificari? M. Sacramenta Ecclesiæ, pœnitudinem cordis, propositum melioris vitæ, caritatem, virtutum officia, & vniuersa bona opera, etiam scripturis commendata. Non quòd ista homo non debeat habere, sed quòd prorsus nullam conferant vim ad iustificationem, qua iusti efficimur coram Deo. Per illa siquidem, vti dicunt, neque incipit iustitia in nobis, neque plenior redditur, neque consummatur, sed per solam fidē vt accipitur, ita & perficitur, & consummatur. Non enim Sacramentum iustificat, sed Sacramenti fides. Opera quoque nostra pleraque imperfecta sunt & immunda, velut pānus menstruatæ. Et vt quædam quamlibet bona existant, tamen non sunt nisi fructus, & testimonia veræ fidei, & eius quæ ex fide paratur iustitiæ. Caritas denique & spes, licet inseparabiliter concurrant cum fide: tamen non illa, sed fides spiritu suo viuifico iustificat. Hæc & similia illi. Tu autem vt scias eos fingere ista proprio sensu: principio certum habe, vti suprà dixi, nusquam in scripturis inueniri dictionem exclusiuam additam fidei, quoties ei tribuitur iustificatio. D. Legimúsne expressè scriptum: Sola fides sufficit? M. Legimus quidem: sed extra scripturam sacram, in hymno quodam de venerabili Eucharistia: quo auctor voluit significare, satis esse credidisse, etiamsi ratione non penetres tanti Sacramenti mysteria. Ceterùm, quid hoc facit ad caussam istam? Legimus prætereá apud Hilarium Canone octauo in Matthæum hoc modo. Sola enim fides iustificat. At noluit ille per vocem, sola, aliud excludere quàm legē: vt textus orationis eius palàm ostēdit. Dicit enim: Mouet Scribas remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Iesu Christo contuebantur & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Sola enim fide, scilicet absq; lege, iustificat. Legimus tertiò apud diuum Ambrosium in caput 3. epistolæ ad Romanos, vbi inquit. Iustificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem Deo reddentes, sola fide iustificati dono Dei. Verùm Ambrosius eo loco non voluit per, solam, excludere, nisi ea quæ præcedunt fidem. Loquitur enim de gentibus Romanis, & Iudæis, quos neque lex Moysi, neque natura, aut vlla bona opera fecerant iustos, aut iustificatione dignos, plus dico, ne idoneos quidem ad iustitiam suscipiendam. Ceterùm his omnibus præuijs, in quibus gloriabantur, partim Gentes, partim Iudæi, omissis, sola fides iustificat. Quis hic somniaret, excludi quòd subsidiarium est fidei, pertinens ad familiam eius: qualia sunt bona opera, virtutes Euangelicæ, quæ facit, & Sacramenta quæ suscipit homo, ex sincera & ardente fide? Qualia pertinere ad iustificationem abundè in suis scriptis docuerunt Ambrosius, & Hilarius. Quanquam, sint qui rationabiliter sentiunt vocem exclusiuam in Commentarijs Ambrosij à falsarijs adiectam esse. D. Etiámne innuitur quidem vspiam in scripturis sparsim positis, quod sola fides iustum facit. M. Quoniam Apostolus ad Romanos docet, quòd ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Item: Arbitramur hominem per fidem iustificari sine operibus legis: Addens quarto cap. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum: Ex his certò colligi posse dicunt, hoc modo. Homo non iustificatur ex operibus, sed ex fide, sine operibus. Ergo ex fide tantùm. Ceterùm quàm sit impotens hæc Caluini & aliorum collectio, iam demonstrabo. Primò, pro indubitato habendum est, Apostolum in nullo loco docuisse hominem iustificari per fidem sine Sacramentis: et quidem scitè ac prudenter, ne docendo dissentiret à suo magistro Christo, qui in opere iustificationis fidei, coniunxit Baptismum, dicens: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Tantùm abest, vt excluderet Sacramentum: néue contrarium doceret Principi Apostolorum Petro, qui incipientibus credere persuasit pœnitentiam simul & Baptismum, Actorum secundo, vt dicemus infrà: Vel etiam ne sibi ipsi contradiceret. Nā Mileti inter maiores natu Ecclesiæ, protestatus est, hoc modo, Quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos testificans Iudæis atque Gentilibus, in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrū Iesum Christum. D. Responderent fortassis, vt dixisti suprà, Sacramentum quidem requiri simul cum fide: attamen non Sacramentum, sed fidem Sacramenti iustificare. M. Sic quidem dicunt. At verba Apostolica longè nobis aliud demonstrant. Pronuntiat enim Petrus, dicens: Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma. Baptisma, inquit, saluos facit, non fides Baptismi. Et Paulus, Sicut & Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, id est, Sacramentali ablutione: vt mun-

Quid hæretici intelligant excludi per vocem sola.

Vox sola nusquam adiungitur fidei in scripturis.

Roma. 3.

Rom. 4.

Sacramentis iustificamur, & non fide tantùm.

Marc. vlt.

Actor. 20.

Ipse baptismus iustificat & saluum facit non sola fides.

1. Petr. 3.

Ephes. 5.

vt mundatio intelligatur fieri per ipsum Sacramentum. Hinc Baptismum vocat lauacrũ regenerationis & renouationis, dicens, per ipsum nos saluos fieri, conformiter doctrinæ saluatoris Ioannis 3. Si Christus & Apostolus eius tribuunt Baptismo regenerationem hominis in nouam creaturam Dei, quã nusquam leguntur tribuere fidei, licet eidem tribuant iustificationem, purgationem, sanctificationem, &c. Si prętereà regeneratio nõ potest intelligi absque iustificatione, quinimò est ipsa iustificatio: quis mortalium loquens secundum veritatem audebit astruere solam fidem, non autem Sacramenta iustificare hominem? Verùm de Sacramentis fideliter perceptis, quomodo & quousq; alia iustificēt alia sanctificēt, exactè disseremus quarto nostro Demõstrationũ libro. Quòd autẽ caritas vim conferat non modicam ad iustificationem, præter ea quæ diximus suprà, ex doctrina Saluatoris & Ioannis Apostoli, certò conuincitur. Si enim vt asserit Ioannes, dilectione proximi, quæ est & dilectio Dei, transferimur à morte ad vitam, sequitur infallibili argumento quòd dilectione iustificamur. Iustificatio enim non est aliud, quàm translatio ab impietate, quæ mors est animæ, ad veram pietatem, qua rectè & ordinatè viuitur ad omnes, quod vtique est iustum esse. Si prætereà, vt Dominus asserit, dimissa sunt Magdalenæ peccata multa, quoniam dilexit multum: Ergo dilectio operatur remissionem peccatorum. At remissio peccatorum, est pars iustitię qua iusti sumus coram Deo, vt ex supradictis meminisse debes. D. Nunc de operibus, an prorsus a Symbola sint in opere iustificationis. M. Diuus Augustinus tractans de his, quæ vel suo tempore, vel longè anteà contigerant, testatur hæreticos ex Pauli verbis ansam accepisse dicendi, quod fides per seipsam sufficiens est absque operibus ad salutem. De qua re & Petrus in epistola sua secunda meminit dicens: In quibus, nempe verbis Pauli, sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauãt, sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Propter quod necesse fuit Spiritui sancto in scripturis hanc hæresim alicubi refellere, quòd & copiosè fecit per diuum Iacobum. Is igitur docet, Abraham non sola fide iustificatum fuisse, sed eius fidem habuisse dilectionem & opera. Hæc Augustinus: qui & alio loco sic scribit. Quoniam, inquit, hæc opinio, tunc (scilicet tempore Apostolorum) fuerat exorta: aliæ epistolæ Apostolicæ, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruãt fidem sine operibus non prodesse: Sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Vnde illam fidem quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem: ita vt montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Vbi autem fidelis caritas operatur, sine dubio ibi bene viuitur. Plenitudo enim legis est caritas. Hucusque Augustinus. Nam cetera eius verba breuitatis caussa omitto. Ex quibus verbis Augustini hortatur doctus, & sanctus Martyr Ioannes Roffensis quædam annotanda, quæ tibi, omnibusque studiosis semper præ oculis esse debent. Primùm, emersisse quondam hanc quorundam nostri temporis opinionem, qua asserunt fidem iustificare sine operibus: quodque ipsemet Augustinus talem opinionem hæresim appellat. Secundum, quòd huic opinioni ex instituto contradicunt Catholicæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ epistolæ: In quibus autem locis mox subiungam. Tertiùm, quod nec ipse Paulus quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sufficere ad iustificationem putat, sed Euangelicam illam, cuius opera ex dilectione procedunt. Quartùm quòd Paulus illam fidem, quæ sufficere quibusdam ad salutem videtur, asseuerat prorsus nihil esse, nihilque prodesse sine caritate I. ad Corinth. 13. Quintùm, quòd diuus Petrus aduertens quosdam ex illis Pauli verbis occasionem erroris accepisse, vt tanquam de salute, quæ in fide est, securi, bene viuere, non curarent, diligenter monuerit in epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauarent: quodque ipsemet Petrus sedulò ad morum, vitæque sanctitatem cunctos adhortatur, dicens inter cetera in hunc modum: Quapropter, inquit, fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, secund. Petri primo. Vnde & Ioannes sic scribit: Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam, iustus est: non sane qui credit tantum, sed qui facit iustitiam, est iustus: sine dubio notans tum temporis fuisse exortum errorem quendam dicentium, nos sola fide iustos ac saluos fieri. Et capite præcedente inquit: Si scitis quoniam iustus est, scilicet Deus, aut Christus, scitote quoniam & omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est. Nec minus studiosè dirigit sanctus Iacobus suam epistolam contra hunc errorem, dicens: Quid proderit, fratres mei, si fidem quis

Marginal notes: Caritate iustificamur non sola fide. 1. Ioan. 3. — Luc. 7. — Bonis operibus iustificamur & non fide tãtùm. Pulcra sententia Aug. de verbis Apostoli. 2. Petr. vlt. — Iacob. 2. — 1. Cor. 13. — Multa ex verbis August. diligenter annotanda. — 1. Ioan. 3. — 1. Ioan. 2. — Iacob. 2.

dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis. Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quod vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt. Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est? Abraham pater noster nónne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm? Similiter & Raab meretrix nónne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eijciens? Sicut enim corpus sine spiritu, mortuum est, ita & fides sine operibus, mortua est. Hucusque Iacobus. Cuius sententia nihil possit dici clariùs; aduersus maledictam hanc hæresim nostri temporis. D. An igitur contraria docent Apostoli, etiam circa vnum eiusdem Patriarchæ factum, Iacobus dicens, quod Abraham ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare: Paulus verò, contra asserens. Si Abraham ex operibus est iustificatus, habet gloriam, sed non apud Deum? M. Augustinus libro lxxxiij Quæstionum dicit. Non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Iacobi, cùm dicit vnus iustificari hominem sine operibus, & alter dicit, inanem esse fidem sine operibus: Quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt: iste autem de operibus: quæ fidem sequuntur: sicut & ipse Paulus alijs in locis ostendit. Hæc ille. Neque loquuntur de eodem facto Abrahæ. Nam quod dicit Paulus, refertur ad id quod narratur Genesis 15. vnde citat testimonium. Ibi enim Deus promisit Abrahæ, quòd semen eius futurum esset tam numerosum, quàm stellæ cæli, quæ numerari non possunt: Quod quia credidit Abraham Deo, non obstante quòd adhuc nullam haberet prolem: hoc ipsum credere, absque respectu vllorum præcedentium operum, aut specificatione alicuius boni operis, reputatum est Abrahæ ad iustitiam: ad ostendendum, iustitiam à Deo dari propter fidem. Quod verò inducit Iacobus, narratur Genesis 22. & contigit multo tempore post dictam iustificationem Abrahæ. Estque opus eximium singularis obedientię, qua paratissimus erat offerre filium suum vnigenitum, ex eadem fide qua illum acceperat, fide, dico, subijciente totum hominem, omniaque sua obedientissimè Deo. Vnde narrat ibi historia, quòd propter factum hoc, & hanc tam eximiam obedientiam, iurauerit Dominus, non solùm multiplicaturum se semen Abrahæ, sicut stellas cæli, sed & benedicendas esse in semine eius omnes gentes terræ: adeò vt rectissimè dicat Iacobus: Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Vides ergo quàm eleganter distinxerit secundum scripturas Augustinus, inter opera præcedentia fidem, & opera subsequentia; quàmque disertè conciliarit hac distinctione duorum Apostolorum sententias. Quis enim posset tam esse inops iudicij, vt censeat fidem iustificare, non autem opera fidei? An enim fides iustificat, quia forma est, & non potius quia virtus illuminans intellectum, omnesque alias potentias, ac vires hominis excitans, & dirigens in opus Dei? At nunc inuestigemus, quæ dicantur opera sequentia fidem, quibus iustificationem tribuimus, sicuti & fidei.

Genes. 22. (margin)

Genes. 15. Rom. 4. Galat. 3. (margin)

Iosue 2. (margin)

Rom. 4. (margin)

Pauli & Iacobi sententiæ. (margin)

Quæ sint opera præcedentia fidem, quæ sequentia: et quomodo hæc, non autem illa cooperantur ad iustificationem hominis.

CAP. XI.

INtelligisne distinctionem quam ponit Augustinus inter opera præcedentia, & opera sequentia fidē? M. D. Intelligo. Quia quæ facit homo nondum Christianus, sunt opera præcedentia: quæ verò facit Christianus, sunt opera sequentia fidem. M. Certè vix semiplenè intelligis. Nam præcedentia opera sunt, non solùm ea quæ facit homo ante susceptam fidem, sed etiam quæcunque iam Christianus facit, citra imperiū & directionem fidei. Etenim Christianus multa facit, vt homo, quæ neque actu, neq; habitu, neq; virtute procedūt ex directione fidei in Deū: Et hæc sanè nullā vim conferunt ad iustitiam, vel introducendam, vel promouendam. Ceterùm opera quę procedunt in homine, siue ante siue post iustificationem ex directione & lumine fidei, nem-

Quæ dicātur opera præcedentia fidem, quę sequētia. (margin)

nempe quæ facit quia à Christo docta sunt, aut quia cognoscit eiusmodi operibus placari vel promereri Deum, hæc sequentia dicuntur. Et vtique valent multum, potissimùm quando procedunt ex fide per quandam dilectionem: alia quidem ad iustitiam introducendam, alia verò ad augendam eam & consummandam. Vis hæc tibi scripturis demóstrem? D. Obsecro. M. Lege cap. Lucæ 18. & perpende opera quæ faciebat Publicanus ex fide in Deum, veniendo ad templum, stando à lōge, percutiendo pectus suum, adeo humiliter ac pudibundè, vt nec oculos auderet attollere in cælum, dicens valde suppliciter: Deus propitius esto mihi peccatori. Hæc fidei opera, si nihil conferant ad iustificationem, cur ea cōmemorat Christus tam magnificè? Pronuntians ex illis: Amen dico vobis, descendit hic Publicanus iustificatus præ illo, scilicet Pharisæo. Lege præterea caput Luc. 15. & perpende actiones filij prodigi reuertentis ex fide, & fiducia pietatis paternæ: nónne prouocarunt ita pium patrem, vt rueret in collum & oscula filij, priusquàm ille adhuc cōfiteretur culpam? Lege tertiò, Actorū 10. Orationes & eleemosynæ Cornelij Cēturionis procedentes ex illuminatione quadam fidei, quā ex institutione Iudæorum de Deo habebat, nónne exaudita fuerunt in conspectu Dei, & commouerunt miserationes eius, vt hominē perduceret ad fidem plenam mediatoris, atque spiritum iustificationis desuper ei infunderet? Lege quartò, cap. 7. Lucæ, & perpende eximia illa opera pœnitentis Magdalenæ ex magna fide in Christum, nonne obtinuerunt ei remissionem peccatorum & iustificationem? Sic & opera Centurionis, atque mulieris Chananææ humillimè supplicantium Domino ex fide, nónne obtinuerunt eis quæcunque voluerunt? Lucæ 7. Matth. 15. D. Verùtamen dicit Saluator ad Magdalenam. Fides tua te saluam fecit, tribuens salutem fidei. M. At nota hic duo. Primum, quòd præmiserat, nempe remittūtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Secundum quòd non dicit absolutè, fides te saluam fecit: ne videatur salutem tribuere vni fidei, sed fides tua te saluam fecit. Tua, inquam, fides, hoc est, fides sic disposita, vt in te tam operās per dilectionem, sic cor immutans debita pœnitentia, ad imbres vsque lacrymarum. Fides tua talis ac tanta, ô Magdalena, te saluam fecit. Sicut te, fili, & me indubiè saluos faceret, si sic in nobis viua, fertilis, ac studiosa esset bonorum operum per dilectionem. Similes scripturas similiter interpretaberis. Fides itaque nisi adiuuetur eiusmodi sequentibus bonis operibus, manet inanis ac mortua, sicuti Iacobus docet. Qualia opera si secum habeat, proinde multùm valet, sicuti Paulus docet, dicēs. Nam in Christo Iesu neque circuncisio, hoc est, quidquid egeris secundum legem, aliquid valet, neque præputium, hoc est, quidquid egeris secundum dictamen rectæ rationis, aliquid valet (vt intelligas opera præcedentia nihil prodesse) sed fides. Et quæ obsecro fides? Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur, supple valet. Quoniam autem, dicit, fides quę operatur, manifestum est, quod Paulus non excludit opera sequentia fidem à iustificatione. Verùm quæ sunt ista opera? Hoc quia nō exprimit Apostolus, relinquitur ergo intelligendum de quibuscunque operibus fidei, elicitis vel imperatis, hoc est, de omnibus quæ cognoscimus lumine fidei bona, Deoque grata esse, eamque ob caussam prosequimur. Et hæc quidem operatur, non quocunque modo, sed per dilectionem qua affectuose in Deum fertur anima, etiamsi needum sit illius veræ caritatis qua iusti sumus. Cuiusmodi fuit dilectio Cornelij Centurionis, & Magdalenæ ante adeptam iustificationem. Deus bone, quàm probè animaduertit hæc diuus Petrus, quando interrogatus ab incipientibus credere consilium dedit, inquiens: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum, &c. Quasi diceret: Benè est quod creditis verbo Dei, per os meum annuntiato, verùm hoc non sufficit vt iusti ac salui sitis: Oportet præterea etiam pœnitere vos veteris vitæ, & iniquitatis quā exercenistis crucifigendo Christum Domini, & conuolare ad Baptismum, illoque ablui. Atque tum demum accipietis remissionē peccatorum, & Spiritum sanctum. Quoniam illa multum per omnia cooperantur ad iustificationem. Hucusque de operibus bonis sequentibus fidem, præcedentibus tamen iustificationem. Nam ea opera bona quæ & fidem sequuntur & iustificationem, longè sunt eminentiora istis, quia procedunt non solum ex fide, sed etiam ex Spiritu Dei inhabitante, quo agnoscuntur, quicunque filij Dei existunt. Adhæc procedunt ex pretiosis illis donis Dei, quibus homo consors efficitur diuinæ naturæ. Vnde haud dubiè sapiunt & redolent ipsam naturam iustitiæ diuinæ. Quapropter non possunt non augere eam iustitiam, quæ erat iam in corde nostro, & ex cuius principijs procedebant, efficiendo vt homo iam non solùm iustus sit intus in corde, sed & foris, atque quaqua versum, per omnes vires omniaque membra, quantum patitur humana infirmitas. Pius in Deum, in patriam, in

Exempla scripturarū quibus ostēditur opera valere ad iustificationem.

Exponitur illud. Fides tua te saluam fecit.

Galat. 5.

Acto. 2.

Quantū valeant opera bona quæ & fidem sequuntur & iustificationē.

in parentes, castus in seipso, æquus in commutationibus, modestus in congressibus, pudibundus in oculis, in lingua moderatus, & sic de alijs membris. In hoc enim, teste Apostolo, apparuit gratia Dei Saluatoris no-

Tit. 2.

stri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo: nedum iusti simus intus in corde. Sicque viuamus diuino quodam modo ex Spiritu Dei intus adiuuante, multoque eminentiùs quàm Socrates, aut Plato hæc facere potuerunt suis virtutibus Moralibus. Secundò augent eiusmodi opera iustitiam nostram intensiuè, idque bifariam. Vno quidem modo, quo solent omnes habitus intendi, ac robur & firmitatem accipere debito exercitio sui. Alio verò modo per viam meriti, propter occultam vim, & pretiositatem velut diuinam, quam possident ex antedictis suis principijs, qua indubiè promerentur apud Deum abundantiorem gratiarum infusionem.

Opera bona iustorũ merentur plenioreṁ iustitiam.

Matth. 25.

Iuxta illud Saluatoris: Omni habenti dabitur, & abundabit habenti, inquam, bonum vsum gratiarum quas acceperat, vti manifestè indicat Parabola Matth. 25. & Lucæ 19. Quòd autem opera bona, ex fide simul & Spiritu sanctificato procedentia, sint meritoria vitæ æternæ, negari non potest, propter euidentiam scripturarum, in quibus expressè ponuntur hæ voces: Secundum meritum operum suorum, Ecclesiast. 16. Merces vestra copiosa est in cælis, Matth. 5. Brauium supernæ vocationis, ad Philipp. 3. Corona iustitiæ reposita in cælis. 2. ad Timoth. 4. Reddere, retribuere, dare vnicuique secundum opera, ad Rom. 2. Accipere mercedem secundum suum laborem, 1. ad Corint. 4. Recipere à Deo prout gessit vnusquisq; in corpore suo, 2. ad Corinth. 5. Omnia enim hæc habet expressè verbum Dei in locis prædictis, quæ suo loco fusiùs explicabimus. Vnum tantũmodo adijcio, quod dicit Apostolus ad Roman. 2. æqua lance diuidés inter opera iustorum, & opera impiorum, quantum ad retributionem quæ in die iudicij fiet vtrisque dicens: Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thezaurisas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt. Quærunt inquit (vt intelligamus eum loqui de operibus ex lumine & directione fidei procedentibus) vitam æternam. Iis autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci: Gloria autem & honor, & pax, omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Si ergo reddit Deus in reuelatione iusti iudicij, mercedem condignã, tam pro operibus iustitiæ, quàm pro operibus impietatis, quis poterit negare, quin illa sint meritoria vitę æternæ, sicut ista sunt demeritoria damnationis perpetuæ? Potissimũ cùm dicat claro & expresso sermone: reddet eis vitam æternam. Et hæc sanè quæ hucusq; diximus de operibus sequentibus fidem, hoc est, fideliter, & secundum fidei directionem factis, si vera sunt, vt sunt, propter euidentia scripturarũ testimonia, quo ergo modo posset quispiam eò dementiæ peruenire, vt diceret apud Deum in danda salute hominibus, nullum esse respectum bonorũ operum? Aut sic omnino gratis iustificare, vt si quid ipsi nos ea in re nostri operis, nostræ præparationis, aut studij per pœnitentiam aut conuersionem cordis velimus adiungere, hoc ipsum ad diuinæ gratiæ iniuriam pertinere? Cùm longè aliud tibi nunc ostensum sit, in Publicano, in filio prodigo, in Magdalena, in Centurione, & mille alijs exemplis scripturæ, plurimisque rationibus ostendi posset, quemadmodum copiosiùs ostendetur in materia Pœnitentiæ. Dices igitur & quidem Catholicè, quòd opera bona sequentia fidem, præcedẽtia tamen iustificationem, cooperantur ad iustificationem, sicuti & ipsa fides, quia opera fidei existunt. Insuper dices, quòd bona opera quæ sequuntur vt fidem, ita & iustificationem, vtque ex fide procedunt, ita & ex Spiritu sancto inhabitante verissimè iustificant hominem ea ratione, quia fouent, extendunt, intendunt, & augent iustitiam fide conceptam. Dices tertiò, quòd eiusmodi opera merentur, non solùm augmentum iustitiæ priùs habitæ, sed & coronam iustitiæ in cælis nobis repositam, quæ est modis omnibus consummata, & glorificata iustitia. Quapropter rectissimè distinxerunt Patres eruditionis nostræ, inter primam & secundam, hoc est, inchoatam, & prouectiorem iustitiam: dicentes, illam non cadere sub nostro, sed solius Christi merito: istam verò, sicut & coronam iustitiæ, etiam nostris sanctarum actionum meritis tribui. Hinc Corinthios studiosè hortatur Apostolus dicens. Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis: omni in gloriam Dei facite, scilicet per directionem fidei, nam tunc demum prosunt, tuncque respicit illa Deus, vt grata ad futuram retribu-

Opera bona iustorũ merentur vitam æternam.

Tã iust[is] quàm impijs fiet retributio iusta pro operibus.

1. Cor. 10.

tributionem. Alioqui si fiant citra directionem fidei, non in gloriam Dei Saluatoris, etiamsi in se optima existant qui ea faciunt, profectò nihil sunt, nihil valent, nihil nobis prosunt, magis quàm si gentes essemus: nisi fortè quod impediunt ne excidamus à iustitia, si iusti eramus. Dum enim illa facimus, interea nihil agimus mali: aut si iusti necdum eramus, faciunt, ne deteriores, damnabilioresque efficiamur: simus insuper minus indigni gratia iustificante, suo fortassis tempore a pientissimo Deo nobis largienda.

Quo modo, & quo genere caussarum iustificent fides, & ea quæ ex fide procedunt.

CAP. XII.

D. Vperest quod nedum satis intelligo, videlicet, quomodo, siue quo genere caussarum iustificet fides? M. Si fidei tribuatur iustificatio hominis, nõ ratione sui, qua est notitia mentis, sed ratione eorum quæ fide creduntur, seu potiùs apprehenduntur, quomodo in scripturis ei iustificationem subinde tribui suprà ostendimus cap. 1. huius tractatus: tunc fides iustificat efficienter, meritoriè, formaliter, dispositiuè, consummatiuè, & omni ferè genere caussarum. Quandoquidẽ Deus propitius, Christus mediator, Spiritus paracletus, sanguis redemptionis, pretiosa dona gratiarum Dei, dum fide apprehenduntur, reuera caussant in nobis iustitiam. Deus quidem effectiuè condonando culpas, præparando cor ad pœnitentiam, & superaddendo gratias iustificantes: Christus verò reconciliatiuè atque meritoriè: Spiritus sanctus autem datus ac missus, præparando primùm cor, deinde infundendo gratiarum dona, quibus velut formis quibusdam ac formaliter, vt ita dicã, iusti efficimur. Sacramenta autem Ecclesiæ, quia illis Deus vtitur, velut vasis gratiæ suæ transfundendæ, etiam & ipsa caussant iustificationem: attamen sicuti instrumenta, per quæ agens principale Deus operatur. Fidei verò qualitas, spes, dilectio, fiducia, pœnitentia veteris vitæ, conuersio cordis ad Deum, sunt in iustificatione tanquam media quibus vtitur Deus, faciendo cor hominis idoneum ad iustitiam suscipiendam. Et quis est iste qui fatetur Deum, Christũ, Spiritũ sanctum iustificare hominem (vti in confesso est apud omnes) atque insanit adeò, vt exclusa velit ea instrumenta atque media, quibus verbum Dei attestatur diuinam miserationem vti in iustificandis hominibus, dicens: Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis,

Fides aliter & aliter accepta ac alio genere caussarum iustificat.

Bona opera quomodo iustificent.

Tit. 3.

Rursum: Arbitramur hominẽ iustificari per fidem. Item: Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos? Profectò hunc modum dicẽdi si secutus fueris, euades multas difficultates, potissimùm in epistolis Pauli ad Rom. & ad Gal. Si autem fides accipiatur pro qualitate animę, vti propriè accipitur, eique ratione sui iustitiam tribuere velimus: iam certissimum habe, neque fidem, neque ipsum credere, neque actus pœnitentiæ qui procedũt ex ipsis, iustificare effectiuè aut meritoriè: Alioqui Christus gratis mortuus esset. Quid enim opus erat Christum mori, si fides, aut fiducia, si pœnitentia, aut amor noster potuerunt vel efficere vel promereri apud Deum, vt iustus fiam? Et qualitas illa, quæ fides dicitur, eiusq; actus; qua ratione possent remittere offensas in Deum commissas, aut emũdare ab anima sordes, & abominationes inductas per peccata, aut regenerare in nouam creaturam, vel mortẽ animæ cõmutare in vitã æternã? Profectò nihil tale cogitari debet ab homine Christiano, nihil etiam tale docere voluit Apost. Quod valde clarè insinuat scriptura, admodum circumspectè dicens Gene. 15. & ad Rom. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatũ est ei ad iustitiam. Et rursus: Ei autem qui nõ operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam: Reputatur, inquit, fides: reputatur quoque ipsum credere ad iustitiam. Quasi diceret: Fides nõ operatur, neque suaipsius virtute introducit iustitiam, eãmue meretur. Veruntamẽ inducit eam dispositionẽ, quam reputat Deus sufficiẽtẽ ex parte subiecti, vt iustitiam infundat. Qualem sufficientem dispositionẽ subiecti, neque legis opera, neque naturę, quoquo pacto efficere possunt. Fides itaque talis, qualis erat in Abrahamo, id est, habens coniunctam debitam conuersionẽ cordis ad Deum, est sufficiens dispositio ad suscipiendam iustitiã. Ideoq; vocari debet caussa dispositiua siue susceptiua, non autẽ caussa effectiua, aut meritoria iustitiæ. Quam ob caussam aduertere debes vocẽ. Per, non vbique in scripturis indicare idẽ genus caussæ. Nam quando scriptura testatur nos iustificari per solum Deũ, intelligendum est, tanq̃ per vnicã caussam efficientẽ. Cùm autẽ testatur per Christũ nos iustos fieri, intelligendum est tanquã per caussam meritoriam. Cùm verò dicit nos saluos fieri per lauacrum regenerationis, intelligendum est tanq̃ per caussam instrumentalem. Insuper cùm dicit nos iustificari per fidem, intelligendum est, tanquam per caussam dispositiuam subiecti. Cùm denique docet nos iustificari per gratiam Dei, intelligendum

Rom. 3.
Zach 1.

Fides quo modo reputatur ad iustitiam.

Vox, per, non vbiq; indicat idẽ genus caussæ.

dū est tanquam per caussam formalē. De hac autem quasi æquiuocatione vocis, Per, poteris plura legere in tertio lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis eximij Magistri nostri Turnhout. D. Ceterū quid caussæ est, quòd passim magis tribuitur fidei iustificatio, q̄ Sacramentis, aut caritati, bonisq; operibus? M.

Quare fidei passim tribuatur iustificatio.

Rectè addidisti magis. Quoniam etiam illis, atq; singulis illorū tribuitur hominis iustificatio expresso sermone scripturarū: vti demonstratū est. Magis tamen ac peculiarius fidei: eò quòd fides sit veluti principiū, radix, fortix, atq; directrix omnium quę in homine fiunt, vt iustificationē & salutē consequatur: apprehendēs veluti manu beneficia Dei, quibus datur & absoluitur in nobis iustitia & salus. Adeò vt nec illis in hac parte quippiā tribui posset, nisi quatenus fidelia sunt, id est, ex fide ꝓcedētia. Nā & Apost. dicit: Finis præcepti caritas, non quæcunq;, sed quæ ex fide est nō ficta.

1. Timo. 1.

Summatim perstringitur virtus fidei & necessitas.

Nónne per fide est primus accessus ad Deū, vt habes ad Heb. 11? Nónne etiā per fidē habemus accessum in gratiā istā qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorū Dei, vt habes ad Rom. 5? Nónne fides est substantia rerum sperandarū, argumentū nō apparentiū, ad Heb. 11? Nónne Deus est purificās corda nostra per fidē, Act. 15? Et fide nunquid filij Dei efficimur, ad Gal. 3? Nónne ex fide iustus viuit, ad Rom. 1? Nónne fide resistimus diabolo, eumq; vincimus, ac mundū, 1. Ioan. 4. & 1. Pet. 5? Nónne fides cōstantes nos facit, & perseuerantes in opere, & tandē saluos salute æterna, ad Heb. 11. ad Rom. 5. ad Ephes. 2. 2. ad Tim. 3? Fides indubiè oculus noster est & lumē, quo illuminatur totū corpus actionū nostrarū, in quo ambulandum hortatur subinde Saluator. Et sine fide manet cæca mens nostra, cæcus affectus, cęca dilectio, cęca pars irascibilis, cęca pars cōcupiscibilis, cęcus denīq; totus homo, non vidēs finē ob quē creatus est, neq; media quibus ad illū eniti oporteat, neq; vbi sit, neq; vnde ceciderit. Ita vt de talibus absolutè liceat pronūtiare, cæci sunt, in tenebris ambulant, palpitant, ac manu tentant, errant, obtenebrati sunt: vti non rarò de ipsis pronuntiat scriptura. Vbi deniq; non est fides, ibi nō aliud expectari potest, q̄ certa dānatio mortis. Qui non crediderit, inquit Saluator, condēnabitur. Quod plus est, Qui nō credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.

Marc. vlt.
Ioan. 3.

D. Horrendum est istud Iudæis, Saracenis, Gētibus, & ijs qui à fide Christiana penitus desciuerunt: iam enim iudicati sunt. M. Nec minùs est horrendum illis, qui errore hæretico deficiunt vel ab vna particula fidei, firmiter adhærētes cōtrariæ doctrinæ: Nam, vt supra demōstrauimus, qui perperàm credit vnum articulū, is prorsus nō retinet veram & Catholicā fidē. Rursus nō minùs horrendū illis, qui rationis assensu dūtaxat credunt, non autem corde & affectu amoris: quoniam hoc est semiplenè credere, quantùm ad personā credentis. Quę debet, vt salua fiat, non solum mente, sed & corde credere.

Mali christiani semiplenè credunt.

In iure autem & vbiq; coram tribunalibus, etiā in scriptura sacra, pro eodē habētur nō esse factū, & semiplenè esse factū: vt ibi: Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt Matth. 13. Indicat enim Saluator Aposto. veraciter videre, quia plenè videbant, vt oculis externis, ita & consideratione mentis, & affectu cordis. Ideoque illorum oculos dicit beatos. Iudęos autem reuera nō videre, quia semiplenè videbant, externis quidem oculis, nō autē mentis cōsideratione & affectu cordis. Ideoque in eos dicit: Vidētes nō vidēt, & audientes non audiunt, neq; intelligunt. Vt impleatur in eis Prophetia Esa. dicentis: Auditu audietis, & nō intelligetis, & videntes videbitis & nō videbitis.

Esa. 6.

Veluti nunc in Christianos quāplurimos dici potest: credentes creditis & nō creditis. Creditis quidem, quia mente assensum prębetis, & nō creditis quia non corde bono adhæretis cognitis per fidem. Sicut inquit Apost. ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Quod sanè nō est credere vt oportet credere, quia est semiplenè credere: mente scilicet tantùm & non corde. Nónne totum hominem fecit Deus? Nónne & Christus venit totum hominem iustum facere, sicut totum hominem rectum ab initio creauerat pater? Non vtique mentem tantū, sed mentem simul & affectum, omnesque vires & actiones eius. Vt itaque fide saluetur homo, debet nō solùm mente credere, sed & corde, & bonis insuper operibus. Quod abūdè demonstrant hæ scripturæ suprà discussæ: Corde creditur ad iustitiam, Si habuero omnem fidem: caritatem autem non habuero, nihil sum: Fides quæ per dilectionem operatur valet: Fides verò sine operibus mortua est: Amen dico vobis, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: Discedite, inquā, nō obstante fide vestra tanta, quòd miracula operati estis.

Rom. 3.

Quam ob caussam quoties legis apud Apostolum vel Euangelistas, Fidei attribui iustificationem, debes intelligere de fide qua plenè creditur vt mente, ita & corde, siue amore, & spontanea voluntate prosequendi quæ Deo grata sunt, potissimùm mādata eius.

PRIMI LIBRI DEMONSTRAT. FINIS.

DEMONSTRATIONVM RELIGIONIS CHRISTIANÆ EX VERBO DEI, LIBER SECVNDVS.

REVERENDISSIMO GENEROSISSIMO'QVE DOMINO D. CAROLO A CROYA, PRAESVLI TORNACENSI DIGNISSIMO, FRANCISCVS SONNIVS SALVTEM PRECATVR ET FELICITATEM.



VI scribendo, Præsul ornatißime, admodum benemereri de Republica parant, id in primis spectant, vt compendio prosint quamplurimis, potißimùm in illustranda stabiliendaq; Religione. Qua vna vigente vigent omnia, occidente occidunt vniuersa, pietas, virtus, concordia, caritas erga Deum & proximum, salus deniq; tam publica quàm priuata singulorum: necnon brutescunt penitus homines, cæli diuinæq; felicitatis capaces. Lustrans itaq; omnia, qua potui circunspectione, soliciteq; perquirens, quidnã tantopere labefaceret Religionem Christianam, nunc temporis magis quam pridem: vnde tam immensus languor eius: vnde scissuræ: vnde nascatur quòd tam paucis placeat vetus tradendi forma, & noua quædam ambiant omnes: animaduerti tandem, id esse naturale Religioni, quod & vniuersis: nempe non posse diu subsistere extra suum, quo conseruatur, principium. Si aquatilia submoueas extra aquam, aut aërea extra aërem, contabescunt illico, diu consistere nequeunt. Haud dißimiliter, si subducas Religionem paulò longiùs extra verbum Dei, genuinum & originis suæ & conseruationis principium, tepescit, languescit, intercidit tandem: & id quidem certò, si peregrinam admistionem multo tempore sustinere cogatur. Exinde etiam animaduerti, quòd quemadmodũ communis mater Natura indidit cunctorum mentibus inclinationem seu στοργὴν quandam physicam, cognoscendi veri, ex suo ipsius principio: ita & Spiritus Dei sanctus, quo signamur in die redemptionis nostræ, inserit pectoribus Christianorum iugem quandam propensionẽ cognoscendi quæ Religionis sunt, ex ipso diuinæ reuelationis verbo, velut natiuo suo fonte, vnde & puriùs profluit, & afficit magis eam, quæ secundũ Deũ est, regeneratione Spiritus sancti, creaturam. Quæ sanè duo mecũ recolens iterũ atq; iterum, operæpretium duxi, si cõscriberem libros Demonstrationum Religionis Christianæ ex verbo Dei, quibus subindicarẽ symmystis meis, ac pastoribus, & ecclesiastis viam demonstrandi populo mysteria Religionis simili modo: vt obstruatur os iniqua loquentiũ, quasi aliud doceamus in Ecclesia, q̃ in verbo diuino radicatũ monstremus. Qui scholasticè tractarũt hæc eadẽ, bene quidẽ & exactè tradidere veritatem. Ceterũ quia paucis id genus tractandi diuina perspicuũ est: rursum quia philosophia naturalis, humanaq; ratiocinatio habent nescio quid peregrinum à diuinis: ideo confidimus istam quam parauimus demonstrandi rationem magis fore cõmodam, magisq; vtilẽ cunctis atq; amabilem. Primùm quidem quòd Religio in proprium relata principiũ, viuidior sit, fecundiorq; fructu salutiferæ vbertatis in populo. Deinde verò q̃ soleant ea dulcedo ac puritas, quæ percipiũtur in ipsa scaturigine fontis Euãgelici, trahere ad se Christiana pectora, vi quadã recondita: haud secus atq; Magnes ferrũ, aut Cæcias nubes. Non autem diu anceps hæsi, cuinam mortaliũ meas lucubrationes nuncuparem. Siquidẽ Celsitudo tua genere amplißima, Episcopali dignitate reuerenda, beneficentia in me non minima, mox omnẽ sustulit ex animo meo cogitationem de alijs, idq; meritò. Nemo enim à tẽpore quo Academiã Louaniensem ingressus sum, adeò iuuit, adeoq; fouit, atq; promouit mea studia, ac tua vnius liberalitas: in omnes quidẽ propensa, in me autem tam profusa, vt etiã pensione annua centum aureorum me dignũ existimarit. Quam & recepi, donec æmuli sui vrentibus malarum delationum sibilis, beneficentiæ vestræ fontẽ erga me exiccarunt. At serenũ post nubila spero, ac tũ quoq; vberiorẽ eiusdẽ fontis recursum. Interea autẽ haudquaquã prætermittam id officij, quod iure solent Mæcenates à suis expectare alũnis. Quin potiùs præstabo, dũ viuã, nunc munuscula literaria, symbola gratitudinis, nũc obsequia ad nutũ paratißima, nunc operas auxiliares in pascẽdis gregibus, quorũ pastoralẽ curam suscepisti, vbi, quãdo, & quantũ potero: sicut et præstiti hucusq; quaqua data opportunitate. Neq; quid habui vnquã prius in votis, q̃ id quod diuturno cõquesierã studio, vestræ Tornacẽsis Ecclesiæ vsibus impendere, etiã præsens extirpãdo, vbi vbi cecidissent peßima ista errorũ semina. At obstitere hactenus, nescio quæ. Ne tamẽ omnino non præstẽ vel absens, quod semper in votis fuit, placuit dicare hunc librũ Ampl. T. in subsidiariam opem eorũ, qui ministri verbi sunt per Diœcesim vestrã Tornacensem. In quo inuenient demõstrata ex verbo Dei, nõ solùm rudimẽta fidei, sed & cõtrouersias difficiliores pænè vniuersas: quantũ satis est populari institutioni. Quem si de manu nostra susceperis, ea qua soles esse erga nos humanitate, dabimus per gratiam Dei & alia non minùs his vtilia. Precor mi Domine Ampl. V. Christum in omnibus propensum ac propitium. Vltraiecti quinto nonas Octobres, 1555.

DE DEO ET OPERE CREATIONIS TRACTATUS PRIMVS.

Qvid quoquo tempore necessarium fuerit credita,& de diuersis mẽsuris fidei. Cap. I.
De quatuor Symbolis fidei Christianæ, scilicet Apostolorum, Athanasij, Niceni Concilij atque Constantinopolitani, & vnde ortum habeant. Cap. II.
Quid verbum, Credo, significet, & quòd in omnibus disciplinis prima principia credere oporteat, nedum in disciplina Christiana, nihilq; in vita ferè geri posse absq; fide præuia. Cap. III.
Quid significetur nomine, Deus. Cap. IIII.
De vnitate Dei, quomodo ex scripturis, & ratione demonstretur. Cap. V.
Quibus rationibus demonstretur vnitas Dei, aduersus eos qui nõ recipiũt scripturas. Cap. VI.
Quæ sit differentia inter hæc, Credo Deo, Credo Deum, & Credo in Deum. Cap. VII.
Quorum Deus sit pater, & quòd mundum potiùs paterno affectu: quam dominatu quodam gubernet, ideóque in se credi voluit sub nomine patris. Cap. VIII.
Quomodo Deus sit omnipotens, quæq; ex illius omnipotentia deduci poßint. Cap. IX.
De modo quo creauit Deus cælum & terram, omniaq; quæ in eis sunt. Cap. X.
Qua de caussa creauerit Deus omnia quæ creata sunt, & quomodò vna creaturarum est propter aliam. Cap. XI.

Quid quoquo tempore necessarium fuerit credere, & de diuersis mensuris fidei.

CAP. I.

M. Diuersas fuisse mensuras fidei pro temporum diuersitate, licet hoc pacto demonstrare. Pronuntiat Apostolus ad Heb. II. in hunc modum: Sine fide, impossibile est placere Deo. Quæ sanè clara est, & absoluta sententia, nec interpretatione eget. Ex fauore autem Dei pendent omnia. Ipse enim Dominus est vniuersorum, principium insuper & finis. Ergo in primis, maximè, & ante omnia alia necessaria semper fuit, necessaria nunc est, necessaria quoque erit fides, dum stabit mundus: attamen nõ sub vna eademque mensura. Nam quædam est mensura fidei, sine qua nunquã potuit esse accessus ad Deũ, ne tempore quidem innocentiæ. Quam fidei mensuram exprimit Apost. eodem loco præallegato, subiungens simul & caussam antedictę necessitatis, his verbis. Credere enim oportet accedentẽ ad Deũ, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Duo siquidẽ hæc, videlicet, quòd est Deus, deinde quòd est remunerator ijs qui inquirunt eum, id est, cultoribus suis, semper creditu necessaria fuerunt. Ita vt non suffecerit vnquam, ne ante lapsum quidem naturæ, credere Deũ esse, sed oportebat, vti semper, ita & tunc temporis, expressè simul credere, si non omnes, saltem eam qualitatẽ Dei, quæ suapte natura afficit & rapit in amorem sui, nempe quod remunerator sit, id est, munificus redditor, siue donator pro seruitijs sibi impensis, non quidem reddendo æquale pro æquali, vti solet inter pares aut commutantes fieri, sed redditor munificè liberalis, superaddẽdo munera: velut is qui nullius eget, sed diues est, benignus, propensus, atque adeò munificus in omnes. Non tamen remunerator ijs à quibus non inquiritur, sed omnibus inquirentibus se, citra exceptionem status vel ætatis. Vt ita ex sua quisque intelligat fide, inquirendum esse Deum, & affectu, & officio, atque pro his quemque remunerationem Deo dignam accepturum. In quã remunerationem fide aspiciebat & Moyses, vti habes eodem II. cap. ad Heb. Quam ob caussam valde ineptè agunt, qui vel clamant è suggestu, vel scribunt in popularibus libellis, nos in fide nostra, aut amore nostro erga Deum, bonisq; operibus nostris, nõ debere vlla ratione respicere ad remunerationem Dei. Alia verò est mensura fidei, qua vltra hęc duo iam dicta, credere oportet Deum præstabilem ac propitium esse super lapsibus humanis: atq; adeò propitium, vt ipsemet disposuerit dare mediatorem ac Saluatorem, qui genus hominum redimeret, ac saluum faceret à peccatis, & miserijs, mortis insuper damnatione, in cęlestem vsq; paradisum, nedum terrestrem illam, vnde peccãdo exciderat. De quo mediatore, mox post peccatum, attamen ante pronuntiatam cõdemnationem (ne absorberet cõdemnatum desperatio) subiecit Deus promissionem dicens: Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius, ipsa (scilicet per semen suum quod est Christus) conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Vbi alia versio habet: Ipsum (scilicet semen mulieris, quod est Christus) cõteret caput tuum, hoc est, omnem potestatem, quam accepisti super hominem propter transgressionem eius. Cœpit autem hæc mensura fidei esse necessaria post lapsum generis humani, dictamq; reuelationem interpositam, tam tẽpore legis naturæ ac veteris testamenti, q̃ nunc, tempore Euang. Hinc D. August. lib. de nuptijs & cõcupiscentia. Eadem fides, inquit, mediatoris quæ nos saluat, saluos, iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis. Quia sicut

Prima mẽsura fidei.

Secunda mensura fidei.

Genes. 3.

sicut nos credimus Christum in carnem venisse, ita illi credebant venturum esse. Et Gregorius super Ezechielem: Et qui præibant, inquit, & qui sequebantur, clamabant Hosanna filio Dauid &c. Quia omnes electi, qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui nunc in Ecclesia sunt, in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt. Quantum verò creuit hæc reuelatio mediatoris venturi, tantũ creuit & fides, potissimùm in maioribus. Quandoquidẽ post tẽpora Abrahæ, & post promissiones eidem factas, Genes. 22. Nempe ꝙ in semine eius benedicendæ forent omnes gentes, credi cœpit Messiam nasciturum ex lumbis & progenie Abrahæ. Quod sanè postq̃ sollenni traditione innotuisset, ab omnibus credi debuit, haud secus, atque nũc creditur Christum venturum esse ad iudicandum viuos & mortuos. Ceterùm ꝙ promissus iste Messias, futurus esset in persona sua simul Deus & homo, quodque nasceretur ex virgine, claustris pudoris incorruptis, ꝙ in humilitate cum pauculis discipulis circumiret docendo & curando, ꝙ crucis subiret supplicium, & non nisi cruenta atq; ignominiosa morte perageret mysterium redemptionis promissæ, & pleraq; alia, sicut non fuerunt reuelata, nisi obscurè sub typis ac vmbris, & corporalibus sacrificiorum hostijs, manseruntq; vulgo quasi incognita, vsq; ad tempus reuelatæ gratiæ Euangelicæ, ita non ab omnibus credi debebant. Nam ipsi Apostoli claro sermone admoniti à Christo huiusmodi verbis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquàm flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget, non potuerunt capere sermonem istum. Subdit enim Euãgelista. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebãt quæ dicebantur. Hæc Lucas. Et ipsa D. Virgo fide veterum valde illuminata videtur nõ intellexisse modum conceptionis, quo veniret Messias promissus, nempe de Spiritu sancto sine virili semine, nisi per instructionem Angeli Gabrielis, vt habes Luc. 1. Maiores tamen illi, & sub lege, & ante legem, ad quos fiebant reuelationes, hæc præuiderunt satis clarè, & crediderunt, vt est videre in prophetijs Dauidis, Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, & aliorum. Et sanè patriarcha Abraham adeò clarè cognouit quæ ventura erãt in Christo, vt dicat de eo Saluator: Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Est & tertia mensura fidei, qua

Creuit fides quanti creuit reuelatio credẽdorum.

Luc. 18.

Ioan. 8.

à tempore Christi credere oportet, iam venisse in mundum, promissum illum & diu expectatum Messiam, suaque passione iam redemisse hominem perditum, & instaurasse vniuersa, nulliq; mortalium posse contingere salutem, nisi per illum. Quæ profectò credere nunc oportet, non generatim tantummodo, de quodam saluatore, sed speciatim de ea persona, quæ vocatur Iesus Christus à Nazareth, qui annuntiauit Euangelium Dei in Iudæa & Hierusalem, & in omni regione filiorum Israël, ac tandem mortis supplicio sublatus est sub Põtio Pilato præside. Quòd autem sic oporteat nunc speciatim credere, demonstrant verba Christi, Ioan. 3. dicentis: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iã iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Et circa finem capitis. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Deinde verba Petri Act. secundo inferẽtis ex scripturis ibidem præmissis, hoc modo. Certissimè ergo sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis. Et quarto capite: Notum sit omnibus vobis & omni plebi Israël, quod in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Demonstrat denique idem omnis Euangelica institutio. Adhæc, post seriam illam atque expressam traditionem, quã fecit Christus, partim ante passionẽ suã, potissimũ in cena nouissima, partim post resurrectionẽ, de Patre cælesti, & de Spiritu sancto, quẽ missuri erant in mundũ. Itẽ post manifestationẽ Dei patris, qua paterna voce ad Filiũ de cælo locutus est, Matthæi 3. & 17. Adhæc post admirabilem illam descensionẽ Spiritus sancti in specie visibili super Christum, Matthæi 3. super Aposto. Act. 2. super Samaritanos, Acto. 8. super Cornelium & familiam eius. Act.

Tertia mensura fidei.

Nunc oportet expressè credere de Deo Patre & de Spiritu sancto sicut de Christo.

Act. 10. super duodecim illos quos Paulus baptizauit Ephesi. Act. 19. Post hæc, dico, cœpit necessarium esse credere expressè in Deum patrem, & in Spiritum sanctum sicut in Iesum Christum redemptorem, vt cognoscat omnis fidelis, esse Deum patrem, à quo omnia facta & creata sunt, vt habetur Gene. 1. & 2. Esse quoque Deum filium, atque hunc incarnatum, per quem omnia collapsa instaurãtur, vt habes ad Ephes. 1. & per totã deinde scripturam. Esse denique & Deum Spiritum sanctum, in quo omnia viuificantur, sanctificantur, atque aguntur, vnumquodque in suum debitum finem, vt habes varijs in locis. Quorum hoc tempore reuelatæ gratiæ vix potest esse ignorantia, nisi crassa & supina. Quia omnis benedictio, omnis consecratio, omnis Sacramentorum ministratio fit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tanquã tres illi operatione indiuisa sint caussa omnis salutis, precipiēte Christo, Matth. vltimo: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Apostoli igitur intelligentes per Spiritum sanctum quo pleni erant, quædam esse cognitu necessaria de Deo patre, quædam de Deo Filio Christo Iesu, quædam de Spiritu sancto, conceperunt, & in paruum velut compendium contraxerunt quosdam articulos fidei Christianæ, Vnum de Deo patre, videlicet: Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ. Sex insuper de Deo filio Christo Domino, videlicet: Et in Iesum Christum filium eius vnigenitum, Qui conceptus est de Spiritu sancto, Natus ex Maria virgine, Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus, Descendit ad inferna, Tertia die resurrexit à mortuis, Ascendit in cælos, Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Quinque denique de Spiritu sancto viuificatore omnium, scilicet: Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam, Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Et vitam æternam. Amen. D. Quid si quispiam hos duodecim articulos fidei ignorauerit, vt ignorant multi, nunquid saluus esse poterit? M. Quosdam excusat insuperabilis stupiditas naturę, alios autem parentum pastorúque negligentia, in catechizandis illis quos aut genuerunt, aut regenerarunt Christo. Quales à salute excludere non possumus, quamdiu tacitè inhærent fidei maiorum & matris Ecclesiæ. Quia sic dispositi credunt omnia credenda, si non explicitè, saltem implicitè, sicuti eruditè tradit Magister sentent. distinct.

Articuli fidei Christianæ.

Simplices Christiani possūt saluari in fide Ecclesiæ, siue maiorum.

25. tertij libri. Credunt enim quæ ignorant, habentes fidem velatam in mysterio, qua firmiter inhærent doctrinæ matris Ecclesiæ, etiam si needum intelligant articulatim quid doceat. Qualis fides tam est certa, tamque aliena ab erroribus, quàm explicita fides maiorum, eò q́ Ecclesia columna sit, & firmamentum veritatis, teste Apost. Vnde in libro Iob dicitur: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta illas. Vbi simplices & minores intelligũtur per asinas pascentes iuxta boues, hoc est, iuxta pastores & maiores in agro Dominico, quia humilitate inhærendo maioribus, in mysterio credunt, quod illi pro capacitate istorum velut in mysterio docent, tradentes eis lac, id est, rudimenta quædam fidei, non autem solidam escam, id est, doctrinam perfectionem. Eadem itaque fides est maiorum & minorum, tam nunc in Ecclesia, quàm olim tempore legis, aut etiam ante legem, sed explicatior in maioribus quàm in minoribus. Nec tamen ob hoc simpliciter maior dici debet illa quàm ista. Quoniam vt illa quàm ista, ita & ista maior potest esse quàm illa. Fides enim dicitur magna, vel cognitione, articulorumque quantitate, vel constantia & deuotione. Priori ratione plerunque maior est fides maiorum, vt fides Scribarum designantium ex scripturis locum natiuitatis Christi, quàm Magorum. Maior item fides Apostolorum, quàm latronis à dextris Christi crucifixi. Posteriori verò modo, maior erat fides Magorum deuotissimè properantiũ ad adorandũ Christũ longissima via, quàm Iudæorum nolentium ire ne ad vicinum quidē locum vt viderent eum. Maior item erat fides latronis dextri quàm omnium Apostolorum pro eo tempore. Eadem denique est fides nostra, cum fide illorum, qui Euangelium præcesserunt. D. Illi credebant Christum venturum, Nos verò credimus eum venisse: ergo alia fide credebant illi, alia nos. M. In eundem Deũ, eundemque mediatorem in quem credebant illi, credimus & nos, & ex eodem principio, nempè ex verbo Dei reuelante, & propter eundem finem, salutem videlicet animarum & corporum. Eadem ergo est fides illorum atque nostra, licet alio modo crediderint illi, velut à longè aspicientes, per vmbras & figuras venientem, alio modo nos, intelligentes articulatim mysteria redemptionis iam exhibitæ. Sicuti eadem est visio, specie inquam, qua duo vident eundem hominem, alter eminus velut à longè, & per nebulam, alter cominus: at iste propiùs intuendo plura & articulatiùs cognoscit de homine viso, quàm ille à longè prospiciendo. Iudæi autem

2. Tim. 3. Iob. 1.

Eadem est fides simplicid & maiorum.

Eadē est fides Christianorũ & filiorũ Israël.

Fides Iudæorum nũc viuẽtium, est perfidia & blasphemiæ hæresis.

autem & Hæretici qui nunc credunt Christum venturũ, longè alia fide credunt quàm nos. Quia non solùm aliter credunt atque nos, sed & aliud. Siquidem alium quærunt Saluatorem, quem falsò ac mendaciter expectant, tã contra scripturas veteris testamenti, promittentes redemptionem, qualis est in Christo Iesu exhibita, quàm contra scripturam noui testamenti, quæ asserit non esse aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Ideoque illorum fides, non est fides, sed merus error, meraque perfidia & hæresis, prorsus blasphema in Deum, & Christũ Dominum nostrum.

De quatuor Symbolis fidei nostræ, scilicet Apostolorum, Athanasij, Niceni Concilij, & Constantinopolitani, & vnde ortum habeant. CAP. II.

Quatuor Symbola fidei habemus.

M. Ribus profectò aut quatuor Symbolis dignoscimus, quid pro tempore nouæ legis credere conueniat. Primùm vocatur Symbolum Apostolorum: secundum appellatur Symbolum Nicænum: tertium Symbolum Constantinopolitanum: quartum Symbolum Athanasij. Primum ab initio adeoque ab ipsis Apostolorum temporibus fuit in Ecclesia. Alia verò multo tempore post edita sunt occasione hæreticorum. De quibus hoc loco, potissimùm autem de Symbolo Apostolico diligenter disserendum videtur, eò quòd secuturi simus ordinem articulorum huius Symboli, in demonstrandis ijs quę speciatim fide Catholica credere oportet. Principiò itaque dic mihi: quid significet vox Symbolum, & cur breuis comprehensio articulorum fidei, Symbolum vocetur? D. Symbolum Græca vox est, quæ vno modo Latinè interpretatur signum siue indicium. Translatum sanè à militibus, qui Symbolis, hoc est, certis indicijs, vel aphonis, vel vocalibus se mutuò cognoscunt, exploratores quoque deprehendunt, ne qua doli surreptio fiat, vt si fortè occurrat quis de quo dubitatur, Symbolo prodat si sit hostis aut socius. M. Quam rationem secuti duces fidei nostræ Apostoli, mox ab initio nascentis Ecclesiæ, tradiderunt credentibus Symbolum quoddam, quo velut certo indicio deprehendi possent, qui ex circumeuntibus Iudæis, simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicuius, aut ventris gratia ad prædicandum proficiscebantur, sicut Paulus dicit, & refertur in Act. Apostol. nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Iccirco istud indicium posuerunt, pèr quod agnosceretur quis Christum verè secundũ Apostolicas regulas prædicaret, quis item rectæ doctrinæ fidem esset assecutus, quis non. Quo faciliùs posset in praxim deduci illud Ioannis Apostoli: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec aue illi dixeritis. Nec istud velut nouũ iudicari debet. Nam olim & Pythagoras tradiderat suis discipulis, Symbola quædã mysteriorum secretioris doctrinæ, quibus sententiæ morales, & salutaria documenta continebantur.

Symboli vocis Græcæ interpretatio.

Alia significatio Symboli.

D. Alio modo Symbolum vocatur collatio, hoc est, quod plures in vnum conferunt, à Græco verbo συμβάλλω, id est, confero, vt in Andria Terentiana: Quid Pamphilus? Quid? cenauit, Symbolum dedit. M. Etiam ista significatio optimè quadrat in summulam fidei nostræ. Id enim fecerunt Apostoli priùs quàm diuiderentur ab inuicem, conferendo in vnum: quod quisque sensit populo Christiano credendũ esse. Non quòd singuli singulos articulos fidei contulerunt. Licet sic D. August. sermone 115. de tempore sentire videatur: si tamen sermo ille D. Aug. sit, sed quòd tã diu contulerunt quisque suam sententiam, donec vnanimi consensu effecta esset breuis & facilè perceptibilis summula articulorum fidei. Doctrina ergo quæ pueris Christianis ediscenda proponitur, & incipit hoc pacto: Credo in Deum patrem: rectè dicitur Symbolum & quidem Apostolorum, quia ab ipsismet Apostolis vnanimiter compositum est, singulis conferentibus suam sententiam. Insuper quia ab ipsismet Apostolis Ecclesijs traditum est, velut certum indiciũ veræ doctrinæ Apostolicæ. Fidei autem Symbolum dicitur: quòd summam fide credendorum contineat, mira quadam breuitate simul & maiestate idoneam, tam ad institutionem simplicium, quàm ad discretionem falsorum fratrum.

Credo in Deũ, quare vocetur Symbolum.

Cur Symbolũ fidei appelletur.

D. An omnino sit indubitatum ipsos Apostolos collegisse, & composuisse hanc summulam credendorum, quam Symbolum appellamus? M. Certissimum habe, Symbolũ hoc sua antiquitate esse mirum in modum venerabile, esse præterea inuictæ auctoritatis, quia totius Ecclesiæ vsu & consensu est receptum & probatum, vti ex Concilijs vniuersalibus infrà allegandis constare potest. Esse denique non solum Apostolico spiritu dignũ, sed etiã ab ipsismet Apostolis traditum. Quod exinde dictis sanctorum Patrum comprobabo, quibus non adhibere fidem, aut stolidi est ingenij, aut temerarij. Caietanus vir doctissimus nostrę ætatis

Probatur Symbolũ fidei esse traditũ & cõpositũ ab Apostolis.

Caietan.

tis, tractans illud Apostoli 2. ad Tessa. 2. State & tenete traditiones &c. ita scribit. Nota prudens lector, aduersus exigentes scripturas de omnibus traditionibus Apostolorum. Ecce Apostolus apertè dicit. Tenete traditionem per sermonem, tali enim modo habemus Symbolum Apostolorum, Hæc ille. Ante eum verò annos plus minus ducentos, sanctus Bonauentura ac alij docuerunt, Symbolum hoc mēbratim & articulatim fuisse conditum & traditum ab Apostolis. Sed prætereo istos. Nam seniores magis amplector. Ante annos penè mille ducentos scribit de Symbolo fidei beatus Augustinus, sermone primo in vigilia Pentecostes in hunc modum. Hoc attendentes sancti Apostoli, certam regulam fidei tradiderunt, quam secundum numerum Apostolorum duodecim sententijs comprehensam, Symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hæreticam conuincerent prauitatem. Symbolum ergo tali modo institutum, maiores nostri dixerunt. Tradunt enim quod post ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad patrem, cùm per aduentum Spiritus sancti discipuli eius inflammati linguis omnium loquerentur, ad singulas quasque nationes, vt Dei verbum prædicarent ituri ac discessuri ab inuicem, normam sibi prius futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab inuicem discedentes, diuersum vel dissonum prædicarent his qui ad fidem inuitabantur. Omnes igitur in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue suæ prædicationis indicium conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisque computabat, atque hanc ita credentibus dandam esse regulam instituunt. Hæc August. Deinde in libello suo ad Catechumenos: Sacramentum, inquit, Symboli quod accepistis, memoriæque mandatum pro vestra salute retinetis, noueritis hoc esse Catholicæ fidei fundamentum, super quod consurrexit ædificium Ecclesiæ, constructum manibus Apostolorum, & Prophetarum. Asserit autem & Diuus Hieronymus Augustino senior, Symbolum ab ipsismet Apostolis habuisse ortū. Idem docet, & eadem ferè forma qua Augustinus, Ruffinus qui Diui Hieronymi temporibus claruit, asserens hoc suis temporibus acceptum esse ex sollenni traditione maiorum: Apostolos priùs quàm ab inuicem discederent prædicandi gratia, normam sibi futuræ prædicationis in commune constituisse xij. articulorum fidei, quam Symbolum multis & iustissimis de caussis vocari voluerunt. Idem est videre inter libros Cypriani, qui &

Bonauēt. Augusti. Hieron. Ruffinus. Cyprian.

interpretatur Symbolum Apostolorū, quinquaginta ferè annis ante Concilium Nicænū. Attamen illa interpretatio videtur non esse Cypriani, sed potius Ruffini, aut euinspiam alterius docti & eloquentis viri. Insuper Tertullianus vicinus temporibus Apostolorum, vocat Symbolum, regulam fidei. Ante quem & Ignatius Martyr, ipsa Apostolorum ætate scribens quandam epistolam ad Trallianos, recitat in eadem totam illam secundam partem Symboli, quæ ad Christum attinet. Quia illi articuli concernebant propositam materiam, quæ tractabatur in dicta epistola. Testatur denique & Clemens huius nominis primus, qui & conuixit Apostolis, de hoc Symbolo Apostolorum, in epistola ad Iacobum fratrē Domini. Ita vt rectè liceat dicere hoc Symbolum esse vnam ex primis & præcipuis traditionibus Apostolicis, quæ citra scriptū per manus transfusæ sunt, nihilque continere præter merum verbum Dei, Apostolico ore Ecclesiæ annuntiatum. Quanquā nihilominus vniuersa quæ in Symbolo continentur ex scripturis demonstrari poterunt, vti luce clariùs demonstrabimus. D. Valde demiror, totum Symbolū tanta diligentia Apostolica traditum, non fuisse intertum Actis Apostolorum per Lucam descriptis, cùm in primis hoc tam notabile ipsorum ac necessarium factum, omitti non debebat. M. Respondet Ruffinus: Iccirco hæc quę Symbolo continentur, non scribi chartulis aut membranis, sed requiri in credentium cordibus, vt certum esset, hæc neminem ex lectione (quæ peruenire etiam interdum ad infideles solet) sed ex Apostolorum traditione didicisse. Hæc ille. Vel enim militaria Symbola, ita & fidei, sic dari debent, sicque occultari, vt aptè discrimen faciant inter hostes & socios. Superius autem enarrauimus caussas ob quas multa ab initio citra scriptum tradi debebāt per manum, seu viuam institutionem, veluti depositum quoddam, de quo dicit Apostolus. O Timothee depositum custodi. Illinc repete. Atque per hæc satis eliditur stolida obiectio, quam fecit aduersus quosdam Laurentius Valla, videlicet: Symbolum fidei nostræ, ideo nō esse traditum ab Apostolis, quia à Luca nulla eius fit mētio inter Acta Apost. Nam & multa alia sunt gesta atque docta ab Apostolis, quorum nusquam in suis scriptis meminit Lucas. Pręter Symbolū autē Apostolorū, habemus in Ecclesia Christi & tria alia, nempè Symbolum Nicænum, Symbolum Constantinopolitanum, Symbolum Diui Athanasij: quæ Patrum Symbola appellantur, quòd à Patribus superaddita fuerint ad clatio-

Tertull. Clemens. Symbolū fidei est prima traditio Apostolica. Symbolis Athanasij, Nicæni, & Cōstantinopolitani Cōcilij fusiùs & expressiùs dicitur, quod continet Symbolū Apostolicum.

clariorem fidei Catholicæ expressionem propter succrescentes hæreses. D. Quo precor tépore? & quas ob hæreses? M. Oecumenicum Concilium Nicænum trecentorũ decem & octo Episcoporum sub Constantino magno celebratum, circa annum Domini trecentesimum trigesimum, edidit Christifidelibus rectæ fidei Symbolũ aduersus impietatẽ Arrianã, quod legere poteris in histo. Eccles. lib. 10. Ruffini cap. 6. & in histor. Tripar. lib. 2. cap. 9. & in Actis eiusdem Concilij. Deinde vniuersale Concilium Constantinopolitanum centum & quinquaginta Episcoporum, temporibus Gratiani & Theodosij, circa annum Domini trecentesimum octuagesimum septimum, similiter edidit Orthodoxæ fidei Symbolum, aduersus impijssimum dogma Macedonij, quo docebat Spiritum sanctum cum Patre & Filio nihil habere commune, vt est videre inter acta eiusdem Concilij. Hæc autem Concilia sunt duo priora inter illa quatuor, quæ veneratur Ecclesia, sicut quatuor sancta Euangelia, habẽs loco verbi Dei, quod in eisdem Concilijs circa fidem est definitum. Symbolũ verò quòd feriatis diebus canitur per omnem Ecclesiã, sub Missarum sollennijs, est contractum ex dictis duorum Conciliorum Symbolis, in nullo ab ijsdem diuersum: nisi quòd istud non tacet nomen Filij, cùm loquitur de Processione Spiritus sancti. Athanasius denique vir sanctus, cui ob persecutiones Arrianorum orbis nimiùm angustus erat, edidit & ipse circa eadem tempora (quia medius erat inter dicta duo Concilia) tam suæ quàm Orthodoxæ fidei Symbolum, cuius exordium est: Quicunque vult saluus esse, ante omnia &c. Quo & vtitur Ecclesia Catholica in officio Primarum. Tu autem nota hoc loco, quàm sint Symbola, quibus vtitur nũc Ecclesia, vetusta, veneranda, plenaque diuini testimonij, edita suggerente Spiritu sancto ante annos plus minus mille ducentos, non vt noua fides statueretur, sed vt Apostolica luculentiùs Christifidelibus explicaretur ad subuersionem hæresium. Nam Nicænum & Constantinopolitanum ad elidendã Manichæi insaniam, qui posuit duo numina, à quorũ vno bona, ab altero verò mala originem haberent, addunt vocem istam, Vnũ, ac dicunt, Credo in vnum Deum. Addunt, & hoc, Visibilium & inuisibilium. Deinde propter hæresim Arrianam addunt, Et ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Constantinopolitanum verò propter hæresim Macedonij, qui docebat Spiritum sanctum esse seruum Patris & Filij, non solùm dicit, Credo in Spiritum sanctum, sed addit, Dominum & viuificantem, qui ex Patre (cui superaddidere Latini, Filioque) procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Adijciens prætereà, Qui locutus est per Prophetas, ad destructionem erroris dicentiũ quòd Prophetæ locuti sunt, vt phanatici. In Symbolo autẽ Athanasij adeò dilucidè, adeoque verè, & articulatim exprimitur vnitas diuinæ essentiæ, cũ personarũ Trinitate, & quomodo Christus æqualis sit Patri secundum diuinitatem: minor verò secundum humanitatem, contra errores Arrij, Eunomij, Eudoxij, ac complicum, vt non possit dilucidiùs, aut veriùs. Itaque Symbola Patrum sunt declaratiua Symboli Apostolorum, fusiùs & explicatiùs ponendo ea, quæ in illo succinctiùs dicta erant. Illud tamen vt primum est, ita & præcipuũ, continens sufficienter credenda, quantũ satis est ad debitam & simplicem confessionẽ fidei. Vnde Tertullianus vocat ipsum regulam fidei. Basilius, confessionem fidei. Augustinus verò, nunc regulam fidei, nunc fundamentum fidei. Quod olim tempore Augustini & ante ea tempora à Cathecumenis memoriæ mandari debebat & retineri, vt ex præallegata Augustini sententia audisti. Sicuti & in Concilio Laodicensi constitutum legitur cap. 43. sub his verbis. Baptizãdos oportet Symbolum discere, & quinta feria vltimæ septimanæ vel Episcopo vel Presbytero reddere. Idẽ dicitur in Concilio Græc. quod Martinus Papa coëgit cap. 49. Oportet autem his diebus (scilicet trium septimanarum ante pascha) qui baptizandi sunt vt Symbolum discant, & in quinta feria nouissimæ septimanæ Episcopo vel Presbytero reddant. Non enim nisi per fidẽ habemus accessum in gratiam istã Euangelicã in qua stamus &c. Symbolum autem Apostolorum docet nos præcipuos articulos eorum quæ fide retinenda sunt, vnde & salubriter constitutum legimus ab Agatens. Synodo, vt hoc Symbolum ab omnibus vna die ante dies octo Dominicæ resurrectionis publicè in Ecclesiã conuenientibus publicaretur, vt & quid credendũ esset omnes scirent, & quanta sibi à Deo collata essent beneficia non ignorarent.

Quid verbum Credo significet, & quòd in omnibus disciplinis prima principia credere oporteat, nedum in disciplina Christiana, nihilq́; in vita ferè geri posset absq́; fide præuia. CAP. III.

 Nunc

M. NVnc autem proſequamur articulos fidei, hoc eſt, ea quæ fide Chriſtiana credenda ſunt, ſecundum ordinem traditionis Apoſtolicæ. Et primò quidem oſtēdemus ex verbo Dei, quæ ſint credenda de Deo patre. Secundò, quæ ſint credenda de Deo filio pro nobis incarnato & paſſo. Tertiò, quæ ſint credenda de Spiritu ſancto, & operatione eius quam operatur in Eccleſia Catholica. D. An igitur credenda diſtinguantur ſecundum numerum perſonarum in diuinis? M. Omnino, adeò, vt Apoſtolica diligentia vnum articulum Patri, ſex Filio, quinque aptauerit Spiritui ſancto. Quæ autem à populo Chriſtiano velut ſymbolū rectæ fidei retineri debent, de Deo patre, in hunc vnum articulum contraxerunt: Credo in Deum patrem omnipotentem factorem cœli & terræ. Cuius profectò articuli tot ſunt ſacramenta, quot voces. Ceterùm nos demōſtrationes noſtras expandemus, non ſanè pro maieſtate & amplitudine rei, ſed quantùm ſatis erit inſtitutioni populari, illam vbique velut ſcopum præ oculis habentes. Nam ad illam ritè perficiendam ſuo tempore, hoc noſtro labore te præparare intendimus. Principiò itaq; verbum, Credo, quid propriè ſignificat? D. Dictis vel factis fidem habere. Nimium Quirites, inquit Cicero, creditis vnicuique. Et Virgilius: Nimium ne crede colori. Aliquando verò ſignificat, fidei committere, ſiue ſeruandum tradere. Plautus. Vbi is obijt mortem, mihi id aurum credidit. M. Vtramque hanc ſignificationem eſt inuenire in ſcriptura ſacra, Ioan. 2. cap. Multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat, hoc eſt, dictis & factis eius fidem adhibuerunt. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, hoc eſt, non committebat ſe fidei eorum. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Prior autem ſignificatio, vt in hiſtorijs, in negotijs, in iuſtitię & amicitię legibus, ita & in religionis materia locū habet, quoties aſſenſum præbemus: nō ꝙ nobis res perſpecta ſit; ſed quia referentis veracitatem cōfidimus minimè fallacē. Verùm ſicuti alia eſt maieſtas diuinorū, alia rerum humanarū, alia auctoritas Dei reuelantis myſteria, alia hominis humana referentis negotia. Ita alius eſt modus credendi Deo, diuiniſq; myſterijs, alius credendi homini, & humanis negotijs. Illic firmum, certum, indubitatū aſſenſum adhibere oportet: hic verò non niſi qualem res narrata, narrantiſque veracitas expoſtulant. Vnde Theologis in materia religionis, verbū, Credo, idem valet, quod teneo & iudico in corde meo verum eſſe, idque firmiter & abſque vlla formidine de oppoſito: non ſanè aliā ob cauſſam, q̄ quia ſic reuelauit Deus, apud quem nulla eſt fallendi poteſtas. Sic docuerunt Chriſtus & Apoſtoli eius, ſic habent ſcripturæ ſacræ, & Traditio ſancta, ſicuti nobis cōſtat legitimo teſtimonio matris Eccleſiæ. Quæ certè vna eſt & integra ratio rectè credendi ea quæ religionis noſtræ ſunt, extra quam, ſi quis aliam quærat, errat. Nemo enim credit quod fidei eſt, quia ſic ſuggerit iudicium proprij ſenſus, vel quia ſic demonſtrat ratio à rebus ſumpta, aut ita ſuadetur coloratis neruoſiſq; orationibus, aut denique, quia eo modo tradunt vel Sectariorū vel Catholicorum Doctores, ſiue ꝙ ita inuenitur in hoc vel in illo cuiuſpiā Scriptoris libro: Sed tantummodo credit, quicunq; rectè credit, propter cauſſam iam dictam, vt latius ex ſupràdictis meminiſſe debes. In primis itaque qualis ſit ſermo in capite Symboli, diligenter aduerte, & quali principio inchoentur ſolicitus pertracta. Primo ſiquidem loco collocāt Apoſtoli verbū, Credo, quaſi dicerēt: Non iubemus vos diſcutere diuina myſteria, ſed credere, neq; rationē perquirere, ſed fidē ſimpliciter ac immobiliter adhibere. Quia non niſi credēdo habemus acceſſum ad Deū, & in gratiā iſtā, quæ eſt per Chriſtū. Inſuper ſacræ ſcripturæ nō niſi per fidē nos inſtituūt ad ſalutē. Deniq; quidquid eſt religionis Chriſtianę, nō niſi credēdo intelligitur, dicēte Eſaia: Niſi credideritis non intelligetis. Hinc Saluator, hinc & Apoſtoli omnibus modis, & prę omnibus fidē inculcant atq; credere, ꝙ ab illis pēdeat vniuerſa inſtitutio Euangelica. D. Ceterùm indignum ne apparet ſalutem totius generis humani alligatam eſſe fidei ſiue credentiæ, & non potius certæ ſcientiæ vel euidenti alicui notitiæ? Iſtud ſanè ſophis illis antiquis quaſi riſum moueret. M. Reſpondet eleganter ad hanc quæſtionem Magnus ille Baſilius in ſuis cōmentarijs ſuper Pſal. 115. dicēs. Neq; ſermonē noſtrū aliquis irrideat, quaſi citra ꝓbationē auditores ad ea credēda quæ dicimus, facilè inducamus. Neceſſe nāque eſt cuiſlibet diſciplinæ indemōſtrata eſſe diſcētibus principia. Quoniam circa principia pugnantes ac contendentes, rectè ac ordine poſſe ad finem procedere, impoſſibile eſt. Hoc enim manifeſtè ex ijs quæ ſunt externa apparet. Nam ſi Geometriæ prima principia non concedas, impoſſibile fuerit inde quidquam concludere. Item in Arithmetica, qui primis repugnāt elemētis, reliqua quæ ex his ſequuntur impediūt. Sic à medicis, medicinę principia minimè demonſtrantur. Deniq; in quo-

Articuli diſtinguūtur ſecundū diſtinctionem perſonarū in diuinis.

Quid ſignificet verbum Credo.

Theologis quid valeat verbū Credo.

Cur primū verbū Symboli ſit Credo.

Eſa. 7.

Num indignū ſit ſalutē eſſe alligatā fidei ſiue credētiæ.

Nullā eſſe diſciplinā cuius principia non præſupponantur credenda.

quolibet studio quod ordine in finem procedit, impossibile est primorum subiectorum demonstrationes inquirere. Sed necesse est omnium artium quæ probatione nituntur, principia sine inuestigatione, aut ratione admittentem, ad reliqua quæ deinceps sunt respicere. Sic & Theologiæ mysterium, ex fide minimè rationibus probata, ædificium quærit. Hæc ille. D. Vt quid ergo Dominus meus promisit demonstrationes se facturum articulorum fidei, qui demonstrari nequeunt? M. Principia doctrinæ Christianæ primo prima, sunt, Deus verbo suo reuelans, Scriptura sacra, Traditio Apostolica, & Catholicæ Ecclesiæ auctoritas. Quæ neutiquam demonstrari possunt, interim certa haberi debent, licet indemonstrata permaneant. Neque idoneus est ad vllam partem institutionis Christianæ, qui vel repugnat istis, vel circa hæc ingenio contendit. Principijs autem præsuppositis, vt præsupponi debent, faciemus demonstrationes, quales in vnaquaq; disciplina expectare cōuenit, hoc est, ex primis præcipuis certissimisque eius disciplinæ principijs, claras syllogismo perfecto illationes. Quales in re Theologica & circa articulos fidei, inducunt indubitatam certitudinem eius, quod concluditur. Et licet non faciant conclusionem euidentem, quòd fides sit rerum non apparentium, tamē excludunt omnem prorsus de opposito formidinem, vt certiùs, vt securiùs, vt infallibiliùs intelligat, quicunque ex principijs religionis nostræ fide cognoscit, Deum vnum esse & trinum, Christum redemptorem mundi esse, aut carnis resurrectionē futuram, quàm qui scit clara illatione ex physicis principijs hominem susceptiuum esse disciplinæ. Rectè igitur præmisimus nos facturos demonstrationes, quia ostendemus credenda & agenda Christianè, ex primis nostræ disciplinæ principijs (quæ plus habent certitudinis, quàm omnia aliarum disciplinarum principia) idque syllogismo perfecto & euidenti, haud secus, atque fit in alijs disciplinis. Quòd autem non sit absurdum, passim & in primis requiri ab alumnis religiōnis nostræ, vt credant: pulcerrimè ostendit D. Cyprianus dicens. Nec nauem quis ingreditur, vt liquido ac profundo vitam committat elemento, nisi se priùs credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit venturos himbres, affuturum quoque solis teporem, quibus terra confota, segete multiplicata frugē producat, ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credulitas antè præcesserit. Quid ergo mirū, si accedentes ad Deum credere nos primò omnium confitemur, eùm sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis? Hæc autem iccirco in principio præmisimus, quia pagani nobis obijcere solent: quòd religio nostra, quæ quasi rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat. Et ideo ostendimus nec agi, nec stare aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi. Denique ideo & matrimonia contrahuntur, quia creditur successura posteritas, & pueri discēdis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos trāsfundenda creditur disciplina. Imperij quoq; vnus insignia suscipit, dum credit sibi vrbes, & populos, ar matum quoque exercitum pariturōs. Quòd si hæc singula, nisi priùs crediderit futura, nullus aggreditur: quomodo non multò magis ad agnitionem Dei credendo veniatur? Hæc Cyprianus. Cum itaque dicitur Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ, idē est ac si diceretur: firmissimè teneo, & persuasum habeo ex reuelationibus diuinis, quòd sit Deus aliquis, non autem Dij plures, in quem fiducialiter tota animi affectione tendo: Item credo, quòd is sit pater Domini nostri Iesu Christi, affectuque paterno omnibus nobis præsideat: Et quòd sit omnipotēs, vt nihil possit ei resistere: Et creator omnium, quæ cæli & terræ nominibus comprehendūtur, vt nihil sit extra ipsum. At nūc pauló exactiùs discutiamus singula.

Non debet iudicari alienum, quòd scriptura passim requirit vt credamus.

Breuis explicatio primi articuli.

Quid significetur nomine Deus.
CAP. IIII.



Ic in primis inquirendum venit, quid, & cuius naturæ sit Deus. Deinde cur dicat Symbolum, Credo in Deum, singulatim, & non sic, Credo in Deos, numero plurali. D. Scio quòd vox θεὸς Græcis deducatur ἀπὸ τοῦ θέειν, hoe est, à currendo: quòd vbique dum opus est accurrat, adsit, opemque ferat. M. Secundum alios verò ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, hoc est, à speculando, quòd spectet omnia. Iuxta illud Apostoli: Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. D. Ceterum quæ est huius vocis Deus, etymologia? M. Incertum id est: Nisi quòd quidam putant, Deum à Græca voce τὸ δέος dictum, quod timorem significat. Ideoque sic dictū, quod præ omnibus illi timor debeatur. Iuxta illud Statij: Primus in orbe Deus timor fecit. D. Dimissa autē etymologia vocis, hoc precor, vt definias mihi, quid propriè sit Deus, & cuius naturę? M. Fili, ego ne tibi definiā naturā eius, qui lucē habitat

M.

Quid significet vox De°. Heb. 4.

Nemo potest cōprehendere naturam Dei. 1. ad Ti. 6.

Esa.45. habitat inaccessibilem? De quo Esaias, Verè tu Deus absconditus es, de quo Sophar Naamathites Iob 2. Excelsior, inquit, cælo est Deus, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari. Deum nemo vidit vnquam, sed nec videri potest, secundum Apostolum. Vnde sicut omni mente maior est, nulloque intellectu valet propriè cogitari, ita nulla potest diffinitione definiri. D. Nihilominus legi Ioannem Baptistam dixisse: Vnigenitus Dei filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit. Ergo quantum constare poterit ex illius enarratione, alijsque scripturis sacris, vel tantùm quæso edissere nobis diuinæ naturæ qualitatem. M. Libenter. Principiò itaq; sic habet scriptura. Ego sum alpha & ω, principiũ & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Igitur Deus est principiũ & finis, non huius rei, vel illius, sed totius ordinis rerũ, & omniũ quæ mũdi ambitu, vel vniuersi nomine cõplectũtur. Hinc esse, hinc bene esse, hinc rerum substantiæ, rerumq; accidentia, & omnes deniq; omnium naturarum essentiæ, vires, ac proprietates. In hunc quoq; velut vnicum finem, cursu reciproco remeant vniuersa. Ne quis verò opinetur omnia quidem procedere à Deo, omniaq; in Deũ recurrere, nõ tamé in Deo, sed in proprijs subsistere viribus: ideo superaddit scriptura paulò expressiùs, dicés. Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso, sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Qui dicit omnia, prorsus nihil excludit. Deus igitur est, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, non solùm ex quo, & per quem sunt omnia, sed etiam in quo sunt omnia, adeò vt nihil eorum quæ sunt, vel momentum subsistere possit in seipso. Item Deus appellatur numen quod est super omnes, per omnia, & in omnibus nobis, quod & operatur omnia in omnibus. Etiá Deus est qui efficit nos in hoc ipsum, vt scilicet absorbeatur quod mortale est à vita. Ad hæc, Deus lux est, & pater luminum, illuminans omnem hominem veniétem in hunc mundum, dans Solem, vt inquit Hieremias, in lumine diei, & ordinem lunæ ac stellarum in lumine noctis. Ne autem existimet quispiam, Deum esse substantiam Solis, aut astrorum, more gentiũ, addit Propheta, Hęc enim & omnia fecerunt manus eius, Præterea, Deus est spiritus, inquit Saluator, ne scilicet corporeum quid imagineris, cùm de Deo sermo est, sicut fecerunt olim Anthropomorphitæ. Item Deus caritas est, ne rigidũ quid suspiceris dum castigat electos, aut perdit sceleratos. Dat insuper sui noticiam Deus dicens: Ego sum qui sum: Et dices, inquit ad Moysen, qui est, misit me. Ratio autem cur sic appellari voluerit, est, quoniam ipse est suum esse & essentia, vt inquit D. Thomas, incommutabiliter semper existens, cui nihil accedit, nihil potest decedere. Quare nec præteritum agnoscit, neque futurum. Hinc Christus secundum quod Deus, Antequam Abraham, dicit, fieret, ego sum. Esse enim sine præterito & futuro conuenit mihi, secundum eam naturam, quam habeo Deo patri consubstantialem, non autem secundum eã, quam in tempore mortalem ex mortali matre assumpsi. Vt autem philosophicè dicam, Ens entium Deus: Primũ mouès immobile, mouens tamen vniuersa Deus: Actus purus, simplicissimaque natura Deus, Immo omniũ naturarũ, vt ita dicam, natura Deus: Omniũ viuentium vita Deus: Omnium perfectionũ plenitudo Deus: Omnis deniq; decoris, maiestatis, ac pulcritudinis forma, & exemplar Deus: Et quidquid in omnibus rebus, tam corporalibus, q̃ incorporalibus videri potest aut intelligi: hoc supra omnes modos & fines, infinitis gradibus in Deo eminétius est.

Marginalia (left): Iob.2. — Ioan.1. 1.ad Timoth.6. — Explicatur natura diuina quatenus est in scripturis reuelata. Apoc.1. — Rom.11. — Ad Eph.4. 1. ad Cor. 12. — 1. Ioannis & Iaco. 1. — Ioan.4. — Ioan.4.

Marginalia (right): Exod.3. — Ioan.8.

De vnitate Dei, quomodo ex scripturis & ratione demonstretur. CAP. V.

M.

Nunc autem & hoc discutiendũ est, cur dicatur, Credo in Deum, singulariter. D. Quia nimirum Deus noster Deus vnus est, & non sunt Dij multi. M. Ita sanè credendũ est indubitata fide, & propterea Symbolũ Constantinopolitanum addidit particulam exclusiuam pluralitatis, dicens, Credimus in vnum Deum, conformiter scripturæ, quæ ait: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et alibi: Ego Dominus Deus tuus, & non est alius Deus præter me. Et per Esaiam prophetam: Ego inquit primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Ante me quoq; non est factus alius Deus, & post me non erit, & præter me nullus est, Esa.43. & 44. Et Saluator in Euangelio sic ait ad Patrem: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, Ioannis 17. Ecce quàm pulcrè declarat scriptura vnum esse Deum, & sic vnum: vt neque ante illum fuerit alius, neque post illum futurus sit alius, neque aliquis alius Deus simul cum illo. Nam qui Dij nominantur inter Gentes, non sunt Dij, sed ficta falsorum Deorum simulacra, prout Apostolus Christi dicit. Scimus quia nihil est idolũ in mundo, & quia nullus est Deus nisi vnus. Nam si sunt qui dicũtur Dij, siue in cælo, siue in terra, (siquidẽ sunt Dij multi, & domini multi) nobis tamen non est nisi vnus Deus pater, ex quò omnia, & nos

Marginalia (right): Probatur scripturis non esse nisi vnum Deum. Exod.20. Deut. 6. — Nihil est idolum in hoc mundo. 1.Cor. 8.

nos in illo, & vn' Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per illum. Sed non in omnibus est scientia, id est, clara & certa notitia huius rei. Vidésne Apostolum hic asserentem idolum prorsus nihil esse? D. Quomodo nihil, cùm certum sit idolum esse figuram ligneam, auream, aut lapideã? M. Nosti quid vox idolum significet? D. Idolum & simulacrum, vnum & idem significant, licet in diuerso idiomate. Simulacrum vox Latina est, à similando dicta. Idolum verò Græca vox ab εἶδω, species, quòd speciem & imaginem inanẽ præ se ferat, cùm absit veritas. M. Hinc, quæ nos spectra vocamus: illa Græci vocant idola. Hæc est vera & Germana significatio vocabulorum. Verùm in scripturis sanctis, sunt hæc vocabula appropriata ad statuas & imagines eius, quod falsò numen creditur, sicut baptismus significans ex se omnem ablutionem, appropriatum est, vt nobis significet ablutionem Sacramentalem. Idolum igitur hic, atque in alijs locis scripturæ accipitur pro statuis, atque simulacris, & imaginibus erectis ad repræsentandum id, quod falsò creditur Deus, repræsentans quidem Deũ, sed mendaciter, quia omnino non est Deus, quod pro Deo repræsentatur. Ideoque Apostolus verissimè dixit. Idolum nihil esse, hoc est, nihil habere in se, eius, quod creditur, numinis aut veritatis. Siquidem ficta falsáque est effigies eius, quod non subest. Quam ob caussam, statuæ & imagines Sanctorum inter Christianos, nequaquam dici possunt simulacra, aut idola, quia nihil tanquam Deum nihil item mendaciter repræsentant, sed vera est earum repræsentatio, eius scilicet quod re vera est, & sub ea quidem ratione est qua repræsentat, vt statua Diuæ Virginis repræsentat nobis virginem Mariam, tanquam matrem Domini, & speculum virtutis, quod reuera ita est: non autem repræsentat eam tanquam Deam, quomodo idolum Dianæ repræsentabat Dianam tanquam Deam, idque mendacissimè. Si certè fieret apud nos statua alicuius Sancti, ad repræsentandum sanctum illum tanquam Deum Christianorum, iam verum esset idolum, sicuti idolum Iouis, aut Solis. Itaque idolum vel simulacrum, prout Ioannes loquitur, est quidquid colitur tanquam Deus, cùm reuera non sit Deus, nihil habens numinis, aut omnipotentiæ, neque in se, neque in eo cuius figuram gerit. Nihil in se, quia in idolo ligneo aut aureo nihil est præter naturam ligni aut auri, quòd facilè probat ignis, dum admouetur, cõburens lignum, & liquefaciens aurum: quamuis nihilominus plurimæ gentes crederent eiusmodi

Idolum & simulacrũ idẽ significant.

appropriatio vocabulorum.

Descriptio Christiana idoli.

Statuæ & imagines sanctord, non possunt dici idola.

1. Ioan. vl.

rebus veraciter inesse numen, adorantes lignum vel lapidem, facta in imaginem tanquam verum suum Deum. D. Est possibile, vt homo crederet, figuræ saxeæ, ligneæ, vel aureæ inesse diuinitatem, quibus nec humana quidem inerat intelligentia? M. Tanta erat caligo erroris in hominibus illis, vt crederent lapideas statuas, virtute numinis in ijs existentis, audire preces, responsa dare, & oracula bona prospicere cultoribus suis. Atque hanc sanè ob caussam improperat eis Psalmista dicens: Simulacra Gentium argentum & aurum: opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui cõfidunt in eis. Et Iudicum 6. Cumque dixissent viri ciuitatis ad Ioas, Produc filium tuũ huc, vt moriatur, quia destruxit aram Baal, & succidit nemus: respondit ille, Nunquid vltores estis Baal, vt pugnetis pro eo? qui aduersarius est eius, moriatur antequàm lux crastina veniat. Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius. Ex illo die vocatus est Gedeon Hierobaal, eò quòd dixisset Ioas, vlciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius. Et Esaiæ 44. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ steterat inter ligna saltus. Plantauit pinũ quam pluuia nutriuit, & facta est hominibus in focum: sumpsit ex eis, & calefactus est, & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est Deum, & adorauit, fecit sculptile, & curuatus est ante illud: Medium eius cõbussit igni, & de medio eius carnes coxit, & comedit, coxit pulmentum, & saturatus est, & calefactus est, & dixit. Vah calefactus sum, vidi focum: Reliquum autem eius, Deum fecit, & sculptile sibi, curuabitur ante illud, & adorabit illud, & obsecrabit dicens, Libera me: quia Deus meus es tu. Insuper Exodi 32. locutus est Dominus ad Moysen dicens, Vade, descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti: recesserunt citò de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt, Isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Ex his fili, luce clariùs constat, eam olim fuisse cæcitatem in hominibus, vt crederent fabricata & excisa in imagines, aurum, lignum aut lapidem, veraciter esse Deum. Quam illorum cæcitatem magis dementabat illusio dæmonum, nonnunquam dantiũ responsa per os idoli, nõnunquã mentientiũ

Quomodo Gentes credebant ligno inesse numẽ

curationes morborum, cùm non essent curationes, sed cessationes potiùs à maleficijs, quibus affligebant miseros donec implorarent numen idoli. Interim tamen quidam perspicatioris ingenij satis intelligebant simulachrum siue idolum esse opus hominis, ex ligno vel auro absque sensu & numine: veruntamen Iouem, aut Ianum, aut Venerem, aut Solem, aut lunam, vitulum, bouem, aut serpẽtem, aliámue feram, cuius imaginem habebat idolum, veraciter Deum esse credebant, suóque numine & omnipotentia posse iuuare cultores suos: paulò quidem callidiùs, quàm alij, sed non minùs insipienter: sicut enim lignum, & lapis, ita Iupiter, Ianus, Venus, Sol, luna, ignis, bos, vitulus, serpens, creaturæ Dei sunt. Immò stultiùs credebant isti, quoniam Iupiter, Venus, Saturnus, cùm viuerent, homines erant impuri, & vehementer scelerati, nunc quoque condemnati manent perpetuò in tormentis inferni, tantùm abest, vt vel numen habeant, vel possint ipsi alios iuuare. In hoc profectò errore fuerunt ante prædicationem Euangelij, non solùm plebei, sed & sapientes mundi huius, vt patet ex epist. Pauli ad Rom. cap. I. D. Et quid obsecro potuit eò excitatis adigere hominem, vt crederet manu factis statuis, aut brutis animantibus, aut mundi elementis inesse diuinitatem, salutemque posceret à lapide vel ligno, quibus nec vita inerat, nec forma, nisi quam finxerat artifex manus hominis? M. Quid eò adegerit, pulcerrime explicat Apostolus ad Rom. I. dicens, Quia cum cognouissent Deum, nõ sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Caussa igitur, propter quam gentium nationes factæ sunt tã obcæcati idololatræ, est, quia non glorificauerunt Deum secundũ mensuram notitiæ, quam de eo acceperant, neque gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, excæcante eos malitia eorum. Et quicunque (etiamsi Christiani hominis nomen gerat & professionem) non glorificauerit Dominum Deum suum cũ gratiarum actione, iuxta mensuram notitiæ, quam de illo accepit, euanescet ille in cogitationibus suis, & sic obscurabitur insipiens cor eius, vt tandem non habeat alium sibi Deum quàm ventrem proprium, aut æs in area, aut mundi pompam, aut quid aliud multò fortassis absurdius. D. Inter Christianos homines ne vnum quidem talem adhuc cognoui. M. Et talibus hominibus plenus est orbis Christianus. An vsquam desint, qui omnia ventris caussa faciunt? aut auari? aut superbi? D. Deessent? Deus bone, quàm copiosa horum vbique est copia. M. De primis pronuntiat scriptura, quòd illorum Deus venter sit: Insuper auaritiam definit esse idolorum seruitutem: Denique superbos appellat mũdi cultores & amatores: nempe qui omnia opera sua faciunt vt videantur àb hominibus. Matthæi 23. & qui ambulant secundum sæculum mundi huius ad Ephese. 2. de quibus etiam habetur primæ Ioannis 2. ac 4. alijsque multis in locis. D. Attamen isti omnes colunt nobiscum vnum Deum, & Christum Saluatorem filium eius. M. Audi precor Apostolum: Confitentur, inquit, se nosse Deum, factis autem negant. Et Propheta, Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Insuper constanter pronuntiat Ioannes Euangelista, inquiens, Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est. Quam sanè ob caussam rectè velut ἄθεοι à Domino iudicabuntur in iudicio veritatis, quicunque eiusmodi sunt. Nam vbi transierit mundus & omnis gloria eius, prout transibit, si verum dicũt Christus & Apostolus eius Ioannes, nónne tum ἄθεοι erunt mundani, hoc est illi, qui in mundo & honoribus eius finem suum constituerint? Postquàm destruxerit Deus & escam & ventrem, prout destruet secundum Apostolum, vbi tunc manebit ventri deditorum Deus? Et viri diuitiarum, postquàm dormierint somnum suum, nihilque inuenerint vltra in manibus suis, vbi precor tunc erit sulcum illud suum congestæ pecuniæ idolum? An tunc temporis minus erunt ἄθεοι, quàm idololatræ gentes, postquàm igne perierit quidquid finxerit manus hominis? Tũc dicet ipsis Dominus, vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum, surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Illi igitur qui Deum cæli pro Deo suo non colunt ex animo, reuera non habent Deum, licet ita appareat, & aliqualem fidei confessionem habere videantur: Non quòd Christiani non sint, sed quòd veraciter non colunt quòd secundum fidem confitentur. Ceterùm de hoc alibi fusiùs dicendi erit locus: hoc loco sufficiat. Primò, quòd in fide oporteat cognoscere esse aliquem verum Deum, idque voce & opere, mente & affectu,

non

Marginal notes:

Alij non credebãt inesse lapidi aut ligno numẽ scilicet repræsentatæ rei per figuratũ lignum.

Insipientiùs est credere Iouẽ, quàm statuã Iouis Deũ esse.

Quid præbuerit caussam idololatriæ.

Non glorificãs Deum secundum gratiam acceptam, plerunque fit idololatria.

Multi Christianorũ sunt idololatræ.

Ad Phil. 3. Ad Eph. 5.

Ad Tit. 1. Esaiæ. 29. Matth. 15. 2. Ioan. 2.

1. Ioan. 2.

1. Cori. 6.

Exprobratio Domini ad idololatras. Deute. 32.

Duo hoc loco commendãda memoriæ

non tam in speciem, quàm secundum veritatem: ne in te cadat illud Psalmistæ, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: Sed audi quid addat, Corrupti sunt, inquit, & abominabiles facti in studijs suis. Secundò quòd necessarium sit credere & confiteri, Deum esse vnum, & nullo modo plures.

Psalm. 13.

Quibus rationibus demonstretur vnitas Dei, aduersus eos qui non recipiunt scripturas. CAP. VI.

D. X Scripturis iam satis superque probatum est, vnum esse Deum, non plures. Verùm, quid dicemus ijs, qui scripturas non recipiunt. M. Aduersus eos, inquit Ioannes Damascenus, qui diuinæ scripturæ non credunt, sic differimus. Deus perfectus est, & indeficiens secundum bonitatem, sapientiam, & virtutem, sine principio, sine fine, sempiternus, incircunscriptus, &, vt simpliciter dicam, secundum omnia perfectus. Si igitur multos asserimus Deos, etiam in multis differentiam contemplari oportet. Nam si nulla in ipsis differentia, vnus potiùs erit, & non multi. Si autem differentia est in ipsis, vbi perfectio? Nam siue secundum bonitatem, siue secundum virtutem, siue sapientiam, siue tempus, siue locum, vnus subeat discrimen à perfecto decidit. Non itaque fuerit Deus. Sin autem fuerit per omnia identitas: vnum potiùs ostendet, & non multos: Quomodo etiam si multi diuersique sint, incircunscripti erunt? Quandoquidem vbicumque fuerit vnus nequaquam erit alter. Quo pacto etiam & ab huiusmodi multis gubernabitur mundus, & non dissoluetur, ac corrumpetur, attenta in his ipsis gubernantibus pugna? Differentia enim contrarietatem inducit. Si autem dixerit quispiam, quod quisque parti principatur, quid ergo idipsum est quod ordinat, & hanc illis distributionem effecit? Illud sanè fuerit valentiore iure Deus. Vnus ergo perfectus Deus est, incircunscriptus, vniuersi factor, contentorque & gubernator superperfectus & anteperfectus. Necessitas insuper etiam naturæ est, monadem diuinitatis esse principium, Hæc ille. Addo, si duo sunt Dij, vel neuter est ab altero, vel alter ab altero dependens. At vtrumque æquè repugnat, & eandem includit contradictionem. Si enim neuter est ab altero dependens, ergo neuter est primum vniuersale, summumque bonum à quo omnia, & sine quo nihil, quia alterum bonum quod etiam sine

Qua ratio persuadendum vnum tantùm esse Deum ijs, qui scripturas non recipiunt.
Ioannes Damasce. Orthodoxæ fidei, libro 1, ca. 5.

gitur Deus, non est ab illo, neque in illo, neque illius subijcitur potestati. Quare colliga Deus non est omnipotēs. Si verò alter dependet ab altero, rursum hic est contradictio. Nam quod dependet, non est primum ac summum à quo omnia, ergo nec Deus. Ex his & pluribus alijs euidenter concluditur: non solum hæresim, sed & contradictionem, includere, si quis asserat, duos vel plures esse Deos. D. Quomodo contradictionem? nunquid ex Paulo dictum est suprà, siquidem sunt Dij multi, & domini multi? M. Hoc Pauli, vel intelliges dictum esse secundum vanā falsamque imaginationem Gentilium idololatrarum, vel secundū phrasim quandam scripturæ: Dij scilicet participatione quadā, qua eminent suprà alios homines, velut vicem Dei gerentes in terra. Qua phrasi rex dici solet, qui prorex est, aut consul, qui proconsul, aut prætor, qui locum supplet prætoris. Hoc pacto Moyses dictus est Deus Pharaonis, Exodi 7. Hoc pacto & principes populi, Dij vocantur, Exodi 22. Dijs non detrahes. Hoc denique modo viri sancti, Dij quadam ratione sunt & filij Dei. Hinc in Euangelio Christus ad osores suos dicit, Nónne in lege vestra scriptum est, Ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & nō potest solui scriptura: quam pater sanctificauit, & misit in mūdum, vos dicitis, Quia blasphemas: quia dixi filius Dei sum? Verùm hi non sunt natura Dij, sed solummodo veri Dei benignitate, hac magnifica appellatione digni habiti, vel quod legatione funguntur pro Deo vel diuina quadam virtute, & sanctitate præemineant suprà alios tanquam Dij quidam essent. D. Esto. Verùm nonne Pater est natura Deus, & Filius natura Deus, & Spiritus sanctus similiter natura Deus? M. Symbolū B. Athanasij, quod comprobauit Concilium Oecumenicū, & vniuersa insuper Ecclesia in vsum publicū recepit ab anno Domini 134.6 (nā tūc claruit vir ille sanctus, & scientia rerū diuinarum illustris super omnes coætaneos suos) id clarissimè docet, hoc modo. Fides, inquit, Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Sed Patris, & Filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Aeternus Pater, æternus Filius, æternus Spiri-

Includit contradictionē plures esse Deos.
Explicatur ex Paulo.
Legati Dei ratione, & sancti participatione quadam Dij sunt
Ioann. 10.
An trium personarum in diuinis, qualibet sit natura Deus.

Spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus. Sicut nō tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus. Similiter, omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Et tamen non tres Dij, sed vnus est Deus. Ita Dominus Pater, dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. Et tamen nō tres Domini, sed vnus est Dominus. Quia sicut singulatim vnamquamque personam, Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: Ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur. Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Vnus ergo Pater, non tres Patres vnus Filius, non tres Filij, vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Et in hac trinitate, nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Ita vt per omnia, sicut iā supradictum est, & Trinitas in vnitate, & Vnitas in Trinitate veneranda sit. Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat. Hæc ille.

Obiectio

D. Equidem insumpsi ego non parum olei in libris Aristotelicis, attamen eiusmodi Philosophiam nondum inueni, vt quippiam simul vnum sit & trinum. Quodque tres diuersæ personæ, quarum vna non est alia, habeant planè vnam eandemque atque indiuisā naturam, denique quòd vna persona discreta sit ab alia, nihil tamen ibi prius, nihil posterius, vna genita, alia ingenita, nihil tamē maius, nihil minus. Et quo nihil mirabilius dici posset, quòd quælibet persona sit Deus & Dominus, & tamen non tres Dij, aut tres Domini, sed vnus Deus & vnus Dominus: Quis intelliget?

Solutio. Circa mysteria diuinitatis oportet simpliciter credere.

M. Dicitur Esaiæ 7, Nisi credideritis non intelligetis. Vana est hic omnis philosophia, vana quælibet humanæ cogitationis subtilitas: Nerui Dialecticorum argutiarum nihil hic nectunt. Redigere oportet sensum in obsequium Christi ac fidei. Si quando obmurmuret rationale iudicium, exclama cum Apostolo, O altitudo maiestatis diuinę, quàm incomprehensibilia manent, quæ in te & circa te sunt, quàm inuestigabiles sunt viæ tuæ. Altiùs noli interrogare, si non vis errare. Qui curiosè tentant alta fluminum: periculo proximi sunt, sic qui exquisitæ nimis scrutantur inscrutabilia Dei, prope errorem, non citra discrimen volitant. Simpliciter credendum est definitioni Ecclesiæ, factæ ex verbo Dei & scripturis sacris, quæ apertè testantur tres esse distinctas personas in diuinis, sub nominibus ac proprietatibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, siue Patris, Verbi, & Spiritus sancti. Matthæi vltimo: Data est mihi, inquit Saluator noster, omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Iterum 1. Ioannis 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Item ego & Pater vnum sumus. Et Spiritus sanctus, quem ego mittam vobis. Alibi, quem Pater mittet in nomine meo, ille est qui viuificat omnia. Ioann. 10. Item misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, Ad Galatas quarto: Similiter ad Ephesios primo docemur, quòd Deus Pater est reformans & reconcilians sibi mundum per Christum filium suum in Spiritu sancto. Eadem nihilominus personarum Trinitas nobis insinuatur, etiam in veteri Testamento: Genesis primo, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Imago est personæ, ideo eūm dicitur, faciamus nos, idque ad imaginem nostram, non meam, ad pluralitatem pertinet personarum inter sese loquentium. Iterum quando dicitur Exodi tertio, & Matthæi vigesimo secundo. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. In tribus personis humanis, quarum Isaac ab Abraham, Iacob verò ab vtroque processit, insinuatur nobis, & numerus diuinarum personarum, & aliqualis ordo. Dico aliqualis: quia humana diuinis per omnia consonare nullo modo possunt. Hanc superbenedictæ Trinitatis confessionem retinuit, & docuit, retinet & docet Ecclesia sancta à primis suis vnguiculis hucusque, non solum ad sanguinem, sed vsque ad tolerantiam mille tormentorum, mille etiam mortium resistendo contradicentibus.

D. At nunc bona illatione sequi videtur. Tres sunt personæ in diuinis, quarū quælibet est Deus, ergo sunt tres Dij.

Cur non sequatur tres esse Deos ex eo, quòd Pater est Deus & Filius est Deus, &c.

M. Sequeretur quidem, si quælibet trium personarum esset alia ac alia diuinitate Deus, Nunc autem prorsus vna est, eademque natura, substantia, diuinitas, omnium trium personarum. Nam qua diuinitate Pater est Deus, eadem & Filius est Deus, & eadem Spiritus sanctus. Dicit enim Filius: Ego & Pater vnum sumus, hoc est vnius substantiæ, vnius naturæ, vnius Deitatis, voluntatis, omnipotentiæ, operationis. Ex eo itaque quòd quælibet personarum sit Deus, vna eademque diuinitate: non aliud potest sequi, quàm quòd tres personæ sunt vnus Deus. Quoniam

niam vbi nulla est distinctio, nullaque differentia, prout nulla est in ipsa diuinitate, ibi non potest vllus reperiri numerus. In personis quidem est distinctio, & ideo ibi numerus. In natura autem personarum prorsus nulla est distinctio, quare nec numerus. Rectè igitur tres personæ, rectè etiam quælibet trium, Deus, nequaquam tamen tres diuinitates, vnde nec tres Dij vllo modo imaginari possunt: prout pulcerrimè expressit Athanasius, & post eum Leo Pontifex, dicens. Beatę & incommutabilis diuinitatis, vna est substantia, indiuisa in opere, concors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cùm sancta scriptura sic loquitur, vt aut in factis aut in verbis aliquid assignetur, quod singulis non videatur conuenire personis, non perturbatur fides Catholica, sed docetur, vt ita per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, vt non diuidat intellectus quod distinguit auditus, ne non maneat veritas vnitatis in substantia. Et hæc dicta de Trinitate sufficiant.

Leo.

Quæ sit differẽtia inter hæc: credo Deo, credo Deum, & credo in Deum. CAP. VII.

M. CEterùm, an aliquid mysterij contineat hoc loco præpositio, In, cùm dicitur: Credo in Deum patrem, hoc est, an pro eodem haberi debeant, credere Deo, & credere Deum, & credere in Deũ siue in Deo, aut in nomine eius? Omnia enim hæc inueniuntur in scripturis sanctis. D. Memini me audiuisse aliquid esse differentiæ inter hæc. Nam credere Deo, aiunt, esse fidem habere his quæ dicta sunt siue asserta à Deo. Credere verò Deũ, sibi persuasum habere omni dubietate postposita, esse Deum aliquem, contra insipientes, qui dicunt in cordibus suis, quoniam non est Deus. Porrò credere in Deũ siue in Deo, siue in nomine eius, esse corde bono atq; perfecto per fidem viuam seipsum in Deum extendere: vt postremum hoc sit illorum duntaxat qui iusti sunt coram Deo, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus eius: Duo autẽ priora membra, sint impijs enutritis in fide, dæmonibusque nobiscum communia. Nam dæmones credunt & contremiscunt. M. Hui: Tantúmne tam citò profecisti in institutionibus Theologicis? Laudo ingenium, amo diligentiam tuam. Verùm differẽtia hæc vt popularis est, & non impia, ita parum habet momenti collata ad scripturas. Nam ad Rom. quarto, vt cetera taceam, sic habes: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et paulò inferiùs: Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Pro eodem ergo habentur credere Deo, & credere in Deum. Iterum Ioannis 12. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur. Dilexerũt enim gloriam hominum magis, quàm gloriã Dei. Hoc sanè loco credere in Deum siue in Iesum Christum, est eorum qui permanent in iniquitate sua. Nam qui diligunt magis gloriam hominum quàm Dei, pro iustis reputari non possunt. Insuper nihil habet momenti eadem differentia collata ad proprietatẽ linguæ Latinæ. D. tamen Augustinus tractans Psalm. 73. insuper tractatu xxix. super Ioannem & sermone primo in vigilia Pentecostes dicit credere in Deum, esse, credendo ei adhærere ad bene cooperandum Deo operanti bona in nobis: veluti cùm credendo diligimus, aut credendo in ipsum velut imus corde bono, atque perfecto, aut credendo illius mandatis nos per omnia subijcimus. Et hoc quidem pacto definit August. quid sit credere in Deum, piè vtique & eruditè atque ad institutionem simplicium accommodè. Secutique sunt permulti doctorum D. Augu. iudicium. Sed fallit distinctio in locis præallegatis Ioann. 12. & Rom. 4. D. An igitur citra caussam factum sit quòd in quibusdam articulis Symboli huius, apponitur præpositio, In, in alijs verò non item? M. Nequaquam. In Symbolo enim hoc, sicut & in Symbolo Niceno accuratè obseruatum est, vt non apponatur particula, In, nisi vbi fides se debet resoluere in personam aliquam diuinitatis, velut principium, & finem, proram, ac puppim salutis obtinendæ. Sicuti in articulo primo: Credo in Deum patrem omnipotentem. Iterum in secundo: Et in Iesum Christum filium eius. Tertiò in octauo articulo, Credo in Spiritum sanctum. Non quòd omnes qui sic credunt, statim sint iusti aut filij regni & vitæ, de quo abundè satis diximus superiori lib. tract. 2. Nunc, vti ceptum est, pergamus.

An differant credere Deo & credere in Deum.

Iacob. 2.

Nõ reprobatur ista differẽtia tanquã impia.

Aperitur veritas ex Scripturis

Iudicium Augustin.

Cur ponatur præpositio, In in quibusdam articulis, non in omnib.

Quorum Deus sit pater, & qua ratione voluerunt Apostoli hoc loco magis innotescere Deum sub nomine Patris, quàm Domini.

CAP. VIII.

D. CRedo in Deum patrem omnipotentem, &c. M. Hoc est credẽdo in Deũ, mihi persuasissimum habeo, quod ipse sit pater, & omnipotens, & omnium creator. D. At, cuius pater? Nam pater

ad

ad aliquid dicitur. Nemo enim pater, ſine filio, neque filius quis eſſe poteſt ſine patre. M. In primis, & ab æterno pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem genuit ſibi coæternum & conſubſtantialem. Deinde pater omnium bene viuentium. Dicit enim Saluator Mariæ Magdalenæ, Vade, ad fratres meos, et dic eis, Aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrū, Deum meum, et Deum veſtrum. Quotquot autem receperunt eum, ſcilicet Chriſtum, dedit illis, Deus videlicet, poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Nam quos præſciuit: & prædeſtinauit cōformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus, in multis fratribus. Et vnus ſit Pater omniū, ad Eph. 4. Hæc autem fuſiùs explicabimus ſuis in locis, maximè tamen in exordio orationis Dominicæ. D. Apparet mihi magis debuiſſe dici, Credo in Dominum Deum, quàm Credo in Deum patrem, illud enim magis eſt obuium in ſcripturis. M. Vbicunque ſcriptura exprimit nobis aut præcepta Dei, aut ordinationes, aut minas, ibi ferè eſt hæc appellatio, Dominus Deus: Ego Dominus: Hæc dicit Dominus, eò quòd Dominis propriè debeatur timor, & obedientia. Vbi autem ſcriptura, vel Spiritus Domini inuitat nos ad credendum, vel fidēdum in Deo, aut ad obſecrādum numen eius, ferè proponit Deum ſub appellatione patris: eo quòd filij meritò debeāt collocare in patre omnem ſpem ſuam, fiduciā quoque & amorem, ſiue expectationem, tanquam pignora viſcerum eius, quorum obliuiſci non poteſt: ſicuti & ipſe dicit: Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt nō miſereatur filio vteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, &c. Rurſum Matth. 7. Si vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe. Quanquam enim omnipotens Deus, quanquam omnium creator, omnia habens in poteſtate ſua, non tamen dominatu quodam vt princeps: ſed affectu pietatis præſidet mundo, haud ſecus atque beneuolus paterfamilias præſidet domeſticis ſuis: Illis prouidēs victum & amictum, omniaq; neceſſaria vnicuiq; iuxta qualitatem ſuam, functionem, ac meritum: Illis colligens æſtate, vnde viuant hieme: Illis ſementem faciens hieme, vnde colligant æſtate: Illis vindemiam: Illis armenta & pecudem alens, tātùm requires ab eis vt faciant quæ præcipit, & caueant quæ vetat. Eodem ſanè modo Deus noſter prouidet nobis per annos ſingulos de vel

Quorum Deus ſit pater. Ioann. 20.

Ioann. 1.

Rom. 8.

Cur in Symbolo potiùs pater vocetur Deus quàm Dominus.

Eſaiæ 49.

Deus gubernat mūdū affectu paterno.

leribus ouium lanam, de culminibus agri linum, ex viſceribus vermium, holoſericū, ne quid deſit cuipiam ad indumentū vel neceſſariū, vel honorificum. Inſuper indeſinenter facit ſementi meſſem, & meſſi ſuccedere nouam ſementē: Vineas fecundās rore cæli: & per vindemiam annuatim implens cellaria vino: Per mare piſces, per gramina cāpi pecora pingue faciens, ne vnquàm deſit nobis annona, aut vllæ ſpecies annonariæ ad vſum. Nō aliter atq; prouidus pater facit pro ſuis domeſticis prouiſiones, vt vocāt, in annos ſingulos. Et, quòd plus eſt, in hac parte vult nos ſecuros eſſe, & ſine ſolicitudine: vti expreſſe docet Chriſtus. Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid māducetis, neq; corpori veſtro quid induamini. Nónne anima plus eſt quàm eſca? Et corpus plus quàm veſtimentū? Reſpicite volatilia cæli, quoniā nō ſerunt, neque metūt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autē veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitū vnum? Et de veſtimentis, quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, nō laborant, neque nent. Dico autē vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si enim fenum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit: quātò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnū Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Porrò tibi cauendū eſt hoc loco, ne intelligas Saluatorē velle hominibus otium perſuadere. Non enim dicit ne operimini, ne laboretis, ſed ne ſoliciti ſitis. Quia non voluit prohibere laborem, ſed ſolicitudinem: hoc eſt, dubiam anxiamq; curā mentis: quam licet vocare angorem, ſiue animi inquietudinem: quam & Cicero vocat ægritudinem cum cogitatione: qualis ſurgit in homine ex defectu, vel imperfectione fidei diuinæ circa nos prouidentiæ. Homo enim faciens officium ſuum, & adhuc anxius, curiſq; variarum cogitationū perturbatus ac ſuſpenſus, ne ſibi deficiant victui ſuo, aut veſtitui neceſſaria, quod eſt ſolicitū eſſe, vel non credit Deū habere curam noſtri, paternoq; eſſe erga nos affectu, vel non confidit in bonitate eius. Secundò cauendū tibi ne ex hoc dicto Saluatoris: Reſpicite volatilia cæli, &c. exiſtimes nō eſſe ſerendum aut metendum, aut cōgregandum in horrea, ad imitationem auiū. Siquidē hoc tantummodo conſiderandū voluit, quod quem-

Matth. 6. Non oportet Chriſtianū agi ſolicitudine curarum.

Solicitudo anxia venit ex imperfectione fidei.

queadmodũ pascũtur volatilia à Deo, etiãsi omittat quæ sibi incõpetentia sunt viresq; suas excedũt, vt sunt serere, metere, & alia eiusmodi, tãtúmodo faciẽdo quod in se est: Ita haud dubiè à Deo pascetur homo multo dignior auibus, etiamsi prætermittat omnem anxiam curam & solicitudinem, eorum quę extra suã potestatem sunt, & solummodo agat quod potest, pro naturæ suæ, & temporis conditione. Hinc & ipse Deus per Prophetam dicit, Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, modò sis quod filiusfamilias esse debet, vigil in commissione patris, sedulus in actione, semper autem amore, & reuerentia propensus erga ipsum. Itaque Symbolum Apostolicum statim in ipso sui exordio proponit Deum sub nomine Patris. Non solùm quia reuera pater est & Christi, & omniũ Christianorum bene viuentium: sed etiã quia mundum hunc paterno amore, paternoq; affectu gubernat, cupiẽs sua in nos velut filios transfundere: non autẽ dominatu, more principum, cupiens de nostris sibi benè esse. Deinde, ideo Apostolica circunspectio tradens fidem de Deo expressit primum articulũ Symboli sub nomine Patris: secundum, sub nomine Filij: octauum, sub nomine Spiritus sancti, vt tacitè, sensim, ac prouidè, seminaret in cordibus Neophitorum fidem Trinitatis diuinę quàm planè expressam infantia credentiũ ex Iudæis, velut ablactanda à lege capere nõ potuisset. Quemadmodum enim matres dũ ablactant filios suos, non statim ingerunt eis cõmunia cibaria: sed sensim assuefaciunt tenellas fauces ad escam magis ac magis solidam.

Tribus de caussis ponitur in articulo Symboli, vox Patris.

Quomodo Deus sit omnipotens, & quæ ex illius omnipotentia deduci possint.

CAP. IX.

M. Voniam autem in Symbolo communis fidei, Apostoli aptarũt Deo hoc epitheton, Omnipotens, vt omnes confiteantur palàm omnipotentiam eius: Ideo inquirendum nunc est, qua ratione sit Deus, appelleturq; omnipotens. D. Ea opinor ratione, quia nihil nõ potest. M. Rectè. Nãsi aliquid excederet vires potẽtię eius, iã nõ esset penes eum omnipotẽtia. Nemo autem scitè magis expressit omnipotentiam Dei, quàm Angelus Gabriel ad Diuam Virginem, Luc. 1. dicens: Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum, id est omne quod dici aut cogitari potest. Siquidẽ est verbũ oris, faciens foris sonum loquentẽ: Est & cordis, quod alio modo conceptus siue cogitatio dici potest. Sunt autem omnia dictu

Quomodo Deus omnipotens. Non est impossibile apud Deum omne verbum latè interpretatur.

quàm factu faciliora, & vt cogitentur multò adhuc magis in promptu quàm vt dicantur, aut fiant. Verùm Deo ad manum est non solùm omne quod fieri potest, sed & omne verbum, id est, omne quod dici sermone scilicet veritatis, aut vllo modo cogitari potest cogitatu veritatis. Porrò quia Angelus pronũtiat absolutè omne verbum, non addendo hominis vel Angeli vel Dei: ideo absolutè intelligẽdum est, videlicet quod prorsus nullum verbum oris, nullumq; verbum cordis siue hominis, siue Angeli, siue maiestatis diuinæ, quę non recipit intelligendi finem, sit impossibile apud Deum. Omnia enim illi ęquè possibilia, quod plus est, omnia illi æquè facilia. Adeò vt cius dicere sit facere. Dixit enim & facta sunt, Genes. 1. Qui teste scriptura, æquali manu ducit præterita, futuraque vt præsentia, Reg. 2. Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quę sunt. Ad Rom. 4. Qui imperium habet, sicut vitæ, ita & mortis. Qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. Qui suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & soliũ gloriæ teneat. Qui condidit, sustinet, pascit; iudicat, trahit, proijcit, remunerat, condemnat, omnia quæ sunt, erunt, vel esse poterunt, siue in cælo, siue in terra, siue in mari longè, & non est qui resistat eius volũtati, aut dicat cur fecisti sic. Is haud dubiè omnipotens est in opere suo: adeò vt dicat: Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & sanabo, & nõ est qui de manu mea possit eruere. Potest quidẽ homo morti tradere, sed nihil vltrà, Deus verò vbi corpus occiderit, potestatem habet mittendi corpus & animam in gehennam ignis. Potest homo ex præiacente materia facere quippiam, & ibi est totum quod potest. At Deus ex nihilo potest producere omnia. Addo, si quid habet homo, aut si quid potest homo, vel Angelus, vel quæcunque alia creatura, hoc à Deo habet, hoc per Deum potest, testante Apostolo: Quoniam ab ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Sine ipso nihil subsistit, nihil habet esse vel ad momentum, aut viuere, aut posse. Quod sumus, in ipso sumus, quod viuimus, in ipso viuimus, & quod possumus, in ipso possumus: etiamsi principes simus, & Reges. Per me, inquit, scriptura: Reges regnant, & principes terræ iusta decernunt. Et ad Romanos decimo quinto. Omnis potestas à Deo est. De quo latiùs in explicatione primi mandati. Vides fili, quomodo apud Deum sit omnis omnium potentia, vt non solùm sit omnipotens,

Ideo Deus omnipotens, quia omnia potest.

1. Reg. 2.

Ideo Deus omnipotẽs quia penes ipsum est omnis omnium potentia.

tens, quia omnia potest: sed etiam quia penes ipsum est omnis omnium rerum potentia. D. Igitur potest Deus, sicut omnipotẽs, ita & solus potens nuncupari. M. Bene discurrens ratiocinatio facilè efficit & concludit

Quia omnipotens Deus, ideo solus potens.

quòd non esset Deus omnipotens, nisi & esset solus potens. Interim tamẽ id ipsum clarè definit scriptura ad Tim. dicens. Quem suis temporibus ostendit beatus & solus potens, rex

1. Tim. 6.

regum & dominus dominantium. Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, & imperium sempiternum. Sicq; canit Ecclesia: Tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus. Non quòd alia non habeant vim vllã, aut potestatem agendi (verè enim agit ignis comburendo: verè potest aliquid princeps gubernãdo: verè aliquid facit Sacerdos exequẽdo functionem Euangelicam: denique liberum arbitrium veraciter vim habet & operatur, dũ officium prosequitur virtutis, aut vitæ, quæ tibi infra irrefragabilibus ostendemus argumentis) sed ideo solus potens, quoniam omnem quam alia habent vim & potestatem, eam habent à Deo pro sua miseratione donante, Deoque intertenente. Nec diutiùs habent, neque augustiùs, neque maiori minoriue efficacia quam altissimissimi disponit beneplacitum. Tantùm habet aquarum riuulus, quantùm fons dederit. Tantùm habet luminis aër, quantùm diffundit à se lux Solis. Totum lumen est in luce, totum flumen in fonte. Nec habet aër aliquid luminis, aut quidquam aquarum flumen, illis non dantibus. Vbi dederint illa, habent ista, etiam ad sensus vsque experimentum. Verùm dicito mihi. nunquid plus potest peritus rerũ, quàm idiota, plus Iureconsultus, quàm Leguleius? D. Procuidubio, magis enim valet ille ad definiendum & consulendum, quàm iste. M. Igitur, si credis Deum omnipotentem, debes

Deus quia omnipotens, ideo & omniſciens.

& omniscientem credere. Quia si non omniscient est, nec potens omnium erit. Plus enim potest qui plura cognoscit. Vt autem constet Deum omniscientem esse, dicit scriptura ad Hebræos quarto: Omnia nuda & aperta sunt oculis eius: adeò vt nec vnum folium cadat de arboribus sine scitu patris vestri qui in cælis est. Qui & scrutatur corda

Psalm. 7.

omnium & renes. Rursum, dicito mihi, diuites nunquid plus possunt quàm inopes rerum, & Imperatores quàm gregarij milites? D. Prorsus. Quoniam illis promptuaria plena sunt, eructantia ex hoc in illud. Et maior ditio eius qui sceptra tenet, quam illorum qui arma solummodo tractant. M. Igitur, Deus si est omnipotens, debet quoq; pantonator, id est, omnitenẽs esse, hoc est, debet

Deus quia omnipotens, igitur & omnitenens.

habere dominium omnium, quæ in cælo, & quæ in terra, & quæ in mari longe. Debet habere omnes omnium diuitiarum thezauros, omnem quoque omnium gratiarum, donorum, miserationum plenitudinem: vt sit ipse diues, ac potens in misericordia & miserationibus. Largus insuper super omnes in benedictionibus. Sitque verũ: Domini est terra &

1. Tim. 6.

plenitudo eius. Et quod Apost. inquit: Rex regum & Dominus dominantiũ. Nam si quis habet quod non est Dei, iam non est omnipotens Deus. In eo enim quod non est suum, nihil potest. Sicut in eo quod non est tuum, tu nihil potes. Ideo omnia tua, omniaque mea, & omnia quę diuitum, quęq; pauperum sunt, Dei esse constat. D. An ad Deum pertineat, & non potiùs ad me, mea ouicula, quam peperit mihi mea pecus, alit proprius meus ager? Et hæc mea modici panni vestis, quam propria mea pecunia mercatus sum, an sit vestis Domini Dei? M. Et ouicula tua, & pecus quæ peperit eã, & ager qui pascit tibi eàndẽ, & tua tunica licet pannosa sit, & pecunia parta sudore tuo, qua illam mercatus es, &

Quomodo apud Deum sit merum dominium omnium.

quidquid habes, aut habere poteris, siue in bonis fortunæ, siue in gratuitis gratiarum donis, totum est Domini Dei tui. Apud illum est merum plenum, & minimè abdicabile dominium, nõ solùm rerum dictarum, sed & omniũ quæ cæli ambitu continentur, omnium hominum, omniumque spirituum tam infernalium, quàm cælicolarum, tui quoque corporis, tuæ linguæ, tuarumque manuum, proprietatũ, virtutum, actionum. Penes te autẽ est tuarum rerum dispensatio, siue dispensationis dominium magis quàm rei, aut in ipsam rem, seu quàm dominium merum, & independens. Dependet enim totum dominiũ quod homo habet, à voluntate Dei committentis. Quam ob caussam, qui abutitur vel se ipso, vel rebus suis, vel sibi subiectis personis, contra beneplacitum Altissimi, nobis in mandatis eius satis superque expressum, is iniquè agit contra merum illud diuinæ potentię dominium. Vt sit vera definitio Ioannis dicentis, Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatũ est iniquitas. Rursum,

1. Ioan. 3.

res quæ est ætatis perfectæ consistens natura sua consummata, plúsne potest, quàm quæ est in accessu, & incremento naturæ, aut virium defectione? D. Plane. Plus enim potest vir manibus pedibusque firmus, quàm infans aut decrepitus. M. Igitur si Deus est omnipotens, ergo & æternus, & incommutabilis, & semper vnus ac idem, nullum

in se

Si Deus omnipotens, ergo & æterñ. ipse recipiens accidens, non præteritum, neque futurum, nec vllam prorsus vicissitudinis obumbrationem. Si enim accidente quali taté reciperet, aut haberet ætates posset vno tempore aliquid, quod non posset alio. Itaq; nō esset absolutè omnipotens. Propter quod quidquid de Deo dicitur, hoc ipsum Deus veraciter est. Deus est sapiens, & ipsa sua sapientia. Deus est verus, & ipsa veritas. Deus est potens, & ipsa potentia. Misericors, & ipsa misericordia. Bonus, & ipsa bonitas, ipsa dilectio, ipsa caritas, ipsa vita, ipsum suum esse suaque essentia: iuxta scripturam: Ego sum qui sum. Et: Qui est misit me, hoc mihi nomē Exod. 3. in æternum. Et 1. Ioannis 4. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Deus ergo quia omnipotens est, ideo habet in sua ipsius potestate tempora & momenta, prout Actuum primo dicitur. Quod Deo omne tempus est præsēs. plus est, ideo omne tempus illi præsens est. Nec habet solum omnem perfectionem: sed ipse est omnis perfectio. Essentialiter quidem omnis sua perfectio: per modum autem fontis, omnis ōmniū creaturarum perfectio. D. Obiectio contra omnipotentiam Dei. Deus non potest deficere, non potest mori, aut minus habere (dixisti enim dominium rerum non posse abdicari à Deo) igitur nō potēst omnia. M. Omnia quæ sunt potentiæ, Omnia quæ potētiæ sunt po test Deus. Deus potest. Quæ autem impotētiæ sunt aut infirmitatis, Deus non potest. Nec alia id ratione, quàm quia omnipotens est. Non est potentiæ agere impotenter, non est virtutis habere infirmitatum opera. Distant ex diametro potentia & impotentia. Quantò ergo magis distant omnipotentia & infirmitas? At posse mori, posse deficere, aut nō esse, aut minus habere, impotentiæ sunt & infirmitatum. Longè igitur abesse debent à Deo, qui est ipsa om Alia obiectio. nipotentia, nedum omnipotens. D. Deus non potest proficere in melius, aut de loco procedere in locum; quæ tamen potest homo, & quò fuerit perfectior homo secundum Cur Deus nō potest proficere in melius naturam, eò potest expeditiùs. M. Proficere in melius, locūmue accedere absentem, præsupponit melioris conditionis indigentiam, locique absentis carentiā. Quòd haud dubiè est impotentiæ, & naturæ quæ certis limitibus continetur. Quæ autem impotentiæ sunt, aut naturæ finitæ, ea omnipotentiam contingere non possunt. Quod velut euidēs relinquo ex lumine naturali. D. Deus Alia obiectio. non potest facere alium Deum: tamen id verè virtutis esse videtur, Nam perfectio quædam viuentis creaturæ est, generare sibi simile secū dum naturam. M. Quod autem hoc posset Deus, idq; infinitis modis perfectius quàm homo aut animal, patebit in sequenti articulo: Vbi declarabimus quomodo ab æterno genuerit Filium, non solùm sibi similem secū Deus potest generare, non tamē Deum alium à se. dum naturam: sed etiam sibi consubstantialem, coæqualem, coæternum, eiusdem secum essentiæ ac naturæ. Porrò quòd non posset generare alium à se Deum, vt sint duo aut plures Dij, est, quia omnipotēs est. Si verò alium à se generaret Deum, iam desineret esse omnipotens: nihil enim posset in illum. Quia si potest quidquam in illū, iam nō est Deus ille: sed depēdens natura ab alio. Iterum si alium à se posset generare Deum, posset ipse non esse Deus. Siquidem pluralitas adeò repugnat rationi Deitatis, vt Dij esse non possint, qui plures esse dicuntur. Nulla autem est potentia ad non esse. Circunscriptum denique Simul & semel esse vbiq; sum mæ est perfectionis. esse loco vno, & non posse eodem tempore vbique esse præsentem, quis dubitat quin magnæ sit imperfectionis? Quod vel hinc tibi manifestum fiet. Corpus tuum non potest vno tempore præsens esse in omni loco possessionum suarum. Si intus est in domo, abest ab agro, si foris est in agro, abest à domo. Tamen anima tua, eò quòd corpore spiritualior est, & perfectior, ipsa eadem simul & semel præsens est in omni loco possessionis suæ, hoc est, in omnibus partibus corporis, quod inhabitat, est in pedibus, est in manibus, est in cerebro, est in pectore, omnibus communicans esse viuificum, secundum qualitatem partis recipientis. Quantò magis Deus qui ineffabiliter spiritualior est, & perfectior, semper, & eodem momento est vbique præsens. De quo plura dicemus in oratione Dominica. Vides fili quàm multa eredit de Deo, qui credit ipsum omnipotentem esse: quamq; sunt hæc idonea incitamenta cordis alioqui tardi in Deum. D. Et video, & gaudeo, & gratias ago immensas. M. Needum tamen omnia monstrauimus, quæ de omnipotentia Dei contemplanda veniunt, dedimus tantùm modum inquirendi quæ restant. At nunc pergamus ad reliquam eiusdem articuli partem.

De modo, quo Deus creauit cælum & terrā, omniaq; quæ in eis sunt. CAP. X.

D.



Actorem cæli & terræ. M. Scis, credo, quę sit differētia inter creare & facere, creatorem & factorē. D. Creare propriè est, de nihilo Quid sit creare quid facere. aliquid facere, Facere autem non modò de nihilo aliquid facere: sed etiā de materia prius existente. M. Vtrumq; ergo conuenit Deo sed alterum propriè. Nam Angelus, vel homo potest aliquid facere: neuter autem creare. In Deo verò est & illud, & hoc inuenire: Deo cōuenit tā facere quam

creare: sed creare cõuenit ei propriè. Roma. 9

Quoniam vt de nihilo mundum, & elementa primaque ſemina rerum fecit, ita quotidie multa facit ex alijs, hoc eſt, ex ſubiecta materia. Quapropter Deus eſt & creator, & opifex & factor. Verùm creationis nomen ſibi propriè retinuit: alia verò etiam creaturis communicauit. Nam faber facit domos ex lignis. Et poteſtatẽ habet figulus faciendi aliud vas in honorem, aliud verò in cõtumeliam. Hoc itaque loco factor & creator pro eodem habentur. Sicut in ſcripturis ſæpè accipitur creator tanquam factor, & creare tanquam facere, & ecõtrario, ſine diſtinctione ſignificationis. Nam quod dicitur Geneſ. primo, In principio creauit Deus cælum, & terram, hoc dicitur, Heſter 13, Domine rex omnipotens, tu feciſti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Iterum Deut. 32, vtrumque pro altero ponitur: Dereliquiſti Deum factorem tuum. Subditur: Et oblitus es Domini creatoris tui. Accipiuntur etiam condere & conditor pro eo quod eſt creare & creator, ad Coloſſenſ. primo: Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe ante omnes. Et omnia in ipſo conſtant. Eodem modo fabricare & fabricator pro iiſdem accipiũtur. Eccleſ. 11, Quomodo ignoras qua ratione compingantur membra in ventre prægnãtis, ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium. Rectè igitur in diuinis officijs vocatur Deus, creator, factor, cõditor, fabricator omnium quæ mundi ambitu continentur, etiam creator eorum quæ ex aliquo fiunt, vt ibi: Deus de terra creauit hominem, Eccl. 17.

Deus rectè vocatur creator, conditor, factor fabricator mũdi, &c.

D. Et voces, cælum & terra an accipiantur hic in proprijs ſignificationibus? M. Cæli nomine, etiam ſecundum Aug. intelligitur, tam Geneſ. primo, quàm in hoc Symbolo, omnis creatura ſpiritualis & inuiſibilis. Terrę verò nomine, omnis creatura corporalis & viſibilis. De quo ne quiſquam dubitaret, propterea in Symbolo Niczno adiungitur, viſibilium & inuiſibilium, dicendo. Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Quod ſumptum eſt ex verbis Apoſto. ad Coloſſ. 1. dicentis, In ipſo condita ſunt omnia viſibilia & inuiſibilia. Et ne dubij maneremus de quib. inuiſibilibus loquatur, Apoſtolus addit diſtinctionem ordinum Angelicorũ, dicẽs: Siue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates.

Per cælũ intelligitur omnis creatura ſpiritualis. Per terrã omnis corporea natura inferioris mũdi.

D. Ergo in principio à Deo creati ſunt omnes ſpiritus Angelici. M. Vniuerſa dico quæ in cælo ſunt & in terra. Quod eleganter & diſtinctè expreſſit Angelus Apocal. 10, Iurans ibidem per viuentem in ſæcula ſæculorum. Qui creauit cælum, & ea quæ in eo ſunt: & terram, & ea quę in eo ſunt: & mare, & ea quę in eo ſunt. Quot autem diebus fecerit ac diſtinxerit creaturas viſibiles mundi inferioris, luculentiſſimè tradit primum caput Geneſ. adeò vt non ſit opus quidquam addere.

D. Verùm quid de modo faciendi? An ſcilicet eo modo fecerit mundum, quo fabricator domum? M. Nequaquam. Facit enim domum fabricator ex materia ſubiecta, ligno, lapide, cæmento. Deus autem ex nihilo, quod omnipotentiæ eſt. Fabricator homo faciendo mouetur, laborat, ſtudioque præcurrentium cogitationum occupatur, nihil verò talium eſt inuenire in Deo. Quapropter verba hæc creare, facere, agere, & alia huiuſmodi, longè alia ratione dicuntur de Deo, quàm de creaturis. Quippe cùm dicimus Deum aliquid facere, non aliquem in operando motũ illi ineſſe intelligimus, aut aliquam paſſionem laboris vel ſolicitudinis, ſicut nobis ſolet accidere: ſed eius ſempiternæ voluntatis nouũ aliquem ſignificamus effectum, id eſt, æterna eius voluntate aliquid recenter exiſtere. Cùm ergo aliquid dicitur facere, tale eſt, ac ſi dicatur iuxta eius voluntatem aliquid iam primum exiſtere aut eſſe: Vt in ipſo nihil noui contingat, tamen nouum aliquid fiat, quod ſicut in æterna Dei voluntate fuerat, ita nunc illius imperio exiſtat, tamẽ citra motionem ipſius Dei vel mutationem. Facit ergo Deus ſine motu quia immutabilis eſt, iuxta illud: Ego Dominus & nõ mutor. Facit ſine labore & duratione temporis: quia omnipotens eſt, & purus, primuſque actus, ſemper actu, nunquam in potentiã. Facit citra præcedentium cogitationũ diſcurſum: quia ipſe ſimpliciſſima intelligentia eſt, omnia ſimul, omnia ſemper intuens citra actionem, actionúmue ſucceſſionem. Nam ſua natura, ſuum velle, ſuum dicere, ſuum denique facere indiſtincta ſunt. Neque diſtant à ſe inuicem in Deo, quo modo in homine. Quod aptiſſimè exprimit textus Geneſis primo, dicens: Dixit & facta ſunt: fiat firmamentum, & factum eſt, quaſi nullum omnino medium ſit inter illius dicere & facere. Tertiò homo fabricatum opus quod fecit non conſeruat, ſed factum ſuis deinde proprietatibus conſeruandum relinquit. Deus autem quoniam eſt cauſſa cauſſarum, ens entium, principium & finis, alpha & ω, hoc eſt, plenitudo & ſumma omnium rerum, quo non agente nihil agit, non inſtillante eſſe, nihil exiſtit, non conſeruante nihil ſubſiſtit, ideo

Multæ diuerſitates in modo faciendi, quo facit Deus, & quo facit homo.

Mala. 3.

Nõ diſtãt dicere & facere in Deo, ſicut in homine.

Tertia differentia.

opus

opus suum quod fecit, semper & indesinenter facit conseruando ipsum, quamdiu subsistit in rerum natura, nec vnquã deserit opus suum proprijs deinceps viribus conseruandum, sicut homo. Immo non potest Deus sic facere opus suum, vt per se subsistat extra cõseruationem ipsius. D. Hoc valde mirabile est. Et istius rei quæso quam dabimus rationem? M. Hanc certè: quia non potest non esse Deus, ideoque non potest non esse cunctis caussa & ratio essendi quamdiu existunt. Repugnant æqualiter, riuulum esse, & non pendere à fonte; lumen esse & non pendere à luce: creaturam esse & non pendere à creatore, quantum ad conseruationem & quantum ad essentiam. Hinc scriptura sancta: Ipse enim est portans omnia verbo virtutis suæ, ad Hebræos primo. Omnia enim in ipso constant, ad Colloss. 1. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, Actu. 17. Quod idem ad Rom. 11. sic exprimit Apostolus, Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Omnia quidem non solùm ex ipso, aut per ipsum sed & in ipso sunt, ita vt extra ipsum prorsus nihil esse possit, aut conseruari. Eiusdem datur hæc ratio physica: Ens entium Deus. Ratio insuper essendi vniuersis Deus Denique caussa caussarum Deus, qua non agente agit nulla: igitur nihil per se subsistere potest extra cõseruationẽ Dei: Quemadmodũ scriptũ est Psal. 103. Porrigente te manum tuam omnia replebuntur bonitate: auertente autem faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertẽtur. Et nos oues pascuæ eius, nullum momentum vitæ nostræ agimus, in quo non continuo accipimus quidquid sumus, quidquid habemus, quidquid possumus, idque misericorditer, quoniam bonus est Deus. Et vbi quæso condigna gratiarum actio? vbi amor retribuens? vbi offendendi timor? Vt igitur concludam, quamuis dixit Dominus, Germinet terra herbã virentem, & facientem semen, & factum est ita, non propterea tamen desijt operari mox post primam creationem rerum: sed perpetuò & indesinenter operatur vsque ad consummationem sæculi. Sic quoque de reliquis creationis formulis dicendum est. Quartò, facit homo domum aut simile quid propter commoda sua aut lucrum aut ne cessitatem. Nihil autem tale de Deo fabricante mundum cogitari potest citra impietatem. Non enim facit Deus quidquam propter commodum suum aut lucrum, quoniam bonorum nostrorum non eget, inquit Propheta. Aequè felix, æquè beatus, æquè diues atque gloriosus erat Deus ante mundi constitutionẽ atque posteà. Ipse enim sem per idem est, & semper manet perfectus plenitudine omnium perfectionum. Non igitur fecit mundum, & ea quæ in illo sunt, quia indigebat, vel quia gloriam aut felicitatem vllã qua priùs caruisset, quærebat ex condito mundo.

Deus opus potest ita facere aliquid vt per se subsistat citra conseruationẽ Dei

Actor. 17.

Ratio physica.

Homo omni momẽto accipit à Deo quęcunque habet.

Qua de caussa creauerit Deus omnia quæ creata sunt, & quomodo vna creaturarum est propter aliam CAP. XI.



D. Quæ igitur caussa mouens vt crearet Deus hæc omnia? M. Caussa prima, caussam habere non potest, alioqui non esset primo prima, & omniũ caussarũ caussa. Seipso igitur suaqꝫ bonitate motus, fecit hæc omnia. Bonũ omne diffundit sese suapte natura, maximè igitur & summum bonum. Itaque Deus vt se suaque communicaret multis, ideo fecit omnia, tanquam bonus, non, vt haberet multa tanquam auarus. Hinc D. Aug. Quoniam bonus est Deus, ideo sumus, & quantum sumus, boni sumus. Siquidem à summo bono non nisi bonum manare potest. Secundò, ideo fecit Deus hæc omnia, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta cõspicerentur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: Ita vt inexcusabiles essent sapientes mundi huius, qui cùm ex creatura cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, prout eleganter prosequitur Apost. ad Rom. 1. Igitur si quæratur à te, quare creatus est à Deo homo vel Angelus: respondebis. Quia bonus est is, qui fecit omnia. Si vlterius quæratur, ad quid creata est rationalis creatura: respondebis, Ad seruiendum ei, à quo facta est: non quidem propter illius qui fecit, sed propter suam qui factus est vtilitatem, Nã seruiendo Deo proficit, perficiturque seruiens, non is cui seruitur. Iuxta illud: Seruire Deo, regnare est. Quia seruiendo quis summo bono, hoc est, Deo, fit paulatim illius magis ac magis particeps, tandem verò eiusdẽ felicitatis, immortalitatis, gloriæ, & decoris cum illo. Porro sicut homo factus est propter Deum, id est, vt ei seruiret: ita mundus factus est propter hominem, scilicet vt homini seruiret. D. Ergo ordinem quendam habent ad inuicem res creatæ à Deo. M. Elegantem optimeque distributum, Nam quæ sunt, à Deo ordinata sunt iuxta Apost. De quo tractabimus longè latéque in quatuor libris, quos meditamur de ordine. Vnum hoc addo. Homo positus est medius sub Deo, & supra reliquam creaturam mundi huius; Sub Deo quidem vt ei famuletur,

Caussa prima nõ habet caussam.

Deus seipso & sua bonitate motus fecit omnia, Ratio 1.

Ratio 2.

Quare creat homo vel Angelus.

Homo factus est propter Deum vt ei seruiat. Homo seruiẽdo Deo sibi proficit non Deo.

Mundus factus est propter hominem vt ei seruiat. Rom. 13.

Homo positus sub Deo super reliq.

quam creaturā mūdi huius. letur, non dico tanquam seruus merè seruiēs, qualis non manet in domo inæternum: sed tanquam filius capax paternæ felicitatis & gloriæ. Super mundum verò vt ei dominetur non vtique tanquam habens merum dominium in rebus mundi, quale est inabdicabile à Deo. sed tanquam habens dominium dispensationis, quatenus probè dispensans secū dum voluntatem Dei quæ sibi credita erant, mereatur constitui super multa, eaque cælestia & æterna, qui prius constitutus erat supra pauca, eaque terrena & temporalia. Sicque vtroque, & seruiendo Deo, & præsidendo mundo inferiori, lucrifaceret sibi mundum superiorem, statum quoque & maiestatem, gloriam, & honorem Deo diuinisque spiritibus propria. Totum ergo quod factum est à Deo creatore, cedit in bonum hominis, & quòd factus est ipse, & quòd alia facta sunt propter ipsum. Totum in lucrum hominis, tam scilicet seruire Deo, quàm præsidere alijs in mūdo. Omniáque ad felicitatem ipsius non minus bona increata quàm creata, vt in istis dispensandis esset meritum: in illis verò consequeretur præmium actæ virtutis, vtrobique circundatus imperio, gloria & honore supra omnem aliam creaturam mundi huius, adeò vt verissimè dixerit Propheta. Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipiētibus, & similis factus est illis. Quod aduertens Apostolus subtilissimè dixit: Nobis tamē vnus Deus est, ex quo omnia, & nos in illum. Omnia quidē entia ex illo, sed nō omnia in illū, neque etiam omnes in illum, quia non peccatores, non idololatræ non damnati spiritus, sed nos qui fide & gratia restituti ad priorem ordinem, seruimus illi in sanctitate & iustitia, nos dico in illum scilicet destinamur. Addit Apostolus: Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. D. Dicit ibi Apostolus de Christo, per quem omnia. An igitur Deus pater creator sit cæli & terræ per alium? M. Omnino. Quia per Verbum, hoc est, per Filium suum vnigenitum, Ioannis primo. In principio erat Verbum, &c. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vt Deus pater, sit principium ex quo omnia, Deus filius principium per quod omnia, Deus Spiritus sanctus principium in quo signamur & sanctificamur omnes. Verùm Apostolus dicens, Nobis est vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum, non tam respexit ad opus creationis, quàm redemptionis generis humani. Et loquitur de verbo incarnato, Christo filio Mariæ per quem omnia, scilicet, collapsa instaurantur, & quæ in cælo, & quæ in terra, interposito pretio redemptionis sufficienti pro peccatis totius mundi. Et nos per illum, scilicet, actu instaurati sumus inuenta redemptione per sanguinem eius. Vt igitur omnia creata à Deo patre per filium sibi coæternum, ita quoque omnia collapsa reparantur à Deo patre per Iesum Christum in tempore natum & hoc in Spiritu sancto, qui vt non defuit in creatione rerum, (Spiritus enim Domini ferebatur super aquas creatas. Genesis primo) Ita neque debuit neque potuit deesse in opere redemptionis generis humani. Porrò mysterium hoc vt in multis locis, ita pulcerrimè prosequitur Apostolus capite primo ad Ephesios. Nunc pergamus ad sequentes articulos.

Omnia cedūt homini in bonum.

Deus pater creauit cælum & terram per Filium.

DE FILIO DEI, EIVSQVE INCARNATIONE ET NATIVITATE TRACTATVS SECVNDVS.

Dei filium ideo coæternum esse Deo patri, atque eiusdem naturæ cum eo, quod filius eius est. Cap. I.

Quibus auctoritatibus probemus filium Dei Deo patri coæternū esse, & qua posset consequē tia inferri. Est filius Dei, igitur & Deus. Cap. II.

Quibus scripturis demonstretur Christum re vera esse Deum de Deo. Cap. III.

Christum esse & vnigenitum Dei patris, & nihilominus primogenitū in multis fratrib. Cap. IIII.

Quibus modis & rationibus sit Iesus Dominus noster. Cap. V.

De his duabus vocibus Iesus Christus. Cap. VI.

De alijs nominibus quibus nobis commendatur filius Dei in scripturis. Cap. VII.

De modo concept. in vtero virgineo. Cap. VIII.

Qua via sit demonstrandum ex scripturis, Mariam fuisse virginem ante partum, in partu, & post partum. Cap. IX.

Christum reuera natum esse ex visceribus Mariæ, non effusum aut eiectum. Cap. X.

Quid referat in articulo Symboli vocula, QVI, cùm dicitur Qui conceptus est. Cap. XI.

Dei filium ideo coæternum esse Deo patri, eiusdemq; naturæ cum eo quia filius eius est.

CAPVT I.



Ro Symbolo Catholicæ fidei, de Filio Dei eiusque incarnatione & natiuitate, tradiderunt duces nostri Apost. duos articulos. Quorū alter

alter est, Et in Iesum Christum Filiū eius vnicum Dominum nostrum: cui, vt sensum perfectum habeas, debes addere per intellectū, verbum credo. Docemur autem isto articulo, quod filius Mariæ qui vocatur Iesus Christus, sit filius Dei patris, non qualiscunque, sed filius vnicus siue vnigenitus. Deinde quod sit Dominus noster. Quapropter non frustra dicebatur in priori articulo: Credo in Deū patrem, quoniam hic monemur credere in filiū eius. Vt re vera, in diuinitate sit, credaturque esse, alius Pater, alius Filius, & is vnigenitus.

In personis diuinis vna accipit esse ab alia.

D. Ergo in personis diuinis vna accipit naturam suam ab alia per generationem. M. Sic est. Nam quicunque verè est filius, nempe secundum naturam, & non secundum adoptionem tantùm, is esse suum & naturam accipit ab eo qui pater est, alioqui non esset filius. Patet istud luce clariùs in generationibus humanis.

Nusquā priùs pater & deinde fili⁹, sed simul natura pater & filius.

D. Igitur prior est pater, deinde filius. Nam & hoc videmus in omni generatione hominum. M. Quin potiùs, omnino contrarium sequitur. Sunt enim correlatiua Pater & Filius. Correlatiua autē simul natura esse oportet, quod pro primo vero & per se noto, habet Aristot. Nunquam igitur priùs pater deinde filius: sed eoipso quo pater est, est & filius, & ediuerso. Semper enim ac necessariò omnis pater est filij pater. Ergo nūquam nullóue momento potest esse pater sine filio.

Inter homines antiquior filio pater, non itē in diuinis.

D. Tamē inter homines, semper pater antiquior est filio. M. Est verum: quia is homo qui posteà generando fit pater, multo tempore vixit, priùs quàm generaret, primò infans, deinde puer, exinde adolescens, tandem vir. Nec his temporum incrementis fuit pater: sed tum demum pater, quando sibi natus est filius, & vno eodéq; momento quo cœpit ei esse filius, incepit ipse esse pater, Porrò Deus pater semper, & ab æterno, & ante sæcula fuit pater. Semper ergo, & ab æterno, & ante sæcula fuit ei filius. Non iunior patre, quia pater non priùs existens, & deinde pater, sed quàm diu existēs tā diu pater, hoc est, æternaliter. Non alterius naturæ quàm pater, quia ex substantia patris. Sicut in omni naturali generatione filius est ex substantia patris, patriq; suo consubstantialis. Denique non minor patre. Quandoquidem generatio diuina omniū est absolutissima, habens omnimodam perfectionem, vltra quàm possibile est imaginari, ideo in filium suum transfundit pater cœlestis, non eandem duntaxat naturam specie, quomodo homo transfundit in filium suum, sed naturam eandem simpliciter, & omni modo eandem: nempe specie, indiuiduo, numero, proprietatibus. Et eā sanè ob caussam habet filius prorsus eandem naturam quam pater, diuinam, æternam, omnipotētem, omniscientem, omnitenentem, omnia dantem, omnia regentem, deniq; primo primam. Hinc in Symbolo missæ sic canit Ecclesia. Et in Iesum Christum, scilicet credo, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verū de Deo verò, genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt.

Symbolū Missæ.

Quibus auctoritatibus probatur, Filium Dei, Deo patri coæternum esse, & quæ possit consequentia inferri. Est Filius Dei, igitur & Deus. CAP. II.



D. Valde est mirabile, simul & ab æterno esse, & semper patrē esse, & filium habere sibi coæternū. M. Mirabile quidem, sicut mirabilia sunt omnia opera Dei: sed tamen verum, dicēte scriptura: Ab æterno & antequā quidquā fieret genuit me. Rursum Micheæ 5: Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Hinc Leo Pontifex: Sempiternū est patri, filij sui esse genitorem, sempiternum est filio, intem poraliter à patre esse genitum. Sempiternum quoque Spiritui sancto, spiritum esse Patris & Filij: vt nunquam Pater sine Filio, nunquā Pater & Filius fuerint sine Spiritu sancto. Et omnibus exclusis existentiæ gradibus, nulla ibi psona sit anterior, nulla posterior. Quod vtique solius omnipotentiæ opus est, & inexplicabilis perfectionis. Hominē verò priùs multo tempore existere, deinde generare, & id longa mora succedētium sibi operationū, totum hoc arguit impotentiam quandam, & limitationem naturæ creatæ. At posse idem æquè perfectè, immo infinitis modis perfectiùs, citra omnem moram, omnemque successionem operationum, ab initio, quin potiùs sine initio, & ante sæcula, haud dubiè summæ, absolutissimæque est perfectionis. Si enim priùs fuisset Deus deinde Pater, aut si mora indiguisset generatio, denique si minùs transfudisset pater quam ipsemet habet, profectò aliquid ibi fuisset ex parte, potuissetque desiderari nonnulla perfectio in opere immanēte diuinitatis, quod esset absurdissimū.

Nō posse ab initio ac citra moram generare in perfectionis est.

D. Ceterùm cur nō expressè dicitur in hoc articulo, Credo in Deum filium, sicut in præcedenti, Credo in Deū patrem? M. Quod natum est ex homine homō est: quod natum ex animali, animal: quod natum ex carne, caro: quod natū est ex spiritu, spiritus est. Istud certū habemus, nō solùm euidentia naturali, sed & scripturæ testimonio Ioan. 4. Sequitur ergo optima consequētia. Igitur quod natū est ex Deo, Deus est. Itaq; qui credit Christū con-

Sequitur optima cōsequētia, est filius Dei, ergo Deus.

consubstantialiter genitum ex patre Deo, is nō potest non credere Christum esse Deum. Sicut qui credit Petrum Apost. genitum ex Iona patre homine, is non potest nō credere Petrum Apost. esse hominē. Similiquoq; modo qui credit Christum cōceptum,& exinde trāsacto nouē mensium spatio natum ex Maria femina non potest non credere Christum fuisse verum hominē. Quod autē istud Symbolum velut innuit,hoc alia Symbola, Nicænum scilicet,& Athanasij claro sermone docent,videlicet Christum esse Deum de Deo, æternum ab æterno, cōsubstantialē Patri,natum ante omnia sæcula,ac deinde quasi renatum in tempore præfinito ex virgine Maria. Quæ quia homo erat,non potuit nisi hominum substantiam de suis visceribus generare. Ex quibus omnibus palàm consequitur, q Christus fuit verus Deus ex Deo, verus etiam homo ex homine,nō duo tamen,sed vnus filius,non alius, sed idē: aliter tamen natus de Deo,aliter ex homine,prout mox audies.

Quibus scripturis demonstretur Christum reuera esse Deum de Deo. CAP. III.

D. SVnt quidem hæc optima ratione dicta. Verùm an scripturis probari posset, quòd Christus sit veraciter Deus ex Deo? M. Non obscurè. Nam Psal. 24. dicit Psalmista sub persona Ecclesiæ ad Messiā: Dirige me in veritate tua,& doce me,quia tu es Deus Saluator meus. Et rursum Psal. 61. Ipse Deus meus & Saluator meus. Item Esa. 35. cap. Confortamini,inquit,& nolite timere, ecce Deus vester,ipse veniet,& saluabit vos. Et Sophonias 3. cap. suæ prophetiæ dicit, Dominus Deus in medio tui fortis,ipse te saluabit. Accedit & illud vaticiniū Esaiæ,quod in suo Euāgelio repetit Euangelista Matthæus, videlicet: Ecce virgo cōcipiet,& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatū est, nobiscū Deus. Adhæc ipsemet Saluator noster sic ait: Ego & pater vnum sumus. Si vnū, ergo vterq; Deus. Quoniā summa differētia est, summaque distantia inter Deum & non Deum,nec vnum simpliciter esse possunt, Deus & non Deus. Et quo nihil potest esse apertius, sic orditur Ioannes suum Euangelium de Christo: In principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deū. Omnia per ipsum facta sunt,& sinę ipso factum est nihil. Subdit: Et Verbum caro factum est,& habitauit in nobis. Et vidimus gloriā eius,gloriā quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Et Ioannes testimonium perhibet de ipso,& clamat dicēs: hic erat quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat (non quidem natiuitate ex virgine, quoniam per illam iunior erat Ioanne sex mensibus. Luc. 1. sed natiuitate,qua natus erat ex patre ante sæcula) & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Hucusq; Ioannes. Indubiè per Verbum non aliud intelligens q̄ æternū Dei patris Filiū, posteà natum ex virgine Maria. Nec istud minùs expressè dicitur 1. Ioan. vlt. Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum,& simus in vero Filio eius, hic est verus Deus & vita æterna, hic scilicet Filius. Nam patrem verum Deum esse iam anteà asseruerat. Idem quoq; constat clarissimè ex cōfessione B. Thomæ exclamātis ad Christum,Dominus meus,& Deus meus. Ioan. 20. Item ex confessione B. Petri respōdentis: Tu es Christus filius Dei viui. Siquidem addidit, viui,vt insinuet se confiteri Christum esse natura filium Dei vitaliter generantis,non gratia quadam adoptantis, Matth. 16. Tertiò ex cōfessione Marthę dicentis: Ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui,qui in hunc mūdum venisti. Profectò admodum conformiter ad doctrinam Ioan. superiùs citatam, doctrinam quoq; Apost. qua instruit Philip. infra citandam, adeò vt vterq; elegātissimè exprimat clausulam illam Marthę, videlicet, qui in hunc mundum venisti. Et consonat eisdem Christi de seipso assertio: Amen amen dico vobis,priùs q̄ Abraham fieret,ego sum. Abraham haud dubiè cœperat fieri à cōstitutione mundi,cùm fierent Adam & Eua,iamque bis mille annos & vltra mortuus fuerat ante Christum incarnatum. Nihilominus cum iuramē to affirmat Christus dicens: Priùs q̄ Abrahā fieret,ego sum. Non,ego fui,sed ego sum: nēpe citra præteriti futurique vicissitudinem, vtpote Deus. His sanè potest superaddi & illud Matth. vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris & Filij,& Spiritus sancti. Si enim remissio peccatorum,& regeneratio,ac salus, dantur tam in nomine Filij,quàm Patris: ergo tam Filius est Deus potens saluum facere, quàm Pater. Vis addam plura testimonia? D. Non est necesse. M. Itaque pergamus.

Scripturæ quibus probatur Christus esse Deus de Deo.

Paulò inferiùs.

Ioan. 11.

Christum esse & vnigenitum Dei patris, & nihilominus primogenitum in multis fratribus. CAP. IIII.

D. DIcitur in Symbolo: Et in Iesum Christum filium eius: non quidem simpliciter, sed filium eius vnicum. M. Idem dicitur in Symbolo Missæ. Sed

Ioan. 3. fæ. Sed & Ioannes Apost. vocat eum filiū Dei patris vnigenitum. Nempe ideo, quoniam solus est Filius Dei patris, non habens fratres aut sorores. D. Legimus tamen Christum esse primogenitum in multis fratribus. M. Sic habetur ad Rom. 8. Verū obserua quædam. Sicut omnino nihil repugnant in Christo, mortalem esse & immortalem, natū ante sæcula, & renatum in tempore nouissimo, vitam mundi esse, nihilominus mortem sustinere in mundo, viuere ab æterno & perpetuò, attamen mori temporaliter, & cetera eiusmodi. Sic vnigenitum esse Dei patris, & primogenitum in multis fratribus, prorsus nullam habet repugnantiā in Christo Dño. D. Eadem tamen dicta de nobis, repugnant. M. Nec hoc omnino verū est vt audies. In Christo quidem duæ sunt naturæ, altera diuina, altera humana, coëuntes in vnitatem eiusdē suppositi. Secundum illam est vnicus, vnigenitus, sempiternus, immortalis non habēs neq; fratres, neq; coheredes. Ratione verò istius, dicitur primogenitus in multis fratribus, quia natus in tempore homo ex homine assumpsit carnem & ossa, integramq; nostrā naturam humanam ex virgine Maria, in vnitatem eiusdem suppositi cum diuina, idq; operatione diuinitatis. A qua & nos gratia & miserationе adoptamur, nō quidē in vnitatē suppositi Filij Dei: sed tantùmodo in societatem eius, dicente Apost. Per quē, scilicet Deū, vocati estis in societatē filij eius Iesu Christi Domini nostri: I. ad Cor. I. Addēs ad Heb. 2. Propter quā caussam nō confunditur fratres eos vocare, dicens, Nunciabo nomē tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et Christus post resurrectionē ad mulieres, Sed ite, inquit, & dicite fratribus meis. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, Ioan. 29. Qui ergo hic communicant cum Christo, nō solùm in natura secundum carnem & ossa: sed & in Spiritu Dei ac gratia, adoptati atq; regenerati in nouā creaturam quæ secundum Deū est, hi veraciter sunt filij Dei, veraciter etiam fratres Christi, heredes quidem Dei, coheredes aut Christi. Et sicut verè fratres sunt Christi, ita quoq; habēt in se prænominata illa, citra repugnantiam. Nam mortales sunt & immortales, mortales quidem secundum carnem: immortales verò secundum spiritum, vt inquit Matth. 3. Petrus: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt offerret nos Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Secundum spiritum enim vera semina æternæ vitæ, secundū carnē verò circūferimus vera quędā præludia mortis, habentes in vno supposito vitam quandā æternam secundum Deum, coniunctam cum vita temporanea, quę secundum hominem est. Tales quidem simus nos gratia Dei per Christū, sed ordine quasi cōtrario. Nam nascimur prius ex homine, deinde renascimur ex aqua & Spiritu sancto, cùm tamen Christus priùs natus sit Deus de Deo, deinde quasi renatus homo ex homine, iuxta illud Apost. Qui cū in forma esset Dei patris, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo: vt nos qui eramus in substantia hominis, formaq; serui, fieremus per ipsum cōformes imaginis filij Dei: vt sit & ipse primogenitus in multis fratribus, non obstante quod sit, maneatque vnigenitus Dei secundū æternam generationem, qua genitus est Deus ex Deo. Tu fili sic crede, alioqui traditio sancta, velut fornax Domini, probabit te non habere aurum in pectore. D. Distinctio, qua vsus es, rem adeò clarè demonstrat, vt non possim non credere.

Non repugnāt in Christo, esse vnigenitū & primogenitum in multis fratribus.

In Christo duæ sunt naturæ.

Quomodo etiā in hominibus iustis reperiuntur cōtraria citra repugnātiā, sicut in Christo.

Philip. 2.

Quibus modis ac rationibus sit Iesus filius Mariæ Dominus noster. CAP. V.



NVnc ad id quod additur, Dominū nostrum. M. Hic denuo opus est cōsiderare diuersas naturas in Christo. Nam secundum diuinam suam naturam, habet vnum ac idem dominium cum Deo Patre & Spiritu sancto, sincerissimum, plenissimum, potentissimum, tam in ea quæ non sunt, quàm in ea quæ sunt, sibi cum Patre & Spiritu sancto connaturale & inabdicabile. Ego, inquit, & Pater vnum sumus: haud dubiè sicut natura, ita & dominio & potestate, & operatione. Secundum humanam verò naturam, etiam Dominus vniuersorum, sed alio modo, quia non proprietate naturali, sed donatione Dei siue Deitatis, prout ipse testatur de se dicēs: Data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra, Matth. vlt. Qui dicit omnis, nihil excipit. Rursum, inquit: Pater omne iudicium dedit Filio: Filio, inquā, nunc constituto ad dexteram Dei in cælestibus super omnem principatum, & potestatē, & virtutem, & dominationē, & omne nomē quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiā in futuro, vt habes ad Ephe. I. In epistolis itaq; Apostolorum, quando legis, gratia & pax à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo: Item, Benedictus Deus pater, & Dominus noster Iesus Christus: per appellationem Dei, intelliges ipsam diuinitatem citra personarum distinctionem: per Dominum

D.

Aliter Deus secundū diuinā naturam.

Ioan. 10. Aliter Dominus secundū humanā naturam.

Obserua. I. Cor. I. 2. Cor. I. Gala. I. Ephe. I.

Christus specialius Dominus noster quam gentilium.

minum verò intelliges Christum, secundum quod homo est, à Deo constitutus Dominus vitæ & mortis, iudex item viuorum & mortuorum, habens in manu sua quidquid redemptioni obtinendæ necessarium intelligi potest. Qua ratione specialiter est Dominus noster, interposita redemptione, ad salutem nostram in sanguine proprio. D. Mirabar, cur hic doceamur credere in filium Dei, tanquam Dominum nostrum, & non potiùs in eum tanquã Dominũ omnium. M. Vt articulus iste sit velut excitamentum quoddam gratitudinis & amoris nostri in eũ, ideo additur nostrum. Non enim Dominus noster, quasi solùm in nos habens dominium: sed quasi datus propter nos, & propter salutem nostram: totus propensus in nos saluandos, totus intentus in nos liberandos à dominatu diaboli, & seruitute peccati, sibi in peculium & populũ acquisitionis, quod plus est, sibi in socios gloriæ & felicitatis æternæ. Hinc Apostolus, Etsi Domini multi sunt, nobis tamen vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia facta sunt, scilicet quæ necessaria erant redemptioni generis humani, & nos qui sequimur vestigia eius per illum scilicet facti sumus hoc ipsum quod sumus in Deo, & spe gloriæ filiorum Dei. Secundò vocatur Christus Dominus noster, quia agnoscitur, coliturque à nobis tanquam Dominus. A Iudæis autem & gentilibus ac damnatis spiritibus, non recipitur tanquam proprius illorum Dominus, neque à malis Christianis: quia illi, etsi verbis confitentur Christum pro domino suo, factis tamen, id est, inobedientia & rebellione negant. Vnde ipse. Multi, inquit, dicent mihi in illa die, Domine, Domine, aperi nobis. Et ego respondebo illis, Amẽ amen dico vobis, non noui vos, vnde estis. Igitur noster quidem pi eredentium in eum Dominus omni modo, iure creationis, iure redemptionis, potestate regiminis, denique affectu & amore, quo velut pater aut pius pastor cupit, ac laborat nos dirigere in viam salutis æternæ. Aliorum autem Dominus præcipuè potestate dominij, quo illos tanquam malos malè perdet, tempore suo pro meritis eorum. D. Durum est, Christum habere Dominum hoc postremo modo. M. Verè durum, Nam vt inquit Apostolus, horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Est autem Christus Deus viuens, ac regnans plenitudine potestatis super vniuersa.

Quare noster Dominus.

1.Cor.1.
1.Tessa.5.

1.Cor.8.

Matth.7.

Aliter Dominus pio rũ, aliter Dominus malorũ.

De his duabus vocibus Iesus, Christus.
CAP. VI.



AT, quorsum designatur hoc loco filius Dei sub his nominibus Iesus Christus? M. Dicit scriptura: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Vt igitur constet in quem sit credendum tãquam verum ac naturalem filium Dei, ideo articulus suis proprijs illũ nominib⁹ exprimit: altero ei imposito cælitùs ab Angelo Matth.1. Luc.1. & 2. Et vocabis nomen eius Iesum: Rursum, Et vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatũ est ab Angelo priùs q̃ in vtero cóciperetur: altero ei appropriato per antonomasiã. Etsi enim sunt multi Christi, id est, vncti, vt reges & pontifices, vnus tamen Iesus vnctus est oleo exultationis præ participibus suis, ad Heb. 1. Quapropter quoties per se ponitur vox, Christus, non nisi Iesum designat. Sicut vox, philosophus, per se posita Aristotelem significat, vox sapiens, Salomonem, vox propheta, Dauidem, eadé prorsus phrasi sermonis. Duo autem hæc vocabula, Iesus, Christus, iuncta simul sufficiẽter distinguunt filium Dei natum ex Maria ab vniuersis filijs adoptiuis. Secundò adduntur hæc nomina, vt ex ipsis vocibus constet quomodo Filius Dei sit Dominus noster, nempe sic Dominus, vt simul sit Iesus Christus noster. Puto ego ibi notam esse significatione istorum vocabulorum. D. Optimè. Nam Iesus, Hebræis Saluatorẽ sonat, diciturq; Græcè σωτὴρ, Latinè verò Saluator. Christus autem Græcè, Latinè vnctus dicitur, & Hæbraicè Messias. M. Nominis Iesu, non potest reddi alia aut melior ratio, quàm data est per Angelum dicentem, vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Breuis quidem ratio in verbis, sed copiosissima in sententijs. Ipse scilicet quẽ habet in vtero & pariet virgo Maria, non fecit, sed saluũ faciet: quoniam vsque ad Christum glorificatum omnes patres patiebãtur exilium propter peccatũ, Adam, Abraham, Isaac, Iacob, Helias, Lazarus &c. Saluum, id est, liberum, & immunem à peccatis, adeò vt non patiatur vltra, supplicium exterminij siue exiliũ & miseriam propter peccata. Non solùm immunem à reatu peccatorum, sed & iustum, Deoque gratum, atque adeò gratijs diuinis præuentum & adiutum, vt sit potẽs, ac liber ad seruiendum Deo suo, in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ suæ. Neque faciet mox saluum ab infortunijs, pressuris & aduersitatibus mundi huius, sed saluum à peccatis & ab omnibus incommodis quæ ratione peccatorũ patimur, quæ vtiq; nomine peccatorum intelliguntur, ac etiam ab aduersitatibus mundi, hoc modo, vt non possint iã obesse

D.

Iesus per impositionem vocatur.

Christus per antonomasiã.

Duo vocabula, Iesus, Christus, sufficiẽter distinguunt filiũ naturalẽ ab adoptiuis.

Angelica ratio nominis Iesu explicatur. Matth. 1.

Quid sit saluũ esse à peccatis.

obesse nisi ipse velis, iuxta illud Chrysostomi: Nemo lęditur nisi à seipso: immo prosunt magis si cōtineamus nos in amore Dei, iuxta illud Apostoli: Diligētibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti, &c. Rom. 8. Siquidē hoc est saluum esse iuxta scripturā. Et saluum faciet, nō quęcunq; populum, sed suum populum sibi fide, sacramēto, & obedientia, copulatum. Nec tātùm populum Israëliticum tūc tēporis suum, sed quęcunq; populum, quocunq; etiam tempore ab initio mundi vsque ad cōsummationem sęculi, sibi adhærentem modo iam dicto. Et quidem saluum tandem faciet vsque in regnum suum æternum ac cęleste, in quo sunt omnia bona quę desiderari possunt, & nihil potest esse mali. D. Verum, in modo quo saluum faciet, ibi credo latere difficultatē. M. Saluum faciet vtiq; per doctrinam veritatis, per sanguinem redemptionis suæ, per fidē in ipsum, per gratias, quibus iustificamur, & ad benè viuendū adiuuamur, per sacramenta, prout hoc in quatuor Euangelijs & epistolis Apostolicis longè lateq; traditum est: & nos latiùs explicabimus in articulo 10. huius Symboli, & in sacramentis Baptismi ac pœnitentiæ. Et ipse quidem saluum faciet: non est enim aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, Act. 4. Attamē nō saluum faciet quemquā ex nobis sine nobis, qui rationis capaces sumus. Nam ex parte nostra requiritur fides cū pœnitentia, propositum quoque melioris vitæ, cum humili aliqua supplicatione pro salute per Christū, licet eadem nō prǽstentur à nobis sine gratia & donatione, ac etiā cooperatione Dei, quēadmodum suo loco scripturis demōstrabitur. D. Huius tā magnifici nominis, Iesus, an nō prææsserint vmbræ aliquæ, vllàue vaticinia in scripturis veteris testamenti? M. De hoc nomine meminit Habacuc cap. 3. loquēs in persona fidelis populi, hoc modo. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Meminit & Zacharias huius nominis his mysticis verbis: Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum. Typum verò nostri saluatoris Iesu gerebant primo Iesus filius Naue dux filiorum Israël, introducens populum Dei de solitudine in terram promissionis. Deinde Iesus filius Iosodec, sacerdos magnus, qui reædificauit templum Domini, instaurauit sacrificia, & abstulit errores idololatriæ. Tertiò Iesus filius Sirach, qui fuit doctor legis eximius. Etenim Iesus Christus Saluator noster, ipse est dux prædestinatorum omnium qui hereditatem accipiunt salutis. Ipse sacerdos, vti mox audies. Ipse cælestis doctor, inscribens cordibus nostris insitum verbum, quod potest saluare animas nostras. Quapropter in Iesu Naue fortitudinē, constantiam, victoriam: in Iesu filio Iosodec sacerdotij dignitatē: In Iesu filio Sirach cęlestem doctrinam Domini nostri Iesu Christi, (quibus perficit opus nominis sui, hoc est, opus redemptionis & saluationis generis humani) velut in vmbra quadam, agnoscimus. Vox autem Christus & regium nomen est, & pōtificale etiam prophetis communicatum: quod tam reges q̄ sacerdotes nec non eximij quidam prophetæ vnguento Chrismatis vngebantur apud Iudæos. Ex vocabulo igitur, Christus, docemur credere de Iesu, q̄ veraciter sit, fueritque rex & sacerdos, habens sicut regnum, ita & sacerdotium sempiternum & potentem illum spiritum prophetiæ, qui fuit in Moyse, Helia, Heliseo, iuxta illud: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, sicut me ipsum audietis. Deu. 15. De regno verò patet Luc. 1. & Ioan. 18. Dicit enim Angelus Mariæ: Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in ęternum, & regni eius non erit finis. Christus quoque respondens Pilato dicit. Tu dicis, quia rex sum ego. Regnum meum non est de hoc mundo. Nemo autem elegantiùs depingit regnum Christi quàm Psalmista Psalm. 71. De sacerdotio verò Christi habes pulcerrimè apud Paulum ad Hebræos 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Sexto quidem capit. sic legimus: Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus, tutam ac firmam, & incedentem ad interiora velaminis. Vbi præcursor pro nobis introijt, secundum ordinem Melchisedec, pontifex factus in æternum. Septimo verò capite sic legimus: Alij quidem sine iureiurando Sacerdotes facti sunt. Christus autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad illum. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum. Et infrà: Sempiternum habens sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis, huc vsque Apostolus. In quibus scripturis ministrat nobis fides, velut faces ardentes ad inflammandum amorem nostrum, fiduciamque in Deum per Christum Dominum. Si enim Rex est, regnum habens, cuius non est finis, quoquo versum etiam spectes, quia sine fine ditionis, sine fine durationis, sine fine potestatis, sine fine diuitiarum,

De modo quo saluū faciet Iesus populū suum.

Quę prēnūtiauerit lex de hoc nomine Iesu.

Zacha. 3.

Iud. 1.

Eccle. 14.

Eccle. 31.

Explicatio nominis Christi.

Christum esse regē ac sacerdotē, quę mirè inflammāt mentem.

rum, gloriæ, felicitatis, cur non eò contendimus toto cordis affectu? Rursum: Si sacerdos est semper assistens vultui Dei, ad interpellandum pro nobis, semper offerens hostiam in odorem suauitatis, caussa reconciliandi nos Deo, cur non sequimur consilium Apostoli sic cōcludentis ad Heb. 4. Habentes ergo pōtificem magnū, qui penetrauit cælos Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ cōfessionē. Non enim habemus pontificem qui nō possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronū gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno. Videntur quidem mihi hæc posse sufficere, tā pro tua quàm pro populi informatione, circa istum articulum. Nam nunc temporis, quod ad hunc articulum spectat, non admodum ab hæreticis impugnamur: attamen quædam addam etiam de alijs nominibus Filij Dei, quæ habentur in scripturis sacris.

De alijs nominibus quibus nobis commendatur filius Dei in scripturis. CAP. VII.

M.

Explicantur nomina quę in scripturis appropriantur Christo.



Ritum est illud, dilectis natis nomina multa damus. Sunt itaque & alia nomina multa, quibus appellatur tum in veteri, tum in nouo testamento, vnigenitus Dei Patris Filius, natus ex virgine temporibus nouissimis. Quæ si probè exprimātur, mirè prouocāt affectum. Esaias cap. 7. inquit, Vocabitur nomen eius Emanuel. Et cap. 8. Voca nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari. Rursum: cap. 9. Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Zachariæ verò 6. cap. vocatur Oriens. Ecce vir, inquit, Oriens nomen eius. Et Malachiæ 3. cap. Angelus testamenti. Sic Hiere. cap. 23. appellatur Dominus iustus noster. Et hoc est, inquit, nomen quod vocabūt eum, Dominus iustus noster. D. At, quorsum varijs his nominibus descriptus est à prophetis? M. Vt ex ipsis constet, ad quid venerit in mundum, & quæ officia eius. Dicitur Emanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus, quia sic exinaniuit se, vt vnum factus sit nobiscum veraciter homo & Deus, totus noster & nobiscum, vt saluum faciat quod perierat. Dictus est accelera, quod nomē significat celerem eius benignitatem, & propensam clementiam erga peccatores. Iterum dictus est, Spolia detrahe, quia vincendo vicit principem mundi huius dicens ad nos; Confidite, quia ego vici mūdum. Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Ero mors tua, ô mors, morsus tuus inferne. Eadem ratio illius, Festina prædari. Præterea appellatus est mirabilis: Etenim mirabilis erat in se, habens duas naturas summè distantes, summè tamen coniunctas, nempe in vnam hypostasin. Mirabilis in sua natiuitate, habens patrem quidem in cælis sine matre, matrem verò in terris sine patre. Mirabilis in operibus, quoniā cæcos illuminauit, leprosos mundauit, suscitauit mortuos: Mirabilior tamen in officio virtutis, doctrinaque veritatis: Mirabilis denique in morte, resurgēs clauso sepulcro, factus primitiæ dormientium, collocatus tandem in maiestate ad dexteram Dei Patris. Meritò quoque appellatus est consiliarius, quoniam propter plenitudinem sapientiæ, omne iudicium dedit illi Pater. Meritò Deus, quia ab æterno genitus à Deo Patre, illi consubstantialis, & per omnia æqualis. Meritò fortis, quia vicit mundum, & diabolum, & mortem, & infernum. Per mortem destruens eum qui tenebat mortis imperium, inquit Apostolus, reddens libertati nos, qui multipliciter obnoxij eramus seruituti. Pater futuri sæculi, regenerans sibi ex aqua & Spiritu sancto, quotquot alumni sunt noui testamenti, cum quo incepit, quod Esaias vocat futurum sæculum. Princeps pacis, faciens vtraque vnum, diruta maceria media, nosq; reconcilians Deo. Oriens, quoniam lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, orta his temporibus nouissimis semper orientis luminis vim retinens. Angelus, id est, legatus testamenti: quia venit vt nouum, æternumque largiretur testamentum, consignatum in sanguine suo, morte interposita. Denique Dominus iustus noster: quoniam omnis iustificationis nostræ auctor & caussa, qui factus est nobis sapientia & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Sed & in nouo Testamento plurimis decoratur nominibus. Vocatur enim lux mundi, via, veritas, vita, resurrectio, salus mundi, salutare, saluator, redemptor, mediator, pax, sanctificatio, & propitiatio nostra, rex Israel, pastor, pontifex, sacerdos, lapis angularis, vitis, sponsus Ecclesiæ, prophetarum finis, expectatio nostra, quorum nominum mysteria, suis locis explicabimus. At nomen Iesus, ei proprium, ferè vniuersa iam dicta in se complectitur. Cùm enim dicimus Iesum, intelligimus Saluatorem humani generis: Itaque admirabilem consiliarium, patrem futuri sæculi, lucem mundi, viam, &c. Iam pergamus ad articulum sequentem.

Margin notes (left column): Math. 1. — Emanuel. — Accelera. — Spolia detrahe.

Margin notes (right column): Ioan. 16. — Mirabilis — Consiliarius. — Deus. — Fortis. — Pater futuri sæculi. — Princeps pacis. — Oriens. — Angelus testamēti. — Iustus noster. — 1. Cor. 1. — Plurima quoq; nomina habet in nouo testamento.

De modo

De modo conceptionis in vtero virgineo.
CAP. V.



M. VT nemini maneret occasio errandi circa incarnationem Domini nostri Iesu Christi, tradiderunt Apostoli pro Symbolo rectæ fidei, hunc articulum. Qui cōceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. D. De qua certè diligentia Apostolica, & nos meritò ingentes gratias agere debemus. Nam etiam nunc, nescio quid mōstri in doctrina fidei pariat nobis secta Mennonistica: quasi Christus non sit incarnatus ex visceribus virginis Mariæ. M. Vt igitur probè intelligas verba articuli. Cōceptus, scilicet, officio & opere materno, prout mulieres concipiunt in vtero fetum nasciturae prolis. Non tamen conceptus de viro, sed de Spiritu sancto. Lege naturali concipiunt mulieres, dum vtrumque genitale semen viri & ac mulieris coit in vtero, ad formationem noui partus. At lege supernaturali concepit virgo Maria, operatione solius Spiritus sancti, citra commistionem seminū.

Lege supernaturali cōcepit virgo Maria.

D. Mirum valde & repugnans, mulierem cōcipere, ac matrem fieri sine viro. M. Mirū sanè est, & non mirum, repugnans, & non repugnans. Si enim spectes communem legem nascentium, mirum: Si omnipotentiam Dei, non mirū. Quid enim mirum, si omnipotens Deus, quod facit quotidie per creaturam, vt facit generationes hominum, aliquando faciat sine creatura, per semetipsum? Nec repugnans dici potest quod cōformè est voluntati eius, qui potest omnia. Voluntate quidem Dei nunc temporis crescunt poma, fructusq; terræ ex seminibus eorum. Attamen cælum, & terram, & omnia quę in eis sunt, fecit Deus olim absque vllo semine præuio. Nunc producit Deus filios hominum, ex genitali semine virorum, tamen in exordio mundi Adam de limo terræ: Euam verò de costa fabricauit Adæ, vtrumque hominem citra genitale semen hominis. Hoc tunc factum est ad propagationem vniuersæ creaturæ. Quid igitur mirum, aut quæ repugnantia, si auctor puritatis & gratiæ, nunc cōceptus sit in vtero virgineo, citra omnem impuri seminis, commistionem, sola operatione Spiritus sancti, quē Deus patrem esse voluit futuri sæculi, futuræque nationis sanctæ? Futuri inquam sæculi nascentium non ex seminibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, operatione Spiritus sancti. Siue igitur spectes opus, non omnino debes mirari, quia aliquando factum est simile in omnibus generibus rerum. Siquidem omnia semel concepta, nataq; sunt sine præuio semine. Siue spectes rationem operis, rursum non debes mirari. Si enim protoplasti, ex quibus dissemi-natum est vniuersum genus humanum, sine seminibus sola Dei operatione facti sunt, Adā ex terra adhuc virgine Heua ex costa Adæ virginis: quantò rationabilius Christus futurus pater eius nationis quæ nō ex seminibus, sed ex Deo nascitur, debuit concipi ex virgine, operatione Spiritus sancti, absque omni seminatione viri? Tertiò, si spectes omnipotentiam Dei, debes quoque omnē deponere admirationem: quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum, sic attestante Angelo de hac re, Luc. 1. Quod dictum Angeli, supra abundè interpretati sumus. Mirabatur quidem Maria virgo audiens Angelum Dei dicentem sibi. Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, &c. Mirabatur, dico, de modo quo fieret quod dictum erat ab Angelo, nondum instructa de voluntate Dei. Certa interim de sua voluntate non cognoscendi virum, & dixit admirando: Quomodo fiet istud, quoniam virum nō cognosco? Tum Angelus, Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Esto, quòd nō cognoueris, nec vnquam cognitura sis virū: tamen fiet quod annuntio, non viri, sed Spiritus sancti operatione, qui sanè superueniet, id est, desuper veniet in te, non quidē vt repleat mentem, quoniam iamdudum gratia plena es, sed vt repleat ventrem tuum nouo fetu inauditi partus. Virtus quoque altissimi, cui nihil difficile, obumbrabit tibi, præseruando te velut vmbra quadam ab æstu concupiscētiæ, & omni virginalis integritatis corruptione: adeoque supplebit in te actionem genitalis seminis viri, vt eam ob caussam, id quod nascetur ex te sanctum, id est, sanctè, modo scilicet purissimo, nobilissimoque penitus supereminente, supra omnem legem naturalē, vocabitur Filius Dei, id est, sic erit Filius Dei, vt non solum veritate, sed & publica appellatione sit talis. Audita autem hac ratione siue modo, quo fieret quod dictum erat ab Angelo, mox desijt mirari Maria, non habens vltra velut repugnans, id cui consonant voluntas, atque virtus diuina, ac proinde possibilitas rerum. Et dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: credo verbum tuū, verbum esse Domini: at omnipotens sermo tuus Domine. Fiat igitur mihi secundum verbum tuum, non secundum communem meā aut hominū cogitationē, vt scilicet non perferā virū in concipiēdo, sed virtutis diuinę

Mirum & nō mirū, repugnās & non repugnās, quod factū est in virgine Maria.

Relationes cur nō sit mirandū opus cōceptionis.

sentiam obumbrantis beneficium. Et factū est ita. D. Dixerat quidem Angelus, concipies, optat quoq; Maria, vt fiat sibi secundū verbum Angeli, verùm quòd factum sit ita, nondum ostensum est. M. Dixit Christus ad Patrem: Sermo tuus veritas est, Ioan. 17. Et Apostolus: Fidelis sermo Domini, & omni acceptione dignus. Deum non stare promissis, factu impossibile est. Quoniam igitur sermo Domini testatur, ita futurum in Maria, ideo firmiter est credendum, quod factum sit ita. Nihilominus ita factum esse testantur, tam Euangelista, quàm Angelus Domini, Matth. 1. Christi autem generatio sic erat: Cùm esset desponsata Maria mater Iesu Ioseph, antequā conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam, traducere voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitâte, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis dicēs. Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, &c. Nunc obserua verba Euangelistarum, primum Lucæ dicentis: Ecce concipies in vtero, non in mente, non in corde, sed in vtero, hoc est in loco naturaliter conceptioni deputato: secundò, verba Matth. dicentis: Inuēta est in vtero habens de Spiritu sancto. Obserua insuper quod Ioseph humano modo cogitante de conceptione despōsatæ sibi vxoris, & sciēte non ex se esse, quod natū in ea apparebat, asseruit illi Angelus dicens: Quod natum est in ea, de Spiritu sancto est, nō de fornicatione hominis. Denique obserua quod Ioseph sic instructus cælitus, mox credidit, & exurgens fecit sicut præcepit ei Angelus, Matth. 1. Tu igitur fili fac similiter: desine mirari, aut repugnantiam cogitare, iam instructus ex scripturis: sicut Maria & Ioseph post instructionem, deposuere omnem contrariæ opinionis cogitationem. D. Faciam. Ceterùm, nunquid tota Trinitas operata est mysterium hoc incarnationis? M. Ita, quoniam opera Trinitatis ad extra (vt theologicè loquamur) indiuisa sunt. D. Quare ergo, tam in Symbolo quàm in scripturis iam citatis, dicitur factū specialiter à Spiritu sancto? M. Hoc fit tropicè, per modum attributi: veluti cùm peculiariter attribuimus vni ob rationem aliquam, quod cōmune est multis. Pater est primum principium omnium, à quo etiam Filius, & Spiritus sanctus: Filius verò est sapientia atque verbum Patris: porrò Spiritus sanctus est caritas vtriusq;. Quæ igitur omnipotentiæ sunt, tribuit scriptura plerumq; Patri: quæ sapientiæ, Filio: quæ caritatis, Spiritui sancto. Iam cū opus incarnationis sit incomprehensibilis & ineffabilis caritatis Dei, dicente Filio: Sic Deus dilexit mūdum, vt filium suum vnigenitum daret: ideo hoc opus conceptionis tribuit Spiritui sancto, tam scriptura, quàm Symbolum. Nihilominus indiuisum est, & commune tribus diuinitatis personis. At nunc pergamus.

Probatur quòd Maria cōcoeperit sine virili semine.

Cur opus cōceptionis tribuatur specialiter Spiritui sācto.

Qua via sit demonstrandum ex scripturis Mariam fuisse virginem, ante partum, in partu, & post partum. CAP. IX.



Natus ex Maria virgine. M. Hic rursum dicet tibi cogitatio tua, repugnat, nasci ex virgine. D. Certè, naturæ nō minùs repugnat, nasci ex virgine intacta, quàm concipi in vtero, claustris pudoris prorsus incorruptis. M. At supernaturale est totum quod hic geritur. Porrò, Mariam fuisse virginem ante partum, in partu, & post partum, abundè satis exprimit verbum Dei, de quo verbo Dei testatur nobis nō solū D. Aug. sed vniuersitas Patrum, & omnis ab initio Ecclesia Catholica. Luc. 1. sic dicitur: Missus est Angelus ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Similiter dicitur Esaiæ 7. & Matthæi 1: Ecce virgo concipiet, siue, in vtero habebit, &cet. Igitur indubiè mansit virgo donec conciperet in vtero eum, qui vocatur Emanuel. Testatur autem Angelus, quòd conceptio hæc fiet superueniente Spiritu sancto, & virtute altissimi obumbrante Mariam, addens Matthæi 1. quod natum est in ea, de Spiritu sancto est, non ab vllo homine, sicut metuis tu ô Ioseph. Igitur permansit virgo, non solùm vsque ad conceptionem, sed & post conceptum Christum, cùm iam esset manifestè in vtero habens. Quod verò vlterius vsque post partum manserit virgo, patet iterum ex verbis Euangelistæ dicentis: Exurgens autem Ioseph, accepit Mariam coniugem suam, & non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum. Addit Euangelista: Hoc autem totū factū est, vt impleretur quod dictū est à Dño per Prophetā dicentem. Ecce virgo concipiet & pariet filium &cet. totum hoc, scilicet, quòd conceperit virgo, quòd habeat in vtero virgo, quod pariet virgo, denique quòd filium qui vocabitur & erit Iesus, atque Emanuel pepererit sine virili semine, sola operatione Spiritus sancti hoc, dico, totum factum est vt impleretur prænominata Scriptura.

Probatur ex Euāgelio, Mariā mansisse virginem vsq; post partum.

Virgo vsque ad cōceptionē.

Virgo post cōceptionem. Virgo vsque post partum.

Et quale obsecro fuisset promissum Domini, aut signū datū hominibus, si intellexisset Propheta dictū suum hoc pacto. Virgo quæ prius erat incorrupta, per corruptionem concipiet & pariet filium, cùm hoc sit commune omnibus parientibus? Vides ergò verissimam esse sententiam D. Aug. dicentis. Virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partū. Nec hominum sententiam esse, sed verbi Dei, intellectam & dictam ex scripturis sanctis. Et hinc vtique est quod Maria celebratur ab Ecclesia, alma, intacta, & intemerata virgo. D. Verùm an manserit perpetuò virgo. M. Iā satisfecimus articulo. Quod præterea quæris, extrà caussam est quam tractamus. Verùm, quæ est ratio dubitandi, de perpetua virginitate Mariæ? D. Ex verbis Matthæi dicentis: Et non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitū. Non cognouit donec peperit, ergo cognouit post partum: Iterum: Donec peperit filium suum primogenitum. Igitur habuit & secundogenitum, nam vbi nō inuenitur secundogenitus, ibi nec primogenitus esse potest. Addo quod plus est. Legimus Matth. 12. Ecce mater tua & fratres tui foris stāt quęrētes te alloqui. Ergo habuit Christus fratres & sorores. Quæ sanè scripturæ videntur mihi prorsus tollere perpetuam virginitatem Mariæ. M. Subtilius colligis, quàm expectaueram. Olim quidem impius Heluidius ex his alijsque scripturis malè intellectis, ausus fuit asseuerāre, Deiparā post partum fuisse cognitam à Ioseph, pluresque peperisse filios. At respondet eleganter D. Hiero. hominis temeritati, duobus libris intitulatis, aduersus Heluidium, dicēs. Doleam ne an rideam, nescio: imperitiæ arguam, an temeritatis hominem istum, Heluidium scilicet, qui ex vocula ista, antequam, qua vtitur Euangelista dicens, antequam conuenirent inuenta est in vtero habens, improbandam putat virginitatem Mariæ perpetuam, quasi stare non posset veritas sermonis, antequam conuenirent inuenta est, &c. nisi posteà conuenissent. D. Sic apparet. M. An igitur stare nō possunt hæ sententiæ: Paulus Apostolus antequā vel priùs quàm nauigaret in Hispanias, Romæ coniectus est in vincula: Heluidius, antequam pœnitentiam ageret, morte præuentus est. Nisi verum sit & Paulū post vincula profectum esse in Hispanias, aut Heluidium post mortem egisse pœnitentiam? D. Certè, Paulus Romæ coniunxit mortem cum vinculis suis, tantùm abest, vt post vincula iuisset in Hispaniam. Et post mortem, neque Heluidius, neque quispiam pœnitentiam agere potest. M. Tamen præfatæ sententiæ verę sunt, & Latinæ secundum artem Grammaticam. Disce igitur ex D. Hiero. aduerbia hæc, antequam, priùs quàm, licet sæpè consequentiā indicent, tamen nonnunquam solùm ea quæ priùs cogitabantur, aut statuebantur, vel in animo erant, aut esse debuerant, demonstrāt. Profectò Latinè dicitur: Iudices, antequam cognoscerent caussam, condemnarunt, non quòd postea cognouerint: sed quòd anté condēnationem cognoscere debuissent. Sic & hoc, Paulus prius quàm in Hispanias pergeret, cōiectus est Romæ in vincula. Non quòd post iuerit: sed quòd ante vincula ire cogitauerat vel ire disposuerat. Eadem prorsus ratione, intelligendum est istud: Prius quàm conuenirent, inuenta est in vtero habens. Non quòd posteà conuenerint, sed quòd etiam ante vterum intumescentem, dispositum erat, atque opportunum conuenire, si voluissent, quoniam desponsata erat, & tradita viro suo Ioseph. Intelligis? D. Optimè, sed quid dicemus de aduerbio, Donec. M. Hoc ipsum quod ex scripturis docet D. Hieronymus, videlicet quòd sæpè significat tempus certum, vt ibi: Donec reddideris concreditam tibi pecuniam, non faciam. Sæpè tempus infinitum, vt in illo Prophetæ, Ego sum, ego sum, & donec consenescatis ego sum, Nunquid postq̄ senuerint illi, Deus esse desistet? Item in illo Pauli: Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. An non tum maximè regnare incipiet, cùm fuerint inimici eius positi sub pedibus suis, vt solent reges deuictis iā hostibus? Plurima eiusmodi sunt in scripturis. Hoc autem modo Matth. 1. vox, donec, non significat tempus certum, quasi ad partum vsque non cognouerit Mariam, sed tempus infinitum, videlicet quòd omnino nunquam cognouerit eam, vti in illo. Non est reuersus coruus donec siccaretur terra, Genes. 8. quia nunquam redijt ad arcā, neque dum aquæ decrescerent, de quo dubitari potuit, neq; vnquam post desiccationem terræ, de quo omnino non erat dubium. Sic in proposito indicauit Euangelista de quo scandalū moueri potuisset, eam non esse cognitā à viro suo Ioseph, videlicet vsq; ad partum, vt multò magis intelligeremus non fuisse cognitam, neq; post partum. Si enim priùs continuit se Ioseph ab illa, propter visionem indicantem de Spiritu sancto esse, quod in ea natum videbatur, Angelo interim adhortante, vt acciperet coniugem suam, & nullo verbo prohibente concubitum, quantò credendum est magis, cum abstinuisse post partum mirabilem, post apparitionem cælestis militiæ laudantis, post narrationem pastorum,

An Maria manserit perpetuo virgo.

Argumēta cōtra perpetuā virginitatē Mariæ.

Solutio argumēti ex Hiero.

Soluuntur argumēta Heluidij cōtra virginitatem perpetuā Mariæ.

Quid significent anteq̄ & priusq̄.

Quid significet in scripturis vox, donec.

1. Cor. 15.

post adorationem Magorum, post confessionem iusti Simeonis, post Annæ vaticiniũ, quibus omnibus interfuit Ios. ph, dicente Luca: Et erant pater illius & mater mirantes super his quæ dicebantur de eo. Si igitur religione tactus Ioseph, abstinuit vsque ad partũ, haud dubiè magis abstinuit post partum, quia tũc magis vrgebat religio, ne tangeret matrem Domini sui, postq tot visa esset miracula. (Luc. 2.)

D. Prorsus conuincit hæc ratio. Ceterùm, quæ nominat Matthæus Christum primogenitum, si Maria mater eius non habuit secundogenitum? (Matth. 1. Luc. 2.) M. Respondet D. Hiero. ex scripturis dicens: Omnis vnigenitus, est & primogenitus, sed non omnis primogenitus est vnigenitus: nam primogenitorũ alij sunt vnigeniti, alij non. Dicitur enim primogenitus, non tantum post que & alij geniti sunt, sed ante quem nullus. Nam secundum legem quidquid primo erat genitum de vtero matris, vocabatur primogenitum, & sanctũ erat Domino, tam in iumentis quàm hominibus: vti patet Exo. 34. & 12. siue alius sequebatur partus, siue non. An quęso exterminator Angelus percutiens primogenita Aegypti, abstinuit donec nasceretur secundogenitus? Et Ioan. Baptista qui vnigenitus erat, nónne & primogenitus? An, precor, non fecerunt parentes eius pro eo secundum legem primogenitorum? Sed & de Christo dicit Euangeliũ, quod fecerunt pro eo parentes eius secundum legẽ primogenitorum, idque quadragesimo die natiuitatis eius, cũ Mariæ adhuc non potuit esse aliquis secundogenitus. Christus itaque vocatur primogenitus, non, quia post eũ natus est alius de vtero virginis Mariæ; sed quòd ante eum nemo sit natus ex eadem. Nec fingo istud, sed quod doctus Hieronymus, vir sanctus, ex scripturis diligenter demonstrauit, hoc te doceo. (Non solũ primogenitus quẽ sequitur secundogenitus.)

D. Interim aliæ scripturæ testantur Christum habuisse fratres. (Quot modis dicamur fratres secũdũ scripturam.) M. D. Hiero. diligens obseruator scripturarum, docet, in scripturis, fratres dici quatuor modis, natura, gente, cognatione, affectu siue religione. Natura, inquit, Esau & Iacob, & duodecim Patriarchæ fratres erant: vti liber Genesis testatur. Gente verò omnes de populo Israelitico fratres erãt, Deut. 15. 22. & ad Rom. 9. Optabam & ego ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Tertiò, cognatione fratres erant Abraham & Lot, quoniam Lot cognatus erat Abrahæ, filius fratris eius ex Arã, Gen. 12. 13. Atque hoc sanè pacto cognati Christi, vocantur fratres eius. Matt. 12. Luc. 8. Ioan. 7. Act. 1. ad Gal. 2. Non quidẽ fratres Christi, quia ex eadẽ matre: sed quia cognati, nati ex sororibus matris suæ. Quartò, affectu siue religione vocantur fratres, quos affectus verè germanus coniungit, nõ minùs q̃ alios qui eiusdem parentis viscera existunt, hoc modo inquit Psal. Ecce quam bonũ & q̃ iucundũ habitare fratres in vnum! Psal. 132. Rursum: Narrabo nomẽ tuũ fratribus meis. Psal. 21. ad Heb. 2. His addit D. Hiero. dicens: Tu Heluidi dicis B. Mariam non permansisse virginem, ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem permansisse per Mariã, vt ex virginali coniugio, virgo Christus nasceretur: Atque hoc ipsum multis solidis rationibus probat. (Ioseph mãsit perpetuò virgo secundũ Hieron.) Quare si cupis magis informari super virginitate Mariæ, lege diligenter opus Hiero. aduersus Heluidium Hæreticum.

Christum re vera natũ esse de visceribus Mariæ, nõ effusum, aut eiectum. CAP. X.



Vòd autẽ Christus sit natus ex Maria, nõ eiectus, non effusus, quomodo effundi solet quippiam per fistulã, sed veraciter natus, officio, modo, eaque parte corporis, quo & qua solet fieri vera generatio ex muliere, præuijs officijs vterinis, illo solo excepto, quod non de viri semine: pulcerrimè testatur scriptura sancta, his verbis: Ecce virgo concipiet & pariet filium. Iterum, Quod natum est in ea. Tertiò: Cum Maria desponsata sibi vxore prægnãte. Quartò, Et impleti sunt dies eius vt pareret, & peperit filium suum primogenitum. (M. Scripturis probatur Mariã re vera genuisse Christũ, nõ effudisse velut per fistulam. Esa. 7. Matth. 1. Luc. 2.) Hæc enim & eiusmodi competere non possent in Mariã, nisi interuenisset naturale opus vteri, eaque officia quæ solent communia esse prægnantibus. Nec posset secundum veritatem Maria dici mater Iesu, aut Iesus filius eius, & filius primogenitus, nisi in ea accepisset, vitã & formam, deque illius visceribus carne, sanguinem, & ossa, nutrimentum, & incrementa corporis, more aliorum infantum, expleto certo mensium spatio in vtero materno. Aliud est excrementum mulieris, aut fons sanguinis eius: aliud partus vterinus, aut filius maternis officijs genitus. Taceat igitur blasphemia Valentini asserentis Christũ habuisse corpus cæleste, & per virginem velut fistulam transijsse. Si enim aliunde habuit corpus suum, & transijt per eam velut per fistulam, falsò igitur dicitur in scripturis: Quod natum est in ea, falsò pariet, falsò peperit, falsò impleti sunt dies eius vt pareret, falsò quoque appellatur prægnans, falsò mater Iesu, falsò Iesus filius eius, falsò denique & illud dicitur: Cùm natus esset in Bethlẽ Iudæ, quia non natus ibidẽ sed effusus. Tu Heli-

ab eius-

ab eiusmodi falsitatibus diligenter tibi caue, firmáste in verbo Dei, quod est veritas. Quod autem additur in articulo, Maria factum est, vt ex nomine designata Virgine, quæ peperit Saluatorem, articulus expressiùs cōcordet cū historia Euāgelica, Mat. 1, & Luc. 1. Siquidem hæc est illa virgo quæ desponsata erat viro, cui nomen Ioseph de domo Dauid, & nomē Virginis, Maria. Satis.

Cur additur nomē Maria.

Quid referat in articulo relatiuū, Qui, cū dicitur, Qui cōceptus est &c. CAP. XI.

D. NOndum declaratum est, quid referat in articulo isto particula, Qui. M. Refert, dico, filium Dei vnicū, vt sit sensus. Qui filius Dei vnicus, conceptus est, de Spiritu sancto natus ex Maria Virgine. D. At, ille est æternus ex æterno Patre, ante Virginem Mariam, & ante sæcula consistens, vti declaratum est. M. Nihilominus tamen, idem conceptus est in diebus nouissimis, idem natus, idem passus, crucifixus, mortuus, idem descendit ad inferna, resurrexit à mortuis, ascendit in cælos. Nam relatiuum qui, ad omnes hos sequentes articulos repetendum est, indicans hæc omnia conuenire eidē filio Dei, de quo loquitur Symbolum in secundo articulo. D. Qui concipitur aut nascitur, is conceptione & natiuitate incipit esse, postquam non fuit, at qui priùs extitit & est semper, quomodo incipit esse? Ad hæc, solet homo nasci ex homine, solet homo pati, mori, sepeliri &c. verùm filius Dei. Deus est de Deo, apparet igitur prorsus blasphemum, asserere Deum nasci ex muliere, Deum pati, mori, sepeliri, resurgere. M. Nihil hic blasphemiæ aut absurdi, immo nihil difficultatis, si bene perpendas distinctionem naturarum, cum vnitate hypostaseos in Christo Domino, quam distinctè & clarè supra expressimus. Verùm ne illam nostro aut doctorum sensu cōfictam putes, eandem eleganter prosequitur concilium Hisalen. dicēs, Ergo sicut immaculata fides, & sancta Dei Ecclesia docet, confitemur Dominum nostrum Iesum Christū intemporaliter ex Patre Deū natum, temporaliter ex vtero virginis Mariæ hominem editum, & ob hoc in vna personà duas naturas habentem, Deitatis, qua ante sæcula genitus, & humanitatis, in qua diebus vltimis editus est. In illa secundùm formā Dei, in ista secundum formam serui consistens. In illa Patri manens æqualis, in ista sine peccato similis nostræ conditioni. In illa inuiolabilis, in ista passibilis. In illa ex qua mori nō potuit, in ista in qua mortē suscepit. Hæc concilium Hispalen. cōtra Acephalos hæreticos. Sed & B. Athanasius in suo Symbolo hæc pulcerrimè prosequitur, dicēs. Est ergo fides recta vt credamus & cōfiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est. Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo ex substantiā matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Aequalis Patri secūdum diuinitatem, minor Patre secundū humanitatem. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamē, sed vnus est Christus. Vnus autem, nō conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus omnino non confusione substātiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Qui passus est pro salute nostra &c. Ecce q̄ aptè depingun in Christo duas naturas esse, alteram diuinam, altera humanā, illam æternam, hanc ex virgine incipientem, illam impassibilem, hanc verò passibilem: Verùm quia naturæ hæ vnius sunt suppositi scilicet filij Dei, qui est Christus, ideo, vt habet persona Christi vtriusq; naturę in se proprietates, ita ab vtrisq; recipit denominationem. Dictus quidem secundum diuinā æternus, impassibilis, ante sęcula genitus, secūdum humanam verò natus ex Maria, passus, crucifixus, mortuus &c. Adeò vt Maria veraciter sit mater Dei, & Deus veraciter natus ex illa: Non quidē natus ex illa Deus, vt generatione eius inciperet esse Deus, sed Deus natus ex illa homo, ità vt generatione eius & de illius visceribus inciperet esse homo, quod priùs nō erat. Sic Deus passus, sic Deus crucifixus est, nēpe secundū naturam qua homo, nequaq̄ secundū naturam qua Deus est, sicut habes in tertio cōcilio Ephesino. Dicim⁹ Christū passum esse & resurrexisse, nō quia Deus verbū in sua natura passus est, aut plagas, aut clauos, aut transfixiones, aut alia vulnera susceperit, Deus nāq; incorporalis & extra passionē est, sed quia corpus illud quod ipsi propriū factū est, hæc sustinuit &c. Hinc Petrus: Christo igitur passo in carne, & vos eadē cogitatione armamini. In carne passum dicit, non in Deitate. Et Christus dicens: Soluite tēplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, dicebat id, teste Ioan. de tēplo corporis sui, quod quidē solutum fuit in morte, & excitatum in resurrectione. Quēadmodum & prophetæ atq; Psalmista prænuntiantes de passionibus Christi, testātur eas in carne Christi cōplendas Psal. 21. Esa. 50. 63. Iàm, credo, intelligis. D. Vtinā rē aliquo simili, paulò amplius illustrares. M. Tu in te duas habes natu-

Filius Dei æternus tamē cōceptus & natus in tempore.

Obiectio.

Solutio.

Ex cōcilio Hispalē. demonstratur diuersitas naturarū in Christo. Cap. 12.

Athanas.

Maria veraciter mater Dei.

Circa finē Decretorum.

1. Pet. 4.

Ioan. 2.

ras coeuntes in vnam personam, animam sci licet & corpus, & ab vtriusque naturæ proprietatibus, & qualitatibus denominationē veram recipis. Secundum animam diceris rationalis, spiritalis, immortalis: secūdum corpus verò mortalis, sensibilis, magnus, aut paruus. In corpore recipis vulnus, plagam, cicatrices, mortem deniq; ipsam, non autē in anima. Iuxta illud: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam occidere non possunt. Secundum animam recipimus instructionē, scientiam, artem, non autem secundum corpus. Vnde sicut rectè dicimus, Ioachimus est vulneratus, aut mortuus, etiam si in sola carne vulnus acceperit, aut mortem: sic rectè dicimus filius DEI passus est & mortuus, etiamsi in sola carne hoc sustinuerit. Deus item natus est ex Maria virgine rectissimè dicitur, ideò quia, iuxta Nicænum concilium, ex Maria virgine incarnatus est, & homo factus. Nunc ad sequentem articulum.

Matt. 10.

DE PASSIONE DOMINI, ET VBERRIMIS EIVS FRVCTIBVS. TRACTATVS TERTIVS.

Quem sensum habeat articulus quartus Symboli. Et quod Christus, licet per formam Iudicij, tamē iniustissimè sit passus à Iudæis. Cap. I.
De caussis ob quas dolor passionis Christi fuerit longè maior, quàm omnes dolores cuiuscunque hominis esse potuerunt. Cap. II.
Quod Christus in passione sua, veraciter, & more humano senserit pœnas, atq; dolores illatos per tormenta, non obstante quod simul Deus esset & homo. Cap. III.
Non fuisse indecens aut indecorum, vel iniquum, quod Deus Pater imposuerit filio innocenti, tantas tamq; graues pœnas. Cap. IIII.
Vnde nascatur necessitas patiendi quam denotat verbum, oportet, sæpius repetitum à Domino, quando loquitur de passione sua. Cap. V.
Quo consilio sit factum decretum diuinitatis, super incarnatione, et passione Filij Dei. Cap. VI.
Deum quidem potuisse infinitis alijs modis liberasse genus humanum, hunc tamen modum per amaras passiones mortis, fuisse conuenientissimum. Cap. VII.
Cur peccauerint Iudæi tradentes Christum in damnationem mortis, cùm hoc ipsum esset secundū beneplacitum Dei, & Christi voluntatem, vtile insuper pro totius humani generis liberatione. Cap. VIII.
Qui sint fructus passionum Christi in genere. Cap. IX.
Qua ratione & quibus medijs, sit nobis Christus factus, sapientia, patiendo. Cap. X.
Quomodo Christus sit nobis factus iustitia, sanctificatio, redemptio, vita, pax, salus, & cetera eiusmodi, & quid nobis istis significetur. Cap. XI.
Quibus scripturis demonstretur, Christum merito suæ passionis, verè, & reipsa operari in nobis ante dicta beneficia. Cap. XII.
Qualia epitheta habeat sanguis passionis Christi in scripturis. Cap. XIII.
De quibusdam difficultatibus quæ moueri possint circa modum, quo passio Christi & sanguis eius tollunt peccata nostra. Cap. XIIII.
Quòd victoria quæ habetur per passionem Christi de omni morte, & de omni peccato, & de omni seruitute, & de omni hoste, & de omnibus viribus inferni, non subitò, ac simul obtineatur, sed ordine quodam, & temporis mora. Cap. XV.
Cur non simul ac semel infundit se in totum hominem, secūdum vtranque sui partem, hæc victoria per Christum parta, & quàm eadem victoria sit constans ac stabilis. Cap. XVI.
Qua ratione passio Christi prosit nobis non patientibus neq; sentientibus dolorē. Cap. XVII.
Cur fructus passionum Christi non perueniat in omnes Adæ filios, cùm tamen sit passus Christus non pro vno, ac altero, sed pro omnibus citra exceptionē personæ aut status. Cap. XVIII.
Meritis Christi non fieri iniuriam, licet multi homines non saluentur, quia non voluit Christus finaliter saluari per suum meritum nisi prædestinatos à Patre. Cap. XIX.
Quæ sit caussa ex parte nostra, cur in tam paucos perueniat fructus passionis Christi. Cap. XX.

Quę sensum habeat articulus quartus Symboli. Et quòd Christus licet per formam iudicij, tamen iniustißimè sit passus à Iudæis.

CAP. I.



Vanquam absonū videatur, & alienum, colere pro DEO, illum qui despicabili mortis supplicio sublatus sit de medio, nihilominus voluit Apostolica circumspectio, Christifideles pro Symbolo rectę fidei, hunc in memoria, hunc vbique in sua confessione habere articulum: Qui passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Non dubito autem quin voces huius articuli habeant tibi notā significationem. D. Habent: Siquidem pati est sustinere, tolerare, aut æquo ferre animo: Et crux dicitur furca, siue patibulum in quo figuntur damnati. Vnde crucifigi, est in crucem tolli, aut patibulo affigi. Nihilominus quidquid cruciat vel affligit, figuratè

rate solet crucis nomine intelligi. Hinc Terentianum illud: Et illis crucibus, quę nos, nostramque adolescentiam habent despicatam. M. Hac quoque phrasi vtens Saluator, eleganter dixit. Qui non tollit crucem suā, hoc est, aduersa, tristia, & amara, sibi Dei dispensatione in hoc mūdo superuenientia, & sequitur me, non potest meus esse discipulus. Et Apost. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum concupiscentijs. Crucifixerunt, hoc est, afflixerunt abstinentijs, vigilijs, ieiunijs, alijsque pœnitentijs. D. Insuper, mori est vita defungi, siue animam expirare. Sed & sepeliri nihil aliud significat, quā in sepulcrū inferri, siue tumulo mandari. At, quorsum oportuit omnia hæc in vno articulo coniuncta esse, Passus, crucifixus, mortuus, sepultus, & hoc, sub Pontio Pilato? M. Vt constet, non minùs veritas historiæ, quàm ipse modus passionis peractæ, nēpe quis passus, quando, sub quo, & quousque, quoniam ad mortem vsq;, adeò vt more defunctorū illatus sit sepulcro. Nā certè contingit pati varijs modis, etiam citra crucis suspēdium. Insuper posset quis crucifigi, & ante mortem rursus deponi. Tertiò, quorundam corpora crucifixa pensilia manent in patibulo, semper insepulta, vt exēplo iustitiæ terreant facinorosos. At, Christus sic est passus, vt sustinuerit simul ignominiosum illud & durissimum crucis supplicium, atque id ad mortem vsque in ipsa cruce, nec tamē ibi mansit in sepultus, sed fuit tribus diebus & noctib. in sepulcro. Pretereà contingit nō rarò pati quempiam, sed clanculum aut tumultuariè, & præter iudicij formam. At Christus passus est publicè sub Pontio Pilato iudice, qui inter Iudæos præsidendi, iudicandique potestatem acceperat ab imperio Romano. Valde quidem tumultuariè, nō tamen sic tumultuariè, quin fuerit simūl & forma iudicij seruata, & potestatis auctoritas interposita. Nam ex decreto summorum Pontificū, Seniorum, Scribarum, ac Pharisæorū, adeoque totius consilij Iudaici fuit apprehensus, ac deinde iudicatus reus esse mortis, & exin de traditus Pontio Pilato, tanquām reus mortis. Quod vt palàm constaret, tradiderunt illum vinctum more dānatorum, instanter postulantes vt crucifigeretur. Pilatus autem multis interpositis actis iudiciarijs, tandē sedens pro tribunali in prætorio, adiudicauit fieri petitionem eorum. Testes horum sunt quatuor Euangelistæ, scribētes historiam passionis Christi. Denique, contingit pati, tam nobiles quàm ignobiles, tamq; maiores à minoribus, quàm minores à maiorib. æquales item ab æqualib. alios quidem meritò, alios verò

Cur simul coniūcta sint in art. passus, crucifixus, mortuus, sepultus.

Christus passus est ignominiosissimum genus supplicij ad mortem vsq;.

immeritò, oēs autē inuoluntariè. At Christus Domin^o passus est volūtariè, & id ab ignobilibus pariter & nobilibus, sibi prorsūs & omni iure subiectis, à quib. merito amari debebat & venerari. Atque eam ob caussam, exprimitur articulus per voculam relatiuam, qui, vt scilicet constet, quis sit passus, & à quibus, quam voluntariè, quamq; immeritò. Siquidem dictio relatiua, Qui, refert vnigenitū Dei filium, Dominum nostrum, natum ex intacta virgine, operatione Spiritus S. Ex quo inferre licet. Si is, qui passus dicitur sub Pontio Pilato, est vnigenitus Dei filius, ergo est & Deus. D. Sic deductum est suprà M. Insuper, ipse noster omnium est Dominus, simpliciter & citra restrictionem, habens etiam vt homo constituta in manu sua vniuersa, & quę in cælis sunt, & quę in terris, ergo vti Pilatus, ita & Herodes, ita & principes Sacerdotū, et seniores populi ac scribæ, eorumque ministri, & tota denique gens Iudaica subditi eius erant, constituti meritissimo, plenissimo & inabdicabili iure sub dominio ipsius, quem ita ignominiosè affixerunt supplicio crucis. D. Etiam illa illatio clara est ex supradictis. M. Ad hæc, si ex intacta Virgine natus est, & quidem sanctè, dicente Angelo: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: sequitur rectè, quòd non habuit peccatū originale. D. Videtur & hoc bona illatione sequi. M. Nec actuale habuit, quia Deus erat & dominus vniuersorum, via insuper ad Patrem, atq; veritas. Deus autem non contrariatur sibi. Porrò omne peccatum, rebellio quædam est contra Deum. Dominus item omnium nullis obstringitur legibus, illis, quorum plenum ac merum habet dominium. Nec in vllo deflexit humana Christi voluntas à mandato Dei Patris, propter summam illam & hypostaticam vnionem duarum naturarum in vno supposito. Hinc & ipse dicit: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, item: Amen amen dicō vobis, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille facit, hæc & Filius facit similiter. Ergo non fuit in Christo vlla iniquitas, at omne peccatum est iniquitas. Via autem ad Deum Patrem, non est aliud, quàm virtus & rectitudo eius. Nec veritas aliud, quàm lux, in quo nullæ tenebræ sunt, peccata verò sunt error & tenebræ. Hinc vocatur in scripturis, iustus meus, sanctus sanctorum, agnus immaculatus, quia non est inuenta iniquitas in eo, neque dolus in ore eius. Igitur si bene attendis relationem, quam facit vocula, qui, docet articulus, quod sub Pōtio Pilato passus est Deus omnipotens, à sua crea-

Christus iniustè afflictus est, idq; à suis subditis.

Matt. vlt. Marc. vlt. Christus erat Dominus eorū qui ipsum crucifixerunt.

Christus fuit sine peccato originali.

Christus fuit sine omni peccato actuali.

creatura, Dominus omnium à suis subditis, innocens à nocentibus, sanctus sanctorum à sceleratis, veritas ab ijs qui amabant falsitatem, via ab erroribus, virtus denique ab iniquitate. D. Itaque immeritò, & contra æquitatem passus est. M. Hoc vt ex ipsa relatione intelligendum relinquit articulus, ita scriptura apertè testatur dicens. Tradebat autem se iudicanti iniustè. Quòd verò immeritò sit passus, patet: quia peccatum non fecit, &c. 1. Petri 2. Nec tamen eam duntaxat ob caussam immeritò, quia iustus erat in semetipso & immaculatus, verùm etiam ideo indebitè passus est, & contra æquitatem, quia iudicatus est propter indebitam caussam: à Pilato quidem, propter timorem humanum, ne scilicet perderet amicitiam Cæsaris: quoniam si hunc dimittis, inquiunt, non es amicus Cæsaris: à Iudæis verò, propter prædicationem veritatis, qua traxit ad se omnes spontaneos in virtutem. Dicunt enim: Videtis, quia nihil proficimus, ecce totus mundus vadit post eum. Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Prætereà, ideo indebitè & contra æquitatẽ, quia non est iudicatus à iudice congruo & conuenienti, siue, vt iurisperiti loquuntur, cõpetente, sed à suis sibi omni iure subiectis, quales non habent iudicij potestatem in superiorem suum. Si enim non licet iudicare alienum seruum, eò quòd domino suo stat aut cadit, ad Romanos 14. Iterum, si non licet iudicare fratrem aut proximum, vt Iacobus testatur. Ergo multò minùs licet seruis iudicare dominum suum, benefactorem suum, doctorem suum, miraculis iam toti mundo illustrem. Quod autem fuerint iniqua iudicia, quæ exercuerunt in Christum, iam Pilatus quam Pontifices, patet ex Euangelista. Dicit enim Pilatus: Ecce ego coram vobis interrogãs, nullam caussam inuenio in homine isto, ex his, in quibus accusatis eum, sed neque Herodes, &c. Rursum pronunciaturus sententiam, lauit manus suas, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Testatur verò Euangelista, de Pontificibus dicens: Et quærebãt, inquit, summi Sacerdotes falsum testimonium aduersus Iesum, & cùm multi falsi testes accessissent, &c. Indubiè non potest esse æquum iudicium, quod procedit ex quæsitis falsis testimonijs. Rursum testatur Euangelista, quòd iudicauerunt Christum blasphemum, & reum mortis, eò quòd adiuratus per Deum viuum, confitebatur veritatem, nempe se Filium Dei esse, venturum in nubibus cæli. Quale iudicium non potuit nõ esse iniquissimum. Sed quid terimus tempus in re certa, cuius demonstratio luce clarior est in historia Euangelica? D. Si immeritò & contra æquitatem passus est, ergo non per formam iudicij, quia iudicium est iusti iurisque determinatio. M. Iniqui iudices, cùm intendunt iudicare iniustè, tum quàm maximè obseruant communes formulas iudicij, vt meditata iniustitia fucũ accipiat, ex cõsuetis iudicandi formulis. Sic Iudæi eradicare volentes Christum per fas perque nefas, studuerunt omnibus modis hoc perficere, ordine ac modo iudiciario, intercedente tam sui quàm Romani iudicij auctoritate, ne oppressione, odio, vel inuidia idipsum fecisse criminarentur à populo, vti in Naboth, & Susanna contigisse legimus. Itaque iniustum quidem iudicarunt iudicium, sed tamen consuetas iudicandi formulas seruarunt ad fucum & velamen iniquitatis suę. Veruntamen non vniuersa quæ passus est Christus in hoc mundo, passus est per formam iudicij. Nam passus est nobiscum communia incommoda vitæ huius, vt rerum indigentiam, Matt. 8. famem, Matt. 4. fatigationem, Ioann. 4, & cetera eiusmodi. Secundò, passus est grauia illa onera legis tanquam factus sub lege, vt carnis suæ circuncisionem Luc. 2. Tertiò, passus est tentationes, priùs à Diabolo in deserto, deinde à legisperitis. Adhæc grauissimam persecutionem ab Herode, tempore infantiæ suæ, Matth. 2. Irrisionem à Iudæis propter prædicationem contra auaros, Luc 16. Apertam contumeliã quoque, dicentibus illis, quoniã vini potator est, & amicus Publicanorum. Matth. 11. Itẽ: Nónne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Ioan. 10 Insuper passus est offuscationem suorum miraculorum, disseminantibus illis in vulgus, quia in Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia. Matthæi 12. Luc. 11. Denique talem æmulationem, vt sæpiùs eum voluerint lapidare: Ioann. 10. & 11. semel de monte præcipitare. Luc. 4. Facientes posteá conspirationẽ (ex deliberatione vtique totius concilij sui) vt si quis eum cõfiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Ioã. 9. Quod plus est, quicunq; cognouerit vbi sit, indicet vt apprehendãt eũ. Ioan. 11. Tandem ementes pretio 30. argenteorũ proditionẽ eius à Iuda proditore, Matt. 26. per noctem venerũt cũ gladijs, fustib. ac armis apprehendentes eũ tanquã latronem, & publicum malefactorem. Et hæc quidem omnia tumultuariè ac velut ex insidijs. Verùm eximium illud supplicium crucis, quo consummauit Iesus vniuersa, nõ imposuerunt ei nisi palàm, & per formam iudicij, interposita Romani imperij auctoritate per præsidem Pilatum.

Christus passus est immeritò & contra æquitatẽ.

Ioann. 11.

Iacob. 4.

Probat iudicia, quo Christus iudicatus est, fuisse planè iniquum.

Matt. 26. Marc. 14.

Mar. 14.

Obiectiũcula.

Plurima passus est Christus citra formam iudicij.

De cau-

De caussis, ob quas dolor passionis Christi fuerit longe maior, quam omnes dolores cuiuscunque hominis esse potuerunt. CAP. II.



D. Audiui frequenter, quod dolor passionis Christi, excedit vniuersos dolores, quos vnquam sustinuit in hac vita vllus mortalium. M. Benè audisti. Verùm quod audiuisti te scire oportet. Et autem scire, caussam rei cognoscere. D. Et quæ sunt excessus istius caussæ? M. Sancti Patres scripturis illuminati assignarũt quatuor. Prima est multitudo rerum dolorẽ ingerentium. Secũda, nobilissima tenerrimaque complexio corporis Christi, cum summa viuacitate sensuum tam interiorum quàm exteriorum. Tertia, destitutio omnis solatij dolorem mitigantis. Quarta, quia passus est citra culpam & pro beneficio, atque ab his, à quibus honorari debuisset: immo à suis qui sine eo necesse quidem possent, quos venerat docere veritatem, & saluos facere. Multitudinem quidem rerum dolorem ingerentiũ pandit nobis abundè, non solùm Euangelica historiã, sed & Prophetarũ & Psalmorum vaticinia. Siquidem passus est non ab vno duntaxat aut altero, sed ab vniuersis statibus hominum qui tum erant: A Pilato præside, ab Herode rege, à Tribuno & cohorte militum Romanorum, à Pontificibus Anna & Caipha, à Legisperitis & scribis, à pharisæis, á senioribus populi, à magistratu templi, à seruis & ancillis Iudæorum, à proprijs discipulis fugientibus, á Petro negante, à Iuda traditore, à latronibus simul crucifixis. Nec passus est in vno tantùm, sed in omnibus quæ hominis esse possunt: In rebus; Quia diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserũt sortem. In fama: dicentibus Iudæis. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari. Iterum: Recordati sumus, quia seductor ille dixit, &c. In omnibus insuper corporis sui membris: In capite quidem spinea corona: in facie verò, alapis & sputo impurissimorum hominũ, adeò vt dicat Propheta: Non est ei species neque decor, absconditus & despectus est vultus eius: & nos reputauimus eum quasi leprosum. In oculis insuper, velamine superposito ad irrisionem: in gustu, felle & aceto: in lingua & omni virtute corporali, quia aruit tanquam testa (ait in persona eius Propheta): Virtus mea, & adhæsit lingua mea faucibus meis: In auditu, innumeris contumelijs & iniurijs dicẽtibus illis, Blasphemauit, reus est mortis. Item tolle tolle, crucifige crucifige eum, & innumera alia In manibus ac pedibus, ac per omnem partem corporis; quia foderunt (inquit) manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Ita alligatum cum columnæ, flagellis cæciderunt eum à capite vsque ad pedes: vt sicut in corpore totius generis humani, à planta pedis, iuxta Esaiam, vsque ad verticem, id est, à minimo vsque ad maximum non erat sanitas (omnes enim declinauerunt & inutiles facti sunt, vti allegat Apost. ad Rom. 3.) ita & in corpore Domini nostri, à planta pedis vsque ad verticem capitis sui non erat sanitas: omnibus suis benedictis mẽbris cæsis, sauciatis, cruentatis pro sanãdis mystici sui corporis mẽbris. Nec passus est in fine tantùm vitæ, sed ab incunabilis suis, & per omnẽ vitæ suæ ætate, vti diximus supra. Nec vnã duntaxat, aut alteram passionũ speciem sustinuit, sed vniuersas, per irrisionẽ, & ignominiã, per opprobrium & despectũ per inuidiam, & maleuolentiam, per libidine denique saturandi animam eius, contumelijs, iniurijs, ac pœnis. Nam Herodes indutũ illum veste alba illusit quasi fatuum: Et milites exprobrantes ei quòd se regẽ fecisset, imposuerunt ei coronam de spinis, & vestem coccineã circũdederunt ei, & arundinem in manu eius, atque genu flexo illudebant ei dicentes: Aue rex Iudæorum. Alij colaphis cædebant eum, alij palmas dederunt in faciem eius dicẽtes: prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit: etiã hoc velut improperantes quòd pro Propheta se gessisset. Et quò magis ex genere supplicij cresceret patientis dolor, tandem suspenderunt eum viuũ in patibulo crucis, quo genere mortis non erat tum temporis aliud aut ignominiosius aut despicatius. Nec illo contenti, suspenderunt eum inter duos insignes latrones, quasi vnum ex eis. Medium autem Iesum, tanquam illis sceleratiorem. Sicque reliquerunt eum viuum pendentem toto pondere corporis, ex transfixis clauis per mãnus & pedẽs, quo lento & non accelerato mortis genere, afflictio & dolór grauior fieret. Interim blasphemabant eum mouentes capita sua; & dicentes: Vaeh qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, salua temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & princeps Sacerdotum illudentes cum scribis & sacerdotibus dicebant, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim: Quia filius Dei sum. Idipsum autem & latrones, qui cum ipso crucifixi erant, improperabant ei. Et his quidem replebant animam eius, cùm iam suspensus inter cælum & terram, summum cruciatum carnis, & agonem

mortis

Quatuor sunt caussæ propter quas passio Christi excedit omnẽ passionem aliorum.

Passus est vniuersis statibus.

Passus est in omnib. quæ hominis esse possunt. Luc. 23. Matt. 27.

Passus est in omnib. membris. Esaia 53.

Passus est per omnẽ ætatem vitæ suæ.

Passus est omnẽ speciem passionum.

mortis sustineret, ita vt rectè diceret de eo Propheta, Ego vermis sum & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, posuisti me abominationem eis. Cumq; iam mortuus esset, etiam lancea latus eius perforauerunt, vt exiret quod reliquum erat sanguinis & aquæ, de ventriculo cordis ipsius. Et hæc quidem de prima caussa. Quantùm verò ad secundam caussam, scilicet magnitudinis dolorũ eius, poteris sanè illam colligere ex eo, quòd incarnatus sit de purissimis sanguinib. intemeratæ virginis, idq; non hominis, sed Spiritus sancti operatione, vt habes Luc. 1. Item ex eo quòd expirauit cum clamore valido dicens, Pater, in manus tuas commendo Spiritum meũ, adeò vt in admirationem ducerentur, Centurio & qui cum ipso erant. Ex quibus abundè satis constat, quòd fuerit nobilissima tenerrimaq; caro corporis Christi, cum summa pariter viuacitate sensuum ad mortẽ vsque. Quaproptèr, plagæ & tormenta naturaliter caussarũt in carne ipsius multò maiorem dolorem, quàm in quouis alio possent. D. Dicit Cic. 2. Tusc. q. quòd dolor est motus asper in corpore, à sensibus alienus, id est quem sensus maximè refugiunt. M. Bene ad propositum. Bona igitur complexio Christi, carnis teneritudo, & sensuum viuacitas, effecerunt, vt Christus grauiorem sentiret dolorem a flagellis, à spinea corona, à crucis patibulo, ac alijs, quàm quiuis purus homo sentire potuisset ab eisdem. Nec quidquã æquè angit, ac cruciat animum hominis patientis, atq; illud, quòd immeritus, quòd pro benefactis, quòd à suis patiatur, quodque cum ignominia & ex crudelitate, & quadam velut libidine perdendi: idque ab ijs à quibus meritò summè amari, venerari, & coli debuisset. Denique & illud summè angit, frustra & in vacuũ, vitam impendere sanguinemque cordis, vt salui fiant illi, qui per te saluari nolũt: immo te saluatorem vilipendunt, ludibrio habent, perdere quærunt. Hæc autẽ omnia inerementa dolorum in passione Christi concurrisse, ex his quæ dicta sunt facilè est perpendere: adeò vt Propheta dicat in persona Christi: Repleta est anima mea malis. Repleta, inquã, quia nihil in ea doloribus vacuum, adeoque vt ipso teste, Tristis esset anima eius vsque ad mortem: partim, propter multitudinem pœnarum, partim propter maleuolentiam inferentium illas, partim denique propter ingratitudinem eorum, pro quibus hæc tanta sustinebat. Quòd autẽ Christus in passione sua fuerit destitutus omni solatio dolorẽ mitigãte, hinc patet. Nã & primi & nouissimi de populo, non solùm reliquerũt dominum, sed & persecuti sunt, contumelijs ac pœnis saturantes animã eius vti iam demonstratum est. Inter notos verò & Apostolos eius, vnus vendidit ac tradidit eum, vt Iudas: alius negauit eũ cum iuramento, quia non nouisset eum, vt Petrus: ceteri relicto eo fugerũt omnes: adeo vt dicat per os Prophetæ, Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber, destitutus scilicet omni auxilio, solatioq;, haud secus atque destituuntur vulnerati dormientis in sepulcris. Quia notos meos fecisti longè à me. Noti enim & amici fugerunt à me, & derelictus sum ego solus. D. Ceterùm, non destituit eum Deus Pater, qui vnus pro milibus esse solet. M. Et hoc, ne quis persuasum haberet, ideo clamans in cruce dixit: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, scilicet tãtũ pati sub istis tormentis, vltra quam vires humanę sufferre possunt, vt infrà latiùs explicabimus. Itaque ob quatuor dictas caussas simul iunctas, quarũm collectio in nullo alio mortalium fuit eadem, rectè tradiderũt Patres, cruciatus & dolores quos sustinuit Christus, incomparabiliter excedere omnem cuiuslibet creaturæ passionem: adeò vt quẽadmodum synagoga Iudæorum grauiter afflicta, & in captiuitatem Babylonicam deducta, deplorabat olim suam miseriam tanquã ceteris omnibus maiorem, dicẽs: Vide domine & considera quomodo facta sum vilis: O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus. Quoniã vindemiauit me Dominus, id est, de vinea sua succidit me, tanquam sterilem & infructuosum, vt locutus est in die furoris sui Thren. 1. Ita & Christus in multis Psalmis & Prophetis tormenta suę passionis commemorat, tanquã ceteris omnibus omnium aliorum hominũ passionibus grauiora. Lege Hierem. cap. 35. in primis Threnos eiusdem. In quibus licet pleraque literaliter dicta sint de ciuitate Hierosolymitana, de populo Iudaico, & de sua ipsius Hieremiæ persona, tamen Christiani Doctores perpendẽtes Spiritũ Dei in scripturis, maximè veteris Testamenti, nõ solùm vocibus, sed & rebus, typis, ac metaphoris, prophetare, intelligunt in similibus scriptis veros sensus à Spiritu sancto designatos, magis esse de Christo Domino, de gestis illius, ac passionibus in carne sua tolerandis, deque spirituali eius regno, quàm de rebus olim apud Hebræos gestis. Ita tamen vt quotiescunque congruit, non negligatur historiæ sensus, qui est tanquam basis veritatis, typus insuper ac figura eorum quæ in Christo futura erant. Lege insuper Esaiam capite 5. & 53. Lege & Psalmum 27. 57. 68. vbi inter cetera dicitur

Pass' post mortem.

Quod Christus fuerit destitutus omni solatio dolorẽ mitigãte.

Psalm. 87.

Collectio caussarũ aggrauantium dolorem Christi, in nullo alio reperitur eadem.

Threni.

Multa quę ad literam de alijs sunt dicta ad Christum referenda

dicitur in persona Christi: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Confortati sunt qui persequuntur me inimici mei iniustè, quæ non rapui, tunc exoluebā, &c. Quibus verbis alijsque similibus nunc planè & absque tropo, nunc metaphoricè significantibus, docet Psalmista grauissimum fuisse suppliciū passionis domini nostri Iesu Christi, Per aquam intelligens copiam passionum inundantium super corpus ipsius, & penetrantium vsque ad interiora animæ eius. Per limum seu lutum profundi, in quo non est substantia, neque fundamentum, vbi pedibus fixis valeat consistere ne submergatur, intelligens extremam in passione desertionem siue desolationem, quousque absorberetur à morte. Per mare significans populum Iudæorum insanientium contra ipsum. Sic per elationem, altitudinem, seu tempestatem maris, intelligens cōcitatum illius populi furorem, insaniam, & seditionem ingerentis quidquid potuit facere, ad exaggerandum dolorem eius.

Quòd Christus in passione sua veraciter, et more humano senserit pœnas atque dolores illatos per tormenta, non obstante quod simul Deus esset & homo. CAP. III.

D. Gratia Dei assistens quibusdā Martyribus, ita absorbuit sensum doloris, vt gestirent ipsi magis sub tormentis, quam alij possent inter splendidissimas epulas. Mirum igitur, tale quid non contigisse in Christo, qui simul Deus erat & homo. M. Legitur B. Laurentius dū assaretur super cratem ferream, ad Decium tyrannum dixisse: Disce miser, quia carbones isti mihi refrigerium præstant. Legitur & Stephanus in passione positus vidisse cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Quamobrem, & lapides torrentis illi dulces fuerunt, quemadmodum de illo canit Ecclesia. Insuper legitur, quòd B. Andreas crucem à longè aspiciens gaudebat, & gratulabatur, pro voto ac desiderio clamans: Salue crux sancta, quę ex corpore Christi dedicata es, antequam ascenderet in te magister meus Christus, timorem terrenum habuisti, nūc autem pro voto susciperis. Nihil autem tale legitur dixisse Christus in passione sua, nihil etiam tale de eo vaticinati sunt Prophetę. Sed contra habet Euangelium de Christo, quòd passione imminente cœpit Iesus pauere, tædere, & mæstus esse, dicens: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et sub articulo mortis: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. In Psalmis quoque scriptum est de eo: Terrores conturbauerunt me, humiliatus sum & conturbatus, Conturbata sunt omnia ossa mea. Quæ omnia manifestè demonstrant admirādum illud Sacramentum vnionis hypostaticæ, qua in Christo fuerunt coniunctæ, diuina & humana natura in vnitatē suppositi, ita fuisse dispensatum, vt neque diuina natura impediret proprietates, actiones, & passiones naturæ humanæ, neque humana excluderet omnipotentiam, aliasque qualitates naturæ diuinæ. Sed vt mysterium redemptionis esset consummatissimum, tantum est passa humana natura in Christo, quantum in vllo puro homine pati potuisset, diuinitate in nullo impediēte sensum doloris. Quòd vt probè ac penitus intelligas, nec conturberis in scripturis perso næ Christi diuersas operationes tribuētibus: semper tibi præ oculis habendum est, propter duas naturas, diuinam scilicet & humanam, vnitatem quoque suppositi in quam coēunt, triplex operum genus Christo attribui in scripturis, Primum genus est, eorum quæ sunt solius Dei opera vt viuificare, iustificare, peccatum remittere, sanctum, diuinū, sempiternum, atque beatum facere, & similia. Secundum genus est eorum operum, quę non conueniunt Deo, nec inueniri possunt, nisi in homine, vt obedire, orare, sacrificare, pro iustitia agonizare, tormenta ferre, pauere, tædere, conturbari, mori. Tertium genus est eorum operum, quæ non possunt esse, nisi eius qui simul est Deus & homo, vt pro voluntate ponere animam suam, & iterum reassumere illam, suscitare seipsum ex mortuis, prætium condignum soluere pro peccatis totius mundi. Secundò, tibi habendum est præ oculis, quòd secundum eiusmodi naturarum diuersitatem, fuit in Christo gemina vita, increata videlicet, quæ est sempiterna Deitas quæ mori non potest, & creata, quæ est humanæ naturæ, ex carne & anima consistentis secundū quam, mortuum esse Christum in cruce per diuisionem animæ à corpore, restatur Euangelium Matthæi vigesimo septimo. Ioannis decimo nono. Mar. 15. dicēs: Expirauit, emisit spiritum, tradidit spiritum, id est, animam. At Iesum aurē cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, &c. Gemina item sapientia, gemina potestas, gemina voluntas, creata videlicet & increata. Rursus creata voluntas in Christo, vt in cæteris hominibus est gemina, vna naturalis secundum sensum carnis, naturaliter vitam appetentis, & mortem exhorrentis, à qua venit quòd cœpit pauere, tædere, & mæstus esse, & sudare

Gratia Dei mitigauit martyribus dam dolorem passionis suæ.

Christus nusquā legitur gestisse sub tormentis passionis suę.

Vna natura in Christo nō impedit proprietates alterius.

Christo attribuitur, triplex operum genus.

In Christo secūdum diuersitatem naturarum esse geminā voluntatē geminâq; vitam.

Duplex voluntas in Christo

sudare sanguineum sudorem, cùm expenderet secum imminentis passionis grauitatem: Altera rationalis, secundum rationem mentis decernentis vitam esse dandam pro liberandis fratribus, Deoque per omnia obediendum, qua & dixit: Veruntamen Pater, non mea, sed tua voluntas fiat. Tertiò, præoculis habebis, quod anima quæ est pars altera naturæ humanæ, vt in reliquis hominibus, ita & in Christo habuit duas partes. Superiorem, qua contemplabatur diuina ac cælestia. Et inferiorem, qua intendebat rebus agendis circa corpus, quæ sensui proxima est. Secundum illam toto tempore vitæ suæ, etiam sub tormentis, etiam in morte, semper fruebatur contemplatione diuinitatis: secundum alteram verò sensui vicinam, timebat, dolebat, mæstus erat vsque ad mortem. Eratque dispensatione Dei sic effectum, sicque temperatum in hac dualitate naturarum, voluntatum, ac partium animæ, vt summum diuinæ fruitionis gaudium, non mitigaret in eo vllius cruciatus sensum, neque acerrimus corporis cruciatus minueret gaudium illud diuinæ fruitionis. D. Profectò mirum apparet, & quasi incredibile, quòd vnus ac idem, simul gaudeat & doleat, fruatur & patiatur, sic quòd nec passio fruitionem, nec gaudium minuat dolorem. M. Nequaquam mirum est, si ad diuersas naturas diuersasque vnius naturæ partes respicias. Verùm, secundum vnam naturam, eandemque naturæ partem, id fieri non potest. Quemadmodum enim gaudere secundum spiritum ac rationem, & pati simul secundum carnem ac sensum, vti in multis contingit, ita euidenter accidit in Apostolis. Ibant gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt cōtumeliam pro nomine Iesu pati. Rursum tristari, turbari, atque horrere, secundū partem animæ inferiorem, propter cruciatum carnis: interim tamen secundum partem animæ superiorem, fide, spe, firmissimaque dilectione inhærere Deo, in martyribus adeò palàm est demōstratū sexcētis & eo amplius exēplis, vt pleniori probatione nō egeat. Porrò, si nihil aduersi, nullumque tormentum separat hominem sanctum à fide, fiduciaque & amore, quibus firmissimè adhæret Deo, quid mirum, si nihil tale impediuerit fruitionem, qua Christus Deo fruebatur secundum superiorem partem animæ, propter vnionem hypostaticam? Rursum, si fides, spes, amor, quibus Martyres inhærebant Deo, atque gaudium inde natum, non auferebant ab eis sensum doloris: quid mirum, si diuina fruitio, quæ erat in parte animæ Christi superiori, non abstulerit tristitiam, dolorem, cruciatum, mortem, quæ erant in carne ipsius ac parte animæ inferiori? Tertiò, si duplex est vita in homine pio ac sancto, scilicet diuina atque æterna, humana insuper ac mortalis, vti demonstrabimus in vltimo articulo Symboli, moriturque humana per diuisionem animæ, à corpore, altera permanente in sua immortalitate per continuam coniunctionem animæ cum Deo in donis gratiæ, adeò vt anima hominis pij viuat continuò in Deo & sub tormentis, & in morte & post mortem corporalem. Quid igitur mirum si in Christo fuerit gemina vita, quodque mortuus sit secundum alteram per diuisionem animæ à corpore, prout factum est in cruce, altera manente in sua æternitate, quodque manserit ingiter vnio illa hypostatica diuinitatis cum humanitate, vt in vita, ita sub tormentis, ita in morte, ita quoque post mortem. Eò quòd diuinitas naturam semel assumptam nunquam dimittit, quomodo & purum hominem semel adoptatum in sortem filiorum nunquam deserit aut abijcit, nisi sponte sua seipsum per iniquitatem proijciat extra gratiam Dei, vti probari facilè potest ex fine capitis octaui ad Romanos. D. Certè similia hæc valde consonam adferunt probationem. M. Quibus si adiungas scripturas illas, quæ tribuunt Christo opera diuinitatis, quales sunt: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Item, Remittuntur tibi peccata tua. Item, Adolescens tibi dico surge. Et, Lazare veni foras, & id genus alia. Illas insuper quæ tribuunt ei simpliciter & per affirmationem operaveri hominis quales sunt, Cœpit lesus pauere, tædere, & mæstus esse. Item, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Item, Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Item, Dolores nostros ipse portauit, Conturbata sunt omnia ossa mea, Aruit tanquam testa virtus mea, Adhæsit lingua mea faucibus meis, Sitio, expirauit, mortuus est, & cetera. Iam habebis idoneam demonstrationem eius quod diximus, videlicet quòd in Christo fuerit verū tædium, verus timor, vera tristitia, verus dolor, vera afflictio, verus cruciatus, veraque defectio virium naturalium, ad diuisionem vsque animæ à corpore, non obstante quòd Deus esset, quodque nihilo secius in eo indesinenter permanserit fruitio diuinitatis, secundum portionem animæ superiorem. Quod vtique vt constaret euidentiùs, clara voce dixit in crucē pendens, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? adeo

vt in

Marginal notes (left): Anima Christi habuit duas partes, superiorem & inferiorem. — Nō est mirum quòd in Christo fuit gaudium diuinæ fruitionis simul cum dolore corporis. — Act.5.

Marginal notes (right): Matth.1. — Matt.9. — Luc.7. — Ioan.11. — Matt.26. — Marc.14. — Luc.22. — Esa.53. — Psal.21. — Ioan.19. — Luc.23.

vt in nullo subuenias mihi secundum humanam naturam, quam te auctore, ex virgineis visceribus matris meæ sumpsi, quasi proiectum, & ad te vltra non pertinentem, permittens in tormentis excruciari, quantum secundum proprias qualitates illius naturæ ferre possum: immo plùs quàm ferre possum, quia ad interitum vsque. Non itaque sunt verba illa Christi, vt quidam mentiuntur, hominis impatientis aut diffidentis de Deo Patre, sed clara voce confitentis veritatem eius quod gerebatur.

Non fuisse indecens aut indecorum vel iniquum, quòd Deus Pater imposuerit Filio innocenti, tantas, tamq; graues pœnas

CAP. IIII.

D. POena, nónne comitari debet sceleris auctorem? Et mors nunquid solius peccati stipendium est? vt illi duntaxat debeatur, qui patrarit iniquitatem? M. Esto, sic enim docet Paulus, dicens: Stipendium peccati mors. D. An non igitur indecens & indecorum, immo iniquum, quod Deus Pater tantas pœnas, tamque horrendum supplicium mortis imposuerit illi qui nihil peccauerat, nec commeruerat quidquam vt pateretur? M. Duplex est genus pœnæ. Alia enim est pœna diuinæ vltionis super inuitum, & hanc decet esse eum duntaxat, qui peccatum fecit: alia est pœna diuinæ placationis, voluntariè assumpta pro reconciliatione aliorum. Estque decorum & pulcrum hanc esse in eo, qui licet non peccauit, nihilominus ex commiseratione peccantium, sua sponte suscipit eam, vt & illi habeant redemptionis beneficium, & in ipsis quoque glorificetur Deus. Et quamuis Deus non delectetur, sed nec delectari possit in pœna & perditione innocentis: vtique tamen ei complacet caritas vltro patientis pro salute aliorum, quoniam hoc proximum facit bonitati Dei, impendentis se suaque omnia ex pura commiseratione, in aliorum alioqui pereúntium, saluationem. Quam quidem Dei voluntatem erga nos, volens Apostolus commendare, ait: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo nō etiam cum illo omnia nobis donauit? Qua eadem bonitate erga nos, eum qui non nouit peccatum, hoc est, Filium suum, qui alienissimus erat ab omni peccato, fecit peccatum, hoc est, fecit ita tractari in passione, acsi non aliud fuisset quàm merum peccatum: idque eum ob finem, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, id est, efficeremur tandem per ipsum prorsus & omni ex parte iusti. Quod dictum, nihilominus alij interpretantur hoc modo: Fecit eum peccatum, id est, hostiam pro peccato, sequentes phrasim Oseæ quarto. Peccata populi mei comedent, scilicet Sacerdotes, quia comedent hostiam oblatam pro peccatis. D. Ceterùm hic videtur esse aliqua iniuriæ iniustitiæque ratio, quòd Deus Pater fecerit filium oblationem pro peccatis, aut non secus tractari quàm si merum fuisset peccatum, cùm tamen esset quàm alienissimus ab omni operatione peccati. M. Siquidem hoc fecisset Pater Filio inscio, & sine consensu, ac voluntate Filij, haud dubiè iniuriæ speciem haberet. Nunc autem quia dicit Scriptura: Oblatus est quia voluit, ideo nulla hic inueniri potest i[illegible]ia & iniuria. Sic enim habet regula Iur[illegible]enti & consentienti non fit iniuria. Q[illegible] spontaneè autem consenserit ad finem vsque, ex ipsis suis verbis & factis probatur. Dicit enim per Prophetam: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Deinde dicit per semetipsum: Sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrē, & animam meam, pono pro ouibus meis. Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, hoc mandatum, id est, hanc ordinationem siue commissionem habeo à Patre meo, videlicet vt à meipso, siue mea sponte, non ex necessitate, aut violenta impulsione cuiusquam, ponam vitam meam pro ouibus meis, adeoque ipsemet tradebat se iudicanti iniustè. Vt autem certò certius esset quòd spontè propria sit passus, prædixit sæpiùs sui traditionem, passionem, flagellationem, irrisionem, occisionem, Matth. decimo sexto. decimo septimo, & vigesimo: prædixit quoque tempus quo hæc fierent Matthæi vigesimo sexto: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Ad hæc, prædixit à quo tradendus esset, nempe ab vno ex duodecim, qui manducabat secum panem iuxta vaticinium Prophetæ. Tradendus, inquam, a Iuda principibus Sacerdotū, & Scribis, atque ab illis vlterius gentibus: dicit enim, Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquā flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget, Lucæ decimo octauo. Denique prædixit, à quibus esset

K passu-

Duplex esse genus pœnarum

Non est indecorū quod De⁹ Pater imposuerit Filio innocēti tormenta passionis.

Rom. 8.

2. Cor. 5.

Qualiter est intelligendum

quod Deus fecerit Filium suū peccatū.

Christus prædixit qualitatē passionis & tempus

passurus, quia à fenioribus & fcribis & principibus Sacerdotum Matthæi decimo fexto. Etiam à Gentibus, fcilicet Pilato, Herode, & militibus eorum. Ex quibus eximius ille Apostolus Andreas probabat Egeæ proconfuli quòd Christus non erat paffus vt maleficus, aut ex neceffitate, fed fua fponte, & ex mera caritate iuuandi alios. D. Quare igitur imminente paffione cœpit pauere, tædere, mæftus effe vfque ad mortem? Quare infuper tertiò orauit Patrem, vt tranfiret ab eo calix paffionis iamiam imminentis? M. Quia homo erat, neque quidquam humani alienum erat ab eo, præter peccatum, & vitiofam corruptionem naturæ. Dum viueret liber à tormentis, efuriebat, fitiebat, fatigabatur ficut ceteri homines, manducabat, dormiebat vt ceteri. Dum fentiret imminere horrenda fupplicia mortis, naturaliter expauit, & contriftatus eft fecundum carnem, ac fenfum, & partem animæ fenfui proximâ, ficut & ceteri homines, imminente iam mortis agone, omnium enim, terribilium terribiliffimum eft mors, inquit Philofophus, feruata tamen mentis conftantia & promptitudine patienti in voluntate, vt non rarò in ceteris pijs contingit hominibus pergratiam adiutricem Dei. Nam Paulus dicebat, Dum infirmor (fcilicet fecundum carnem) tunc fortior fum, fcilicet fecundum fpiritum. Quantò ergo magis tum temporis Chriftus fortiorem fe exhibebat ac promptiorem fecundum mentem ac fpiritum, quando iam patiebatur caro eius? Quod vel hinc fit manifeftum, quoniam etfi paueret, & mæftus effet, adeoque horreret mortem tota natura carnis, vt fudaret fudorem fanguinis: nihilominus inter hæc vicit ratio, vicit amor recti, vicit & obedientia Dei Patris. Tertiò enim fubiunxit orationi fuæ: Veruntamen Pater, non mea, fed tua voluntas fiat. Et furgens proceffit obuiam illis, qui illaturi erant tormentum mortis, cùm tamen fugere potuiffet, haberetque liberam poteftatem ponendi, & non ponendi animam fuam Non igitur metuit, aut contriftatus eft, quafi neceffitate aliqua conclufus in eo quod nollet: fed quafi verus homo, habens nobifcum communes humanæ naturæ proprietates. Quas quidem proprietates, palàm in eo defignatas mundo oportuit, duplicem ob cauffam: Prior eft vt conftaret in Chrifto veritas humanæ naturæ, tam contra hæreticos afferentes Chriftum non verum corpus, fed phantafticum affumpfiffe, quàm contra eos qui contendunt, Chriftum non habuiffe fenfum doloris fub tormentis; Altera eft, vt fuo nos exemplo doceret illud Ecclefiaftici: Pro iuftitia agonizare pro anima tua, & vfque ad mortem certa pro iuftitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Propter Deum homo, & propter totum eft quælibet pars totius. Ergo quiduis, ô fili ferendum tibi parti, vt totum liberes, quiduis patiendum potiùs, quàm Deum offendas, aut tuam, illius voluntati præponas.

Christus quod verus homo esset ideo mœstus, ideo expauit, ideo & deprecabatur passionem.

Christus nô metuit quasi necessitate aliqua conclusus.

Duæ sunt caussæ, ob quas cœpit Iesus palàm pauere, tædere, &c.

Ecclef. 4.

Vnde nafcitur neceßitas patiendi, quam denotat verbum, oportet, fæpius repetitum à Domino, quando loquitur de paßione fua.

CAPVT V.



Sed nunc interrogabis, fi nulla neceffitate, fed omnino fua fponte paffus eft Chriftus, quare ergo toties repetitur in Euangelijs, illud verbum, oportet: Oportet Filium hominis multa pati à Principibus Sacerdotum, & Scribis & Pharifæis. Item: Nonne hæc oportuit Filium hominis pati, & ita intrare in gloriam fuam? Item: Quoniam fic fcriptum eft, & fic oportebat Chriftum pati, &c. D. Profectò admiratus fum nonnunquam, frequentem repetitionem huius vocis, oportet, in ifta materia. Et vnde, precor, nafcitur ifta neceffitas, quam fignificat vox, oportet? M. Ex decreto quod ante fæcula factum erat, in confiftorio fuperbenedictæ Trinitatis, & in diebus antiquis eft manifeftatum per ora Prophetarum, hinc poft paffionem ait ad Apoftolos: Hæc funt verba quæ locutus fum ad vos, cùm adhuc effem vobifcum, quoniam neceffe eft impleri omnia, quæ fcripta funt in lege Moyfi & Prophetis & Pfalmis de me. Tunc aperuit illis fenfum vt intelligerent fcripturas, & dixit eis: Quoniam fic fcriptum eft, & fic oportuit Chriftum pati, & refurgere tertia die. Itaque eam ob cauffam fieri oportebat, quoniam fcriptum decretum diuinitatis debebat impleri. Secundò, nafcitur dicta neceffitas ex mandato, quod Chriftus homo, hoc eft, fecundum quòd homo acceperat à Deo Patre, fiue à diuinitate, de quo mandato dicitur Ioan. decimo quarto: Et ficut mandatum dedit mihi Pater, fic facio: Surgite eamus hinc, fcilicet ad locum vbi tradat in manus iniquorum. Tertiò, nafcitur ex fine intento, qui eft redemptio generis humani, talis, in qua fcilicet relucerent fimul, mifericordia Dei, & iuftitia eius, qui finis obtineri non potuit fine fanguinis effufione, vti multis rationibus probat Apoftolus, potiffimùm capite nono, ad Hebr.

M.

Vnde nascitur necessitas patiendi, quã denotat verbum oportet.

Lucæ vlt.

Heb. Omnia tamen hæc, videlicet decretum diuinitatis, mandatum Dei Patris, determinatio medij quo fieret redemptio generis humani, omnia, dico, hæc præsupponunt liberam voluntatem Filij, sua sponte ex commiseratione hominum, acceptantis. Itaque, vti indecens est & indecorum atque iniquum, rapere inuitum ad supplicia, quę non ipse sed alij commeruerunt: Ita decentissimum est & pulcerrimum, acceptare hostiam sua sponte sese offerentis pro liberatione patriæ, parentum, & cognatorum. Nam & hoc olim apud Romanus, statua ad monumentum immortalitatis dignum habebatur, non obstante quòd occumbens pro patria prorsus interiret, citra spem futuræ resurrectionis: Hic verò certum erat, & Deo Patri, & ipsi Filio, illud Prophetæ: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. Itaque Filius Dei Patris hoc genere mortis non erat interiturus, sed post modici temporis passionem, æternùm victurus in gloria Patris, cum eisdem quos moriendo Deo lucrifaceret. Opus igitur redemptionis per passiones Filij innocentis fuit omni ex parte pulcrum, omni item ex parte vtile, habens omni ex parte manifestum summæ caritatis Symbolum. Pulcrum quidem Deo Patri, talem tamque spontaneum habere Filium. Pulcrum item æterno iudici, sic temperasse iustitiam misericordia, vt & peccata hominum sint pro meritis vindicata, & tamen non nisi mors vnius interposita, qui & ipse moriendo, vt alijs, ita & sibi vias vitæ inuenit. Pulcrum insuper Filio, quoniam obediendo Patri vsque ad mortem, hereditauit sibi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris. Pulcrum denique generi humano, habere Pontificem assumptum de suis visceribus. Iuxta illud: Omnis pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Nec minus congruum, talem habere Pontificem, qui posset compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Sic quoque vtile Deo Patri (sit tamen hoc dictum cum gratia eius, qui bonorum nostrorum non eget) quoniam instaurata sunt omnia in Christo, & quæ in cælo, & quæ in terra in ipso: Quod est vtile rerum vniuersitati cuius curam gerit Deus. Vtile etiam Christo passo, quia obediendo vsque ad mortem, constitutus est à Deo Patre, Iudex viuorum ac mortuorum, habens omne iudicium, omnemque potestatem, tam in cælo, quàm in terra, positam in manu sua. Adhæc, vtile nobis hominibus super terram, quoniam per mortem Christi translati sumus de morte ad vitam, transferendi vlterius de exilio in patriam, de miserijs huius mundi ad felicitatem gloriæ Dei. Vtile Angelis in cælo, quoniam instauratur nunc passim ruina lapsorum spirituum animabus iustis. Vtile denique existentibus sub terra, quoniam ero, inquit, mors tua, ô mors, ero morsus tuus inferne. Quod autem passio Christi habeat omni ex parte Symbolum summæ, ardentissimæque caritatis, patet: quia maior caritas esse nequit, quàm vt quis det vnigenitum suum pro inimicis suis, iniustis & rebellibus. Hoc autem fecit Deus Pater, tradendo Filium pro nobis peccatoribus, cùm adhuc inimici essemus, vt habes ad Romanos quinto. Iterum, quia maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, quod fecit Christus patiendo, vt habes Ioannis decimo quinto. Tertiò, quia nequit purior esse affectus dilectionis in Filio erga Patrem, quàm vt obediat vsque ad mortem, & proposito sibi gaudio, malit sustinere crucem, quàm non per omnia placere Patri. Testatur autem Apostolus de Christo, quòd factus est obediens Patri, vsque ad mortem, mortem autem crucis. Vtinam fili, vtinam & nos essemus in caritate radicati & fundati, quod flexis genibus orat Apostolus, vt possimus comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, conciliorum scilicet Dei, in opere redemptionis generis humani, scire etiam supereminentem scientiæ caritatē Christi. Inquit Apostolus, supereminentem scientiæ, in datiuo casu, quia maior est caritas Christi, quàm exhibuit patiendo, quàm sciri à nobis aut intelligi possit. Et quàuis nunc patefacta sit caritas Christi, cum operis exhibitione, tum, scripturarum testimonijs, tamē non tam mentis acumine intelligitur, quàm amoris affectu comprehenditur. Hinc Apostolus: In caritate, inquit, radicati & fundati, vt possitis comprehendere. Vis enim amoris erga nos & pondus eius, non tam discuntur quam sentiuntur, & quo magis redamaueris, eò comprehendis pleniùs similitudine ardoris, quo ipse intus in corde tuo ignescis.

Psalm. 15. Actuū. 2.

Opus passionis fuit omni ex parte pulcrum, vtile ac plenum caritate.

Pulcrum omni ex parte Christum pati.

Hebr. 5.

Hebr. 4.

Christum pati fuit vtile omni ex parte. Ephes. 1.

Matt. vlt.

Christi passio habuit omni ex parte Symbolū perfectæ caritatis.

Ioann. 15.

Philip. 2.

Ephes. 3.

Vis amoris Dei erga nos nō tam discitur quàm sentitur.

Quo consilio sit factum decretum diuinitatis super incarnatione, & paßione Filij Dei.

CAP. VI.

D. E illo decreto diuinitatis propter quod oportuit Filium hominis pati, edissere rogo parum, quonam consilio sit factum, ac conclusum in consistorio superbenedictæ Trinitatis? M. B. Augustinus, & D. Bernardus, & nonnulli alij Patres tradiderunt ex scripturis, quandam quasi forensem disceptationem diuinarum virtutum inter se, vtputa æternę Dei sapientiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Veritatis, & Pacis. D. An igitur in Deo sicut in homine, vlla est succedentium cogitationum disceptatio? M. Nulla prorsus. Sed ad imbecillitatem intellectus nostri, aptarunt eiusmodi disceptationem, quo rerum corporalium similitudinibus, vel gustum aliquem accipiamus iudiciorum Dei, alioquin incomprehensibilium. Misericordia Dei secundum nomen suum, volens Deum præstabilem esse ac propitium, super miseria, & peccatis hominum, sic inquit: Suauis es Domine, & miserationum tuarum non est numerus aut finis. Tui [illegible]ur memor esto, condonans peccata hominibus propter nomen tuum, tuamque bonitatem. E contrariò verò Iustitia: Iustus es, inquit, Domine, & iustitia tua in æternum permanet. Si citra dignâ vindicationem donaueris hominibus peccata, quid dicent illi, quibus ipse mandasti exercere iustitiam? Exinde autem & Pax dixit: Tu Domine non es dissentionis Deus, sed pacis, adeò vt in scripturis appelleris Deus pacis, & Deus totius consolationis: At vindicare, perdere, exterminare, sunt potius opera inimicitias exercentium, quàm eius qui natura bonus est, & pacificus. Cui ediuersò sic resistebat Veritas inquiens: Domine Deus, Nónne inter Angelos, vt bonos tibi aduinasti [illegible]pabiliter, ita & malos perdidisti irrecuperabiliter? Nónne & in volumine legis tuæ [illegible]bi, Odibilis Deo impius & impietas e[illegible]? Adhæc: Iuxta mensuram d[illegible], erit & plagarum modus? Vbi leges tuæ? vbi comminationes tuæ? vbi quod [illegible]ci[illegible]et, Deus est pura primaque veri[illegible]? Pro [illegible]ctò mendacium inueni[illegible] in [illegible]nium tuorum Prophetarum, [illegible] non p[illegible]eris impium iusta impietat[illegible]. Ceterùm, ad hæc contra obijciebat [illegible]or[illegible]a. Vbi Domine multitudo [illegible] tuarum? vbi id quod es, qua[illegible]c[illegible], & [illegible]sa bonitas, si non mi[illegible]e rea[illegible]s [illegible]ominis lapsi per infirmitatem? Ad quod rursum Iustitia: Si, inquit, maneat impunita malitia replebuntur mox omnia, nequitia, iniquitate, scelere, & impietate, & tuc Deus sine regno eris in terra. Nam stabilimẽtum regni, iustitia, tutela innocentiæ iustitiæ, neruus disciplinæ, magisterium virtutis, custodia pacis, iustitia. Rursum Misericordia: Nec ero, inquit, amabilis Domine inter homines, nec vltra spem potero offerre deploratis, si non gratuita pietate condonetur culpa. Nec ego, ait Iustitia, vltra timori ero cuiquam, si non pro meritis vindicetur iniquitas. Tum demum æterna Dei Sapientia sic exorsa est: Iusta est Domine querela, quam faciunt vtrinque Iustitia & Misericordia. Equidem perijt à te Iustitia, perijt Veritas, si non fit iuxta mensuram delicti, & plagarum modus. Rursum perijt à te Misericordia, si in æternum irascaris ei, qui conceptus in iniquitatibus, natura manet pronus in malum, cui lex membrorum, siue caro concupiscens aduersus spiritum, nec non & locus peregrinationis in terra, vix permittunt, aut esse bonum, aut cernere verum. Ad æquitatis igitur iudicium confugiendum suadeo, nempe, vt peccatum hominis, propter Veritatem quidem morte puniatur, propter Misericordiam verò gratis remittatur. Sit rigor vindictæ, quantum satis est Iustitiæ, sit spes veniæ, quantum optare potest Misericordia. Vnus innocens, & continentis animæ, cuius non est digna ponderatio, luat pro omnibus, & omnes in vno Misericordiam consequantur. Sic luat vnus, vt condignum pro peccatis omnium precium reddatur, quò cesset querela tua, O Iustitia. Et omnibus per meritum vnius misericorditer offeratur, non solùm gratia, sed & vita, & salus, & gloria denique Filiorum Dei, vt prorsus & tua, O Misericordia cesset questus. Hac enim via & tu Iustitia reuerenda permanebis, manu tenens bilancem, æqua ponderatione reddentem vnicuique pro meritis suis: ijs quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autẽ iniquitati, iram & indignationem. Et tu quoque Miseri[illegible] fies a[illegible]b[illegible] cunctis, præbens spem veniæ perculsis metu conscientijs. Præclaram denique instructionem accipiet homo, videns nullum malũ relinqui impunitum, nullum etiam bonũ irremu[illegible]eratũ, nullum deni[illegible]; pœn[illegible]nt[illegible] à spe veniæ, quoquomodo reijciendũ. D. Quid, precor, tandem audito hoc consilio sapientię Dei, An cũ cordiam receperunt Misericordia, & Veritas Iustitia & Pax? M. Mox Misericordia & Veri-

Qualis fuerit in cõsistorio Dei quasi forensis disputatio.

Rom. 2.

Veritas obuiauerunt sibi, vt dicit Psalmista, Iustitia & Pax osculatæ sunt. Nihilominus, quæstio alia suboriebatur, vbinam inueniretur iste vnus, qui lueret solus pro omnibus. Inter homines, inquit Misericordia: Iustitia, verò respondit, nequaquam. Omnes enim peccauerunt, & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Non potest satisfacere pro alijs, qui totus est obæratus, & longè plus debet pro se, quàm præstare sufficit. Respondit Misericordia: Mittatur ergo aliquis Angelus, neque id fieri potest, inquit Iustitia. Nam pulcritudo vniuersi, & æquitatis libratio requirunt, vt ibi sit pœna, vbi fuerit culpa, ibi mors, vbi peccatum, at Angeli boni nihil peccauerunt, Angeli autem damnati nihil possunt promereri, neque sibi neque alijs. Rursum Misericordia: Incarnetur ergo Angelus ex traduce Adæ, & sic in carne hominis pro hominibus satisfaciat. Respondit Iustitia, vbi tradux est naturæ, per seminationem, ibi & peccatum originale. Porrò qui peccatum habet, non sufficit sibi, tantum abest vt satisfaciat pro alijs. Rursus Misericordia: Incarnetur igitur ex sanguinibus Adæ, citra traducem: aut creetur nouus homo, vt olim factum legitur in paradiso. Respondit Iustitia: Reuera neutrum fieri potest, quoniam vterque existeret finitæ naturæ, qualis pro culpa infinita omnium peccatorum totius mundi, condignam satisfactionem facere non potest. Sed & ille de nouo creatus, non fuisset vllo pacto in lumbis Adæ. Neque carnem neque sanguinem haberet peccantis naturæ. Vbi autem nulla est communicatio in natura, ibi nulla potest esse meritorum participatio. Tum demum æterna Dei Sapientia, conuersa ad diuinitatem, bone Deus, inquit, qui post tempestatem serenum facis, & nō delectaris in perditionibus hominum, audi obsecro parumper me, sedium tuarum assistricem. Vnum video restare medium, quo solo & populum tuum quem creasti, poteris saluum facere, & vtriusque, tam Iustitiæ quàm Misericordiæ obiectiones penitus excludere, & Symbolum amoris, quale à seculo non est auditum, mundo patefacere, mittendo in carnem vnam personarum superbenedictæ Trinitatis, vt homo fiat & in humana natura peccantis Adæ, sustineat supplicium mortis, quod alij peccando, commeruerunt. Neque cunctandum hic videtur. Potest enim, quod dico, fieri, & citra maiestatis tuæ derogationem, quia impassibilis est, & incommutabilis, & eum summa bonitatis tuæ erga genus humanum illustratione, quia summè bonus videtur, qui dat pro inimicis, & immeritis, quod intimum sibi est, & citra iniuriam ac damnum personæ quæ opus hoc consummabit. Citra iniuriam quidem quia volens faciet, citra damnum verò quia post completum mysterium passionis, eandem humanam naturam assumptam, rediuiuam facere poteris vbi voles, atque sic rediuiuam, vt lucrifaciat sibi in infinitum plus resurgendo, quàm perdiderat moriendo. Interim plena erit & superabūdans satisfactio pro omnibus. Qui patietur, erit Deus, simul & homo innocēs, & viator, Pater futuri sæculi per fidem, sicut Adam pater est antiqui sęculi per carnem, quare & infiniti erit meriti passio eius, profutura omnibus quotquot sunt per fidem in illo, sicut nocuit petulantia Adæ, omnibus quotquot sunt per carnē in illo. Audiens autem hoc consilium, æternus Dei Filius, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum (tūc quidem voto, posteà verò carnis assumptione) dicens ad Patrem: ecce ego, mitte me. Vt enim ego tibi ô Pater ab æterno coæternus sum Filius, ita & homo factus ad imaginem nostram, cœpit in tempore esse filius eiusdē diuinitatis nostræ. Et ideo in parte mihi frater. Ego igitur, si placet, annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ eorum laudabo te. Sed & animam meam ponā pro eis, soluendo pro peccatis eorum, quod ipsis factu est impossibile, quò redempti sanguine meo, sint tandem vnum nobiscum, dij & Deificati, atque coheredes gloriæ, quam nunc Pater tecum possideo communem. Nō decet vt tu Pater suscipias hoc legationis genus, quia Pater es, & principium primo primum. Neque decet, vt eandem suscipiat Spiritus sanctus, quia is vt est cōmunis inter nos amor, ita post redemptionem nostram impositam, debebit esse communis amor inter homines & nos, sanctificans illos, eosq; faciens vnum nobiscum, vinculo amoris, sicut tu Pater & ego factus homo vnum erimus. Me autem qui Filius sum sicut & illi, decet per omnia assimilari fratribus meis, tamen absque similitudine peccati, nascendo in carnem sicut illi, viuēdo sub miserijs, incommodis tentationibus in valle lacrymarum, sicut & illi. Haud quaquam tamen nequiter & præuaricando sicut illi, sed innocenter & obediendo per omnia tibi, in exemplum illis, tandem moriendo, non ex necessitate naturæ, vel ob peccati mei culpam sicut ipsi, sed spontanea oblatione mei ipsius ad mortem in redemptionem pro illis. Vt sim eis & Saluator pretio redemptionis interposito, & patientiæ

Alia altercatio, inter misericordiā & iustitiam.

Præsentatio qua se Filius Dei obtulit ad redimendum hominem.

tiæ speculum in calamitatibus mundi, & exēplar vitæ deinceps instituendæ, denique & Paracletus facilis ad commiserandum, tentatus per omnia in mundo sicut & ipsi. Cuius quidem congruæ rationis, vt scilicet Filius Dei fieret hominibus auctor salutis per passionem mortis, pulcrā reddit caussam Apost. ad Heb. cap. 2 per totum, & cap. 4. circa finē.

Decretū Trinitatis de incarnatione & passionib. Christi. His ita quæ sic peractis, conclusit superbenedicta Trinitas immutabile quoddam æternitatis decretum, videlicet, debere fieri quoddi ctauerat æterna sapientia, ac deinde exequendum suscepit Filius ante sæcula genitus, pro fratribus in tempore agnascituris. Et veniente plenitudine temporis, datum est decretū istud executioni, & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus duo in eo,

Ioann. 1. vidimus, inquit Ioannes, gloriam eius (videlicet in doctrina & virtute, in miraculis & resurrectione ipsius) quasi gloriam vnigeniti à Patre, vt meritò plus quàm homo esse crederetur. Rursum Esaias: Et vidimus eum, & nō

Esaiæ 53. erat ei aspectus, Et nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo, adeò totus deformatus fuit pœnis, sputis, liuore, vulneribus sanguine, propter peccata nostra. Tertiò viderunt & Apostoli, ac alij, & quidem suis oculis dum fierent, videmus etiam nos, postquam facta sunt, oculis fidei nostræ in historia Euangelica, quam de passione Chri-

1. Petr. 2. sti scripserunt Euangelistę. Vt sciat omnis homo & timeat, quia si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos in iudicium reseruari. Insuper si originali mun-

Genes. 7. do non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, Adhæc, si ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit peccatum eorum,

Genes. 19. si denique nec vnigenito filio suo pepercit, sed tradidit illum in tam acerbas passiones mortis, propter peccata nostra: Qua ratione aut qua fronte, poterit quis impunitatē promittere sibi perseuerāti in peccatis. D. Profectò, nemo mortalium potest Deo carior esse Filio suo vnigenito, nemo dignior Angelis, aut originali mundo prætiosior: illis ergo pereuntibus propter peccatum, fallitur prorsus quisquis sibi promittat impunitatē post peccatum. M. Ex præmissis clarè vides decretum Dei, ex quo natum est illud Euangelicum, oportet, toties replicatum (quia oportet: nonne oportuit? quoniam oportebat Filium hominis pati, & ita introire in gloriam suam) fuisse factum & conclusum ex rationabili disceptatione diuinarum virtutum inter se, demonstrantium longè expedientissimum esse, sic, nempe per passiones mortis incarnati Filij Dei, & non aliter, redimere genus humanum perditum, perditum, inquam, non tam malitia, quàm seductione.

Deum quidem potuisse infinitis alijs modis liberaße genus humanum, hunc tamen modum per amaras passiones mortis fuisse conuenientißimum. CAP. VII.



VT ex prædictis videtur, potuisset quidem Deus & alio modo fecisse hanc redemptionem. M. Vtique potuisset, citra iniuriam vel iustam quærelam cuiuscunque. Primò, quia Deus est Dominus mortis & vitæ, & omnipotens nomen eius, nec vlli potest fieri debitor. Et non est qui resistat eius voluntati, aut dicat cur fecisti sic? Secundò, quia totum genus humanum erat vna communis massa perditionis. Omnes enim peccauerunt, omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Potuisset itaque Deus prorsus non liberasse hominem de massa perditionis, citra iniuriam, vel iustam ipsius quærelam. Iuxta illud: Quis tibi imputabit si perierint omnes nationes terræ? Potest insuper alios trahere ad Filium, vt in sanguine eius liberentur, alios verò derelinquere vt pereant. Iuxta illud: Iacob dilexi: Esau autem odio habui, Deus enim cuius vult miseretur, & quem vult indurat, hoc est, deserit. Potuisset tertiò vel sola miseratione, vel solo verbo, vel sola incarnatione, vel vna denique guttula sanguinis aut sudoris, aliisue infinitis modis liberasse totum genus humanum absque diris illis tormentis passionis, & execrando illo supplicio mortis: quemadmodum Rex temporalis, nulli subiectus, potest maleficum reum mortis liberare, vel purè condonando maleficium, vel spe seruitij cuiuspiam quod expectat ab illo, vel ob redemptionem aliquam, veluti si alius soluat pro reo, quantum exactum fuerit. Nihilominus congruentissimum erat, vt non alio modo liberaretur genus humanum, quàm eo qui conclusus erat in consistorio superbenedictæ Trinitatis, videlicet per passiones probrosæ mortis incarnati Filij Dei: idque propter quatuor potissimùm caussas. Quarum prima est, quia isto modo fit sacrificium ad placandū iram eius qui offensus erat, acceptissimū. Secunda, quia modus iste fuit ad declarandā diuinā iustitiā simul & misericordiā congruētissi-

D.

Potuisse Deū multis alijs modis liberasse hominem.

Potuisse Deus non liberasse hominem.

Malac. 1. Rom. 9.

Congruētissimum erat quod hominem liberaret per passionem mortis, ob quatuor caussas. Prima caussa. Secunda caussa.

Tertia caussa. Quarta caussa.

tissimus. Tertia, quia fuit ad curandū morbū humanę miseriç lōgè aptissim⁹. Quarta, quia fuit ad vincendū inimicū humani generis sapientissimè institutus. Quarū caussarum demonstratio, partim ex dictis, partim ex dicendis deinceps manifesta fiet. Hinc D. Augustinus: Alius modus liberandi hominem possibilis Deo non defuit, sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientior non fuit, quàm iste, in quo nobis, non solùm contulit remedium, sed & humilitatis, & patientiæ, & dilectionis præbuit exemplum. Et Bernardus: Mihi, inquit, scire licet quòd ita fecerit Deus (scilicet redemptionem generis humani) sed cur ita fecerit, & non aliter, mihi curiosè scrutari nō licet. Addit Augustinus: Quocunque enim alio modo fecisset, semper stulta creatura diceret, Cur isto modo & non aliter fecit, qui innumeros faciendi modos apud se tenet?

Sententia August.

Cur peccauerint Iudæi, tradentes Christū in dānationem mortis, cùm hoc ipsum esset, secundū beneplacitum Dei, & Christi voluntatem, vtile insuper pro totius generis humani liberatione. CAP. VIII.

D. Vnc autem interrogo, si beneplacito Dei Patris traditus est Christus in dictas passiones mortis: si & ipse sua spōte & ex mera caritate suscepit easdem: si præterea vtile erat & pulcrum, habens in se perfectæ caritatis Symbolum, has fuisse impletas in Filio Dei: Quid ergo peccauerunt, Iudas, Iudæi, & Pilatus qui intulerunt illas, implentes & Dei Patris beneplacitum & Christi voluntatem, nec non & publicam generis humani vtilitatem? M.

Cur peccarūt Iudæi, facientes quod faciendū decretū Dei faciendū erat.

Quod non peccarunt hoc faciendo, Deus Pater, & Filius, patet ex regula iuris, quæ dicit: Nemo peccat faciendo, quod facere ius habet. Quòd autem peccarunt isti, testatur Christus dicens ad Pilatum: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Habes quidem tu Pilate peccatum, propter iniustum iudicium, habēt & illi peccatum propter iniquissimam traditionem, sed grauius illi quàm tu, quia illi ex inuidia & obfirmata malitia, vt perdant iustum & sanctum Domini, tu verò ex metu humano, ne amittas quam tenes præsidendi dignitatem. Tamen tam tu quàm illi grauissimè deliquistis. Primò, contra mandatum caritatis, quia Deus erat & homo, quem interemistis: ratione quidem prioris diligendus atque colendus ex toto corde & ex tota anima: ratione verò posterioris, amandus vt proximus, non autem tractandus, vt mundi purgamentum. Secundò, contra præcepta Iustitiæ, cùm in venditione & emptione eius quod neque vendi potuit, neque emi: tum in condemnatione eius in quo nulla inueniebatur caussa condēnationis. Nam, vt illi quærebant falsum testimonium aduersus eum, quò caussam aliquam fingerent, ita tu Pilate palàm dicebas: Ego enim nullam inuenio caussam in eo, ex his in quibus accusatis eum. Et iudicaturus addebas: Innocens sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Nec erat populus immunis ab hac iniquitate iudicantium, quia acclamabant, Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tertiò, deliquistis contra naturalem inclinationem qua omnis homo, & quod plus est, bruta animalia, solent esse propensa in benefactorem. Nam & bos cognouit possessorem suum, dicit Esaias, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem non cognouit, & populus meus non intellexit. Vis hic enarrem beneficia quæ Christus contulit in gentem Iudaicam? D. Non est necesse, Pertransiens enim regionem eorum, sanabat omnem infirmitatem & omnem languorem eorum, sed & dæmones eijciebat ab obsessis, mortuos quoque reuocabat ab inferis, præter continuum studium docendi Euangelium salutis. M. Vti ipse Christus paucis renuntiat Ioanni Baptistæ, dicens: Cæci vident, (scilicet meo beneficio) claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Quę certè benefacta non potuerunt Iudæi ignorare, quia passim ac palàm, & in medio eorum contingebant, erantque omni in loco diuulgata: Sed esto quòd potuissent ignorare eum esse Deum, aut creatorem mundi vel promissum Messiam, sicut est verisimile de rudi plebe & militibus crucifigentibus eum, pro quibus propterea orabat dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: nihilominus vt illis satis exploratum erat, eum eximium esse benefactorem, Prophetam insuper magnum, ac potentem opere & sermone, qualis anteà non surrexerat inter ipsos. Ita duces, scilicet Legisperiti, Scribæ, Pharisæi, Principes sacerdotum, omninò nō potuerunt prorsus ignorare ipsum esse promissum Messiam, tū propter scripta Prophetarum, tū propter opera eius, dictis Prophetarum perpulcrè correspondentia, dicente Domino ad illos: Alioqui operibus credite, & scripturæ vestræ ipsæ loquuntur de me. At excæcauerat illos malitia, ne agerent secundum veritatem alioqui sibi notam. Quam Iudæorum malitiā pulcerrimè depingit Sapiēs, expri-

Quàm multipliciter peccarunt Iudæi & Pilatus inferēdo mortē Christo.

Beneficia sensibilia quæ Christus cōtulit in gentē Iudaicam.

Matth. 11.

Caussę inuidiæ Iudæorum aduersus Christum describuntur Sap. 2.

exprimens simul caussas inuidiæ qua flagrabant aduersus Dominum: cap. 2. lib. Sap. vbi ex persona Iudæorum dicit in Christum: Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinę nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, grauis est nobis etiā ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquā nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immunditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quę erunt nouissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eū, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormēto interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum, erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei. Hucusque verba Sapientis de Iudæis & Christo. Nec possent elegantiùs depingi caussæ, ob quas tradiderunt Iudæi Christum in damnationem mortis. Basilius quoque, eiusdem inuidiæ & crudelis actionis caussam assignat, prædicationem veritatis. Quia enim reddebat Christus testimonium veritati, ad quod venerat in mundum, non dissimulans aut parcēs vlli, sed cōstanter inculcans illud Euangelicum, Væ, omnibus, qui non rectè ambulabant cuiuscunque essent status, vti patet Matth. 23. & 24. alijsque plurimis locis, & quòd totus insuper populus abiret post eū propter virtutes eius, & miraculorum operationem, vt habetur Ioan. 12. ideo, & non aliam ob caussam, morte crudelissima sustulerunt eum Iudæi. D. Vt apparet, rectissimè conuenit in Christum, id quod sapienter dixit Comicus: Obsequium amicos, veritas odium parit, quia vt obsequiū miraculorum rapiebat populum in amorem Christi, ita ex alia parte, veritas prædicationis inflammabat odio aduersus Christum, Scribas, Phariseos, & Principes sacerdotum. M. Rem tenes. Itaque certum habe ex præmissis, passionem Christi fuisse simul, opus Dei, opus item Diaboli, opus insuper Iudæorum, opus Pilati, opus militum crucifigentium, opus Christi patientis, opus deniq; nostrū. At in vno isto opere, aliud ac aliud intendebant singuli, Deus quidem & Christus, redēptionē

Quā caussam assignat Basilius inuidiæ Iudæorum.

Vt miracula Christi amicos, ita & veritas prædicationis sibi inimicos parabat.

Vna passio Christi fuit opus multorū, sed diuersimodè.

eius quod perierat: Diabolus verò suorum mortis & peccati: Iudæi autem perditionem eius, qui inculpatum præconem agebat iustitiæ. Porrò Pilatus & milites, non videntur respexisse ad aliud q̄ vt placerent hominibus. Ille quidem, ne perderet, qua fulgebat, dignitatem præsidentiæ: isti verò vt reciperent, ad quæ inhiabant, stipendia vitæ. D. Verùm, qua ratione dicitur passio Domini opus nostrum, qui tum temporis non fuimus in rerū natura? M. Ea ratione, quia peccata nostra effecerunt vt pateretur, dicente Esaia: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Et Paulus, Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Iterum ea ratione, quia salus nostra credentium, erat finis propter quē patiebatur. Iuxta illud: Ego veni, & animam meā pono pro ouibus meis, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Vnde passio Domini est opus nostrum, tanq̄ effectus nostrorum peccatorum sic merentium, vt vel nos pateremur, vel alius pateretur pro nobis. Rursus opus nostrum, quia effectus nostræ salutis tanquam caussæ finalis: contemplatione quidem prioris flenda, cōtemplatione verò posterioris, amanda magis & colenda, quàm deflenda. Nisi q hoc quoque omnium viscera concutere debeat, tantum videlicet dolorum pondus, tam modicū aut nullum in quam plurimis hominibus operari fructum salutis, quod certè præuisum effecit, vt ipsius Christi anima esset tristis vsque ad mortem.

Quomodo nos fuerimus caussa passionis Christi.

Passio Christi vna ratione est deflenda, alia ratione amanda.

Qui sint fructus passionum Christi in genere. CAP. IX.



Postolus scribens Corinthijs in hūc modum, Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & Iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur, breui sermone aperuit nobis vbertatem fructuum passionis Christi. Ex ipso, inquit, scilicet Deo vocante & trahente, estis in Christo Iesu, vos scilicet reconciliati. Sed obserua ibi voculam, estis, quod sit verbum substantiæ, siue substantiuum, vti grammatici docent, quasi dicat, Ex ipso subsistitis in Christo Iesu, siue quòd verè ac salubriter atque idoneo modo estis, ad finem creationis vestræ consequendum, id per ipsum Christum ex Deo estis: Iuxta illud Pauli Apostoli. Gratia Dei sum id quod sum. Qui Christus factus est nobis (scilicet patiendo) sapientia, iustitia, &c.

M.

Exponitur sententia Apost. 1. Cor. 1.

Vt

Vt qui gloriatur, (vti possunt meritò gloriari omnes qui sunt Christi) in Domino glorietur, non in seipso, quasi ex se habeant ex proprijs viribus haberet hoc, & non à Domino. Quibus si addas quod alijs locis insinuat scriptura, videlicet quòd Christus est vita nostra, victoria nostra, pax nostra, salus nostra, denique gloria nostra: iã summã habebis fructuũ passionum in carne Christi, quia omnia hæc habemus per Christum, & peculiariter ratione passionum eius. D. Profectò summam fructuum verè desiderabilem. Ceterùm quo pacto fieri potest, vt Christus sit nostra sapientia, qua nos sapimus, nostra iustitia, qua nos iusti sumus, aut victoria, qua nos vincimus? M. Caussalis est sermo Apostoli. Quandoquidem factus est nobis sapientia & iustitia &cet. id significant, factus est nobis ratio, & caussa sapiendi, caussa iustitiæ qua iusti sumus, caussa sanctitatis qua sancti sumus, caussa redemptionis qua redempti sumus. Eiusmodi autem caussalis, quemadmodum aliquoties in propositione absoluta inuoluitur, vt ibi. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: ita sæpè, citra inuolutionem clarè exprimitur, vt ibi. Qui factus est omnibus obtemperantibus sibi caussa salutis, Heb. 5. Habet tamen plus gratiæ & energiæ sic dictum, Qui factus est nobis iustitia, quàm, qui factus est nobis caussa iustitiæ nostræ. Significat enim illa propositio, quòd ipse sit summa, sine, vt aiunt, puppis & prora iustitiæ nostræ, adeoque non subsistat in nobis vera iustitia, nisi ex illo, per illum, & in illo. Ista verò propositio, Factus est nobis caussa salutis, potest habere veritatem, etiamsi quomodolibet caussa existat, vel plantando, vel rigando, vel absoluendo, quomodo Paulus erat Corinthijs & Ephesijs caussa salutis, dicens, Nam in Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui. Nequaquam tamen Paulus erat Corinthijs iustitia, salus, redemptio. Hoc quoque in verbis Apo. debes aduertere, quòd Christus factus est nobis nõ vtique solum sapiẽtia, vti finxerunt Pelagiani, sed & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Ponit enim Apostolus quatuor, & hoc quidem per coniunctionem copulatiuam sæpius repetitam, exaggerandi caussa. Nec solùm factus est nobis ista, sed & vita & victoria, & gloria, & pax, & salus denique totius hominis, in felicitate æterna. D. O felix peccatum, quod talem meruit habere redẽptorem. Verum, an credant vniuersi hæc se ita habere? M. Crederent? Quin potius irrident hæc Gentiles, & scandalizantur ex eisdem Iudæi, iuxta

Qua ratione Christ⁹ sit nobis sapientia, iustitia, &cet.

Sermo Apostoli est caussalis.

Ioan. 11.

Hebr. 5.

Significã- [illegible] factus est nobis iustitia, quã fact⁹ est nobis caussa iustitiæ.

illud Apost. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem. Virtutem, inquam, propter beneficia quæ patiendo operatur in nobis, Dei insuper sapientiã propter sacramentum inscrutabilis consilij Dei, quod in opere redemptionis nostræ inuenitur. Verbũ enim crucis, id est, hoc quod prædicamus de merito & beneficio crucifixi & passionum eius, pereuntibus quidẽ stultitia est, ijs autem qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. D. Aliud est stultitia, aliud scandalum, vnde igitur hæc differentia, quia dicit crucifixum Iudæis esse scandalum, gentibus verò stultitiam? M. Ex eo, quia Iudæi in lege diuina enutriti erant: Gentes verò in lege naturali, quæ in dictamine rationis est fundata. Hinc offendiculo est Iudæis quidquid derogat quoquo modo vel dei vel promissi Messiæ maiestati, vt faciunt secundum prauum illorum iudicium, nasci in stabulo, pati, mori, supplicium crucis ferre, inter iniquos deputari, & similia: Gentibus autem reputatur quasi vanum, fatuum, ac delirum, quidquid alienum esse videtur à iudicio rationis, vt esse videtur, quòd Deus sit homo, quòd immortalis moriatur, quòd impassibilis tormentum sentiat mortis, quòd mors morte destruatur, quòd sanguine supplicij abluantur animæ, quòd redimatur genus humanum necdum perditum, venundatum, aut incarceratum, quodque idem si redimi debebat, non nisi diris & execrandis supplicijs hominis innocentis sit redemptum, & id genus alia. Verùm vtut iudicant illi, tamen omnibus Christianis verbum crucis, virtus Dei est, exceptis hæreticis quos Pelagianos vocant, qui contendunt Christum non liberasse genus humanum ab vlla captiuitate, aut carcere, aut vinculis, vel ab vlla seruitute, sed ob hoc solũ venisse in carnẽ vt demõstraret nobis viã salutis, & vitæ æternæ traderet documenta, præberetq; salutaris vitæ exẽpla, viuendo secundũ virtutẽ, patiendo itẽ, ac moriẽdo secundũ virtutẽ, sicut ipse dicit: Exemplũ dedi vobis, vt queadmodũ ego feci, ita & vos faciatis. Perniciosa autẽ pestis ista parum distans à Gentiliũ infidelitate, vsq; adeò infecerat orbem Christianũ tempore D. Aug. vt ad tempus vsque D. Bernardi eius reliquiæ permanerent. Nam scribẽs Bernard. aduersus quendã Petrũ Abailardũ hominem huius factionis, dicit: Quid aliud Lex, quid Prophetæ, quid Psalmi, quid Apostolici viri, quid, quod omnibus maius est, ipse Christus, nobis aliud euangelizauit, quàm quòd Deus factus sit homo,

Quare verbum crucis sit gentibus stultitia: Iudæis verò scandalum.

Pelagiani dicunt Christum nõ redemisse genus humanum.

homo, vt hominem liberaret, & animam suã daret redemptionem pro multis? Ne autem & tu fili deuies à veritate, aperiã tibi scripturas, vt in illis ipse videas; & legas per Christũ passum reuera nobis impensa esse, liberationem, emptionem, redemptionem, victoriam, reconciliationem, illuminationem, iustificationem, ablutionem, sanationem, viuificationem, sacrificium propitiatorium, victimam pacificam. Quo facto persuasissimum habebis, Christum non solum docuisse nos, sed & verè vicisse diabolum, verè liberasse nos, verè emisse aut redemisse, verè viuificare, illuminare, sanare, & lauare animas nostras in sanguine suo. Aliud enim est docere, aliud emere & redimere, aliud bellare & vincere, aliud iustificare, aliud viuificare, aliud sanare, mundare, & sacrificium seu oblationem offerre, & reconciliare. Vbi enim emptio, ibi & pretium. vbi redemptio, ibi solutione pretij recuperatio fit eius quod amissum erat. vbi liberatio, ibi absolutio de captiuitate. vbi reconciliatio, ibi inimicitiarum destructio. vbi pretij solutio, ibi compensatio quædam & satisfactio, & iusta commutatio. vbi viuificatio, ibi vel ad vitam generatio, aut à morte resuscitatio. vbi hostia aut victima, ibi pro deuictis hostibus oblatio in gratiarum actionem. vbi lotio, ibi à sordibus purgatio. vbi sanatio, ibi ab infirmitate & languore curatio. Quæ omnia nobis per Christi passionem esse donata, iam nunc ostendemus. Incipiendo ab illo Apostoli, qui factus est nobis sapiẽtia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

Qua ratione, et quibus medijs, sit nobis Christus factus sapientia, patiendo. CAP. X.

D. Memini ex supradictis quid sit vera sapientia, tantummodo hoc quæro quibus medijs Christus, quáue ratione factus est nobis sapientia à Deo? M. Exemplo vitæ, verbo doctrinæ, merito acerbissimæ passionis, efficacia operationis, qua operatur non solum, vt Deus, verum etiam vt homo, habens potestatẽ omnium, & quæ in cælo & quæ in terra. Dominus Iesus veniens ad illuminandum mundũ lumine vitæ, hoc est vera sapiẽtia (sicut dicit: Ego lux in mũdum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris nõ maneat) egit magistrũ, magis ac priùs exemplis, quàm preceptis. Nã cœpit facere & docere, eratque vir propheta potens in opere & sermone. Præcedit facere velut principalius, subsequitur docere: quia, secundum Senecam, longa via per præcepta, breue autem compẽdium per exempla. Pere egit autem vtrumque non vt alij, sed tanquã potestatem habens à Deo. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi: Idque ad admirationem vsque. Quod certè genus magisterij energiam habet, & vim peculiarem persuadendi, quod velis. Quàm eximium verò Euangelicæ vitæ exemplum reliquerit nobis patiendo, explicat D. Petrus in I. Canonica sua, cap. 2. dicens: Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, &c. Obserua precor quod dicit, Si propter Dei conscientiam, qua videlicet habet quis secundum Deum de se suaque vita, sciens quòd nihil læserit illos à quibus patitur, se tamen ferre libenter, agnoscens sicut omnia, ita & hanc tribulationem esse à Deo, vel vt disciplinam pro anteactis suis peccatis, vel vt medicinam curatiuam malarum suarum affectionum, vel denique vt materiam virtutis exercendæ. Obserua secundò, quod dicit: Qui peccata nostra ipse (ipse dico qui peccatum non fecerat) pertulit in corpore suo, agendo quasi pœnitentiam & durissimam satisfactionem pro alijs. Et cogita tecum. Meritò ergo nos pro nostris peccatis debemus pati, pœnitentiam insuper & satisfactionem agere in corpore nostro, quantum in nobis est. Nam si exemplum dedit, voluit haud dubiè nos imitari, quod ipse fecit. O quàm benè olim Apostoli, quàm verò malè nunc temporis dogmatizant hæretici, dicentes: sufficit credidisse, quod Christus passus est pro peccatis tuis. Superuacaneum est, vt te crucies pro tuis peccatis, vilis pœnitentijs. D.

Certè longè aliud videntur sonare verba ista D. Petri. M. Longè quoque aliud sonant infinitæ aliæ scripturæ, verùm de hoc agemus in materia sacramenti pœnitentiæ. Est præterea ipsa passio Domini, velut tabula subtilissimè depicta, in qua licet legere prima illa & altissima religionis nostræ principia quorum primum est: Omnia posthabenda diuinæ voluntati, quia orationi suæ deprecatoriæ passionum, tertiò subiecit Christus: Veruntamen Pater non mea, sed tua voluntas

Multis modis factus est Christus nobis sapientia.

Ioan. 12.

Luc. 24.

Matth. 7.

Quantũ exẽplũ patiẽtiæ sit in passione Domini.

Prima principia religionis nostræ quomodo eluceant in passione Domini.

tas fiat. Secundum, Neminem lædi, nisi à seipso, id est nisi se sua voluntate diuidat ab eo cui obediunt omnia, quia dum mortem Christo intentant, vitam eius mortalem, immortalem efficiunt, adeò vt mors illata & fons illi & nobis immortalitatis efficeretur. Tertium, omnes pios tandem emergere de sub quouis pondere quamlibet immenso tribulationum mundi huius, haud secus atque oleum desub aquis semper emergit: Quia Christus despectus, proiectus, depressus sub pondere passionum suarum vsque ad mortem, quod plus est, vsque ad sepulcrum excisum de petra, clausum saxo, signatum sigillo, munitum milite, quo subtus detineretur, nihilominus emersit ad thronum vsque gloriæ Dei, adeò vt sedeat à dextris virtutis Dei, propter virtutem quam coluit dum viueret in mundo. Etenim virtus vti à Deo, & aliquid Dei est, ita semper nititur ad Deum, potens vincere omnia. Quartum, Omnia diligentibus Deum cooperari in bonum, his qui secundū propositum vocati sunt sancti. Nam malitia Iudaica, probra, maledicta, tormenta, patibulum tandem crucis, omnia Christo cesserunt ad cumulatiorem gloriam, adeò vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Quintum, Perfectam caritatē nihil non impendere pro alijs iuuandis. Christus enim & animam & sanguinem suū dedit redemptionem pro omnibus etiam crucifigentibus se, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sextum, Posse quidem hominem à Deo derelinqui ad tempus in tribulationibus suis, in finem autem derelinqui non posse quia non est anima eius derelicta, in inferno; nec caro eius vidit corruptionē. Septimum, Post mortem corporis superesse animam, immo pios viuere feliciter, post intentatā ab impijs mortem: quia dixit ad latronem dextrum: Hodie mecū eris in paradiso. Octauum, Deū summè amare naturam hominis quam condidit, licet summè oderit peccatum hominis quod non cōdidit, quia dicit per Prophetam, Propter peccata populi mei percussi eum, malens perdere filium quàm non redimere seruum. Nonum, Tyrannos posse corpus occidere iustorum, animam autem nō posse. Decimum, Mortem piorum esse ostium vitæ, potius quàm vltimam lineam rerum, vti Poetæ fabulantur. Vndecimum, Nemini quamlibet scelerato desperandum esse dum viuit: quia latroni semper malo, in articulo tātùm mortis credenti & pœnitenti, dixit Christus, hodie mecum eris in paradiso. Hæc, dico, & id genus plurima, licet peculiariter legere in ipsa passione Domini, vt verè quis sapiens fiat, vel sola Dominicæ passionis meditatione.

Christus factus est nobis sapiētia merito passionis suę.

Præter hæc autem iam dicta, etiam meruit Christus apud Deum Patrem passione sua, quòd sedentibus hic in tenebris, & in regione vmbræ mortis, desuper infunderetur lumen vitę, & spiritus intelligentiæ, hoc est, Spiritus sanctus, suggerens omnia, sicuti post passionem eius factum legimus Actorum 2. & anteà promissum, Lucæ vltimo. Ioan. 16. Nihilominus etiā factus est nobis sapientia.

Secundo operatione diuini tatis suæ.

Primò operatione diuinitatis suæ, qua aperit intus oculos mentis, vt videant & intelligant, ea quæ salutem suam concernunt, sicut solet foris aperire oculos cæcorum, dicente Luca: Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerēt scripturas: Iterum, Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum in fractione panis, Luc. 24.

Luc. 24.

Tertio potestate auctoritatis.

Deinde potestate auctoritatis, quam habet in Ecclesia velut caput & Dominus eius, qua & dedit in Ecclesia, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, vt habes Ephes. 4. Quorum alij ediderunt nobis scripturas, alij viua voce nos docuerunt, & exemplis: omnes tamen sub Christo, & velut hypodidascali eius.

Ephes. 4.

Matth. 18.

Quæ etiam potestate dedit Ecclesiam suam, esse columnam ac firmamentum veritatis, dicens: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Sed nec istis postremis modis factus fuisset nobis sapientia, nisi intercessisset meritū gloriosissimæ passionis eius.

Sol⁹ Christus factus est nobis sapientia.

Has igitur ob caussas, siue proprietates, quarum collectio in alio non reperitur eadem, solus Christus legitur nobis factus sapientia à Deo Patre. Vnde etiam iure, & sibi sumpsit, & alijs ademptum esse voluit nomen Rabbi, quod interpretatum dicitur, magister, inquiens, Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Iterum dicens: Nolite vocari Rabbi, vnus enim est magister vester, omnes autem vos fratres estis.

Sol⁹ Christus est magister noster.

Non quòd impia sit appellatio hominis, qua magister vocatur, sed quòd Christus solus per se & plenitudine quadam sit magister, lux mundi, via & veritas, dans initium, dans & incrementum veræ sapientiæ intus in cordibus credentium. Quid enim Paulus? quid verò Apollos? ministri eius cui credidistis, hoc est, Christi. Et vnicuique sicut Dominus dedit, Ego plantaui, inquit Apost. Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaq; neque qui plātat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementū dat Deus. Qui autē plantat & qui rigat vnū sunt.

sunt. Vnusquisque autem propriam mercedē recipiet secundum suū laborem (velut ministri seu submonitores eius cui credidistis): Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis vos. Tantum de voce sapientia, & de modo quo Christus factus est nobis sapientia.

Quomodo Christus sit nobis factus iustitia, sanctificatio, redemptio, vita, pax, salus, & cetera eiusmodi, & quid nobis istis significetur.

CAP. XI.



D. Nunc de voce Iustitia. M. De illa diximus abundè cap. VI. Tantum meminisse nunc oportet iustitiam hic non accipi pro iustitia commutatiua, aut distributiua, aut vindicatiua, quæ partes iustitiæ sunt, sed pro iustitia absolutè dicta, qua implet homo omne debitum, ad quod quoquo modo obligatur, debitum naturæ, debitum legis, debitum insuper virtutis, vbi & quando oportet, quæ facit hominem & intus & foris, ac quasquà versum esse, quod iure seu meritò esse debet, sub Deo & erga proximum suum. Sanctificatio autem accipitur pro præstantiori statu & cōditione, vt ita dicam, qua homo ita sublimatur, vt deinceps sit plus quàm homo, nempe Diuus ac Deificatus siue consors Diuinæ naturæ. In Apoc. quatuor animalia & viginti quatuor seniores acclamāt indesinēter Deo, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, quasi proprijssimè proprium sit soli Deo sanctum esse, nec transit vera sanctitas, ad alios, nisi per communicationem eum Deo in proprietatibus eius, vti pleniùs explicabimus in sequentibus. Verùm vox, redemptio, quid tibi videtur significare? D. Redimere nonnunquam accipitur pro sub simplici, scilicet emere, aliquado verò significat iteratò suum facere, quod in alterius potestatem venerat, pretio interposito. M. Et ita sanè accipitur hoc loco, nempè pro liberatione qua genus humanum prius venundatum sub peccato, denuo vendicatur in libertatē, à seruitute peccati, à captiuitate ac dominatu illius, qui potestatem accepit à Deo, in eos qui malè agunt, pretio sufficienti annumerato. Iuxta illud: Solue vincula colli tui, captiua filia Sion, quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Gratis, id est sine commodo, quia quod peccando querebatis, non estis consecuti. Et sine argento redimemini, quia non corruptibilibus, vt ait Petrus, auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, 1. Petri 1. Præsupponit itaque redemptio de qua hic sermo est, venundationem, captiuitatem, & seruitutem in quæ coniectus erat homo peccando, & includit pretium, non qualecunque, sed pretium iustum, illiusque pretij exhibitionem, vt sit vera emptio eius quod venundatum erat, vnde aliud est liberare, aliud emere, aliud redimere, aliud satisfacere. Liberare est vinctum, siue redactum in necessitatem aliquam, liberum ac solutum facere. Emere est rem pretio dato suam facere. Proinde emptio supra liberationem addit pretij solutionem. Redemptio autem propriè sonat iterationem quandam iuris, possessionis, aut libertatis, reddito pretio pro re semel amissa. Satisfacere verò est tantum facere, quantum satis est, aut offenso ad vindictam, aut creditori ad solutionem. Porrò reddere condignum pretium pro captiuitate totius generis humani, aut facere tantùm, quantùm satis est, pro peccatis totius mundi, non potest nisi is qui est infinitæ dignitatis ac meriti. Quare purus homo, ipse totus obæratus proprio suo peccato, non potuit, neque pro se neque pro alijs, interponere redemptionem. D. Hoc fit satis verisimile. Nam dignius est totum genus humanum, quàm res, aut actio, passioue, aut oblatio cuiuscunque priuati hominis. Et qui ipse est captus, atque bonis omnibus spoliatus: quid, precor, pro se dabit? M. Diximus præterea quod Christus patiendo factus est nobis vita, victoria, & pax, salus, & gloria à Deo Patre. Vita dico, non corporea illa & naturalis, qua filij sumus progenitorum nostrorum, sed spiritualis, qua nominamur & sumus filij Dei, de qua loquitur Ioannes in prima sua canonica, capite tertio & vltimo, quę quoniam est per Spiritum sanctum viuificantem, sicut naturalis per animam animantem, ideo non est in viribus nostris habere eam, sicut nec in viribus hominis generandi est, habere suam animam, qua viuit. Victoria insuper, non vtique qua vincimus muratas vrbes, aut vicinos principes, sed qua mundum vincimus, de qua 1. Ioannis quinto qua & superamus carnem indesinenter concupiscentem aduersus spiritum, vt habes ad Galat. 5. qua insuper triūphamus de diabolo ac principibus & potestatibus tenebrarum harum, per arma Iustitiæ à dextris & sinistris, de quibus habes ad Ephesios sexto, qua denique triumphum agemus de ipsa morte, & omni machinatione eius, prout est videre 1. Corint.

Vox iustitia quomodo accipiatur. 1. ad Cor. 1. cap.

Vox sanctificatio quid significet.

Vox, redemptio, quid significet.

Gratis venundati sumus, & sine argēto redimimur. 1. Pet. 1.

Quid liberare.

Quid emere.

Quid redimere.

Quid satisfacere.

Quæ vita per Christum.

Quæ victoria per Christū.

Quæ pax per Christum.

rint.15. Præterea pax nostra, non qualem habent inter se impij, aut qualẽ disciplina præstat legum ciuilium, sed pax nostra inter Deum & conscientias nostras, de qua Apostolus inquit dicens: Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrũ Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus & gloriamur, in spe gloriæ filiorũ Dei, ad Roman. 5. Item pax nostra inter nos homines, vt iam non sit vltra distinctio populi à populo per legem aut cultum, non ampliùs Gentilis & Iudæus, ritu colendi diuisi, Circuncisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. In Christo enim Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium (sicut nec ampliùs quid gloriandum in illis) sed fides quæ per dilectionem operatur, ad Ephes.2. ad Colossens.3. ad Galat. 5. Huiusmodi autem pacem non potuit dare, nisi qui potuit fieri propitiatio pro peccatis totius mundi, habens omnia in manu sua. Nam talis potuit ex duobus populis condere vnum, efficereque vt ij qui longè erant, inciperent esse propè per gratiam reconciliationis, vt infrà dicemus. Adhæc salus nostra, primùm animæ, deinde per redundantiam & corporis, non solum ab exitio (nam salus significat incolumitatem contrarium habens exitium) sed etiam ab vniuersis miserijs & incommodis, non tantùm corporis, sed & animæ. Denique gloria nostra qua hic gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei.

Quę salus per Christũ detur.

Quid gloria quam per Christũ obtinemus.

D. Quintilianus consentiens inquit: Laus bonorum gloria appellatur. M. Definitione Ciceronis, si exactè legeris scripta eius, Gloria est constans, incorruptaque vox bene iudicantium de excellenti virtute. Iterum gloria est fructus veræ virtutis, rerumque pręclarè gestarum merces: immo ex omnibus præmijs virtutis amplissimum est gloria. Et reuera gloria quæ nobis contingit per Christum est hæc omnia, nascens hic ex virtute Euangelica, & succrescens paulatim in laude bonorum quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium, reddens vnicuique secundum opera sua. Et tunc laus erit vnicuique à Deo palàm & coram vniuerso mundo, quæ erit gloria consummata, adeò vt impij rerum euidentia compulsi, eructabunt tunc in laudem bonorum, dicentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo errauimus &c. Sap.5. Gloria hæc est omnibus sanctis eius, non ex lege aut viribus naturæ. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Præsupponit autem gloria officium veræ virtutis. Quæ quia inesse non potest sine gratia Dei, per mediatorem Christum in sanguine redemptoris, ideo non est virium humanarum acquirere veram ac stabilem gloriam. Nam omnis gloria quã mundus miratur, erit in confusionẽ eorum, cùm intonuerit illud: Amen amen dico vobis, nescio vos, discedite à me qui operamini iniquitatem. Igitur, vt finiam, quod legi, quod naturæ, quod studio philosophantium erat impossibile, hoc factus est nobis Christus à Deo Patre: nempè sapiẽtia, iustitia, iustificatio, redemptio, vita, victoria, pax, salus, & gloria. Quòd homines sumus & substantiæ rationalis, opus est Dei conditoris. Quòd autem tales sumus vtpote mortales, insipientes, infirmi, ad vitia procliues, serui, captiui, filij mortis, est opus diuinæ iræ simul & peccantis animæ: Quòd verò rursum eò emergimus, vt simus sapiẽtes, sapientia vera, & iusti, iustitia quæ ex Deo est, & sancti sanctificationibus Dei, redempti de captiuitate mortis, liberi à vinculis peccatorũ, potentes vincere omnem aduersarium, in salutem & gloriam sempiternam, opus est Christi redemptoris, qui factus est nobis hæc omnia patiendo pro nobis.

1.Cor.4.

Quibus scripturis demonstretur, Christum merito suæ passionis, verè & re ipsa operari in nobis ante dicta beneficia.

CAP. XII.



Erissima est propositio, qua docetur in Ecclesia quòd Christus sua passione, non solum formam nobis exhibuit virtutis seruandæ sub incommodis mundi huius, verùm etiam reuera obtulit pro nobis sacrificium reconciliationis, gratum Deo Patri in odorẽ suauitatis. Reuera satisfecit iustitiæ vindicatiuæ Dei pro peccatis nostris, reuera liberauit nos à captiuitate, emit & redemit, interposito iusto pretio. Reuera abluit nos, sanat, regenerat, viuificat, reuocat, sanctificat sanguine suo tunc effuso tormentis passionum. Reuera fecit pacem inter cælestia & terrestria, socians ista illis inseparabili & perpetuo coniugio. Reuera vicit mundum, diabolum, mortẽ, & omnẽ tyrannicam machinationem eorum, nobisque parauit victoriam trophæo crucis de vniuersis inimicis nostris. Reuera denique meruit nobis gratiam, adoptionem, regnũ & gloriã Dei Patris. Sunt autẽ hęc tibi

M.

Propositio certa exprimẽs fructum passionis Christi.

alijsque Christi fidelibus accipienda, nō tanquam probabilia duntaxat, & incerta aliqua magistrorum opinione introducta, sed tanquam certa, firmissima fidei veritate consistentia. D. An sit vspiam in scripturis dicta propositio? M. Non in ea quidem forma, attamen omnia quæ in hac propositione continentur, sunt in scripturis, luceque clariùs demonstrantur ex scripturis. Et possem quidem hic siluam scripturarum producere, attamen de multis illa solummodo recitabo quæ euidentiam habent. Primùm de sacrificio, Tradidit, inquit Apost. semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, ad Ephes.5. Iterum: Eū qui non nouerat peccatum (hoc est Christū) Deus pro nobis peccatum fecit (id est hostiam pro peccatis secūdum communem interpretationem) vt nos efficeremur iustitia in illo. 2. Corint.5. Iterum: Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Quid autem sit sacrificium, quid hostia, & quomodo omnia nostra sacrificia, & hostiæ vim habēt, & placent Deo patri ratione sacrificij, quod obtulit Christus in ara crucis, latè explicabimus lib.3. Secundò, de satisfactione, qua satisfecit iustitiæ Dei vindicatiuæ pro nobis. Apud Esaiam est vox Ecclesiæ de Christo, Posuit, inquit, Deus in eo iniquitatem omnium nostrum, hoc est, supplicia quæ nos nostris merueramus peccatis. Disciplina pacis nostræ super eum, (hoc est castigationem peccatis nostris debitam, ipse sustinuit pro nobis, per quod nos pacem habemus ad Deum. Item Christus, inquit Petrus, semel pro peccatis nostris est mortuus, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quia supplicium mortis peccatis nostris debitū pertulit in corpore suo, adeò vt ipse per Psalmistā dicat. Quæ non rapui (hoc est quę ipse non commerui subtrahendo Deo obedientiam, honorem, aut cultum, optimo iure ei debita) tunc exoluebā. Si patiendo soluit pro rapinis siue peccatis nostris: si supplicia peccatis nostris debita pertulit: si supra eum disciplina qua solet resarciri pax inter offendentem & offensum, ergo Christus reuera satisfecit id, quod iustitia vindicatiua Dei pro peccatis hominum requirebat. D. Superuacuę igitur nobis imponuntur pœnitentiæ, & satisfactiones. Nam si Christus satisfecit pro nostris peccatis, qua precor iustitia quid vltra exigitur à nobis pro ijsdē? M. Huius argumenti vanitatem euidentissimè tibi demonstrabo in tractatu de Pœnitentia, vbi agendū erit de satisfactione, tertia parte pœnitentiæ, tantisper contentus esto. Tertiò, de emptione sunt hæ scripturæ: Filius hominis venit saluare quod perierat, & dare animā suam, redemptionē pro multis, Matth. 19. & 20. Itē: Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro, 1. Cor.6. Addit B. Petrus exprimendo pretium quo empti sumus: Non corruptibilibus, inquit, auro, & argento redempti estis de vana vestra cōuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni immaculati, 1. Pet.1. Item in cena vltima, Hoc est, inquit Dominus, corpus meum, quod pro vobis tradetur, alibi, quod pro multis datur. Item: Hic est sanguis meus qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Igitur sanguis Christi effusus per passiones, item corpus Christi traditum in tormentum mortis. Tertiò, anima, hoc est, vita Christi data in redemptionem pro nobis, est pretium, & quidem pretium iustum quod soluit Christus pro nobis patiendo in cruce. Pro nobis, inquam, venūdatis per peccatum, & redactis in seruitutem peccati, captiuitatem insuper mortis, & dominatum diaboli. Quare fuit ibi vera emptio, veraque redemptio, excutiens iugum seruitutis & damnationis, ab ijs qui fide confugiunt ad Christum, vt emptio hæc habeat effectum in nobis veræ libertatis, iuxta illud: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. De ablutione, sanatione, viuificatione & cet. per Christum factis, sunt hæ scripturæ: Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato, 1. Ioannis 1. Item: Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, Apocalyps. 1. Item 1. Corint. 6. Et hæc (scilicet fornicatores, adulteri, fures, rapaces, & cet.) fuistis aliquando, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Adhæc, habes ad Heb. 9. q tēpore legis omnia penè sanguine mundabatur, & sine sanguinis effusione nō fiebat remissio peccatorū, in typū & figurā, q futurus Messias faceret ablutionē & remissionem peccatorum per sanguinē suum. Insuper orat Propheta, Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi. Dicit autem Esaias de Christo: Ipse attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus, adeò vt Christi vulneratio reuera sit medicamentum nostrum, & curatio nostra. Quod plus est, mors Christi est vita nostra, qua viuimus nos spiritualiter in Deo, qua viuunt sancti gloriosè cū Deo, qua & viuent in æternum omnes pij, tam secundum corpus, quàm secundum animam post resur-

Fructus passionis demōstratur scripturis.

De oblatione.

De satisfactione.

De emptione.

De ablutione & sanatione, &c.

De viuificatione.

resurrectionem, quæ & ipsa fiet merito passionis Christi, dicente Domino: Ego sum vita & resurrectio, omnis qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Ista sunt indubitata fidei nostræ documenta, ab Apostolo iterum atque iterum repetita. Sicut per vnum hominem, Adam scilicet, peccatū intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors: ita per vnū hominē Christum iustitia intrauit in hunc mundū, & per iustitiā vita: Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem: Sicut per inobedientiam vnius, peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obediētiam (qua scilicet factus est obediens vsque ad mortē, mortem autem crucis) iusti constituentur multi. Sicut per vnum hominem mors, ita & per vnum hominem resurrectio mortuorū. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, ad Roma. 5. & 1. ad Corint. 15. Ex quibus facilè colligitur, quòd sermo Christi ad Martham; videlicet, Ego sum resurrectio & vita, est sermo caussalis, non formalis. Non enim Christus viuēs nunc in cælis, est formaliter vita nostra habitantium hic in terris, sed ipse merito obedientiæ suæ, caussa est vitæ nostræ, & resurrectionis, sicut Adam inobedientia sua, edens de ligno vetito, est caussa mortis nostræ & damnationis. Verùm si per omnia compares secundum Adam, hoc est, Christum, ad priorem Adam, inuenies copiam gratiarum & benedictionis, & iustitiæ, & vitæ, quæ intulit mundo Christus, longè superare magnitudinem miseriarum quas priùs mundo intulerat Adam, vt licet videre ad Roma. 5. De pace autem, quam fecit Christus moriendo, habes apertam scripturam ad Colo. 1. vbi Apostolus sic dicit: In ipso placuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinē crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et Ephes. 2: Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos cōdat in semetipso, in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem eis qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum, ambo in vno spiritu ad Patrem, hæc Paulus. Prætereà de victoria quam parauit nobis Christus, dicit hoc modo Apostolus

De pace.

De victoria.

1. Corint. 15: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam (scilicet de mundo, de diabolo, de peccato, de morte) per Dominum nostrum Iesum Christum. Dicit & Ioannes in Apocalyp. Et ipsi, scilicet sancti, vicerunt eū (puta accusatorem fratrum) propter sanguinem agni, & propter verbum sacramenti sui. Vnde Saluator. In mundo, inquit, pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum, Ioann. 16. Et alibi: Nunc iudicium est mundi, Nunc princeps mundi huius eijcietur foras, Nunc, dico, per passiones mortis hac nocte mihi imminentis. Quòd autem victoria hæc, quæ est per trophæum crucis, extendit se ad thronum vsque gloriæ magni Dei omnibus quæ mundi sunt superatis: habes Ioan. 14. & Apocalyp. 3. In domo Patris mei, inquit, mansiones multæ sunt, vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego & vos sitis. Iterum: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum Patre meo in throno eius. Omne enim quod natū est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria quę vincit mundum, fides vestra, qua scilicet creditis in Christum Dominum, qui est victoria vestra.

Qualia epitheta habeat sanguis paßionis Christi in scripturis. CAP. XIII.



PRæmissis autem scripturis ac alijs probè consideratis, fit manifestū quòd sanguis quem Dominus effudit patiendo, rectè vocatur, Primò, sanguis redemptionis, quia per ipsum velut precium facta est redemptio generis humani. Secundò, sanguis propitiationis, quoniam Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et nos qui longè eramus, facti sumus propè in sanguine eius. Tertiò, sanguis ablutionis, quia sanguis Christi emundat nos ab omni peccato, 1. Ioann. 1: Et nos lauamus conscientias nostras in sanguine ipsius, vti dicitur in Apocalyp: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Quartò, dicitur sanguis aspersionis & sanctificationis, quia per fidem velut aspergimur sanguine oblati agni in sanctificationem. Quintò, dicitur sanguis testamenti, quoniam per sanguinem passionis, confirmatum est testamentum, quo heredes instituimur in futuram felicitatem, dicente Domino: Hic est sanguis noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur. Nam

M.

Roma. 3.

Ephes. 2.

Apoc. 7.

Heb. 10, 12.

& vetus testamentum non sine sanguine dedicatum est, ad Hebreos 9. Vltimò, vocatur sanguis pretiosus, quòd pretiú eius excedat omnia quæ pretio æstimari possunt, 1. Petri 1. Scientes quòd non corruptibilibus auro & argento, &cet. sed pretioso sanguine agni immaculati, &cet. Quas ob caussas, quoties in diuinis officijs nominatur sanguis Domini nostri Iesu Christi, omnis Ecclesia psallentium & astantium se inclinat magna cum veneratione, testando nobis omnia bona venisse per illum, sic edocta vbique per ministros verbi ex scripturis sanctis, magis autem per ipsum Spiritum sanctum intus illuminantem, qui non sinit suos immemores esse tanti beneficij.

Reuerẽtia exhibẽda quoties nominatur sanguis Christi.

De quibusdã difficultatibus quæ moueri possũt circa modum, quo passio Christi & sanguis eius tollunt peccata nostra. CAP. XIIII.

D. Vanquam demonstratio hæc fructuum passionis Christi quam fecisti, vim inferat intellectui, rapiẽs in assensum, debeo tamen obijcere pauca quæ cogitationem meam conturbant. M. Audacter, ne verearis. D. Primùm, qua ratione passio Christi, quæ non est, sed transijt, potest remittere peccata nostra nunc viuentium, quandoquidem quod non est, non operatur: Iterum, quomodo sanguis, cuius quidam luridus, & rubicũdus potest dealbare aut nitidum facere, idque animam hominis, cùm illa sit incorporea, sanguis verò corporeus? Tertiò, quo pacto sanguis Christi existens cum Christo in cælis, potest abluere peccata nostra nunc existentium in terris, cùm ablutiones non fiant nisi per contactum, vt est videre in rebus corporalibus?

Prima difficultas.

Secunda difficultas.

Tertia difficultas.

M. Profectò idoneas mouisti difficultates, quas priùs quàm expediam, premittere oportet, quòd in gloriosa passione Domini est inuenire quatuor: nempe meritum infinitæ dignitatis, pretium infiniti valoris, efficaciam infinitæ actionis, hostiam denique & sacrificium infinitè gratum, hoc est, gratum citra modum aut mensuram. Quod autem est infinitum, omnino excedit omnem finitarum rerum quas videmus actionem & modum. Cuius quidem premissi tota probatio in hoc est, quòd Christus passus pro nobis erat Filius Dei viui, consubstantialis & coæternus Deo Patri, ideoque reuera & essentialiter Deus, vti demonstrauimus suprà. Quam vnam ob caussam omnia quę sunt Christi, etiam ea quæ conueniunt ei ratione humanæ naturæ, sortiuntur infinitatem quandã ex parte suppositi eius sunt, quod est filius Dei, Deus de Deo. Hinc anima Christi, quam dedit in redemptionem, Sanguis item, quem effudit in remissionem peccatorum, habent pretiũ infiniti valoris, habent & efficaciam infinitæ actionis. Non vtique ea ratione, quòd anima aut sanguis in se, suisque proprietatibus contineant vim vel dignitatem aliquam infinitam, sed ratione personæ cuius sunt, hoc est Christi, qui Deus est & homo, ratione diuinitatis suę excedens infinitis modis omnia, ratione humanitatis suæ factus dominus mũdi, Pater futuri sæculi, caput super omnem Ecclesiam, iudex viuorum ac mortuorum, habens in se per hypostaticam vnionem plenitudinem diuinitatis, vt etiam hinc liceat colligere, ineffabilem imò incomprehensibilem valoris dignitatem, vim quoque virtutis qua potens est subijcere omnia corpori suo, quod tradidit pro nobis. Hinc & labor Christi, orationes eius, passiones eius, & obedientia, meritum habent infinitæ æstimationis. Actiones enim & passiones sortiuntur modum siue mensuram meriti sui, ex qualitate personæ cuius sunt. Eadem sufficentia laborum plus meretur nobilis, quàm ignobilis; plus illustris, quàm generosus. Quare in infinitum plus omnibus meretur is qui est infinitæ dignitatis, vt erat Christus, habens meritum passionum suarum, quia homo, habens & infiniti huius meriti æstimationem, quia homo Deus. Hinc denique hostia, qua se obtulit in ara crucis, in infinitum grata fuit, quia erat hostia Filij Dei offerentis non fruges, non aurum vel argentum, sed semetipsum sub atrocissimo tormẽto mortis ex summo amore, promptissimaque obedientia. Non quòd delectatur Deus sanguine, vel mactatione hircorum aut hominum, sed quia multùm per omnia delectatur in affectu & amore personæ offerentis, & oblatione recognoscentis omnia à Deo procedere, omniaque in Deum referenda esse: Iuxta illud: Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Ita respexit ad Christum tanquam filium, in quo sibi bene complacuit. Deinde & ad hostiam, qua obtulit zelo amoris pretiosissimum quod habuit, nempe vitam, animam, sanguinemque cordis, & seipsum denique totum, quod vtique omnibus holocaustomatibus maius est, omnia enim quæ habet homo, dabit pro anima sua, sed & pondus intimæ caritatis eleuat vniuersa. Nunc ad tuas difficultates, & quidẽ ad primam, Verum esse respondemus, quòd res quæ desijt esse, non operatur secundum eam effi-

In passione Christi est inuenire quatuor.

Omnia quæ Christi sunt habent quãdam infinitatẽ ratione suppositi.

Genes. 4.

Matth. 3.

Resolutio primæ difficultatis.

Passio Christi licet nunc non sit, tamen nũc operatur per viam meriti.

efficientiam quam habet ex naturæ suæ proprietatibus: vtique tamen operatur secundum meritum & valorem quæ reliquit in æstimatione sui. Sicut Symbola amicitiæ, obsequia, seruitia, item labores, passiones, discrimina, quæ quis præstat aut subit, siue vt placet animum offensi, siue vt impetret gratiam alioqui indebitam, operantur sanè per modum meriti ac reconciliationis, etiã postquàm esse desierunt: Immo non habent vim vllam meriti, nisi vbi consummata fuerint. Eodem modo corporalis afflictio Christi, & mors eius, transierunt quidem secundum actum, attamen manet in conspectu Dei meritum earum, manet & pretium, vtrumque infiniti valoris ob rationem supradictam. Eodem modo sacrificium illud cruentum in ara crucis transijt olim, nec repetitur vnquam in ea qualitate qua cruentum erat. Verùm res oblata, hoc est, Christus manet inæternum, sempiternum habens sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest, accedentes per ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis, ad Hebreos septimo. Ad interpellandum dico, sui olim prò nobis passi repræsentatione, non autem fusis ibi coram Patre precibus, vti quidam opinantur, satis impiè. Ad secundam verò & tertiam difficultates, dicimus, quòd sicut lixiuium aut sapo vel herba fullonum mundat, & emaculat, non ea qualitate quam vides, quia illius contactu magis polluit, sed virtute occulta quam non vides, sic sanguis Christi abluit peccata, non quidem sua qualitate naturali, sed virtute occulta quæ inest ex merito & diuinitate Christi. Siquidem virtus diuina assistens, & vis meriti peracti in effusione sanguinis, nunc eidem ęternaliter inhærẽs, faciunt ablutionẽ & præsentiũ & pręcedentiũ & subsequentiũ delictorũ, omniumque quæ vnquam cõmittentur vsque ad consummationem sæculi. Et licet iam sanguis Christi sit in cælo, tamen virtus hæc siue vis meriti, extendit se ad omnem ætatem hominum, ad omnem partem mundi, omniaque tempora & momenta vitæ tuæ & meæ. Non spatio frustratur, non rebus intercipitur, neque vlla communicatione sui diminuitur, quia infinita est. Nequaquam tamen facit actualem horum vel illorum peccatorum emaculationẽ absque cõtactu, non vtique corporali, sed spirituali per fidem aut fidei sacramentum. Itaque sanguis Christi diluit peccata, quia Christus hoc facit per sanguinem. Facit autem per sanguinem, non quomodo nos lauamus per aquam aut lixiuium, sed ea ratione, quia sanguinis effusione meruit nobis aquam quandam spiritualem, fide transeuntem ad animam nostram, quæ est gratia Spiritus sancti, quam licet haurire de fontibus Saluatoris, iuxta modum loquendi Esaiæ. Et sicut sanguis Christi, ne tunc quidem quando fundebatur, abluebat peccata vllius per contactum aut qualitatem naturalem, ita nec modò, sed vt tunc, ita & nunc, abluit peccata per gratiam Spiritus sancti transeuntem ad cor, vel fide, vel fidei sacramento. Quæ gratia eam ob caussam in scripturis sacris nunc aquæ, nunc rori, nunc pluuiæ, nunc luci inuenitur comparata.

Resolutio secundæ difficultatis & tertiæ.

D. Nónne caussa præcedit effectum? M. Præcedit. D. Non potuit igitur sanguis Christi tollere peccata Patrum qui fuerunt aut ante legem aut sub lege? M. Aliud est de caussa quæ producendo seu efficiendo est caussa rei: Aliud de caussa, quæ solum promerendo est alicuius rei caussa. Potest enim opus esse meritorium alicuius effectus longè antecedentis, quemadmodum passio Christi fuerat meritoria gratiæ, quam obtinuit Adam post lapsum suum. D. Nónne meritum omne prius est suo prę-mio? M. Est, quia omne præmium datur propter meritum. D. Igitur passio Christi non erat meritoria gratiæ, quam habuerunt Patres ante incarnationem. M. Non rectè infers, quia vnum dicitur prius alio bifariam, tempore scilicet, vel natura. Datur autem præmium propter meritũ vel priùs prę-uisum siue promissum, vel tempore prius exhibitum. Itaque caussa, rationeque passionis Christi ab æterno præuisæ, immo ab æterno sic conclusæ & determinatæ, vt rectè dicatur Christus agnus qui ab æterno occisus est, data est remissio peccatorum & gratia vitæ Patribus ante Christum, adeò quòd tunc temporis nemo est iustificatus sine merito passionis Christi, & redemptione quæ est in sanguine eius. Haud dissimili modo, dicendum est de morte Christi, quòd scilicet vincit mortem, vincit & infernum, ac liberat à seruitute. Non equidem ea ratione qua est priuatio vitæ, nam priuatio, vt talis nihil habet actiuitatis: sed hac ratione, quia Christi est, voluntariè tradentis se in mortem, quò nos merito eius viueremus per ipsum. Rursum hac ratione, quia Christi est, potenter absorbentis mortem in victoria per resurrectionem. Absorbentis, dico, & depellentis primùm à se, deinde ab omnibus suis. Dicit enim scriptura: Primitiæ dormientium Christus, deinde hi qui sunt Christi. Vincit igitur per viam meriti, vincit secundò virtute, qua ille potens est subijcere sibi omnia.

Omnis caussa pręcedit effectũ vel tẽpore, vel natura.

Qua ratione dicatur mors Christi vicisse mortem.

L 3 Quòd

Quòd victoria quæ habetur per passionē Christi de omni morte, & de omni peccato, & de omni seruitute, & de omni hoste, & de omnibus viribus inferni, non subitò, ac simul obtinetur, sed ordine quodam, & temporis mora.

CAP. XV.

D. RVrsus oportet & hoc interrogare. Nónne morimur, etiam nos Christiani? Nónne carne seruimus legi peccati, etiamsi nolimus? Et quem nostrûm non premunt durissima seruitute, mala mundi, corpus aggrauans animā, impugnatio dæmonum, malorumque hominum, formido denique damnationis æternæ? M. Certè, patet os inferni omnibus, non minùs nunc quàm vnquam aliâs. Sed & diabolus circuit semper tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, tentans, vincens, deglutiens non paucos. D. Quomodo igitur vicit pro nobis Christus mortem, aut peccatum, aut infernum, aut diabolum, aut seruitutem? M. Est mors animæ, est mors corporis, est mors prima, est mors secunda, vti demōstrabimus infra, cap. 2. tract. II. De omni autem morte habemus victoriā, per Christū Dñm, sed ordine quodā. Est infern⁹ inferior, est infern⁹ superior. Et inferni superioris pars altera vocatur limbus siue sinus Patrū, pars altera carcer, vel ignis probatorius, vel consueto vocabulo purgatorium, prout scripturis demonstrabimus infra, cap. 2. tract. 4. De omni autem inferno habemus victoriam, per Christum Dominum, sed ordine quodam.

Varia mors.

Varius infernus.

Variū peccatum.

Insuper est peccatum habitans in carne, quod fomitem vocamus: est peccatum in anima ad interitū eius, quod mortale dicimus: & subdiuiditur in originale quod natiuitate contrahimus, & actuale quod voluntate propria committimus. Est tertiò peccatum dedecorans, non tamen interimens hominem, quod veniale appellamus, de quibus fiet exacta demonstratio infrà. De omni autem peccato habemus victoriam per Christum Dominū, sed ordine quodam.

Varij hostes.

Adhæc, sunt nobis hostes spirituales, de quibus ad Ephes. 6. Sunt nobis & corporales hostes, Mundus, Caro, Inimicus homo, de quibus est sermo per omnem scripturam sacram. Inter hos autem, alius est hostis possidens & captiuum tenens, prout diabolus possidet peccatores, maximè autem infideles, vt habes 2. Timoth. 2. ne resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Alius est tentans & quærens quem deuoret de quo habes 1. Petri 5: qualis rursum est diabolus, omni tempore inuidus & malèuolus homini: qualis est & inimicus homo, potissimum inimicus fidei, Gentilis, Iudæus, Hæreticus, Apostata. Alius denique est hostis seducens, vel citra inuidiam, aut malèuolentiam, illecebris suis ad ea vnde paratur tibi interitus, ideoque verè hostis, etiamsi videatur benefacere velle, vt mundus, caro, homo amicus secundum carnem & sanguinem. De omni autem inimico habemus victoriam per Christum Dominum, sed ordine quodam.

Varia seruitus.

Denique, est seruitus peccati ad peccatum, siue peccati ad mortem, de qua habes Roman. 6. Est seruitus legis sub infirmis & egenis elementis, de qua habes ad Galat. 4. Est seruitus idolorum, de qua habes ibidem & multis alijs locis. Est seruitus sub miserijs mundi huius, & durissima moriendi necessitate secundum carnem, de qua illud: Statutum est omnibus hominibus semel mori. Est & seruitus occulta, qua carne seruimus legi peccati, etiam post iustificationem, ad Roma. 7. Est denique seruitus ciuilis, quam ius gentium induxit, de qua loquuntur Iurisperiti & Apostolus, 1. Corint. 7. De omni autem seruitute liberamur per Christi passionem, sed ordine quodam. Econtrariò autem, est & seruitus quædam vtilis ac bona, qua seruimus iustitiæ in sanctificationem, qua item seruimus Deo in iustitia & sanctitate, qua denique Sancti qui in cælo sunt ante thronum Dei, seruiunt ei die ac nocte in templo eius, Apocal. 7. Verum quoniam sic seruire reuera est regnare: ideo vt ab alia seruitute liberat Christus, ita hanc in nobis suo merito parat, perficit, cōsummat, sed ordine quodam.

Rom. 6. Luc. 1.

Multiplex victoria.

Secundū verò iam dicta etiam reperitur multiplex victoria. Est enim victoria incipiens, est victoria proficiens, est & consummata victoria. Omnis autem victoria est per Christū Dominum, sic tamen vt ab imperfecto paulatim proficiat ad sui consummationē: Quam attinget cùm tradiderit Christus regnū Deo & Patri, & euacuauerit omnem principatū, & potestatem, & virtutē, vt habetur 1. Cor. 15.

Quomodo paulatim vincimus omnem mortem.

D. Vtinā ostenderes mihi, quibus hæc scripturis demonstrari possent. M. Ostendam per singula. Dicit Esaias: Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum, igitur mors animæ est per peccatum. Sicut enim Deus per gratiam Spiritus sancti est vita animæ, sic diuisio inter Deum & animam, per peccatum, mors est eiusdem. Porrò Christus merito passionis suæ dissoluit mediam hanc maceriam peccati, reddens sic propitium Deum, sicque propensum in nos, vt dignetur ipse inhabitare in nobis. Iuxta illud: Ad eum veniemus, & mansionē apud eū faciemus: Sic conglutinans

1. Cor. 6.

nans animam cum Deo, per fidem, spem, ca-
ritatem, vt vnus spiritus efficiatur cum eo,
atque viuat in Deo, & secundum Deum vi-
tam veram, vitam sanctam, vitam æternam.
Quòd autem per Christum liberemur etiam
à morte corporali, pulcerrimè demonstrat A-
postolus 1 Cor. 15. vti suprà citauimus. Tran-
stulit igitur nos Christus de morte ad vitam,
primò, secundum animam. Quod quoniam
præcipuum est, vnde omnis alia liberatio à
morte dependet, ideo simpliciter pronun-
1.Ioan.3. tiat Ioan. Apostolus diens: Nos scimus quo-
niam translati sumus de morte ad vitam, quo-
niam diligimus fratres. Affirmat autem nos
absolutè translatos esse ad vitam, licet tan-
tummodo secundum animam trāslati simus.
D. Istud quidem de anima credibile vide-
tur, verùm, de corpore quis credet, cùm non
sit homo, qui viuat super terram, & non mo-
riatur? M. Etiam de corpore credi debet,
sicut de anima: quia Scriptura luce clariùs lo-
quitur dicens: Qui viuit & credit in me, non
morietur in æternum. Item Si quis sermonem
meum seruauerit, non morietur in æternum.
D. Morietur tamen. M. Vtique morietur
corpore, sed non morietur morte durante
in æternum. Quod clarè insinuatur Ioann. 6.
Qui manducat, inquit Christus, meam car-
nem, & bibit meum sanguinem, habet vitam
æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissi-
mo die. Quasi diceret, licet ad tempus moria-
tur secundum corpus, tamen non manebit
semper in illa morte, sed ego resuscitabo il-
lum. Nemo fili triumphat de morte animæ
per Christum, nisi postquàm infuit, gustata est
deiecit. Ita nemo triumphat de morte corpo-
ris, nisi postquàm infuit, gustata est, & pro-
strauit. Venit enim Iesus quærere & saluum
facere quod perierat. Venit & instaurare om-
nia quæ in cælis, & quæ in terris. Instaurare,
dico, non de nouo creare. Venit igitur viuifi-
care eos qui mortui erant secūdum animam:
viuificare insuper eos qui mortui sunt secun-
dum carnem, quod est transferre de morte ad
vitam, non autem venit præseruare mortales
ne moriantur, quia nec seipsum præseruauit.
Quod si quid aliud legatur de Enoch, de He-
lia, de Ioanne Euangelista, peculiaris id priui-
legij est aut dispensationis diuinæ nos regu-
las communes tradimus. Primò itaque, effe-
cit Christus sua passione, quòd mors corpo-
ris, quæ sua natura est æterna (quia deducit
ad incinerationem carnis) non sit Christianis
æterna, sed tantummodo temporanea. D.
Attamen longa admodum & diuturna ma-
net, quia vsque ad nouissimum diem, siue cō-
summationem sæculi. M. Non potest
longum dici aut diuturnum, quod à Christo
horarium appellatur, & ab Apostolo eius,
hora nouissima. Docet enim Christus Ioan-
nis quinto: à tempore quo ipse prædica-
bat, vsque ad generalem resurrectionem mor-
tuorum, non nisi horam vnam intercedere:
quam Apostolus Ioan. vocat nouissimam ho-
ram, prima sua epist. cap. 2. D. Mirabilis ho-
ra, quæ sæcula & lustra continet, iamque mil-
le quingentos quinquaginta quatuor annos
durauit. M. Secundum phrasim dictum in-
tellige, qua dum minimum tempus significa-
re volumus, caussa excutiendi tædij, horam
dicimus siue horulam, siue nouissimam ho-
ram. Et reuera totum illud tempus à Christo
nato, vsque ad iudicium extremum, vix ho-
ra est comparatione æternitatis, aut secun-
dum horologium, vt ita dicam, quod in cælis
indicat æternæ durationis portiunculas. Se-
cundo effecit passione sua, quòd Christianis
mors corporis, non sit tam mors dicenda,
quàm somnus aut requies. Locus insuper se-
pulcuræ non sit eis fouea intereuntium, quin
potiùs cœmiterium, hoc est dormitorium
quiescentium, anima interim viuente feliciter
ter in Deo, & carne sua sponte resoluente se-
ipsam in suum principium vnde sumpta erat,
citra sensum ac dolorem. Hinc dicit Scriptu-
ra de B. Stephano moriente: Et obdormiuit
in Domino. Et Paulus: Nolumus vos fra-
tres ignorare de dormientibus, &c. hoc est, Actuū.7.
de illis qui Christianè mortui sunt, in spe cer- 1.Tess.4.
tæ resurrectionis ad vitam. Effecit tertiò, vt
resurgant corpora nostra ex mortuis, multo
cum fenore, & cum eodem fenore, quo cum
surrexit ipse Christus de sepulcro, dicente
Apostolo: Qui reformabit corpus humili- Philip.3.
tatis nostræ, configuratum corpori claritatis
suæ, secundum operationem, qua etiam pos-
sit subijcere sibi omnia. Modum autem quo
configurabit corpora nostra sibi, explicat A-
postolus, primo Corinth. 15. sicuti ostende-
mus infrà in materia resurrectionis mortuo-
rum. Est quidem verum, quòd etiam re-
surgent impij, sed non vt induantur ad do-
tes illas, quas Christus accepit in corpore suo
resurgendo, sed vt transeant de morte prima
ad mortem secundam, cuius fit mentio Apo-
cal. 2. A qua certè morte etiam liberamur per
redemptionem, quæ est in Christo, cuius so-
lius sanguine inscribuntur libro vitæ, quot-
quot salui fiunt per ipsum. Itaq; ordine quo-
dam habemus victoriam de omni morte per
Christū passum: primò, de morte animæ, dein
de de morte corporis, atque ita de morte pri-
ma. Nam mors prima est, quam moritur ho-
mo vsq; ad iudiciū extremū. Nouissimè autē

de morte secunda, cũ mortale hoc induerit immortalitatem. Nam tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Eodem prorsus modo primum emaculatur peccatum mortale ab anima, vti prædictum est, deinde debilitatur peccatum habitans in carne, videlicet, fomes, siue lex membrorũ, adeò vt licet sit ibi, non tamen regnet. Peccatum enim, inquit Apostolus, non dominabitur vobis, quia non sub lege estis, sed sub gratia, Roman. sexto. Nam & Paulo tertiò rogante pro liberatione à stimulis carnis, dictum est illi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Destruetur autem penitus, quando fiet resolutio corporis nostri, in suum principium vnde sumptum erat ante peccatum, iuxta illud: Cinis es, & in cinerem reuerteris. Quandoquidem illinc resurget non iam amplius corpus animale aut obnoxium prauis cupiditatibus, sed spirituale, sed Deificatum, vti patet ex antedictis. Itaque paulatim & ordine quodam vincimus per Christum. Primò, peccatum quod est in anima, deinde peccatum habitans in carne, tertiò & minutula illa quæ citra mortem animæ admittuntur, atque ita omne peccatum originale, mortale, veniale denique, & carnale, illud habitans perpetuò in carne. Similiter eijcit Christus inimicum diabolum foras, non vtique statim extra mundum, sed extra cor tuum, meum, & aliorum quos iustificat, relinquens illum adhuc in aëre circa & circum te inhiantem quidem prædæ, attamen impotentem deprædari nostras Christianorum animas, baculo crucis adeò confracta virtute eius, ita quoque nostris viribus consolidatis gratia Spiritus sancti, armatura insuper Dei adeò circummunitis, vt non possit vincere nos, quantumcunque circumeat tanquam leo rugiẽs, nisi per vnum nostræ voluntatis consensum. An non probè superatus est ac victus pro te, qui non potest deuincere te, neque incommodare tibi, nisi tu tua ipsius voluntate velis? Veruntamen quoniam ille habet mille nocendi artes, mille modos trahendi in consensum, nunc per illecebras carnis, nunc per mundi deceptionem, nunc per notos & ignotos, per amicos & inimicos homines, ideo oportet nos vigiles esse, & sobrios, secundum monitionem Petri. Oportet & vndique circummunire nos armis Dei, secundum adhortationem Pauli, ad Ephesios sexto. Tandem autẽ proijcietur ipse diabolus cum omni satellitio suo dæmonum, malorumque hominum penitus foras extra omnem ditionem electorum Dei cùm pronunciabit Christus terribilem illam sententiam, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius, vt sint in æternum & glorificaturi sanctorũ felicitatem, & deploraturi suam ipsorũ infelicitatem gemitibus inenarrabilibus, prout est videre Sapient. quinto capite. D. Igitur non statim fit, quod statim futurũ post mortem suam prædicebat Christus inquiens: Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. M. Cœptum est id fieri statim à Christo passo, & perficitur indesinenter, sed ordine quodam. Nam primò proijcitur foras extra animas iustificatas, deinde deijcitur ac depellitur quotidie à conatibus suis, per armaturam Dei simul & diligentiam nostram. Tertiò longissimè abigitur ab animis sanctorũ, cùm transferuntur ad sinum, non quidem Abrahæ, vt olim, sed felicitatis æternæ. Nouissimè autem per iudicium extremum proijcietur totus foras extra omnes terminos regionis viuorum, iuxta illud Dauidis: Quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Sicut non nisi nouissimè destruetur prorsus mors, iuxta illud: Nouissimè autẽ destruetur inimica mors vt & illud verificetur paulatim: Ero mors tua, ô mors. Haud dissimili modo, primum liberat Christus animam à seruitute peccati, vt possis seruire Deo liberè & vtiliter, in iustitia & sanctitate omnibus diebus coram ipso, Luc. primo. Dico, coram ipso, scilicet inspiciente & acceptante eiusmodi nostram seruitutem, velut gratam ac dignam æterna remuneratione. Deinde liberat & carnem nostram mediante pædagogia spiritus nostri, ne seruiat voluptatibus, & spurcitijs ad iniquitatem. D. Interim relinquit nos Christus seruire miseram quandã seruitutem sub stimulis carnis, & infinitis malis mũdi huius. M. Est verũ, attamen hoc pacto, vt det per suam gratiam etiam in hoc inuenire lucrum vitæ, & inæstimabilem meritorum thesaurũ. Sicut pulcerrimè exprimit Apostolus 2. Cor. 4. dicens: Propter quod non deficimus, sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momẽtaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non vidẽtur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Tandem verò liberabit carnem nostram penitus & omnino ab omni seruitute, cùm scilicet mortale hoc induerit immortalitatem, idque ordine quodam & temporis mora. Denique & omnem infernum vicit pro nobis, sed ordine

Paulatim vincimus omne peccatum.

Genes. 3.

Paulatim eijcitur diabolus.

Paulatim liberamur à seruitute.

Paulatim liberamur ab omni parte inferni.

quodam. Nam primùm mox à passione sua abstulit totum limbum Patrum, simul ac semel, velut morsum vnum de inferno. Iuxta illud: Ero morsus tuus inferne, secum ducens ad regnum Patris totam illam captiuitatem Patrum quæ erat in limbo. Deinde à purgato rio quotidie spolia detrahit, transmittēdo in desinenter animas purgatas ad gloriam Patris, vt declarabimus infrà. Adhæc, inferni inferiores fauces sic conclusit, vt vltra deglutire non possit animas vllas Christi sanguine purgatas à peccatis: tandem per iudicium fina le proiecturus totum infernum cum morte in stagnum ignis. Hæc est mors secunda, vt habes Apocalyp. 21. Vides & hic ordinem ac temporis moram. Nam anima nostra beneficio Christi, primùm liberatur ab inferno inferiori, dum per gratiam reconciliatur Deo, dicente Dauide. Liberasti animam meam ab inferno inferiori, Psalm. 85. Secundò liberatur ab inferno superiori, partim per martyrium aut plenam purgationem in hoc sæculo, partim per ignis purgatorij expiationem, Iuxta illud: Ipse autē saluus erit, sic tamē qua si per ignem. Vltimò, liberatur & corpus à suo inferno, hoc est, à sepulero per resuscitatione in nouissimo die in resurrectione mortuorum, Ioann. 5. & 11. Item 1. Corinth. 15. Omnia autem hæc per Christum & meritum glo riosissimæ passionis eius. Et primùm quidē, infundunt se omnia ista in animam hominis, ex anima autem transeunt in corpus, ac totū denique hominem saluum faciunt.

Cur non simul ac semel, idq; statim, infundat se in totum hominem secūdum vtranque sui partem, hæc victoria per Christum parta, et quàm eadem sit constans ac stabilis.

CAP. XVI.

D. CVr autem primùm in animam, ac deinde in corpus? Iterum, cur non simul ac statim infundit se in totum hominem hæc victoria per Christum parta? Tertiò, cur voluit Deus hominem fragilem multo adhuc tempore versari in dubia pugna, subinde non sine magno discrimine salutis? M. Dicam paucis ad singula, & primò ad tertium. Non sunt gloriosa ni si quę fortia, fortia autem inter nos homines dici non solent, nisi quæ subeunt pericula. Vbi igitur non est dubia pugna, ibi nec gloriosa victoria. Porrò vbi non apparet victoria, ibi non debet expectari corona, Iuxta illud: Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Reliquit igitur nobis carnem concupiscentem aduersus spiritum, reliquit & diabolū in circuitu & vndequaque impugnantem, mundū quoq; suis illecebris attrahentē, vt & nostra sit, nostris aliquatenus viribus parta, qua fruimur per Christū victoria, de diabolo, de mundo, de carne, de inimico homine: nobis quoque reddatur tanquam nostris meritis aliquo mòdo debitum trophæum gloriæ, Iuxta illud Apost: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo, reposita est mihi corona iustitię, quā reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligūt aduentum eius, 2. Timoth. 4. Ad secundum quod quæsieras, sic respondemus. Quòd sicut natura, ita & gratia procedit ab imperfecto ad perfectum, ordine quodam & temporis mora. Primùm semen, deinde gramen, ter tiò seges, denique panis ad vsum commodus. Primùm fetus humanus, deinde infans, postea puer, exinde adolescens, tandem vir ad omnem functionem idoneus. Nemo nascitur vir, nec vnquam producitur coctus ex terra panis, sed initia quædam dat natura, cetera perficit tempus & diligentia. Sic initia quædam ac velut seminaria futuræ felicitatis dat Deus per meritum Christi, vt deinde tempore nostraque diligentia paulatim crescant in consummationem, vti hucusque ex scripturis demonstrauimus. Postremò, ad primum tuū problema tale damus responsum. Deus spiritus est, Ioann. 4: Homo quoque secundum præcipuam sui partem spiritus est. Prima itaque communicatio hominis cū Deo est per spiritum. Quapropter omnis participatio fructuum passionis Christi, primò infundit se in animam, & deinde paulatim in corpus & totum denique hominem. Sicut & in Christo Domino capite nostro: Primum infudit se plenitudo gratiæ in animam eius, relicta adhuc carne sub magnis multorum malorū pas sionib. tandem autē post multa exercitia virtutum, infudit se gloria Dei totaliter in omnem partē corporis Christi per resurrectionem. Dicit autem scriptura. Nō est discipulus super magistrū, nec seruus super dominum suū, sed sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo vt sit sicut dominus eius. Nō debemus ergo detrectare, insequi vestigia domi ni, ac magistri nostri Christi, qui multo tēpo re per multas, ac varias tribulationes, atque acerbissimas passiones, per mortem denique, tandem peruenit ad gloriam resurrectionis, prius tentatus per omnia, sicut & nos. Hinc hortatur nos Scriptura alio loco dicēs: Primus homo de terra terrenus, secūdus homo, de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut

Gloriosa quæ fortia.

Sicut natura præcedit de imperfecto ad perfectū ita et gratia.

sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem cælestis. Illius imaginem portauimus concupiscendo, & fruendo concupitis, contra beneplacitum Dei, portemus ergo & imaginem istius abstinendo à vetitis, per omnia patienter exequentes voluntatem Dei patris, vt in prosperis, ita & in aduersis, vt sub commodis, ita & sub incommodis mundi, carnis quoque afflictionibus, vsq; ad mortem, mortem autem crucis, si ita oportet. Dicit enim. Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita introire in gloriam Dei patris? Itaque licet non nisi paulatim, ac tempore & ordine quodam secundum dispensationem consilij diuini, potiamur victoria per mortem Christi, de ijs quæ nobis, nostræque saluti contraria sunt, attamē qua potimur per Christum, tandē plena efficitur & generalis victoria de vniuersis, quæ quoquo modo saluti nostræ & gloriæ aduersari possunt. D. Vtinam & valida foret ac constans, ita vt semel parta, de manibus nostris denuo excuti non posset. Nunc autem recurrit subinde mors in animā quia sæpè labimur omnes. M. Fili, neq; peccatū, neque mors, neque seruitus, neque reatus damnationis, neque quicquam eorū, quę per victoriam iam exclusa erant, iteratò recurrit in te nisi velis: immo nec recurrere potest nisi velis. Quod plus est, nihil eorum quę sunt, aut in cælo, aut in terra, aut sub terra, neque hæc omnia simul iuncta, possent hanc tibi denuo intentare mortem, nisi velis: Adeò inuicta est hæc per Christum victoria, adeòque in tua ipsius posita voluntate. Quàmdiu enim manet in te caritas Dei quæ est per Christum dominum, manet & in te vera vita, pulsa procul à te morte animæ. At nihil eorum quæ sunt, erunt, vel fuerunt, potest te separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu, nisi tu tua sponté separares temetipsum a Deo. Lege caput 8. ad Romanos & ipse probabis quod dico. Sic habet. Quis ergo separabit nos à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus, sicut oues occisionis.) sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Vbi enumeratis omnib. solā propriæ voluntatis potestatem non enumerauit, significans nihil posse te separare, nisi tu tua sponte separes temetipsum. D. Cur non & hoc dedit Deus, vt non possimus ne nostra quidem voluntate rursum superari à morte? M. Quia gratia perficit naturam, non destruit. Præcipua verò portio qua differimus à brutis animalibus, est liberum arbitriū: At Christus nō venit perdere liberum arbitriū, sed liberare suis gratijs, promouere item & adiuuare, quo possit hic certare bonū certamen, & vincere omnia sibi aduersantia, tandē coronandum corona gloriæ in cælestibus, vbi nec pugna amplius erit, nec vinci continget. Qualiter per Christum nos adiuuari certissimè scimus ex verbo Dei, dicente Apost. Omnia possum in eo qui me confortat. Id enim possum quod per amicos, aliorūmue auxilio possumus. Rursus dicente Deo. Sufficit tibi gratia mea, scilicet, ad hoc vt non vincaris stimulis carnis, nisi velis. Porro velle te vinci certum est, si quæ tui sunt officij, & in tua sunt sita potestate, per negligentiam omiseris, aut contemptum, aut malitiam. Magna profectò dignatio Dei est constituentis nos per redemptionem Filij, eo loco vnde possimus tanquam electi contendere ad brauium supernæ vocationis. Dantis prætereà, quo simus potētes superare per gratiā suam omne quod aduersatur nobis, vt sit hoc pacto, & in nobis ratio iusta, ob quā coronemur gloria. Non enim disposuerat Pater coronare gloria solum Filium, sed & nos vincentes, sicut ille vicit prout habetur Apoc. 3. circa finem, multisque alijs locis. Magna quoque dignatio Filij, qua dignatus est sic vincere pro nobis mortem, mundum, diabolum, peccatum, infernum, seruitutē, vt dederit & nobis arma ac virtutem, quibus ipsi vincamus eadem, vt simus ei non solum fratres & coheredes, sed & simul cum eo triumphatores, habentes singuli stolas gloriæ, palmas victoriæ, diademata triumphantium sicut & ipse. Quod est perfectissimæ & ineffabilis caritatis Dei Patris, & Filij eius erga nos, agentium non solùm pro nobis, sed & in nobis, atque nobiscum, vt possimus dicere cum Apostolo. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Et alibi. Abundantiùs omnibus laboraui, non ego autem: sed gratia Dei mecū, 1. ad Corinth. 15. Similiter vinco mortem, mundum, diabolum, carnem, peccatum, iam non ego, verum vincit in me siue mecum Christus. Satisfacio pro peccatis iam non ego, verùm satisfacit in me Christus, siue gratia Dei mecum. Certo bonum certamen non iam ego, verùm certat in me Christus. Siue, non iā ego, sed gratia Dei mecum.

Quam sit valida victoria data per Christum.

Cur non dedit Deus, quod necessitate consequi te possim superari.

Philip. 4.

Qua ratione paßio Christi prosit nobis, non patientibus, neq; sentientibus dolorem.

CAP. XVII.

M.



VT autem à capite, & à fonte, vti aiunt, intelligas, cur passio Christi antedictas proprietates, videlicet, meritum infinitæ dignitatis, precium infiniti valoris, efficaciam infinitæ virtutis, hostiam in infinitum gratam habeat, etiã in nostrum commodum, nostramque hic viuentium salutem, & non solummodo in suã solius patientis vtilitatem, oportet perpendere tria. Primùm, quòd quemadmodum Adam fuit constitutus, non vt singularis persona, sed vt principium totius humanæ naturæ à se propagandæ: ita & Christus fuit constitutus à Deo Patre, non vt singularis quædam persona, sed vt principium & caput siue pater omnium renascentium ex ipso, per propagationem spiritualem, velut secundus quidam Adã. Iuxta has scripturas. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur, (secundum aliam versionem implet, id est, perficit) Ephes I. Item. Et factus est principatus super humerum eius & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi. Futuri, inquam, sæculi, in quo fiet regeneratio saluandorum, quod tunc futurum erat, Esaiæ nono. Quapropter, sicut Adam quæ accepit in creatione à Deo, accepit non pro se solo, sed pro se, & pro omnibus posteris, qui erant in lumbis eius: Et quæ perdidit peccando, non sibi duntaxat perdidit, sed sibi & toti simul posteritati perdidit. Sic Christus benedictiones quibus præuentus erat, & bona merita quæ superaddidit patiendo, non sibi vni accepit aut superaddidit, sed toti posteritati regenerandæ, non quidam ex lumbis eius, sed ex corde ipsius, per aquam & sanguinem quæ fluxerunt de latere eius, quod lancia militis aperuit. Quam sanè comparationem Adæ ad Christum pereleganter explicat Apostolus ad Romanos 5. immens argumenta ex lege proportionis & oppositionis primi Adæ, qui terrestris erat, ad secundũ Adã Christum qui est cælestis. Primus Adam forma seu figura fuit secundi Adæ tunc futuri: forma, inquã, quia sicut per illum peccatum, ita per istum iustitia. Et sicut per illum mors, ita per istum vita. Sic enim passim argumentatur Paul. Sicut in illo illud, sic in isto istud. Addens tamen hanc formam, non ex omni parte esse conformem. Sed non sicut delictũ, inquit, ita & donum. Et rursus: Non sicut per vnum peccatum, ita & donum, tanquam dicat, fortius est donum quàm delictum: fortius dico, non effusiùs aut propagatũ latiùs. Nam donum Christi non prodest pluribus, quàm noceat delictum Adę, attamen prodest omnibus regeneratis per Christum sicut illud nocuit omnibus genitis ex Adam, multoque magis ac largiùs profuit illud quàm nocuit istud, quia plus mali tollit, & plus boni præstat Christus regeneratis, quàm mali attulerat Adam ex se generatis. Adã per vnum delictũ transmisit in filios vnum peccatum originale: Christus verò per donum suum non solùm vnum hoc, sed cetera omnia sustulit regeneratis. Si igitur ex Adæ inobedientia nascuntur filij iræ omnes qui propagantur ab ipso, multò magis ex Christi obedientia efficiuntur filij gratiæ & pacis, quotquot renascuntur ab ipso. Nam caritas seu bona voluntas Christi pro nobis in carne patientis, lõgè est potentior, quàm mala voluntas Adæ trãsgredientis, aut Iudæi crucifigentis. Est præterea & hæc differẽtia inter Adam & Christum. Nã Adam transmisit in posteros peccatum originale, non quidẽ hoc ipsum illis merendo, sed naturam originali peccato vitiatam propagando. Christus autem quatenus homo, transmisit iustitiam in filios nõ propagando illam, sed merendo suis passionib. apud Deũ quòd hæc daretur omnib. qui fide aut fidei Sacramẽto efficiuntur palmites in ipso. Secundò, perpendendum ꝙ meritum Christi sese habet ad mẽbra fide sibi connexa, & cohærentia, perinde, atq; sese habet meritum hominis ad seipsum, suum corpus, suaq; membra. Quemadmodum igitur homo, nõ solùm animæ, sed & corpori, suisq; mẽbris omnib. Dei gratia suffultis meretur incorruptionem & gloriã, ita Christus omnib. membris fide sibi colligatis meretur remissionem peccatorum, exaltationem, & gloriam. Si iustus quispiã persecutionem patiens propter Euang. siue iustitiam, habet mercedem repositam in cælis pro se, & omnibus membris corporis sui: multò magis Christus orando, supplicando, contumelias, opprobria, & mortẽ turpissimam sustinendo propter iustitiam, meruit nobis infinitis per fidẽ mẽbris in corpore suo, gratiã & vitã æternã. Tertiò perpẽdẽdũ ꝙ Filius Dei Christus acceptans hanc laboriosam legationẽ pro salute hominũ, vt ipse in se susceperit caussam totius generis humani, ita & Pater posuit in eo omnes omniũ nostrum iniquitates, quatenus ipse pro illis tãquã suis lueret & satisfaceret, velut ex condicto inter sese totius generis humani caussam tractantes, prout scripturis his euidenter demõstratur. Eum qui nõ nouerat pecca-

Adam nõ fuit constitut' à Deo, vt singularis persona Christ' nõ est priuata persona, sed caput & principium Ecclesiæ.

Adamque acceperat à Deo, accepit pro omnibus posteris.

Vide quo modo Apostolus explicat similitudinem & dissimilitudinem inter Christũ & Adam.

Adam meruit posteris originale peccatũ & mortem. Christus meruit regeneratis gratiam & vitam.

Secũdum perpendẽdum.

Tertiũ perpendendũ.

Christus in se suscepit caussam totius generis humani.

peccatum, hoc est Christum, fecit pro nobis peccatum, scilicet Deus Pater. Et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Item: Propter scelus populi mei percussi eũ. Rursum: Verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit, ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eũ, & liuore eius sanati sumus. Ipse, inquit, tulit, ipse portauit, ipse vulneratus est propter scelera nostra, quasi diceret, sua spõte suscepit in se caussam nostram, oblatus pro nobis quia voluit, Esa. 53. Ideoque ingrediẽs mundum, inquit Apost. dixit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, holocaustomata & pro peccato tibi nõ placuerũt. Tunc dixi: Ecce venio (scilicet mea sponte.) In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Hebr. 10. Ego, inquit, animam meam pono pro ouib. meis, vt vitam habeant, & vt abundantius habeant. Hoc dixit, vt autem dixit, ita & fecit, dicente Paulo 1. Timoth. 2. Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Ex his itaque puto te satis intelligere, qua ratione passio Christi in suo ipsius corpore impleta, potuerit, immo debuerit prodesse etiã illis qui ipsi non senserunt plagas, & tormenta huius passionis. D. Optimè. Nempe quia Christus patiendo egit personam totius generis humani, tanquam caput omnium saluandorum. Capitis autem commoda & incommoda, in mẽbra solent redũdare totius corporis. Rursũ, quia velut ex cõdicto & beneplacito Dei patris suscepit in se caussam totius generis humani. M. Patiendo, non quidẽ pro se, quia peccatum nullum fecerat, sed pro fratribus suis, quorum carne vestitus erat, vt salui fierent per ipsum. D. Verùm nunquid patiendo etiam sibi aliquid meruit? M. Hoc aperte testatur Apost. ad Philip. 2. dicens. Qui cũ in forma Dei esset, &c. humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ergo quatenus homo meruit sibi exaltationem, & nomen quod est super omne nomẽ. Meruit quoque sedere in throno Dei patris, prout habes Apocal. 3. vbi sic loquitur Christus. Qui vicerit dabo illi sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum Patre in throno eius. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs. Meruit tertiò iudex fieri viuorum & mortuorum, vt habes Act. 10. cap. Meruit denique sibi omnia quæ naturæ suæ humanæ accesserunt per resurrectionis gloriam, hominibus autem meruit vniuersa illa quæ commemorauimus suprà. Et quæcunque nobis accrescunt siue accrescere possunt, ad salutem & consummatam vitæ æternæ felicitatem.

An Christus patiẽdo meruerit aliquid sibi.

Cur fructus passionum Christi non perueniat in omnes Adæ filios, cùm tamen passus sit Christus, non pro vno ac altero, sed pro omnibus citra exceptionem personæ aut status. CAP. XVIII.



CVr igitur ad tam paucos transit D. gloriosus iste fructus passionum Christi? Immo cur tam pereũt multi, postquam tanta in nos cumulata sunt subsidia vitæ? M. Sicut peccatum & mors, illata mundo per Adam, non transeunt ad quenquam pro prima infectione naturæ, qua nascimur filij iræ, nisi per generationem carnalem: adeò vt si Deus aut creatione, aut operatione Spiritus sancti produceret homines absque semine Adæ, illi nõ haberent peccatum Adæ: ita salus quam attulit mundo Christus patiendo, non transit ad quenquam pro prima iustificatione, qua velut noui palmites inserimur Deo, nisi per regenerationẽ spiritualem, vt habes Ioann. 3. Et sicut peccatum Adæ in Posteris suis, non operatur vltra damnationem vbi transuolant ad Christum, iuxta illud: Nihil igitur damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, etiamsi carnaliter nati sunt ex Adam. Ita quoque meritũ passionis Christi, non operatur effectualiter salutem in eis, qui post regenerationem acceptam, rursus retrocedunt, ad opera Sathanæ & inobedientiam Adæ secundum carnem ambulantes, & secundum spiritum. Excidunt enim à gratia, & rursum euacuantur à Christo, non retinentes vinculum quo viuificè connexi fuerant, in corpore mystico Christi. Nempe fidẽ ad cor transeuntem, siue per dilectionem operantẽ, quã baptizatus obtemperat Christo inhęrens vestigijs eius. Rursus, sicut imitatione inobedientiæ Adæ, vel augemus in nobis, vel si liberati eramus denuo reuocamus ad nos peccatum & damnationem Adæ, non quidem peccatum originale, vel ipsam Adæ præuaricationem, sed aliud peccatũ eiusdem præuaricationis, habens similem damnationem annexam, Ita imitatione Christi, vel augemus in nobis, vel si perdidimus, recuperamus denuò nobis gratiam & iustitiam, quæ secundum

A simili ostẽditur, cur nõ perueniat mors Christi ad omnes homines.

dum Deum est. Recuperamus, dico, per pœnitentiam, qua spontaneè ac fideliter subimus iudicium Sacerdotis vicarij Dei de nobis ipsis, disciplinam insuper & satisfactionem in orationibus, ieiunijs, lacrymis, alijsque afflictionibus carnis, sicut & Christus subijt pro nobis, iudicium ferendum contra se, propter peccata nostra, prout latè explicabimus in Sacramento Pœnitentiæ. Nam sicut generatio carnis non iteratur, ita nec regenatio spiritus iterari potest, sicuti infrà demonstrabimus in materia de Sacramento Baptismi. Nasci quidem & renasci semel tantùm: imitari verò contingit sæpiùs. Semel duntaxat nascimur filij iræ in Adam, sæpiùs autem per imitationem relabimur in peccatum & mortem, quę intulit mundo Adam. Similiter semel duntaxat regeneramur à Deo in sanguine redemptionis Christi. Sæpius autem imitatione, & apprehensione eorum quę Christus docuit & præstitit, resurgere licet ab iterata inquinrate, vel septuagies septies, vt docet Saluator Matth. 18. Multi igitur nati ex Adam pereunt, licet Christus passus sit pro eis, quia non regenerantur in sanguine Christi. Multi item regenerati in Christo pereunt, non obstáte quod Christus passus sit pro eis, quia sua voluntate euacuant se à Christo, reuertentes ad opera, & præuaricationem Adæ. Etenim quanquam Christus passione mortis suæ sufficienter meruerit omnibus gratiam & salutem, sic quòd ex parte meriti eius, nulla est insufficiétia ad propitiandum Deum pro peccatis totius mundi; tamen hoc ipsum eius meritum non operatur actu salutem, nisi in his qui regenerantur in sanguine passionis eius, & regenerati manent in fide ipsius & obedientia, iuxta has scripturas. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, Ioan. 3. Qui verò crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, scilicet per meritum passionis Christi, Marc. vlt. Item: Qui factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis. Non quidē factus effectualiter causa salutis omnibus simpliciter, neque omnibus credentibus quocunque modo, sed omnibus obtemperantibus sibi, hoc est, omnibus sic credentibus, vt fides ad eos tráseat, & in debitam obedientiam credentis affectum commutet, sicuti suprà demonstratum est. Vnde Ioann. Qui dicit se in Christo manere, (hoc est, qui dicit se participem esse eorum quæ Christi sunt) debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 1. Ioan. 2. Vt igitur probè intelligas ea quæ doctores tradunt, de sufficientia & efficientia meritorum Christi, semper tibi præ oculis habendum est simile quod posuimus. Iuxta monitionem Apostol. dicentis. Qui (scilicet Adam) est forma futuri, (scilicet Christi) Roman. 5. Nam etiamsi decies cētena milia hominum nascerentur, supra eos qui vnquam nascituri sunt, omnibus sufficeret ad damnationem vnum peccatum Adæ, tamen hoc non operatur effectiuè, nisi in illis qui generantur actu ex visceribus Adæ, nec diutius operatur in ipsis quam manent in Adam. Eodem modo etsi centies centena milia hominum nascerentur, vltra eos qui fuerunt, vel vnquam erunt, sufficeret tamen omnibus saluandis vnum vnius passionis Christi meritum, quia infinitum est. Infinitum vero neque vsu finiri potest, neque ablatione. Verùm effectiuè non operatur salutem nisi in illis qui actu regenerantur in ipso, & hoc quàmdiu manent fide & obedientia conglutinati cum illo. Nam si rursum excidant à Christo, conuersi ad opera tenebrarum & carnis, iam iteratò computantur in veteri Adam, expertes meritorum quæ præparauit hominib. Christus, donec per pœnitentiam reconcilientur, vt rursum Christi, & meritorum eius participes fiant. Meritum enim passionis domini & precium redemptionis eius, hostia insuper quam obtulit in odoré suauitatis, sunt velut immensus thesaurus, quęsitus & conseruatus in vtilitaté omnium nascentiū in mundo. Verùm hic thesaurus non incepit esse meus, aut tuus, vel alterius, vt saluemur per ipsum, nisi & Christus fiat noster, nosque incipiamus reuera esse ipsius subditi, membra, & filij familias. Nam ipsius sunt merita, actu non communicanda nisi suis, qui scilicet facti sunt vnū corpus cum ipso, vt sic per fidei copulā ipsa Christi opera, merita, hostia, fiant quodam modo nostra opera, nostra merita, nostra hostia. Quò etiam vel sic cōsistat vniuersalis veritas illius, quod dicitur 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Et alibi: Tu reddes vnicuique secundū opera sua, docente Augustino in epistola ad Vitalem. Vitam æterná (etiam dum paruulis datur propter Christi merita) simul dari propter ipsorum opera ac merita. Nam Christi merita efficiuntur ipsorum: Dum regeneratione fiunt viua membra corporis eius, siquidem quæ capitis sunt, ea etiā totius sunt corporis, & per consequēs omnium membrorum eius.

Nasci & renasci contingit semel tantummodo, imitari contingit multoties.

De sufficientia & efficiētia meritorū Christi.

Nisi Christus fiat noster ipsius merita actu nō operantur in nobis.

Meritis Christi non fieri iniuriam licet multi homines non saluentur, quia non voluit Christus finaliter saluari per suum meritum nisi prædestinatos à Patre. CAP. XIX.

M Nonne

D. Nonne Dominus meruit, redemtionisque pretium posuit, etiam pro infidelibus, vt fideles fierent? & pro impijs vt ad pœnitentiam redirent, secundum quod dicit: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam? M. Meruit, dico, pro omnibus citra exceptionem nationis vel personæ. Iuxta illud Ioannis. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris non nostris tantùm, sed etiam totius mundi peccatis. Et illud. Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, ad Timoth. 2. D. Attamen pereunt infiniti, alij in infidelitate sua, alij in alijs suis peccatis, fit igitur iniuria Christo. M. Est certa regula iuris. Quòd scienti & consentienti non fit iniuria. Christus dominus Deus erat & homo, habens iuxta distinctionem naturarum, etiã duas distinctas voluntates, diuinam scilicet & humanam. Estque diuina ipsius volũtas prorsus eadem cum voluntate Dei Patris, sed & voluntas eius humana, nunquam se deflexit aut deflectere potuit à beneplacito voluntatis diuinæ, propter hypostaticam vnionem, qua nulla arctior aut maior esse potest, quod & scripturis manifestè demonstratur. Descendi de cælo, inquit Christus, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Item: Amen amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille facit, hæc & Filius similiter facit, Ioann. 5. Deus autem non omnes ab æterno prædestinauit vt salui fierent, vti demonstrauimus suo loco. Neq; omnes trahit Pater ad Christum. Sed cuius vult miseretur, & quem vult indurat, id est, deserit. Vt sit sensus, cuius vult misereri, trahendo ipsum ad Christum, vt meritis illius saluetur, illius miseretur, quem verò vult obdurari, illum obdurat relinquendo eum sine pulsu, tractu, aut inspiratione, quibus conuertatur ad Christum Saluatorem mundi. Dicit autem Christus. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Nemo enim potest saluari per Christum, nisi incipiat esse vnum cum Christo, & membrum eius. D. Nunquid ergo, quod tamen horreo dicere, iniquitas est apud Deum, qui eorũ quos finxit manus eius, vnum trahit, alium non trahit, vnius miseretur, alterius non miseretur, vnum diligit, alium verò odio habet? M. Absit, inquit Apostolus, absit, vt apud eũ sit iniquitas, de quo ait Psalmista. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Item: Iustus est Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Sed altitudo est apud Deum inenarrabilis sapientiæ, qua sic moderatur mundum, vt reluceant in eius moderamine, iustitia simul & misericordia ipsius. Non sola misericordia, nec sola iustitia, sed misericordia simul & iustitia: Quod vt perspicias saltem aliquo vsque, cogitandum tibi est. Omnes homines, hoc est, Adam cum tota posteritate eius facere vnam massam perditionis, propter peccatum originale, aliaque superaddita. Omnes enim sunt filij iræ, omnes digni morte. De hac autem massa perditionis quos eripit Deus, misericorditer eripit, quos deserit in eadem, iusto suo iudicio deserit propter peccatum, quod habent. Istos relinquens quia iustus, ad ostensionem iustitiæ suæ, illos misericorditer eligens quia bonus, vt ostendat diuitias misericordiæ suæ in ipsis, habens liberam, meram, & omnimodam potestatem vtrunque faciendi. Dicit enim Apostolus: An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in cõtumeliam? Porrò sicut lutum se habet ad manum figuli, ita se habet genus humanum venundatum sub peccato, ad beneplacitum creatoris Dei; habentis liberam potestatem eligendi ex hac massa quosdam, vt sint sibi vasa misericordiæ, alijs relictis in massa perditionis, velut vasa iræ & indignationis, ad ostensionem iustitiæ suæ in eos qui malè agunt, vt sic secundum electionem propositum Dei maneat, prout loquitur Apostolus. Propositum, inquam, quo ab æterno, & ante secularia tempora, quosdam prædestinauit in gloriam suam, alios verò reprobauit. Vt hoc, dico, propositum maneat, non quidem secundum vllum vel Christi, vel hominis meritum, sed secundum meram electionem voluntatis Dei, liberè disponentis ab æterno, conferre quibusdam auxilium gratiæ suæ præparando eis redemptorem Christum, cuius meritis & beneficijs perueniant ad futuram gloriam, quod est prædestinare, aut, vt Scriptura dicit, eligere secundum propositum gratiæ, vel diligere ab æterno. Quibusdam verò non conferre opem gratiæ, sed ipsos sibi ipsis relinquere in illa massa perditionis, cui per peccatum annumerati sunt, quod est reprobare, aut odio habere, priusquam aliquid boni egissent vel mali, secundum Apostolum ad Romanos 9. Adeò vt tam prædestinationis quàm reprobationis prorsus nullum sit meritum, neque Christi, neque nostrum. Sicut & illius liberalitatis, qua nobis præparauit mediatorem & redemptorem potẽtem instaurare omnia, nullum est meritum. Siquidem hoc neq; Christus

In Christo erant duæ volũtates.

Psalm. 118. Psalm. 10.

Omnes homines faciunt vnam massam perditionis.

Prædestinationis diuinæ nullũ est meritum.

Christus pro nobis, neq; quisquam hominũ ipse sibi promeruit. Verum enimuero quòd reprobis, actu nõ dãtur auxilium gratiæ, qua salui fiãt, quodque finaliter damnetur ad tormentum mortis æternæ, haud dubiè hoc est pro merito, quia propter peccatum eorum vel originale, vel actuale, vel vtrumque simul, iuxta illud. Stipendium peccati mors est. Itidem, quòd electus sic trahitur ad Christum sicut Deus aptum nouit vt veniat, quodque veniens purgetur à peccatis suis, & sanctificetur in peculium, quod plus est, in filium Domino, hoc certè partim gratiæ Dei, partim gratiæ Dei simul & meritis, non quidem nostris, sed Christi meritis acceptum ferre oportet. Adhæc, quòd exinde iustè viuendo perueniat ad gloriam, in quam ab æterno prædestinatus fuerat, hoc gratiæ Dei, insuper meritis Christi, simul ac nostris bonis operib. gratia Dei peractis imputari potest, vt sit verũ: Gratia Dei vita æterna. Nihilominus sit etiam verum, id quod de se loquitur Christus. Sine me nihil potestis facere. Tertiò sit & hoc verũ. Merces vestra copiosa est in cælis. Et hoc: Itaque fratres mei dilecti stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Adeò vt in ipsa saluatione prædestinatorum non desit ostensio iustitiæ Dei reddentis meritis Christi, ea quibus iustificatur prædestinati, vt habes Roma. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem in sanguine ipsius, ad ostentionem iustitię suę, propter remissionem pręcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Obserua singula. Dicit enim gratis, per gratiam ipsius, comparatione scilicet nostri. Addit per redemptionem quæ est in sanguine eius, ergo per meritum passionum Christi, idque ad ostensionem iustitiæ suæ, &c. Ergo iustè & per iustitiam, quia propter condignum meritum Christi. Itaque recapitulando, de primo ad vltimum. Omnib. quidem sufficienter meruit Christus patiendo, attamen non ad omnes peruenit fructus meritorum eius. Primo, quia non omnes prędestinati sunt, vt salui fiant per Christum. Voluit enim Deus, ab æterno quosdam in massa perditionis, cui per peccatum accreuerant, perire, ad ostensionem iustitiæ suæ in vindictã do peccatum. Cui voluntati Dei Patris semper manũt conformis voluntas Christi. Ideoque non fit ei iniuria, si non detur omnibus salus, quam omnibus patiendo meruit, quia noluit meritis suarum passionum finaliter saluari, nisi illos quibus ab æterno placuit Deo Patri dare regnum. Iuxta illud. Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratũ est à Patre meo, Matthæi 20. Huic consonat illud Saluatoris: Hic est sanguis meus qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, tacitè subindicantis non pro omnibus, sed pro multis effusum esse, nempe illis quibus ab æterno placuit Patri dare regnum.

Roma. 6

Ioann. 15.
Matth. 5.
1. Cori. 15.

D. Ceterùm, nunc quid dicemus ad illud Apost. 1. Timo. 2. Hoc enim bonum est & acceptum, inquit Apostolus, coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Dicendo, omnes, videtur neminem excepisse. Et subditur ibidem de Christo, similiter vniuersalis sermo, videlicet: Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: M. Vti frequens est apud omnes scriptores linguæ Latinæ, vt vniuersalitatis signum faciat distributionem, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ita & in scripturis hoc passim obuiam habemus, vt in istis. Et erunt omnes docibiles Dei, Ioann. 6. Item: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, Act. 2. Item. Omnia animalia fuerunt in arca Noë, quia de omni genere animalium aliqua fuerunt in arca. Ita hoc loco per omnes homines, omne hominum genus, quibuslibet differentijs distributum intelligimus, quia non est natio, qualitas, siue status hominum, cui non velit Deus salutem impartiri. Reges, principes, plebeos, nobiles & ignobiles, doctos & indoctos vult saluos fieri. Ideoque pro omnibus statibus hominum orandum, vt saluẽtur. Sicut & Christus pro omnibus citra exceptionem nationis, vel personæ, semet ipsum redemptionem dedit. Ista interpretatio est própria secundum literam. Nihilominus, si velimus hoc loco esse distributionem pro singulis generum, hoc est, pro omni indiuiduo humanæ naturę, oportet tunc dicere hic sermonem esse, non vtique de voluntate beneplaciti diuini, de qua scriptum est. Omnia quæ voluit Deus fecit, in cælo, & in terra. Itẽ. Et non est qui tuæ resistat voluntati. Certum est enim, quòd Esau, quòd Pharaonem, quòd Gentes multas ab æterno reprobauerit, immo quòd ex vocatis multis, paucos solum elegerit. Iuxta illud: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Sed accipiendum est, de volũtate signi, id est, de voluntate Dei quatenus nobis præceptis eius, doctrinaque fidei innotescit, quibus omnes homines citra exceptionem inuitat ad salutem, omnibusque salutis me-

Signum vniuersale facit distributionem aliquãdo pro generibus singulorum, aliquãdo pro singulis generum.

Aliud est beneplacitum, aliud signũ voluntatis diuinæ.

dia proponit, adeoque præcipit, vt pro omnibus oremus, quo saluentur. Siquidem attēdendo ad signa voluntatis eius, de nullo scire possumus, num à beneplacito Dei eligentis reiectus sit, velut vas quoddã iræ, & indignationis diuinæ, itaq; pro omnibus orandũ vt saluentur. D. Vtrunque intelligo; Verùm, quæro an solùm sit ex parte electionis diuinæ quòd in tã paucos perueniat fructus passionũ Christi? M. Nequaquã, prout nũc audies.

Quæsit caussa ex parte nostra, cur in tã paucos perueniat fructus passionis Christi
CAP. XX.



Væstioni qua quæri solet, cur fructus passionis Christi perueniat in quosdam Adæ filios, in quosdam verò non, hoc est, cur non perueniat in omnes Adæ filios, respondetur Christianè, id partim prouenire ex electione, & voluntate diuina, partim ex libera voluntate humana. D. De electione diuina iam dictum est. M. Aliquousque, quantum satis erat huic nostro proposito, quia materia prædestinationis & reprobationis, longè maiorem tractatum requirit. Quòd autem subinde sit impedimētum ex parte nostra, cur non proueniat in nos fructus passionum Christi, clarè discimus ex doctrina parabolica Saluatoris, Matth. 22. Et Luc. 14. qua docetur, non omnes vocatos venisse ad cenam, siue prandium præparatũ, hoc est, ad copiam & vbertatem gratiarum, quas meruit nobis Christus patiendo, sed vocatos quosdam neglexisse, alios repudiasse, alios contempsisse, alios etiam persecutores vocantium extitisse, de quibus dicit Paterfamilias: Amen dico vobis, quia nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cenam meam. Quòd ergo talium hominum genus non percipiat fructum meritorum passionis Christi, non est ob defectum vocationis diuinæ, quia studiosè ac diligenter inuitati erāt & vocati: Non est etiam propter insufficientiam meritorum Christi, quia dicit: Omnia parata sunt. Nihil enim deficiebat ad plenam refectionem inuitatorũ. Sed est propter negligentiam, vel contemptum aut malitiam eorum qui vocati erant, qua vel neglexerunt, vel noluerunt se aptare ad percipiendum fructum passionis, alio conuertentes affectum. Sicut ignis in commune expositus & ad calefaciendum quosuis sufficiens, non transmittit calorem nisi in eos, qui vel sua sponte appropinquant, vel aliena voluntate propinqui fiunt. Ita Christus attulit medicinam omnibus sufficientem, sed hæc non operatur nisi in eos, qui vel sua sponte per fidem appropinquant, vel aliena voluntate propinqui fiunt, vt paruuli in Baptismo. Ignem dicit Christus, veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? Ideo veni, ideo passus sum, vt hic ignis perfectæ dilectionis ardeat in cordibus singulorum, sin minus, ipsi in culpa sunt, quia non appropinquant ad ignem. D. At nemo potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum. Quid ergo culpæ est, si non venerit is qui nondum est tractus à Patre? M. Qui non est tractus à Deo, aut non sic tractus, qualiter aptum erat vt veniret, ille non fit quidem particeps meritorum passionis Christi, attamen citra nouam culpam contemptus, vel negligentiæ. Qui verò est tractus & inuitatus à Deo sufficienter, nihilominus tamen non accommodat se, sed negligit, vel contemnit venire, profectò is multò fit damnabilior propter hunc neglectum suum vel contemptum. Erat enim sic præuentus & tractus, vt potuisset gratia Dei cooperante credere, pœnitere, ac benè viuere, sed noluit. Vnde & apud Esaiam conqueritur Dominus, se quodammodo frustra, & in vacuum laborasse sub prælo acerbissimæ passionis, pro Iudæorum salute, dicens: Quid vltra facere debui & non feci? Quasi diceret. Non Patri venit imputandum qui donauit me vobis, non mihi qui superabundans exolui precium in sanguine meo pro vobis, nō in sufficientiæ vocationis diuinæ, sed vestræ est negligentiæ aut malitiæ imputandum, quòd non peruenerint in vos vberrimi fructus passionis meæ. Vt igitur finiam, quidam non habent fructum passionis Christi, quoniã illum per fidem accipere noluerunt. Iuxta has scripturas: In propria venit, & sui eum nō receperunt, Ioann. 1. Hierusalem Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluisti: Matth. 23. Errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa, furor illis secūdũ similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Alij verò nō habent, quia postquam acceperunt, rursum repulerunt à se, conuersi retrorsum. De quibus Apost. ad Galat. 5. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Et D. Petrus. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione domini nostri Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Meliùs enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditũ est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbi: Canis reuersus ad vomi-

*Quomodo negligentia voluntatis humanæ sit caussa, cur non accipimus fructum passionis Christi.

Qui tractus non venit, culpã habet, qui non tractus nō venit, non habet culpam.

Diuersi ob diuersas caussas non percipiunt fructum passionis Christi.

vomitum, & sus iota in volutabro luti. Tertij non habent, quia merentur non accipere, de quibus Roman. 1. quòd illos tradidit Deus in sensum reprobum sic merentibus illorum sceleribus. De quibus & Psalmista dicit:

Psal. 68. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Appone iniquitatem super iniquitatem, & non intrent in iustitiam tuam, &c. Quarti denique non habēt, quia Deus non dedit eis vt accipere possent. Quemadmodum paruulis quibusdam non datur, vt perueniāt ad lauacrum regenerationis. Quibusdam etiam adultis, forsitā absque noua culpa propriæ negligentiæ, non datur vt audiant Euangelium salutis. Itaque primi secundi, & tertij generis homines non possunt prætexere vllam contra Deum quęrimoniam propria conscientia illos arguente, nimirum se iusta ratione derelictos esse propter suam ipsorum culpam. Quarti item generis homines, cum videbunt se iusto Dei iudicio vel propter originale peccatum, quod Deus in eis non condidit, sed malitia naturę superaddidit, vel propter originale simul ac alia contra legem naturæ superaddita, derelictos in massa perditionis, atque damnatos, tunc & ipsi obmutescent nullum habentes iustæ defensionis prætextum. Quia etsi non sit eis damnabile, siue imputabile quòd non habuerunt fructum passionis Domini, tamē imputabilia sunt eis illa peccata cum quibus ad iudicium veniunt. D. Nunquid iusta erit querela, dicentium sibi non fuisse datam eam, quæ data fuit alijs, gratiam, qua resurgere potuissent à peccatis. M. Hoc si dixerint, respondebitur eis illud iuris: Si inter duos vel tres æquè reos vni fiat gratia, alteri non fit iniuria, quod iurisprudentia pro re-

Rom. 9. gula tradit. Illud, item Pauli: An non habet figulus potestatem ex eadem massa luti facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Tertiò, illud Euangelicum: Amice tolle quod tuum est, id est, tibi pro

Matt. 20. meritis debitum. An non licet mihi quod volo facere? Et in hoc vtique erit omnis illorum querimoniæ finis. Quoniamquidem Deus quia iustus & iustitiam faciens, neminem condemnat nisi ob peccatum quod inest vel ex traduce, vel ex propria voluntate, vel vtroque modo simul. Iterum, quia misericors est, & diues in misericordia, & miserationibus, quosdam præter omne illorum meritum elegit ab æterno segregare, de communi massa perditionis, & saluos facere, per sanguinem redemptionis Filij sui, idque ad laudem & gloriam siue ostensionem ineffabilis bonitatis suæ, alijs relictis in massa perditionis ad ostensionem iustitiæ suæ in eos qui malè agunt. Itaque omnia iustè, omnia verè, ac sapienter facit Deus in sæcula benedictus.

DE INFERNIS AD QVAE DESCENDIT CHRISTVS, ET DIVERSIS ANIMARVM RECEPTACVLIS, TRACTATVS QVARTVS.

Vbinam sint inferna, & quomodo Christus descenderit ad inferna. Cap. I.
Diuersum esse statum, diuersa etiam receptacula eorum qui sunt in inferno. Cap. II.
Quibus scripturis demonstretur esse Purgatoriū animarum post hanc vitam. Cap. III.
Ignis Purgatorius quomodo, & à quibus purget, seu expiet animas defunctorum. Cap. IIII.
De cura pro mortuis agenda. Cap. V.
In tremendis mysterijs seruandas esse memorias defunctorum, & oblationem in Missis debere fieri pro defunctis. Cap. VI.
De eleemosinis factis pro defunctis, & qua ratio ne prosint defunctis opera viuentium, quæ nō sunt facta ab ipsis defunctis in corpore suo. Cap. VII.
De argumentis quæ ab hæreticis obijciuntur contra Purgatorium. Cap. VIII.
Quomodo ex præmissis posset fieri debita & infallibilis demonstratio Purgatorij animarum post hanc vitam. Cap. IX.
Quæ sit dispositio inferni damnatorum, & quæ pœna eius. Cap. X.
Prædictorum, quasi epilogus. Cap. XI.

Vbinam sint inferna, & quomodo Christus iam corpore defunctus descenderit ad inferna. CAP. I.

NE vlla vnquam obliuione delerentur ex animis Christianorum, esse quædam infernalia loca, in quibus recipiantur animæ defunctorum: ante redemptionem generis humani quidem omnes, nunc verò illæ duntaxat quæ nō sunt omninò puræ: noluerunt prætermittere Apostoli, quin succincto quodam articulo Symboli docerent, etiam Christum corpore defunctum descendisse ad inferna; dicentes. Descendit ad inferna, subintellige, Filius Dei natus ex Maria, nomine Christus Iesus. D. Verum vnde, & ad quæ inferna descendit? M. Christus iam mortuus erat, & sepultus, nihilominus (vt testatur ordo articulorū) descendit ipse qui crucifixus fuerat, deinde M.

mortuus,& sepultus,non quidem secundum diuinitatem, quæ locum non mutat, sed secundum naturam humanam ex virgine Maria assumptam. D. At Christus secundum illam iam mortuus erat. M. Verè iam mortuus erat per diuisionem animæ à corpore. Nihilo secius vera locutione descendit ad inferna,secundum illam naturam, iuxta quam mortuus non erat. Quia eò descendit secundum animam,præcipuam totius hominis partem,iuxta phrasim qua & ipse Dominus vtitur in cruce, loquens ad latronem pœnitentem:Hodie mecum eris in paradiso.Quasi diceret: Licet hic moriamur ambo: tu tamen hodie mecum eris in paradiso,Quia tua anima cum mea ibidem erit hodie, etiamsi tua caro semper vsque ad consummationem sæculi: mea verò triduum clausa maneat in sepulcro. Quam phrasim etiam vulgò sequimur dicentes:sanctus Petrus est in cælo: eiusmodi Christi verbis edocti,ac alijs,præcipuè Apost. dicētis:Cupio dissolui,& esse cūChristo.Quòd crederet sese Paul.regnaturum cū Christo in cælis,etiam facta dissolutione animæ à corpore, carne adhuc putrescente sub terra.Quoniam autem infernus dicitur relatiuè ad ea quæ sunt superiora, additurque in articulo,descendit, sequitur ergo quòd Christus ad inferiora loca perrexit quàm erat locus mortis,& sepulturæ eius. immo quia dicitur,ad inferna,absolutè & fine addito, ideo ad loca quæ in vniuersitate rerū infima sunt, sicque sunt inferna, vt nullius comparatione dici possent superna. Descendit itaque Christus ad inferna secūdum animam,corpore interim quiescente in sepulcro. D. Descendere,propriè est ire ad inferiora loca,per metaphoram verò dimittere sese,ac humiliare, At, quæ sunt ista inferiora loca ad quæ descendit Christus,& cuius rei gratia ad illa descendit? M. In scripturis inueniuntur,supernum & infernum, altum & imum, summum & infimum, & dicuntur hæc relatiuè ad se inuicem. Summum, est super omnes cælos vbi est thronus gloriæ Dei. Altum & supernum similiter, dicente scriptura: A summo cælo egressio eius, & occursus eius ad summum eius. Item: Ascendens Christus in altum,captiuam duxit, & cet. Rursum: Ego,inquit Christus de supernis sum. Quia de throno gloriæ Patris erat. Inferna itaque per relationem, dici debent ea loca quæ summè distant à throno gloriæ Dei, quæ ab Apostolo vocantur inferiores partes terræ. Nam,superior pars terræ,seu superficies eius,non summè distat à throno Dei. Iacob Patriarcha existens in superioribus partibus terræ, dixit:

Qua ratio ac verum sit quod Christus mortuus descēdit.

Infernus dicitur relatiuè.

Ephes. 4.

Quæ sunt inferna.

Ephes.4.

Deducetis canos meos cum dolore ad inferos, id est, ad eos qui positi sunt & siti infra nos viuētes super terram.Item Dathan &Abiron,cum complicibus suis stantes super terram,descenderunt viuentes ad infernum,vo ragine dehiscentis terræ absorpti,& proiecti ad inferiores vsque partes terræ. Et de voluptuosis dicitur Iob 21. Ducunt in bonis dies suos (nempe super terram) & in puncto ad inferna descendunt. Quia caro morientium sepelitur sub terra, & anima subinde transit ad receptaculum sibi præparatum in inferno, siue in inferioribus partibus terræ. D. An igitur sub terra sint receptacula pro animabus defunctorum. M. Omnino,pro illis animabus quæ non inueniuntur dignæ throno gloriæ,hoc est,locis supernis. Obserua dictum Apostoli:Vt in nomine Iesu,inquit,omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Nam ordo verborum subindicat, infernorum locum esse sub loco terrestrium, sicut terrestrium locus est sub loco cælestium. Quod paulò expressiús indicatur in illo Apocalypsis: Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire,& cetera:quasi diceret, quantumlibet vnum sunt cum Deo qui cælos inhabitant. Item quantumlibet adoptati in gratiam multi super terram, denique licet quidam cari sunt & saluti vicini subtus terram, nemo tamen omnium inuentus est dignus aperire librum. Sunt itaque quidam, etiam Deo cari, in quibusdam receptaculis subtus terram. Verum, demonstratur istud luce clariùs, Primò,ex Psalmista, qui viuens super terram dicit: Si ascendero in cælum, tu illic es, Si descendero ad infernum, ades. Ecce viuens super terram non venit ad infernum nisi per descensionem: Ergo infernus est subtus terram. Secundò ex Apostolo ad Ephesios quarto, dicente: Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit (scilicet hoc pacto secum ducens captiuam captiuitatem,& dona faciens hominibus) quid est, nisi quia priùs descendit ad inferiores partes terræ? (non solùm ad homines viuentes super terram, qui iuuandi erant, & illustrandi donis, sed etiam ad inferiores partes terræ, vbi erat illa defunctorum Patrum captiuitas, hoc est, detenta multitudo, quam exaggerandi caussa vocat captiuam captiuitatem. (Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cælos, vt (hoc scilicet ordine processionis) impleret omnia: Primùm quidem impleret homines super terram

An inferna sunt sub terra.

Philip.2.

Apoca.5.

Psal.138.

terram sua præsentia, salutari insuper doctrina, atque miraculis, nec non & superadditis pretiosis donis, de quibus 2. Petri 1. Deinde impleret, & anhela illa desideria patrum in inferioribus partibus terræ, consolatione diu multúque expectata suæ præsentiæ. Tertiò, etiam cælum impleret, triumpho admirabili inferendo in locum vnde ceciderat Lucifer cum suis, captiuam illam sanctorum patrum captiuitatem, velut primitias redemptionis peractæ. Siquidem hoc est implere omnia, superficiem terræ doctrina ac donis, inferiores partes terræ expectata liberatione, cælum denique animabus iustis. Quod sanè vt tunc incepit, ita & nunc facit continuò, faciétque vsque ad consummationem sæculi, instillando gratiam in corda viuentium super terram, transferendo quoque indesinenter de infernis, sanctas animas defunctorum post expiationem factam, idque ad superna, quò impleatur tandem locus vnde ceciderāt mali angeli. Quòd si descendere, supernum quoque, & infernum, accipiantur metaphoricè, vt descendere sit dimittere sese, & infernus dicatur locus vacuus honore, vilis & abiectus, sicut supernus, vocatur locus honoris, iuxta illud Luc. 14. Amice ascende superius, id est, ad locum honoratiorem, etiā hac phrasi locus animarum quæ nondum habētur dignæ societate cælestium, rectè dicitur infernus, hoc est, in vniuersitate rerum vilissimus & abiectissimus, quia secundum scripturam infernus est locus exilij ac carceris, fletus & stridoris, tenebrarum & gehennæ, horroris & vastæ solitudinis. Ideóque meritò summè distans à solio gloriæ Dei, subtus terram, siue in inferioribus partibus terræ. Nam terra vt est elementorum infimum, ita vilissimus & abiectissimus locus totius vniuersi est in gremio eius, quasi extra terminos gloriæ magni Dei. Vt infra pleniùs exponemus.

Quę dicatur inferna si termini articuli accipiantur metaphoricè.

Diuersum esse statum, diuersa etiam receptacula eorum qui sunt in infernis.

CAP. II.

D. AT, secundum scripturam in inferno nulla est redemptio, quomodo igitur verum est, quòd Christus descendit ad inferna, vt liberaret inde animas defunctorum? M. Sicut viuentium super terram, ita & existentium in infernis varius est status. Inter homines hic viuētes, alij prorsus sunt sine redemptore, puta infideles, qui vt tales salui fieri nō possunt, iam enim iudicati sunt & condemnati, iuxta verbum Domini: Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Item qui scelera faciunt, etiamsi fidem retineant, prout patet ad Ephes. 5. & ad Galat. 5. & 1. Corint. 6. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, supple, si tales permanserint. Alij fidem sic habent vt sint in Christo Iesu, neque secundum carnem ambulant, quibus secundum Paulum iam nihil est damnationis, ad Roman. 8. Veruntamen inter hos plerique, multa adhuc egent purgatione propter lubricitatem sensus, & quotidianas offensiones. Quidam autem sic sunt purgati sicque dispositi, vt nō indigeant, nisi sola dissolutione à corpore mortis huius, sicut diua Virgo, & Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum. Itaque, sicut in hoc mundo, alij sunt in ea qualitate in qua salui fieri non possunt, alij in eo statu in quo placent Deo positi extra damnationem, sed tamen egent adhuc multa purgatione affectuum, alij denique sic dispositi vt non egeant, nisi sola dissolutione animæ à corpore: ita, dico, inter infernales, alij prorsus dānati sunt, ac resecti ab omni spe melioris fortunæ, vt diues epulo, Dathan, & Abiron, Iudas item cum cæteris omnibus qui non obedierunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt, vti Paulus docet, in interitu æternas, à facie Domini & gloria virtutis eius. Alij sunt ibi vtique extra damnationem æternam, attamen velut captiui ad tempus, in igne expiatorio: vt Christiani qui cum pietate dormitionem acceperunt, nondum tamen ad viuum repurgati ab omni inquinatione, de quibus mox dicemus. Tertij etiam suum in infernis habent receptaculū, nihil tamen ibidem patiūtur mali præter exilium à gloria, solam regni cælorum apertionem expectantes, vt animæ sanctorum Patriarcharum ante Christi aduentum. Quam sanè diuersitatem inferorum vt paucis insinuaret Symbolum fidei, dixit: Descendit ad inferna, numero plurali, eò quòd non vnus dūtaxat est locus ac status inferorum siue infernalium, sed plures ac varij, quę receptacula appellātur animarū discedentiū è corpore. D. Verùm an scripturis possent ista demōstrari? M. Possunt, & id clarissimè. Dauid Propheta sic dicit: Misericordia tua magna est super me, eruisti animam meā ex inferno inferiori. Quod interpretantes magistri Hebræorum: Viam, dicut adulterorum esse, vt sint in profundo inferni, siue in inferno inferiori: sed inde, inquit Dauid, Liberasti me Domine, cùm Nathan Propheta dixit mihi ex te, Dominus quoque trāstulit peccatum tuum, nō morieris, 2. Reg. 12. Itaq; Dauid dicens se liberatum

2. Thessa. 1.

Varia esse inferna ex scripturis demōstratur.

ab inferno inferiori, dedit intelligere esse quendam infernum superiorem, & ab eo non fuisse animam suam liberatam. Nam vt vniuersis sanctis patribus ita & ei, eò descendendum erat, donec redêptio per Christum interposita esset. Iterum, dicens Dominus Deuteron.32. Ignis succensus est in furore meo,& ardebit vsque ad inferni nouissima. Et Sapiens Prouerb.15.dicens. Semita vitæ super eruditum, vt declinet de inferno nouissimo, indicant esse prima inferni sicut sunt nouissima inferni. Infernum autem superiorem siue prima inferni, vocat Ezechias rex sanctus portas inferi, dicens: Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Iacob verò vocat inferos absolutè, Genes.44. dicens: Deducetis canos meos cum mærore ad inferos, id est, ad eos qui comparatione viuentium super terram inferi appellantur: non autem dixit ad infimos qui scilicet sunt in inferno nouissimo, quales comparatione omnium statuum sunt prorsus infimi & nouissimi, quia ab illo infimo inferno facit semita vitæ hominem declinare, sed non ab inferno superiori, siue à portis inferni, maximè ante Christum glorificatum. Christiani verò subdiuidunt infernum superiorẽ, seu portas inferi, in Limbum, & Purgatorium. Atque Limbum patrum subinde vocant sinum Abrahæ, in quem deportatus fuit Lazarus, sic edocti ex Euangelio, Luc.16. Patet autem liquido ex parabola ibidem posita, Lazarum sanctum ab impio epulone longè fuisse separatum, non solùm qualitate vitæ & meritorum remuneratione, sed & loco, quoniam sic dicitur: Et factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte &cet. Et dixit illi Abraham: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare. Itaque receptaculum Patriarcharum sic fuit separatum à loco damnatorum, vt esset magnum chaos firmatum in medio. Hebræi verò solent appellare idem receptaculũ Patriarcharum, apothecam, cellarium, seu locũ conseruatorium animarum iustorum hominũ, quòd ibi extra tormenta consolabantur, spe redemptionis interponendæ per Christum.

Porrò, purgatorium conformiter scripturis Matth.5. Luc.12. 1.Corint.3. rectè vocamus carcerem expiationis, vel ignem probatoriũ, siue purgatorium, quòd ibi vniuscuiusque opus probatur quale sit, expurganturq; quæ repurgatione opus habent. Item quòd qui reatibus obligatiè viuis discedunt, coërcentur vt ibidem permaneant, donec luêdo soluerint nouissimum quadrantem. At, infernus inferior, vocatur in scripturis ignis æternus, ignis inextinguibilis, gehenna ignis, locus supplicij sempiterni, lacus ignis & sulfuris, mors secunda: aliquando etiam infernus simpliciter: accepto nomine per se posito, pro significato famosiori, vt Luc.16. Sicut olim patres subinde vocauerunt infernum superiorem, inferos absolutè. Sed & hoc non parum momenti habet, quòd in vernaculo sermone hæc tria receptacula infernorum habuerunt distincta sua nomina, à quàmplurimis retro sæculis. Nam Limbum Patriarcharum vocauerunt Teutones patria lingua *het voorgheborcht der hellen*, conformiter dicto Ezechielis. Vadam ad portas inferi. Purgatorium verò Christianorum vocauerunt, *het vegheuier*, conformiter doctrinæ Pauli: Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Denique, damnatorum locum appellarunt *die helle*, designantes abyssum, vnde non est reditus aut liberatio, conformiter scripturæ dicenti: In inferno nõ est redemptio: aut alio vocabulo, *het erwich vier*. Iterum conformiter Euangelistis loquentibus de igne æterno & inextinguibili habente supplicium sempiternum. Redeundo itaque ad tuam obiectionem, scies quòd in inferno quidem inferiori siue nouissimo, nulla est redemptio. Ceterùm in inferno superiori quem diuisimus in Limbum & Purgatorium, certa sed differens & inæqualis est liberatio: & ad hunc descendit Christus corporaliter secundum animam, educens de Limbo captiuam illam patrum captiuitatem. D. Symbolum habet: Descendit ad inferna, plurali numero, igitur tam ad infernum inferiorẽ quàm superiorem. M. Non consequitur, sicut non rectè infertur: Exurgens autem Maria abijt in montana cũ festinatione, ergo adijt singulas montanæ regionis partes. Veruntamen Christus, sicut omnibus natus est in mundum, non tamen omnes salui fiunt per ipsum, vt habes Ioan.3. alijsque infinitis locis. Iterum, sicut apparebit omnibus in gloria, dum venerit iudicare sæculum per ignem, non tamen omnibus ad gloriam ipsorum. Sed tunc, inquit Apostolus, nos scilicet, qui ambulauimus sicut & ille ambulauit: aparebimus eum illo in gloria nõ alij,

Vnde dictũ purgatorium.

Quib' nominibus appellatur infernus inferior.

In aliqua parte inferni est redêptio, in alia parte non.

Obiectio.

Solutio. An Christus descẽderit ad omnia loca inferorum.

alij, prout pulcerrimè hoc declaratur, Sapië. 5. & Matth. 25. Sic quoque, omnibus infernalibus descendit ad inferna, non tamen illi qui sunt in inferno inferiori, facti sunt participes redemptionis, quę est in ipso. Verùm sicut nasci voluit omnibus, pijs quidem ad gloriam, impijs verò ad ignominiosiorem suæ impietatis damnationem, eò quòd dilexerūt magis tenebras quam propositam lucem, sic voluit descendere ad inferna omnibus infernalibus, pijs quidem qui in inferno superiori sunt ad cōsolationem, impijs verò qui sunt in inferno inferiori, ad grauiorem damnationem. Quo videant doleátque magis, quia non sperauerunt in Deo qui talem donaturus erat saluatorem, sed abierunt post desideria cordis sui, quasi non esset qui redderet vnicuique iùxta opera sua. Itaque Christus veniens in mundum, sicut non saluauit, neque saluat, nisi eos qui fide colunt pietatem quæ est in ipso: ita descendens ad inferna, nō liberauit inde nisi eos qui dormitionem acceperant cum pietate: soli enim illi habēt optimam sibi repositam spem futuræ liberationis. Vis verbo vno rem tibi quasi demonstrem? Dictum est à Domino, per Osæam Prophetam: Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne. Quasi diceret. Redemptione quæ est in sanguine meo, mors quidem ero totius mortis, sed non nisi morsus inferni, quia non auferam totum infernum, sed tantummodo partem, nempe infernum superiorem, velut morsum vnum ex toto. Sed & illum auferam ordine quodam. Nam limbū seu sinum Abrahæ prorsus abstulit, mox post crucifixionem suam, confringens illius portas, vectes ferreos, atque repagula, hoc est, omnem vim & potestatem vltra retinendi purgatas animas sanctorum: quemadmodum à multis retro sæculis canit Ecclesia. Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimens, victor triumpho nobili ad dextram Patris residens. Purgatorium verò, quæ pars altera est inferni superioris, non abstulit, sed consolatus est donis redemptionis suæ, indesinenter transferēs inde animas purgatas, nō iam ad sinum Abrahæ, vt olim (vbi requies duntaxat erat à pœnis, & cōsolatio in spe certa liberationis) sed ad thronum gloriæ Dei in cælis, vbi est beatitudo perfecta, destructurus totum illū carcerem expiationis, hoc est, Purgatorium, cùm venerit iudicare sæculum per ignem, missis inferno, morte, & ijs qui non sunt inuenti ac scripti in libro vitæ, in stagnum ignis, quæ est mors secunda. Vt sit verum: O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne, quia pars altera & ea maior, eò quòd multi ingrediūtur viam perditionis, infernus scilicet inferior, permanebit in stagno ignis & sulfuris inæternū. Mors autem penitus absorbebitur ab omnibus electis, Iuxta illud Apostoli: Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Quos liberet Christus ex inferno: & quos nō.

Quomodo Christus fuerit & sit mors & morsus inferni.

1. Cori. 15.

Quibus scripturis demonstretur esse purgatorium animarum post hanc vitam.

CAP. III.

D. DE Limbo Patriarcharum, & inferno damnatorum satis & abundè testatur nobis scriptura, Luc. 16. loquens de sinu Abrahæ in quo extra tormenta consolabatur Lazarus, & diuite epulone qui sepultus in inferno cruciabatur in flamma ignis, absque spe vllius refrigerij aut liberationis. Verùm de purgatorio dicunt nihil inueniri in scripturis. M. Dicant & fingant impij quod velint. Nihilominus traditio Ecclesiæ velut firmamentum veritatis stabit inæternum. Ego scripturis tibi demonstrabo: Primò, esse quendam carcerem expiationis & repurgationis pro animabus eorum qui cum pietate dormitionē acceperunt. Secundo post mortem remitti peccata, solui debita, expiari insuper & exuri quę inter facta nostra, ligni, feni, stipulæ similitudinem habent. Tertiò, defunctos iuuari viuorum orationibus, sacrificijs, eleemosinis. Deinde velut digito ostendam eam quam nunc retinemus doctrinam de Purgatorio, & cura pro mortuis agenda, prorsus ac clarè contineri in scripturis sanctorum Patrum, in traditione antiqua ac vniuersali, per omnem vbique Ecclesiam, & in concilijs œcumenicis, vt euidenter videas merum figmentum esse quod pro documento obtrudunt Lutherani ac Protestantes. D. Obsecro, Domine etiam atque etiam, vt facias mihi hanc demōstrationem, ne & ego sicut multi alij Christifideles incipiam vacillare. M. Christifideles non merentur dici qui infideliter custodiunt, quod tam fideliter traditum est, non solùm à Christo, verùm etiam ab Apostolis, & ab vniuersa insuper Ecclesia. Scripturas audi. Christus Matthæi 5. sic docet: Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, Dicens: Esto consentiens aduersario, non loquitur de maligno aduersario, qui circuit, quærens quem deuoret,

Quid de purgatorio ex scripturis demonstrari potest.

Scripturis probatur quod purgatoriū sit carcer expiationis.

ret, quia noluit Christus docere tali aduersario consentiendum, quin potiùs dissentiendum. Sed loquitur de fratre aduersante tibi in bonum, vel quia habet aliquid iustæ querelæ aduersum te quod reconciliatū conuenit, de quo præcedens particula loquitur, vel quia cupit animam tuam saluam facere, instans opportunè, importunè apud te, quò pœnitentiam agendo te exoneres, ab his quæ Deo tuo debes propter iniquitatem commissam. Qua sanè ratione nobis qui caro & sanguis sumus, proni in malum ab adolescentia nostra, aduersantur vniuersi qui Christum prædicant, aut bonum suggerunt, cupientes nos Deo lucrifacere. Nam omnis Euangelij prædicatio ab hoc themate incepit: Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum Dei. Dum es, inquit, cum eo in via (non quidem ea quæ ducit Bruxellam vel Antuerpiam, sed in via vniuersæ carnis, hoc est, dum nondum es mortuus, sed in peregrinatione hac, tendens paulatim ad mortem) ne fortè tradat te aduersarius iudici (iustis suis querelis contra te, ea scilicet phrasi sermonis, qua dictum est ad Cain: sanguis fratris tui clamat ad me de terra, Gene. 4.) & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris (hoc est in locum vbi solent debita & malefacta expiari) Amen tibi dico non exies inde, donec reddas nouissimū quadrantem (omnium scilicet debitorum, etiam eorum quibus fratri aduersanti obæratus eras. Vides ex doctrina Christi post cursum huius vitæ restare carcerem expiationis, pro ijs qui in via vitæ huius non fuerūt prorsus consentientes aduersanti sibi in bonum, salutis suę caussa. Planè idem sed paulo apertiùs dicitur Luc. 12. Cùm vadis cum aduersario tuo (quoniam querelæ illius qui affectibus tuis aduersabatur, sequuntur te euntem) ad principem (nempe Deum vel Christū qui est princeps regum terræ, & designatur hoc loco in nomine princeps siue magistratus, vti alij legunt) in via, hoc est, in peregrinatione vitæ huius, da operam liberari ab illo, id est, ab impetitione qua tibi propter salutem tuā aduersatur, ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas. Tu fili facilè animaduertes hunc esse verum, ac germanum sensum verborum Christi, etiamsi quidam ex veteribus paulò aliter interpretantur, si modò bene perpendas mecum hæc non esse verba projicientis à facie sua in dam nationem mortis, sed potiùs conseruantis in vitam, attamen sub rigore carceris, ad expiationem eius quod disciplina emendatum oportuit. Carcer enim à coërcendo dicitur, non ab exterminando. Qui damnati sunt ad mortem, non vltra in carceribus detinentur, sed exterminantur in furcam. Qui verò deliquerunt, sed non prorsus hostiliter, aut adhuc debent pro peccatis antea remissis, ij solent carceribus puniri ad emendationem, non autem iudicari ad mortem, aut exterminium. Habes prætereà ad Philippens. 2. Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Item, Apocalyp. 5. Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. Et infrà eodem capit. Et vidi, & audiui omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Ex quibus, rationabili argumento licet colligere, subtus terram quosdam genua flectere in nomine Iesu, spem habentes in eo, & pietate quadam animi tribuere sedenti super throno & agno benedictionem, honorem, gloriam, potestatem. Quales etiā ratione aliqua potuissent videri digni, aperire librum, sicuti & ij qui viuunt super terram: Eam sanè ob caussam quia in fide defuncti sunt, & dormierunt in Christo cum pietate, habentes optimam repositam spem perueniendi ad thronum gloriæ, vbi Deus sedet cum agno. Hi autem sunt in inferno, quia subtus terram: non vtique in inferno inferiori damnatorum. Non enim ille infernus, teste Esaia, confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Addit Psalm. In inferno autem (damnatorum scilicet) quis confitebitur tibi? Sunt igitur in inferno superiori qui est locus purgatorius siue emendatorius saluandorum. Sed transeo ista vt veniam ad Apost. 1. ad Corint. 3. Vbi dicit hoc pacto: Vt sapiens architectus fundamentum posui (tam scilicet in communi doctrina fidei, quàm in cordibus vestris ad piè viuendum secundum Deū) alius autem superædificat) aut per doctrinam quam facit in Ecclesia, aut per incrementa virtutum in seipso) vnusquisque autē videat quomodo superædificet (siue in seipso, siue in Ecclesia credentium, quoniam de fundamento posito nihil est decipiendum) Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, qui est fundamentū structuræ quæ fit indesinēter in Ecclesia, fundamentū quoq; ædificationis spiritualis in cordibus singulorum,

Scripturis probatur q purgatorius ignis expiatorius.

rum, per ſpiritum fidei. Si ſtilũ orationis ſpectes, clarè videbis hoc voluiſſe Apoſtolum. Subiungit autem conditionalem dicens: Si quis autem ſuperædificet ſuper fundamentũ hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fenum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Et hoc quidem conditionaliter dixit. Quoniam non omnes ſuperædificant lignum, fenũ, ſtipulam, cum auro, argento, &c. ſed quidam ſuperædificant aurũ duntaxat, & argentum, & lapides pretioſos, vt fecerunt D. virgo Maria, Apoſtoli & ſanctiſſimi illi, quibus omnis vita non erat niſi virtus mera, repurgatio carnis, & emendatio veterum delictorum, quæ forte præfuerant. Alij verò miſtim ſuperædificant vtraque ſimul, vt faciunt paſſim pleraque Chriſtianorum. Multi autem ne fundamentum quidem retinent, tantum abſunt à ſuperædificatione, vt impij. D. At, quomodo ſupra Chriſtum ædificari poſſunt res materiales, aurũ, argentum, lignum, vel fenum? M. Non accipiuntur hæc propriè, ſed metaphoricè, vt per aurum intelligatur quod optimum eſt in doctrina fidei, aut vita vniuſcuiuſque: per argentum, quod eximium: per lapides pretioſos, quod vtique dignum eſt pretio remunerationis. Siquidem metallorum optimum eſt aurum, argentum verò eximium, & inter concretas terræ glebas multi lapilli excellũt pretio. Per lignum verò, fenum, & ſtipulam, intelliguntur ea quæ in doctrina fidei ſeu etiam vita vniuſcuiuſque, humano ſpiritu inuenta ſunt ſecundum carnem, aut infirmitatem, vel iudicij defectionem, quale erat ſchiſma Corinthiorum dicentium in doctrina fidei: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Appollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti. Et illud Petri increpantis Dominum dicendo: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc. Et illud duorum fratrum, Ioan. & Iacobi dicentium: Domine, vis dicamus vt ignis deſcendat de cælo, & deuoret ciuitatem iſtam? Et figmenta Iudith quibus impoſuit Holoferni. Mendacium denique obſtetricum inter Aegyptios &c. quæ etſi vtilitatem aut vigorem habere videantur, tamen vim ignis probantis ſuſtinere non poſſunt. Vt ſit ſenſus verborũ Apoſtoli: Si quis in doctrina fidei ſuperædificet, non ſolum aurum, argentum, lapides pretioſos, id eſt, non ſolũm doctrinas, ac ritus viuendi merè diuinos, velut aptiſſima media caritatis, virtutiſque intertenendæ, ſed etiam lignum, fenum, ſtipulam, id eſt, traditiones ſeu cultus quoſdam minus idoneos fouendæ pietati, quinimmo ſubinde non parum impedientes curſum caritatis. Sic in vita propria,

Quid intelligatur per aurũ, argentũ, & lapides pretioſos.

Quid intelligatur per lignũ, fenum, ſtipulam.

1. Cor. 1.

Matth. 16.

Luc. 9.

Iudith. 11.

ſi quis retento fundamento in corde ſuo, ſuperædificet nõ ſolùm aurum; id eſt, puræ caritatis opera, Argentum, hoc eſt, aliarum virtutum officia, lapides pretioſos, id eſt, mores ſeu ſtatum vitæ conſultum in Euangelio, verùm etiam lignum, fenum, ſtipulam, id eſt, opera quæ aut otioſa ſunt, aut indiſcreta, aut tarda nimis, aut aliàs ſecũdum carnem, amorem ſæculi, inanem gloriam, vel præſumptionem (quomodo ſuperædificãt ferè Chriſtiani. De his dico, qui ſecum in die Domini fundamentũ cũ tali miſta ſuperædificatione adferunt) dies Domini probabit, vniuſcuiuſque opus quale ſit. Ideoque dixi cõditionaliter. Si quis ſuperædificet &c. Nec ſolùm probabit, ſed & ignis purgabit exurendo, quidquid ineſt materiæ cõbuſtibilis. Nam prima proprietas ignis eſt cõburere, proxima expurgare, tertia reddere nobilius quod incõbuſtibile reperit, ſicut aurum nõ comburit fornax, ſed melius reddit ac ſplendidius. D. Et de ijs qui nõ adferunt ſecum fundamentum quod eſt Chriſtus Ieſus, vt Iudæi, ac gentes. Iterum de ijs qui licet credant, tamen longè ſunt à Deo, vt hæretici, ſchiſmatici, & quotquot operantur iniquitatẽ, quid precor fiet? M. Iudæos, Gentiles, Saracenos, & cæteros eius notæ dies Domini non probat, neque ignis diei Domini purgat, ſed vaſtat, ſed interimit, quoniam qui incredulus eſt filio, iam iudicatus eſt. Similiter nec eos qui defecerunt à fundamẽto fidei per apoſtaſiã, aut hæreſim, aut ſchiſma. Itẽ impios Chriſtianos qui licet rectè credant, tamen in cordibus ſuis nõ afferunt ſecũ fundamentũ quod eſt Chriſtus; nõ probabit ignis diei Domini, ſed vaſtabit gehenna damnationis, quoniã neq; ſpiritũ ſanctificationis habẽt, neq; fidẽ ad cor tranſeuntem, ſiue per dilectionẽ operantem, quibus ſolis Chriſtus ſubſiſtit in cordibus iuſtorum, tanquã fundamentũ vitæ Chriſtianæ. D. Deniq; quid fiet de ijs qui ſuperædificarũt dũtaxat aurũ, argẽtũ, lapides pretioſos? M. Neq; hos purgabit ignis diei Domini, quia nõ miſtim, vtraq; ſimul ſuperædificarũt, ſed probata tantùm. Nihil enim aliud fuit vita illorum à tẽpore cõuerſionis, quàm aureum quoddam ſtudium puræ caritatis, ſanctiſſimaque diſciplina veræ virtutis. Et ſi quid aliud fortè ingerebat deceptio ſathanæ, aut ſurreptio carnis, id ſtatim indeſinenter expurgabant fontibus lacrymarum, ac pœnitentijs iudicantes ſeipſos, præueniendo, ne iudicaretur à Domino. Adeoq; purgatos reddebat proprios affectus ab his quæ ſunt ſecundum carnem, & ſanguinem, & mundi huius corruptionem, vt libera mente exclamarent; Cupio diſſolui, & eſſe

Quib' nõ cõtinget purgatorium.

Infideles nõ habẽt purgatorium.

Hæretici & impij Chriſtiani nõ habẽt purgatorium.

Apoſtoli, Martyres, alijq; ſancti nõ habent purgatorium.

cum

cum Christo. Infelix ego quis me liberabit de corpore mortis huius? Viuo enim iam nõ ego, verum viuit in me Christus. Mundus mihi crucifixus est, & ego mũdo. Si quid autem stipularum adhuc inhæreat tempore dissolutionis animæ à corpore, id aut mortis amaritudo excoquit, aut ignis diei Domini, mox adeoque subitò absumit, vt nulla sit talium mora in purgatorio. Nam stipula mox vt tetigerit ignem absumitur, quodque modicũ est pro nullo reputari solet. At Christiani qui communem agunt vitam, miscentes bonis sanctisque operibus plerunque vana, curiosa, indiscreta, phantastica, reatus item ac rugas, seu cicatrices, & callos ex præeuntibus delictis, hos dico probat ignis diei Domini, quale vniuscuiusque opus sit. Si cuius opus manserit superans vim ignis, virtutis suæ nobilitate, mercedem accipiet æternæ retributionis. Si cuius verò opus arserit, detrimentum patietur, quia combustione expurgabitur. Ipse autem saluus fiet, sic tamen quasi per ignem. Vides fili traditionem Ecclesiæ in nullo discrepare à verbis Apostolicis. Docet Apostolus non venire ad probationẽ & purgationem quæ est in igne diei Domini, nisi eos qui retento fundamento superædificãrunt. Idem docet Ecclesia quòd non sit purgatorium aliquod, sed gehenna ignis pro infidelibus, hæreticis, schismaticis, & vniuersis impijs hominibus. Insinuat insuper Apostolus eos qui vel solum fundamentum afferũt, vel fundamentum cum superædificatione solius auri, argenti, & lapidum pretiosorum, non accipere vllam probationem & purgationem, quæ fit in igne diei Domini. Idem credit & docet Ecclesia. Nempe infantes à baptismo morientes, Martyres item ac alios Sanctos non sentire purgatorias pœnas, sed mox euolare ad cælum: quapropter pro talibus nullas facit preces, neque publicas neque priuatas. Dicente Augustino: Iniuriam facit Martyri, qui orat pro eo. De alijs verò Christianis, vt Apost. ita & Ecclesia semper tenuit ac credidit, quòd non saluãtur nisi priùs probentur in igne diei Domini per pœnas purgatorias, vti audies. D. At quis est iste ignis, & vbi inuenitur? M. Non vtique est ignis tribulationis mundi huius, neque ignis qui præparatus est Diabolo & Angelis eius, aut ignis conflagrationis, qui præcedet ante Dominum in iudicio extremo, sed ignis diei Domini, siue ignis in quo reuelatur dies Domini post mortem vniuscuiusque. D. Etiã istud an scripturis probari posset? M. Hac ipsa scriptura Apost. vt alias taceã. Ignis enim tribulationis mundi huius nunc est, & passim sentitur ab hominibus. At dicit Apost. Dies Domini qui reuelabitur in igne, non qui nũc est in igne. Rursum dies septimanæ, & anni, non dicuntur secundum phrasim scripturæ dies Domini, sed potiùs dies hominum. Nam dies Domini est ille, qui peculiariter & secundũ phrasim scripturę Domini vocatur. Nempè in quo agit & retribuit Dominus, tacet ac patitur homo, (qui est dies mortis vniuscuiusque) dies insuper extremi iudicij in quo redditur ratio villicationis, fitque retributio, vindicatio, atque iudicium pro meritis singulorum. Ratio autem cur talis dies vocetur, dies Domini est: quoniam in illo die agit secundum beneplacitum suum Deus, patitur secundum merita sua homo, Quovsque sanè dicitur dies hominis, quòd in eo agat homo vt lubet, vel bene, vel malè, iuxta beneplacitum suum. Est autem phrasis ista notissima apud vulgus, dum patres aut præpositi dicunt delinquentibus, Age fili, age vt lubet, erit aliquando dies meus. Quasi dicerent: Nunc tu agis quod lubet, veniet autẽ dies in quo ego agã quod velim, tu verò patieris quod nolis. Præterea non omnes saluantur per ignem tribulationis mundi huius. Nam vt boni, ita & mali, vt fideles, ita & infideles patiuntur multam tribulationem in hoc mundo: pereunt tamen horum plurimi. At Apostolus loquitur indefinitè (quod vim habet propositionis vniuersalis secundum Aristotelem) dicens. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ, quasi diceret: Quicunque veniunt cum fundamento Christo & superędificatione ad diẽ Domini, purgãdi in igne illius diei, salui erũt quasi per ignem. Omnes enim tales ceciderunt ad Austrum, Eccle. 11. Omnes tales acceperunt dormitionem cum pietate 2. Macha. 12. Omnes sortiti sunt sepulturam iusti, Tobiæ 12. Nullus talis peccauit peccatum ad mortem vsque, Ioan. vlt. Eandem insuper ob caussam nõ potest intelligi dictus locus Pauli de igne damnationis in inferno inferiori. Ratio est, quoniam in inferno nulla est redẽptio. In igne autem purgatorij est certa salus, sed tamen per ignem. Præterea quòd non potest intelligi de igne conflagrationis, patet ex eo quòd tunc salus vniuscuiusque purgandorum deberet differri vsque ad diem iudicij extremi, quod suo loco demõstrabimus prorsus alienum esse. Relinquitur ergo intelligẽdus locus iste Apostoli de igne expiatorio, siue vt August. loquitur, emẽdatorio post mortem cuiusque discedentium de hoc mũdo cũ fundamẽto Christo, & mista superædificatione, vt iam diximus. D. Verùm, an dictæ scripturæ, Matth. 5. Luc. 12. 1. Corint. 3. reuera

Quis dies dicatur dies Domini.

De quo igne intelligatur dictũ Apost.

de-

demonstrent esse locum, & ignem, quibus probet & puniat Deus animas iustorum post hanc vitam? M. Per se quidem hoc non demonstrant. Non enim loquuntur claro sermone de statu animarum post hanc vitam. Et aliam apud nonnullos patres recipiunt interpretationem. Ceterùm, vbi his adiunxerimus & alias scripturas, adiunxerimus insuper vniformem, Catholicam, vereq; Apostolicã traditionem totius Ecclesiæ, vti infrà adiungemus, tunc demum surget huius rei sufficiens, plenaque demõstratio ex verbo Dei. Debes enim meminisse ex primo libro, verbum Dei tam loqui nobis in vetusta ac Apostolica traditione Ecclesiæ, q̃ in scripturis noui ac veteris testaméti. D. Memini. Sed hoc, precor, adde: an vlli Patrum intellexerint dictũ locum Pauli de Purgatorio igne animarum post hanc vitam? M. Lege Enchiridion D. Augustini ad Laurentium. Lege insuper sermonem eius quartum de commemoratione animarum, & homiliam eius 16. lib. 50. homil. In primis autem Commentarium ipsius in Psalm. 37. Domine ne in furore tuo &. ibi sic precatur. Non sim inter illos, quibus dicturus es: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Neque in ira tua emẽdes me, at in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendato igne non opus sit, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare, nisi quia ædificant supra fundamentum, ligna, fenum, stipulam? Aedificarent autem aurum, argentũ, lapides pretiosos, & de vtroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui salui erunt per ignem. Dicitur enim: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur: Saluus erit, cõtemnitur ille ignis. Ita planè, quàuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hac vita. Lege prætereà finem Commentariorum Hiero. super Esaiam. Scripta quoque B. Gregorij. Potissimùm autẽ Origenem super Hieremiam, Homil. 12. vbi sic habet: Si post fundamentũ Iesu Christi, non solùm in tuo corde aurum, & argentum, & lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaueris, verum & ligna, fenum, & stipulam, quid tibi vis fieri cùm anima seiuncta fuerit à corpore? Vtrum nam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum feno & stipula, vt polluas regnum Dei? An propter lignũ, fenum, & stipulam foris residere, & pro auro, argento, & lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid

An Patres intellexerint verba Pauli de igne purgatorio.

igitur sequitur, nisi vt primùm propter ligna, ignis tibi detur, qui consumat fenum, lignũ, vel stipulam. Hæc ille. D. At, Origenes dicitur fuisse in eo errore, vt crederet omnẽ hominem saluandum etiam à pœnis inferni, post certas quasdam nescio quas, annorum myriades. M. Est verum, sicuti Augustinus docet lib. 22. de ciui. Dei cap. 17. Et nos infrà latiùs explicabimus. Veruntamen prædicta verba Apost. haud secus interpretatus est Orige. atque nos exposuimus. Intelligit enim per aurum, argentum, lapides pretiosos, qualia nos intelleximus. Per ligna insuper fenum & stipulam, intelligit peccata, aliaque facta secundum carnem, aut alioqui minus discreta, siue pura. Per ignem verò, ignẽ aliquem probatorium animarum post hanc vitam, siue expiatorium & punitorium. Ne putes nos commititei in scripturis enucleãdis, quod non sit acceptum à Patribus etiam vetustissimis. Sed & filum perpende orationis qua vtitur Apost. & videbis luce clariùs nos nihil dixisse, nisi quod consonum est vero, & germanum textui Apostolico. Astipulantur autem huic loco Apost. & aliæ scripturæ, Esaiæ 4. & Malachiæ 3. Esaias enim sic dicit: Dominus abluet sordes filiarum Sion, id est, earum quæ ascenderunt montem Domini (sic enim interpretatur Sion) fide per dilectionem operante. Et sanguinem Hierusalem, id est affectiones carnales, siue secũdum sanguinem, abluet in spiritu iudicij (quale exercetur à Domino, non solùm in cõsummatione sæculi, sed etiam in morte vniuscuiusque) & spiritu ardoris (ardor verò est ipse æstus ignis). Ecce cõiungit Propheta iudicium Domini cum igne æstuante super animas eorum qui retinent secum fundamentum cum superædificatione mista. Malachias verò sic dicit: Ipse est quasi ignis cõflans, & quasi herba fullonum, & sedebit (scilicet in die Domini, quæ est dies iudicij, quale fit, tam in morte vniuscuiusque, quàm in consummatione sæculi) conflans & emundans argentum. Et purgabit filios Leui (id est, filios sibi copulatos per fidem ad cor transeuntem) Et colabit eos quasi aurum, & quasi argentum. Et erunt (scilicet post hanc purgationem) Domino offerentes sacrificia in iustitia (scilicet ante thronum Dei) seruientes ei die ac nocte in templo eius, (prout habes Apoc. 7.) Et placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui. Hæc Malachias: Ne autem mireris nostram hanc interpretationem, ecce Aug. tractans locum istũ lib. 20. de ciui. Dei, cap. 25. Sic dicit: Ex his quæ dicta sunt, videtur euidentiùs apparere in il-

in illo iudicio (in quo scilicet sedet Dominus conflans & emundans) quasdam quorũdam purgatorias pœnas futuras. Subdens eodem cap. Verùm ista quæstio de purgatorijs pœnis, vt diligẽtiùs pertractetur, in tempus aliud differenda est. D. Quin potiùs, Domine, audiui à quodam, Augustinum nullas admittere pœnas purgatorias animarum post hanc vitam: sed tantummodo punitorias. M. Aut certè ille non dixit bene, aut tu eum intellexisti malè. Quoniam August. lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 16. ac alijs locis manifestè admittit pœnas purgatorias animarum, ante illud vltimum tremendumque iudicium. Sed non admittit vllas esse pœnas purgatorias post extremum iudicium, aut in damnatis hominibus. Reprehendens cap. 13. eiusdem lib. Platonicos docẽtes vniuersas pœnas, tam in hoc sæculo quàm futuro esse purgatorias, & non nisi purgationis caussa infligi. Docet quoque idem August. super Psal. loco supra allegato esse post hanc vitam ignes quosdam, alium æternum, alium emendatorium animarum. Verùm si est ignis aliquis post hanc vitam emendatorius, est & purgatorius. Quia emendatio fit expurgatione eius, quod diuinæ maiestatis oculis aliquo modo est ingratum.

Ignis purgatorius quomodo & à quibus purget seu expiet animas defunctorum.

CAP. IIII.

D. Cæterũ, ignis, ille quem verba Apostoli, in effectu docent probatoriũ esse & purgatorium, à quibus obsecro purgat & expiat animas defunctorum? M. Hoc tibi facilimum erit intellectu, vbi priùs demonstrauero secundam partem promissi nostri, videlicet, remitti post hanc vitam peccata, solui debita, expurgari rugas seu cicatrices relictas ex præeuntibus peccatis, affectiones insuper carnis & sanguinis, & quidquid ligni, feni ac stipulæ similitudinem habet. D. Peccata hic commissa an remittantur post hanc vitã? M. Haud dubiè. Constat enim id clarè testimonio scriptutarum vtriusque testamenti.

Probatur peccata remitti post mortem.

Nam 2. Machab. 12. sic habes: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Si exorandũ pro defunctis est ob finem vt soluantur à peccatis suis, si hoc quoque sanctum est, ergo quædã peccata soluuntur seu remittũtur post hanc vitã. Matth. verò 12. cap. sic dicit Saluator: Quicunque dixerit verbũ contra Filium remittetur ei: qui autẽ dixerit cõtra Spiritũ sanctũ, nõ remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro. Quibus verbis apertè innuit Saluator quædã peccata remitti in futuro sæculo, quod est post hanc vitã. Nam si nulla omnino culpa remittatur post mortẽ, quid opus erat addere neq; in futuro? hoc testimonio vtitur B. Gregorius ad probandum purgatorium post hanc vitam, lib. 4. Dialogorũ, cap. 39. Eodem quoque vtitur D. Bernardus serm. 66. super Cantica aduersus quosdam hæreticos negantes purgatorium, qui se dicebant Apostolicos. D. Nunc denuò quærendũ est mihi, an omnia peccata cuiuscunque generis sint, remittantur post hanc vitam?

Tã venialia q̃ mortalia remittuntur post mortem.

M. Et venialia, & mortalia remittuntur post mortem, aliter tamen illa, aliter ista. Venialia, quoniam minutila sunt, nec repugnant ex diametro caritati, ideo sicut hîc, ita & post mortem possunt inesse etiam secundum culpam, ac reatum homini pio, cui fundamentum Christus est in corde. Et contrahuntur subinde multa venialia tempore infirmitatis, etiam sub ministerio sacramentorum, & in ipso sæpè agone mortis, per insufficientem reuerentiam ad sacramenta, per impatientiam, per nimium affectum ad vxorem, ad proles, ad bona mundi huius, & id genus alia. Cuiusmodi peccata, quoniam non expurgantur ante mortẽ, ideo expurganda veniunt post mortem igne purgatorij, & quoad culpam seu maculam, & quoad reatum, priusquã fit ingressus in sancta sanctorum. Quia non intrat in illam cælestem Hierusalem aliquod coinquinatũ, aut abominationem faciens, & mendacium. (Apoc. 21.) Si quæris quare non expurgantur minutila illa peccata efficacia sacramentorũ, vel ipsa mortis amaritudine? Iam caussam dixi. Quia sæpissime contrahuntur sub sacramentorum sumptione, & in ipso agone seu articulo mortis. Qui mundus est, inquit Saluator, nõ eget nisi vt pedes lauet, hoc est, affectus quibus velut pedibus fertur in hoc vel illud. Itaq; mundus ab opere iniquitatis, potest egere repurgatione ab indeliberatis, otiosis, aut indiscretis affectibus, & ante mortem, & in morte, & post mortem.

Quomodo remittũtur mortalia post mortem.

Peccata verò mortalia similiter expiantur seu soluũtur post hanc vitã, sed quoad reatum tantum, hoc est quoad pœnas aliquas eiusmodi peccatis debitas. Non autẽ quoad culpam aut maculam. Ratio est, quoniam culpa mortaliũ non patitur secũ caritatẽ, vestem nuptialẽ, seu Christũ inhabitantẽ. Quæ enim conuentio Christi, ad Belial, lucis ad tenebras? At reatus quidam mortaliũ peccatorum stare possunt cum gratia Dei, & reconciliatione post dimissam culpam, vti luce clariùs demonstratur in Dauide 2. Regum 12. In populo Israëlitico Deut. 1. In Moyse & Aarone, Numerorum 20. & Deut. 1. De reatibus

tibus autem mortalium peccatorum non dilutis, seu expurgatis cõgrua satisfactione ante mortem, intelligi potest, tam illud Saluatoris: Amen amẽ dico tibi, nõ exies inde donec reddas nouissimum quadrantem, Matth. 5. Luc. 12. quàm illud Machabæorum: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluatur. Nam fit ibi mẽtio etiam de grauibus peccatis, vt est ibidem videre. Postremò, sicut frequens vulneratio relinquit in carne cicatricum deformitates, etiam vulneribus probè curatis. Item, sicut longo vsu operandi, calli cõtrahuntur in manibus, rugæ in facie: ita longo vsu peccandi obducitur anima callis ac rugis, & sępius icta peccatis, non potest non habere cicatricum maculas. Quæ haud dubiè non statim recedunt recedente peccato quoad culpam, prout quisque nostrum experitur facile in semetipso. Nam etsi per confessionem sit culpa remissa, tamen malæ illæ habituationes peccãdi seu calli, non nisi multa sedulitate contrarijsque exercitijs tolluntur. Eiusmodi ergo cicatrices, prauos habitus, callos, ac rugas, expiat ignis purgatorius ab animabus defunctorum. Siquidẽ Christus, vt habet scriptura, exhibebit Ecclesiam suam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi. Neque intrabit in illam cælestem Hierusalẽ aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. Prædicta autem, & maculant, & abominabilia sunt in oculis ciuium cælestiũ: Verùm & hoc addere debeo, quod Apostolus dicit per tropum 1. Corint. 15: Caro enim & sanguis regnũ Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam. Certũ est non voluisse hoc loco docere Apostolum, quòd substantia carnis & sanguinis non possidebunt regnum Dei, alioqui & sibi ipsi, & Christi resurrectioni contrarium docuisset, sed hoc voluit docere, quòd caro prout hîc est disposita, lubrica, passibilis, opaca, carnales itẽ affectiones animæ ad suauia oblectamenta carnis, quibus anima velut caro afficitur, regnum Dei non possidebunt. Sic & sanguis, prout hic est dispositus, siue affectiones hominis propensi nimium ad sanguinis propaginem, parentes, proles, vxorẽ vel cognatos, regnum Dei non possidebunt. Sed si sint in morientibus eiusmodi affectiones carnis & sanguinis, vt sunt plerunque experientia teste, expurgatas illas oportet igne purgatorij, ante ingressum in regnum Dei. Quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Vt igitur satisfaciam quæstioni tuæ. Ab animabus defunctorũ expiat ignis purgatorius peccata venialia, reatus quoque seu debita peccatorum mortalium, affectiones insuper secundum carnem & sanguinem, denique & cicatrices, rugas, callos, siue prauos habitus relictos in anima, ex præuio peccandi vsu. Nũc quid tibi apparet fili, nihilne inuenitur in scripturis de Purgatorio? D. Multùm per omnia. Immo vniuersa quæ hucusq; credidit & docuit mater nostra Ecclesia. Nẽpè quòd sit ignis nõ huius temporis, sed diei Domini probans & expians, sicut docuit in loco præallegato Apost. quodque sit carcer ad expiationem debitorum, sicut insinuauit docendo Christus, Matth. 5. Luc. 12. Item quod post hanc vitam in illo igne ac carcere remittuntur peccata, soluuntur debita, eluitur insuper macula, & quod abominationem facit. Postremò, quod non habentur digni probatione & expiatione illa, quæ fit in Purgatorio, nisi Christiani cum pietate dormitionem accipientes, hoc est, Christianè morientes. Nec tamen illi omnes sustinebunt pœnas purgatorias, quia non infantes à baptismo morientes, non Apostoli, non Martyres, alijque sancti plenè purgati ante mortem, planè conformiter dictis Apostoli 1. Cor. 3. M. Interim fili persuasum tibi habe paucissimos Christianorum, exceptis paruulis, hinc transire ad cælum sine purgatorio. Plerique enim habent mistam superædificationẽ: in multis insuper ad extremum vsque offendimus omnes. Et si diximus (etiã in articulo mortis, dum hinc migrandum est) quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Nunc disseramus paululùm, de cura pro mortuis agẽda. In qua materia simul explicabimus, & alias scripturas, quæ aliquantulum clariùs, pertinentiusque demonstrant, quod animæ piè morientium possunt post mortem, & debent iuuari nostris hic viuentium suffragijs, alijsque pietatis officijs. Quibus demõstratis, fit mox luce clariùs animas morientium cum pietate, detineri ad tempus, eo in loco ac statu, in quo istis egent, istisque iuuari possunt. Quem locum ac statum Ecclesia consueto vocabulo appellat Purgatoriũ. Quibus omnibus exinde subijciemus vetustissimam vereque catholicam huius doctrinæ traditionem, vt tandem plenè sit demonstratum, quod in hac materia credidit semper, ac docuit vniuersalis Ecclesia.

Reliquiæ peccatorũ expiãtur ab anima post mortem.

Ephes. 5.

Apoc. 25.

Quàm cõueniat doctrina Ecclesiæ de Purgatorio cũ scripturis sacris.

1. Cor. 3.
Iaco. 3.
1. Ioan. 1.

De cura pro mortuis agenda. CAP. V.


Oncilium Florentium sub Eugenio 4. celebratũ, pro vnione Græcorũ, clarè definit, quod nos partim iam diximus, partim dicturi sumus, dicens: si verè pœnitentes in Dei cari-

M.
Definitio cõcilij Florentini.

tate discesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis & omissis satisfecerint, eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fideliũ viuorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, aliaque pietatis officia, quę à fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesię instituta. Hęc Concilium. D. At promiseras te scripturis demonstraturum, quod hæc iam dicta, animabus defunctorũ prodesse sent. M. De orationibus viuorũ an prosint defunctis, audi precor scripturã vtriusq; testamenti, 2. Mach. 12. sic infertur. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Et Angelus Domini ad Tobiam, inquit, hoc modo: Tobia quãdo orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationes tuas Dño. Priori loco dicitur sanctum esse, & salutare exorare pro defunctis. Ex posteriori verò loco certum est, & sanctos Dei homines orasse pro mortuis, & Angelis Dei curę esse offerre Deo orationes viuorum pro defunctis. Itaque indubiè prosunt, & non solùm prosunt defunctis, sed & vtiles sunt viuis easdem offerentibus. Quoniam hac pietate meruit Tobias sibi consolationem Angelicam, & Machabæus dicit cogitationem orandi pro defunctis salutarem esse. Est enim species misericordię. Omnis autem misericordia facit locum vnicuique secundum meritum operum suorum. Dicet prætereà Saluator in iudicio extremo: Amen amen dico vobis, quàmdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quod dictum Domini satis irrefragabiliter testatur, officia defunctis fratribus impensa, vsque ad diem iudicij extremi grata esse, & meritoria vitæ, quia dicit, quàmdiu. Est tamẽ in nouo testamento, & aliud planè viuum huius rei testimoniũ, 1. Ioan. cap. 5. vbi sic habet: Scimus quia audit nos Deus quidquid petierimus, scimus quia habemus postulationes nostras, quas postulamus ab eo. Ergo qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, hoc est, peccatum non durans ad mortem vsque, oret pro illo. Nam peccatum ad mortem non potest hic intelligi peccatum mortale: quoniam indubiè pro illis orãdum est qui peccant mortaliter. Sed peccatum ad mortẽ, est peccatũ in quo homo perseuerat ad mortẽ vsq;. Qui ergo scit fratrẽ suũ peccare peccatũ non ad mortẽ, petat, & dabitur ei vita nõ peccãti ad mortẽ. Est peccatũ ad mortẽ, nõ pro illo dico, vt quis roget. Omnis iniquitas est peccatũ, indubiè mortale, & est peccatum ad mortem scilicet peccatum finalis impœnitentiæ, & quoduis mortale habẽs sibi coniunctã finalem impœnitentiam. Hoc loco de Iudæis & Gentibus nihil curæ est Apostolo: tantùm de fratribus loquitur, hoc est, Christianis, quorũ alij licet peccent, nõ tamẽ manẽt obdurati in peccato ad mortem vsq;, sed pœnitent cõmutantes vitam in melius ante articulum mortis, alij peccãt, & continuò perseuerant in peccando ad mortem vsque. Nequaq̃ autẽ sciri, hoc est, certò cógnosci potest, an frater peccauerit peccatum ad mortẽ vsq;, nisi postq̃ expirauit animã, quia q̃diu spiritus hos alit art⁹ omni momẽto pœnitere potest. Si ergo quis sciat fratrẽ peccare peccatũ, & videat impœnitẽtẽ manere ad mortẽ vsq;, non mãdo, neq; cõstituo, vt pro illo oret. D. At particula, illo, dũ dicitur pro illo, refert in textu nõ peccãtẽ, sed peccatũ vti probatur ex Græco textu. M. Esto, Perinde enim est. Quia nõ dicit Apost. orandũ, vel nõ orandũ pro peccato, nisi per relationem ad peccantẽ, non enim vult orandũ vel non orandũ pro peccato, sed pro peccãte peccatum. Si videat peccãtem ad mortẽ vsq; nõ oret quis pro eo. Verùm si videat signa pœnitentię ante expirationem animę, pro illo, dico, oret. Hoc est ordino & cõnstituo vobis, vt pro illo fiat oratio, & dabitur illi vita, scilicet beatitudinis, quæ est in regione viuorum, extra angustias mortis. Nam vita quã viuunt animæ in pœnis purgatorijs, mors potiùs dicenda est, q̃ vita. Hanc Apost. ordinationẽ obseruauit Ecclesia Catholica à tẽporibus Apost. vsq; in præsentẽ diẽ, adeo vt nunq̃ faciat officiũ exequiarũ pro Iudęis, ac Gentibus: quia moriũtur in infidelitate sua, peccãtes peccatum ad mortem vsq;. Nõ etiã pro illis Christianis, qui seipsos crudeliter interimunt laqueo, gladio, vel vndis, neq; pro hęreticis, schismaticis, vsurarijs, & alijs publicis peccatorib⁹, nisi videat signa veræ pœnitentiæ ante mortem. Quæ nisi videat, scit eos peccare peccatum ad mortem, quare iudicat pro eis, neque publicè, neque priuatim orandum. Porrò pro alijs fratribus orat, tam publicè quàm priuatim, quantumcunque etiam enormiter peccauerint modo Christianè moriantur, cõfugiendo ad cõsilia Christi, pœnitentiam scilicet, & confessionẽ, aliáue sacramenta in vtroque insequendo exactè traditionem Apostolicam Ioannnis Euangelistæ. D. An temporibus Apostol. fecerint publicas orationes pro defunctis? M. Quod docuerunt Aposto. hoc indubiè & fecerunt auditores eorum. Nam discipulus Pauli, Dionysius Ariopagita contemporaneus Apostolis testatur cap. 7. Eccles. Hierarchiæ suæ dicens: Accedens venerandus anti-

Scripturis probatur q̃ orationes viuorũ prosũt defunctis.

Quod si peccatum ad mortẽ.

Orandum pro fratribus, qui nõ perseuerant in peccatis, vsque ad mortẽ inclusiuè.

Constitutionẽ istam Apost. de orãdo pro fratribus defunctis semper obseruauit Ecclesia Catholica.

A tẽporibus Apost. oratũ est pro defunctis. Dionysius [illegible]

antistes preceem super mortuum peragit, & suo deinceps ordine qui astant omnes preca-tur diuinam elementiam, vt cuncta dimittan tur per infirmitatem humanam admissa pec-cata defuncto, eumque in lucem statuat, & regione viuorum. simulque peragitur officiū missarum, vt infra probabimus. Nec alio mo do nunc facit Ecclesia, quàm tunc temporis fiebat. Nam qui primus est inter sacerdotes, prior orat super mortuum: deinde qui astant omnes, omnesque dicunt amen. Vt est vide-re in officio funeris. Post Dionysium Tertul lianus de exhortatione castitatis pag. 581. ex-pressè meminit anniuarum preceum, & obla-tionum pro defunctis. Post Tertullianum ve-rò B. Ambros. ante annos mille ducetos simi-liter testatur nobis, vsque ad sua tempora di-ligenter obseruatos fuisse in Ecclesia, tertiū, septimum, trigesimum, quadragesimum dies pro defunctis, in oratione sua super obitu Theodosij Imperatoris dicens: Alij tertium & trigesimum obitus diem, alij septimum, & quadragesimum obseruare consueuerunt, & vtraque obseruatio auctoritatem habet, qua necessarium pietatis impletur officium. Item in tractatu suo de fide resurrectionis. Die, in-quit, septima, ad sepulcrum redimus, qui di-es symbolum est futuræ quietis. Ex quibus dictis patrum, qui Apostolis vicini fuerunt, clarè constat, vetustissima obseruatione Ec-clesiæ hucusque productum esse, quòd amici & cognati eum vicinis defuncti, conueniant ad preces & diuina peragenda mox post ex-pirationem animæ, vel ante, vel in ipsa adhuc sepultura eius, quod nos exequias, vel funus nominamus. Rursumque conueniant die se-ptimo ad iterandum orationem, pietatisque officium super eodem defuncto, quòd vulgò septenarium appellamus, deinde trigesimo die, quòd tricenarium vocamus. Necnon & annuo, subinde mortis die conuenimus ad orationem, quod anniuersarium dicimus, cōmendantes Deo religiosè deuotisque pre-cibus animam defuncti. D. Nihil ne inue-nitur in scripturis sacris de exequijs, septe-nario, tricenario, ac anniuersario, vt voca-mus? M. Omnino: & quidem in capite scri-pturarum, Genes. 23. habes de officio funeris, hoc est, exequiarum quod religiosè impen-dit Abraha vxori suæ Saræ prostratus in fle-tu & oratione. Dicitur enim ibidem: Cumq; surrexisset ab officio funeris locutus est, &c. Similiter Gen. 50. cap. habes, quod filij Israel celebrantes exequias patris sui Iacob, plan-ctu magno, & vehementi impleuerunt septē dies. Et ibidem inuenies quòd Aegyptus fle-uit Iacob patrem Ioseph defunctum septua-ginta diebus. Sic quoque Deuter. 34. legimus quòd filij Israel fleuerunt Moysen defunctū triginta diebus in campestribus Moab. Ecce manifesta mentio exequiarum siue officij fu-neris, septimi, siue septenarij, trigesimi, siue tricenarij, & septuagesimi in scripturis sacris: idque ante omnem legem scriptam, Spiritu Dei sancto suggerente pijs hominibus, quòd officium pietatis impendi debeat defunctis aliquanto tempore, vel septem, vel triginta, vel septuaginta diebus. Cùm autem difficul-ter posset populus continuò vacare ab ope-ribus suis, quoties cognati funus vel vicini cu randum est, obtinuit tandem cōsuetudo vt saltem septimo vel trigesimo vel quadragesi-mo die, vel singulis mensibus, & anniuersario mortis die, iterato, ac sæpius conueniant ad preces, & diuina peragenda super defuncto in refrigerium animæ eius. Hls nō potest aut vanum diei, aut nouitium, quod tanto tem-pore stetit, & radicem habet in scripturis. Ante centum annos abiurarunt Græci hanc hæresim, videlicet: quod suffragia viuorū nō prosunt defunctis, idq; in cōcilio Florētino. Sed & in cōcilio Carthaginēsi quarto cap. 95. Item in cōcilio Valensi cap. 2. Tertio, in cōcilio Agathensi damnátur omnes qui retrahūt po pulum à suffragijs viuorum pro defunctis.

Tertull.

Ambros.

De exequijs, septenaria, tricenaria, anniuersaria memoria defunctorum.

Quid habeat scriptura de memorijs defuncto rū certis diebus peragendis.

De luctu peragēdo super defunctum.

Damnant cōcilia ecclesiæ eos qui retrahūt popu lū à suffra gijs p defunctis.

In tremendis mysterijs seruandas esse memorias defunctorum, & ipsam oblationem in Missis debere fieri pro defunctis.

CAP. VI.



Nihil adhuc probatum est de sacri-ficio Missarum, an sit offerendum pro defunctis? M. Habuit ve-tus testamentum certa quędam sa-crificia, habet & nouum testamentum sua. Inter quæ primas tenet sacrificiū missæ. Te-statur autem biblia nostra de vtrisque, quod vtiliter offerantur pro defunctis. Iudas Ma-chabæus eximiè sanctus, cōsiderās populum suum peccasse, interfectisque multis eorum qui se piè commendarant Deo ante pugnā, Misit, inquit textus, duodecim millia drag-mas argenti Hierosolymam offerri pro pec-catis interfectorū sacrificium (Nota offerri sacrificium) benè & religiosè cogitans de re-surrectione mortuorum &c. 2. Mach. 12. Hoc in veteri testamēto. In nouo autem testamēto ipse Saluator noster primū suū sacrificiū seu oblationem quam fecit in ara crucis, qua & eō summauit vniuersa, obtulit pro viuis simul & defunctis, tā pro illis quàm pro illis, vt patet Matth. 27. D. Nunq legi hoc eo loco, atta-men nō indiliges sui lectot illius capitis. M.

D.

Probatur quod sacrificia Missarum prosunt multis.

Oblatio in cruce facta fuit, tā pro defunctis q̄ pro viuis.

Non verba textus, sed effectus oblationis in cruce ibidem descriptus, rem quam dico manifestè demonstrat. Nam Domino in sacrificio isto crucis expirante animam suam, Centurio, & qui cum illo erant compungebantur corde virtute illius oblationis, dicentes: Verè hic homo filius Dei erat, & percutientes pectora sua reuersi sunt in ciuitatem. Vides ne fructum illius sacrificij in viuis personis? Audi nunc vlterius de mortuis. Et monumēta, inquit textus, aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerūt. Hauddubiè virtute Missæ illius quam tunc fecit Christus. Nā Missa erat oblatio illa Christi in ara crucis, sicut suo loco declarabimus. Obtulit ergo Christus primitias suas pro viuis, & defunctis. Sed & potestatem dedit, ac mandatū Apostolis faciendi hoc ipsum quod tum temporis fecerat ipse, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Facite hoc quod ego facio, accipite panem, consecrate, offerte pro viuis, & defunctis, sicut iam nunc me ipsum offero pro eisdem, vti effectus docebit. Si Christus obtulit primum sacrificium Missæ pro viuis & defunctis, si insuper idem faciendi potestatem, & mandatū dedit Apostolis, si denique ritum offerendi sollennia Missarum pro defunctis semper, & per omnem vbique orbem terrarū constanter obseruauit Ecclesia Catholica, quo ausu, quáue temeritate audebimus dicere sacrificiū Missæ non prodesse defunctis? D. Sed postremum hoc vnde constat? M. Constat, partim ex vniuersali traditione, quia sic semper per omnes ætates Ecclesię, sic vbique per omnem angulum Christiani orbis fit, factúmque est ab initio, ad hæc vsque tempora. Partim ex scriptis sanctorum Patrum. Nam B. Augustinus in libro de cura pro mortuis agenda cap. 1. sic ait: In Machabæorum libris legimus pro mortuis oblatum fuisse sacrificium: sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac cōsuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad altare eius funduntur, locum suū habet etiam cōmendatio defunctorum. Hæc Augustinus. Ne autem quispiam existimet consuetudinē hanc offerendi pro defunctis, de qua loquitur Augustinus, obrepsisse, aut leui alioqui momento introductā: Ostendā tibi ex probatissimis Patribus & vetustatem eius, & caussam. Tertullianus tēporibus Apostolorum vicinus, lib. suo de Corona militis refert, oblationem pro defunctis inter eas cōsuetudines quibus Apostolicam tribuit auctoritatem. Item Chrysost. homel. 41. in primam ad Corinth. epistolam, docet: Spiritus sancti ordinatione factum esse, quòd sacerdotes Græcorum in Missa orent, & clament ad Dominum pro fidelibus defunctis. Idem homel. 69. ad populum Anthiochenum, docet sancitum esse ab Apostolis, & id nō temerè, vt in tremendis mysterijs, defunctorū agatur commemoratio, docens hunc ritum in Græca Ecclesia semper fuisse obseruatum. Sciuerunt enim Apostoli, quod addit pro caussa, illis inde multum contingere lucrum, multam vtilitatem. Cùm enim constiterit populus extensis manibus, & tremendum proponatur mysterium, quomodo Deum non exorabimus pro his, scilicet defunctis, deprecantes. Hæc ille. Beatus insuper Ambrosius in epistola consolatoria ad Faustinum super sororis suæ obitu, hortatur animam eius oblationibus Deo commendare. Sed & Epiphanius lib. 3. contra hæreses damnat Aerium eò quòd memoriam pro defunctis in Missa faciendam negaret, dicens, quod Ecclesia perficiat hoc, necessaria à Patribus accepta traditione. Damnat etiam eundem Aerium, idq; ob eandē hāc caussam, D. Aug. lib. suo de hęres. 53. quod Arrianorū addidisset hæresibus & hoc, videlicet, non oportere orare pro defunctis, oblationémue offerre. Deniq; Ioannes Damascenus in serm. quem scripsit de ijs qui huic in fide migrarunt, asserit Apostolos edixisse, hoc est, mandasse (edictum enim & mandatum vnum sunt) vt in tremendis, vitalibusque sacramentis, hoc est, in Missis haberetur memoria eorum qui fideliter obdormierunt. Ostendens toto illo sermone, hanc tunc temporis acceptam, generalemque fuisse totius Ecclesiæ consuetudinem. Vt autem resumam vim argumenti: Si consuetudo offerendi pro defunctis obtinet auctoritatē Apostolica, sicuti Tertullianus docet: si ab Apost. sancitū est, & Spiritus sancti ordinatione factum, vt memoria habeatur defunctorum in Missa, vti Chrysost. asserit: si sic edictū est ab Apost. vt affirmat Damascenus: si Ecclesia necessaria hoc à patrib⁹ accepta traditione perficit secūdū Epiphaniū: si hęreticos dānant idē Epiphanius & Augustinus Aeriū qui cōtrariū docere pręsumpsisset: si deniq; D. Aug. lib. suo de cura pro mortuis agēda, itē in Enchiri. ad Laurentium. Itē in responsione ad quæstiones Dulcitij, insuper de verbis Apostoli serm. 32. vrget vniuersitatē Ecclesiæ sui tēporis: vrget & illud Mach. 12. Sancta ergo &c: vrget præterea cōsuetudinē ab antecessoribus acceptā: vrget deniq; piū sanctę Monicę matris suę votū, quę moriens memoriā sui ad altare Christi fieri desiderauit, ligās animā suā vinculo fidei ad pre-

Potestas offerendi pro defunctis data fuit Apostolis à Christo.

August. Cōsuetudo faciēdi memoriā pro defunctis in Missa tēpore Augustini.

Tertull. Cōsuetudo offerēdi pro defunctis habet Apostolicā auctoritatē.

Chrysost. Spiritus sancti ordinatione factum quod in Missa oretur pro defunctis.

Sancitum ab Apostolis quod in Missa fiat memoria defunctorum.

Ambrosi⁹. Epiphanius.

Aerius dānatus est hæreseos, eò quod negaret memoriā defunctorū faciendā in Missa.

Augustin⁹. Damasce.

Edicto Apostolico statutum, vt in Missis habeatur memoria defunctorum.

Generalis consuetudo offerēdi pro defunctis tēpore Damasceni.

Vis argumenti ex traditione.

ad pretij noſtri Sacramentum: Si hæc, inquã, & ſimilia vrget Auguſt. in libris ſuis prædictis vt perſuadeat orationes faciendas oblationeſque pro defunctis, oſtendens quouſq; & quibus defunctorum animabus idipſum prodeſſe poteſt, Profectò valde temerarius iudicari debet, qui à tali tanquam demonſtrata doctrina fidei, vel latum culmen audet diſcedere. Antiquiſſimum igitur eſt & Apoſtolicum, immo Euangelicum quod nunc fieri videmus inter Miſſarum ſolennia, vt ſicut ante oblationem fit memoria viuorum, quia Chriſtus antequã offerretur in cruce, totum ſe impenderat viuis, ita poſt oblationem, defunctorum fiat memoria, eò quòd Chriſtus poſtquam ſe obtulerat in cruce, mox deſcendit ad inferna, cauſſa liberandi defunctorum animas. De quo dicemus fuſiùs libro quinto in tractatu de ſacrificio Miſſæ.

Antiquiſſimum eſt & verè Apoſtolicũ, facere memoriã defunctorũ in Miſſa.

De eleemoſynis factis pro animabus defunctorum: et quatratione proſint defunctis opera viuentium, quæ non ſunt geſta abipſis defunctis in corpore ſuo. CAP. VII.

M. Reſtat vt aliquid dicamus de diſtributionibus eleemoſynarum quas faciunt pij homines pro animabus defunctorum, an quidquã proſint eiſdem. D. Fiducia magna, inquit Tobias, coram Domino eleemoſyna omnib. facientibus eam. Verùm an in ea ſit fructus aliquis ijs pro quibus fit, necdum legi. M. Parum igitur attentè legiſti cap. 4. Tobiæ. Quoniam ibidem, vtpote vir ſanctus, & pijſſimus in defunctos, docet filium ſuum dices: Panẽ tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue. i. ſuper ſepulturam eius qui cum pietate dormitionem accipit (quod nunc diceretur, eius qui Chriſtianè mortuus eſt) & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus, ſcilicet, vt ſit tibi quod in refrigerium mortuorum diſtribuas. D. Quorſum hoc, ſuper ſepulturã? Et quomodo conſtituuntur panis, & vinum ſuper ſepulturam? M. Phraſis eſt dicẽdi, Cõſtitue ſuper ſepulturam, quaſi diceret ſtatim poſt mortem, dum adhuc ſit ſepultura iuſti, diſtribue in refrigerium eius panem tuũ, & vinum egenis, quo tua miſericordia erga proximum excites viſcera miſericordiæ Dei ſuper illum. Obſerua hic dici, ſuper ſepulturam, nõ autem ſuper ſepulcrum. Quia expedit ſtatim poſt obitum priuſquam adhuc humatio defuncti completa ſit, largas facere diſtributiones eleemoſynarũ pro refrigerio animę ipſius. Et certè ab initio in hãc vſq; horam, nõ ex fictione aliqua, ſed ex cõſilio Tobię, & Spiritus

Eleemoſyna danda pro defunctis.

Quid ſit panem ac vinũ conſtituere ſuper ſepulturam defuncti.

ſancti ſuggeſtione fiunt in exequijs defuncto rum diſtributiones eleemoſynarum, per omnem vbique Chriſtiani orbis Eccleſiã. Hunc autem morem diſtribuendi eleemoſynas pro defunctis fuiſſe obſeruatum ab initio in Eccleſia, velut gratum Deo, & illis vtilem, fit manifeſtum ex vetuſtiſſimis patribus. Nam Clemens Martyr contemporaneus Apoſtolis, in ſuo compendiolo commemorat tum tempo ris in pretio fuiſſe, & commendatione dignũ, viſitare infirmos, ſepelire mortuos, & diligenter eorum exequias peragere, pro eiſque orare, & eleemoſynas facere. Item D. Aug. vt ceteros taceam, anno poſt Chriſtum 430. ſeptimo in ſuo Enchiridio ad Laurentium cap. II. ſic ſcribit: Neque negandum eſt defunctorũ animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt qui dũ viuerẽt, vt hęc ſibi poſteà prodeſſe poſſent, meruerũt. Eſt enim quidã viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem, nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, vt iſta non requirat, & eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat, cùm ex hac vita tranſierit, adiuuari. Quocirca omne meritum hîc comparatur, quò poſſit poſt hanc vitam releuari quiſpiam, vel grauari. Nemo autem ſe ſperet, quod hic neglexit, cùm obierit, apud Deum prometeri. Non igitur, quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia illi Apoſtolicæ ſunt aduerſa ſententiæ, qua dictum eſt: Omnes enim aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundum ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Quia etiam hoc meritum ſibi quiſque cùm viueret in corpore comparauit, vt ei iſta poſſent prodeſſe. Non enim omnibus proſunt, & quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ quam quiſque geſſit in corpore? Cùm ergo ſacrificia, ſiue altaris, ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis, etſi nulla ſint adiumenta mortuorum, qualeſcunque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt aut ad hoc proſunt, vt plena ſit remiſſio, aut certè vt tolerabilior fiat ipſa condemnatio. Hæc Auguſtinus loco præallegato. Habes eadem lib. de cura pro mortuis agenda, capit. 1. 4. & 18. Ex quibus annotabis: Primò, quod pietas diſtribuendi eleemoſynas pro defunctis, vt nunc, ita & tempore Auguſtini in vſu fuit, eaſque prodeſſe defunctis ad duo, ſcilicet vt plena remiſ

A tempore Apoſtolorũ ſunt exequię & diſtributiones eleemoſynarũ pro defunctis. Clemens. Auguſtin.

Quibus defunctis proſint eleemoſynæ, orationes, & ſacrificia pro ipſis factas

Diſtinctio qua vtitur Aug. valde notanda

Tria ſunt diligẽter annotanda ex verbis Aug. Primum,

remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa, quã patiuntur, damnatio, sicuti ad eadem conducunt orationes, & oblationes. Secundò annotabis quod eleemosynæ viuentium, orationes, & oblationes non prosunt omnibus defunctis, sed tantùm illis qui idipsum meruerunt ante mortem, vt sibi prodessent talia post mortem. D. Et quibus id medijs meremur in hac vita? M. Eo ipso, quo efficimur viua membra in corpore Christi, sicq; è viuis discedimus, digni sumus post mortem subsidio eorum, quæ à reliquis membris eiusdem corporis præstari possunt. Naturalissimum enim est, vt singula membra de aliorũ membrorũ eiusdem corporis functionibus, & beneficijs sentiant mutuum subsidium, gaudeantque, vti habes 1. Corinth. 12. Potissimùm autem id meremur operibus caritatis in hoc mundo impensis religiosa pietate, in alios, cum viuentes, tum ante nos defunctos, dicente Saluatore: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Quo sanè loco, si bene perpendas, & ipsam parabolam inductam, & applicationem eius videbis quod homo benefica largitione facultatum Domini Dei sui, quarum est dispensator, efficit, siue meretur, vt cùm defecerit ab hac vita possit adiuuari beneficentia illorum in quos ipse beneficus antea exstitit. Cuius viuũ quoddam exemplum habes Act. 9. Vbi Dorcas defuncta ad instantiam viduarum, ac pauperũ ostendentium Petro tunicas quas faciebat illis dum viueret, obtinuit beneficium resuscitationis à mortuis, merita, per eleemosynas quas fecerat viuens, vt sibi prodessent post mortem pia vota illorum viuentium quibus benefecerat. Si verò pia vota viuentium, intercessiones, & factarum eleemosynarum ostentationes, seu præsentationes commouent diuinam misericordiam super defunctum, multò vtique magis debent commouere eleemosynarum largitiones, simul ex eiusmodi votis in refrigerium illorum factæ. D. Et vbi habet Dominus, quod eleemosynę factæ à quopiã, prosint alijs qui non fecerunt eas? M. Manifestè id docet Act. cap. 10. Nam eleemosynæ, & orationes Cornelij Centurionis, non tantùm profuerũt vni Cornelio, sed & omnib. domesticis eius, cognatis insuper, & necessarijs, vt simul cum ipso fideles fierent, tamen nõ fecerant ipsi eleemosynas, et orationes, sed tãtùm Cornelius, haud dubiè pro se, & suis, vt mereretur simul ad gratiam salutis peruenire. Porrò si profuerunt illis domesticis, ac cognatis nõdum Christo incorporatis: quanto magis illis possunt prodesse defunctis qui nobiscum sunt viua in eodẽ corpore membra Christi, habentes eundẽ Spiritum Dei nobiscũ. Tertiò, notabis ex præmissis Aug. dictis, quod doctrina qua docemus prodesse defunctis viuentium suffragia, eleemosynas insuper, & oblationes, neutiquã aduersatur doctrinæ Pauli, qua docet quod quisq; recipiet à Deo prout gessit in corpore suo. Quoniam defuncti etiam illa bona quæ pro ipsis fiunt post mortem, aliquo modo gesserunt in corpore suo. Primò, quia in corpore suo dũ viuerent meruerunt, vt hæc sibi prodessent post mortem. Secundò, quia opera viuentiũ quæ fiunt pro defunctis, fiunt in corpore mystico Ecclesiæ, cuius ipsi defuncti & sunt, & fuerunt viua mẽbra, quapropter talia sunt aliquo modo & defunctorum opera, in suo ipsorum corpore gesta. Sicuti merita capitis nostri Christi, sunt aliquo modo nostra & defunctorũ, quamdiu viua ipsius membra manemus. Nam si non est aliquo modo meum, quod geritur ab alijs cõ membris meis, in gratiã, & vtilitatem meam: quomodo verè potest dici, esse in Ecclesia cõmunio sanctorum? Aut quomodo verè dixit Propheta: Particeps ego sum omnium timẽtium te Domine? Habes fili ex scripturis & vetustissima Patrum traditione. Primò, quòd orationes viuentium: secundò, quòd sacrificium Missarum: tertiò, quòd distributiones eleemosynarum, vtiliter fiunt pro defunctorum animab. vt citiùs soluantur à pœnis purgatorijs. Quod autem ex D. Aug. adduximus id simul velut diuinum oraculum in corde tuo reconditum serua. Nihil enim posset succinctiùs, conformiusq; tradi scripturis in hac materia. Cui non possum non addere illustrẽ illam sententiam quam idẽ Aug. habet Serm. 32. de verbis Apost. dicens: Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cũ eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuersa obseruatur Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quoque illud offerri commemoretur. Cum verò eorum cõmendatorum caussa opera misericordiæ celebrãtur, quis eis dubitet suffragari, pro quib. orationes Deo, nõ inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talib. qui ita vixerit ante mortẽ, vt possint eis hæc vtilia esse post mortẽ. Nam qui sine fide quæ per dilectionẽ operatur, eiusq; Sacramẽtis, de corporib. exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pieta-

Secundò.

Quibus medijs mereamur in hac vita, vt nobis possit aliquid prodesse post mortem.

Luc. 16.

Eleemosynæ etiam ijs prosũt pro quib' fiunt.

Tertium.

Defuncti etiam illa opera quę fiunt pro ipsis post mortem, aliquomodo dicuntur gessisse in corpore suo.

August. de verbis Apostoli sermone 32. Traditionẽ iuuandi defunctos vniuersa obseruabat Ecclesia tempore Augustini.

pietatis impenduntur officia, cuius dum hic essent, pignore caruerunt, vel nõ suscipiẽtes, vel in vanum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum praecedentibus, consequentia ista redduntur. Hucusque August.

De argumentis hereticorum, quae iactitant aduersus Purgatorium. CAP. VIII.

M. Nunc obijce, si quid aliud contra praemissa obijciendum putas. D. Contendunt multi ex Scripturis, Obiectio Tantùm duas esse vias: alterã quae ducit ad caelum: alterã verò quae ducit ad infernum. Vbi igitur tertia ducens ad Purgatorium? M. Praeter veritatem loquitur, quicunque dicit scripturam sic habere. Quoniã Solutio. in textu nequaquam inuenitur vox exclusiua tantùm. Insuper Saluator docens Matt.7. nõ De duab' vijs. loquitur de vijs quas ingreditur anima post mortem, sed de vijs quas ingreditur homo viuens suo arbitrio in hoc mundo. Dicit enim duas esse portas, ac vias viuẽtium in hoc saeculo, alteram virtutum quae arcta est, & ardua, alteram quae lata est: illam finaliter ducere ad vitam: istam verò ad perditionem. Haec ibi Christi sententia. Sunt autem haud dubiè omnes hic piè viuentes in priori via, omnes Non omnis quiest in via ad vitã mox attingit terminum eius. autem viuentes impiè in posteriori via. Omnes item morientes in peccato mortali sunt in via ducente ad perditionem. Omnes verò accipientes dormitionem mortis cum pietate, sunt in priori via quae ducit ad vitam. At nõ omnes mox finem attingũt eius viae, quorundam enim animae patiuntur remoram in hac via ad vitam, donec probatae & purificatae fuerint per ignem purgatorij, & tum demum saluae fiunt. De qua remora, quomodo & quam ob caussam fiat, suprà explicauimus tractantes locum Pauli primae Corinth.3. Locus autem, seu carcer eiusmodi remorae, purgatorium scilicet, est in altera dictarum viarum, nempe ea quae arcta est, & ducit ad vitam. Quia omnes qui purgatorio digni habentur, sunt extra peccatum mortale, & retinent fundamentum Christum in cordibus suis, acceperuntque dormitionem cum pietate, & sepulturã iusti: ergo sunt in via ad vitã. Quare tu non debes quaerere tertiã viã quae ducit ad purgatoriũ, sed purgatorium quaere in illa arcta ac ardua via quae ducit ad vitam. Quòd autem plures sint viae vitae, & non vna tantùm luce clarius demonstratur ex illo Prophetae. Notas mihi fecisti vias vitae, Vias inquit, vitae, non viam vitae quia plures sunt, Nam vnam ingreditur homo hic piè viuens: secundam ingreditur anima sancta exuta corpore: tertiam ingreditur homo resurgens in anima & corpore ad gloriam Dei. Propheta autem pronuntiat de Christo vti patet Act. 2. quòd habuerit sibi notas omnes dictas vias vitae, quodque illas ingressus fuerat. Sed haec alibi fusiùs explicabimus. D. Est aliud quod obijciunt. Nempe, lignum vbicunque Obiectio ceciderit, ibi manebit. M. Ecclesiasticae 11. cap. sic habetur: Si ceciderit lignum ad Austrũ Solutio de ligno cadẽ. ad Austrum. aut Aquilonem, vbicunque ceciderit ibi erit. At hoc, quid facit precor contra doctrinam purgatorij? Verum quidem est, quod per lignum cadẽs rectè intelligitur homo moriẽs: per lignum autem cadens ad Austrum, partẽ scilicet electorum, rectè accipitur moriens in gratia: cadens verò ad Aquilonem, vnde panditur omne malum, moriens extra gratiam. Praetereà verum est, quod vbicunque ceciderit lignum, ibi erit in aeternum. Nam post mortem, non erit transitus ab Aquilone, ad Austrum, id est, à statu damnationis ad statum electorum: neque rursus ab Austro, ad Aquilonem. Quia qui sunt in loco electorum, nũquam transibunt ad locum reproborum. Cuius rei manifestum describitur exemplũ Luc. Omnes qui in Purgatorio sunt, ceciderunt ad Austrum. 16. Ceterùm istud nihil facit contra doctrinã de Purgatorio. Nam omnes qui in Purgatorio sunt, ceciderunt ad Austrum. Omnium enim sors, & pars est, eritque in aeternum eũ electis Dei, quia omnes mortui sunt eũ pietate, licet ibi modicum remorentur à gloria, donec plene purgentur. Nec istud mirũ videri debet, quandoquidẽ sancti in terris quantũcunque Deo sint cari, & in via arcta quae ducit ad vitam, tamen adhuc remorantur à gloria & probantur varijs tribulationibus, velut aurum in fornace vti in martyris sanctorum liquidò patet. Electi quoque tempore Legis & ante legem etsi moriẽtes cecidissent ad Austrum, vt Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Lazarus, &c. tamen multo tempore remorabantur à gloria caelesti, sicuti videre est Luc. 16. Et probatur ex eo, quoniam nemo potuit ingredi caelum antequam Christus per clauem crucis aperuisset ostium eius. Ex dicto itaque Ecclesiast. 11. non potest aliud haberi, quàm quod dicimus ac praedicamus omnes, videlicet, quòd quicunque moritur in gratia, quod est cadere ad Austrũm, in aeternum manebit in gratia Dei, nec vnquam excidet ab illã, qualiter sunt in gratia omnes qui Purgatorio poenis expiantur. Quicunque verò moritur extra gratiam, quod est cadere ad Aquilonem, semper & in aeternum

æternum manebit extra gratiam, & extra omnem spem reconciliationis. An & aliud habeas, quod tibi faciat scrupulum? D. Etiam

Obiect. 3. obijcitur nobis illud Scripturæ: Post hoc tempus non erit tempus, scilicet pœnitentiæ, & gratiæ, quo quis sibi, vel alius pro ipso mereri

Solutio. posset. M. Ioannes in Apocal. cap. 10. dicit Angelum Dei iurasse per viuentem in sæcula, per eum qui fecit cælum, & omnia quæ in eo sunt, &c. Quia non erit tempus ampliùs, sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas. At Scriptura hæc non loquitur de tempore vitæ meæ, aut tuæ, sed de tempore nouæ legis, quod durat à Christo vsque ad extremũ iudicium: quo appropinquante canet tuba septimus Angelus: & consummabitur vniuersum mysterium Dei, vt ibidem habetur, euangelizatum per Prophetas eius, de resurrectione, de vita, de morte, de regno Dei, & gloria eius, de damnatione, & supplicijs malorum, de electorum immortalitate, &c. Hæc autem non fiunt quando ego, aut tu, siue Petrus vel Paulus morimur. Tempus ergo de quo loquitur Apocalyp. est vniuersum tempus legis Euangelicæ, seu potiùs totum huius mundi tempus, quod finietur in extremo iudicio. Nec erit aliud tempus post illud, iuxta illud Pauli: Tunc finis, cùm tradiderit Christus regnum Deo & Patri: Tunc, inquam, finis omnium. Non enim erit amplius cursus astrorum aut vicissitudo rerum, sed stabunt vniuersa statu æternitatis. Auctoritas igitur hæc prorsus nihil facit cõtra Purgatoriũ. Attamẽ verũ est, quod nemo hominũ post mortẽ potest mereri quippiã propriæ suæ voluntatis operatione. Quod euidenter demonstrare licet, tum ex illo Eccles. 11. Lignum vbicunque ceciderit ibi manet. Dicit, manet ibi, quia suæ actionis merito non potest vltra se iuuare aut promouere de statu in statum. Tum ex illo Eccles. 6. dicentis. Quodcunque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos quo tu properas (supple quibus tu teipsum ibi iuuare possis). Tũ denique ex illo Saluatoris Ioann. 9. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est, venit enim nox, quando nemo potest operari. Obserua quod dicit: Quando nemo potest operari. Nox autem in qua nemo potest operari, est tempus post mortem, in quo quisque pati potest pro meritis, non autem operari meritoriè. Sic enim concorditer interpretantur hunc locũ B. August. super Ioann. Homel. 64. B. Chrysost. Homel. 55. super Ioann. B. Hieronimus in commentarijs super epist. ad Galat. & Origenes in expositione Psalm. 35. Quod certè, hoc modo testimonia coaceruando, te præmonere volui, quo declines impium dogma Lutheri asseuerantis, tam contra scripturam, quàm contra commune iudicium totius Ecclesiæ, animas in Purgatorio non esse extra statum merendi, & demerendi: ideoque non esse certas de sua salute. Porrò quod mortui iuuari possunt viuorum intercessione, euidentibus demonstratur exemplis. Quia Lazarus mortuus iuuabatur Marthæ & Mariæ sororum apud Christum intercessione Ioann. 11. & puellam quandam mortuam resuscitauit Christus ad intercessionem parentum eius Marci 5. Sed & Petrus suscitauit à mortuis matronam quandam, nomine Tabitham ad supplicationem. circunstantium, Actorum 9.

Post tempus legis Euangelicæ nullum erit tẽpus.

Post mortem homini nõ restat ei tempus merẽdi.

Hæreũs est dicere defunctos mereri.

Exempla vbi mortuum iuuantur viuorum intercessione.

Quomodo ex præmissis posset fieri debita & infallibilis demonstratio Purgatorij animarũ post hanc vitam. CAP. IX.



Vis nunc vt faciam tibi veram, efficacem, & indissolubilem demonstrationem Purgatorij post hanc vitam? D. Precor Domine. M. Quod non solùm Scripturis sanctis est consonum, sed & inuenitur perpetuo sic doctũ, sicque de animis in animos transfusum per omnem ætatem Ecclesiæ ab initio vsque nunc, hoc sanè non potest non niti verbo Dei. Talis autem est doctrina de Purgatorio animarum post hanc vitam. Igitur & credi ab omnibus, & in vsu, velut sacra ac sancta, retineri debet. D. Illatio illa vtique bona haberi debet. Nam sicuti in scripturis sacris, ita & in Catholica Ecclesiæ traditione loquitur nobis verbum Dei. At in subsumpta propositione videtur esse difficultas: an scilicet doctrina Purgatorij probè consonet scripturis, simul & antiquæ ac Apostolicæ traditioni Ecclesiæ? M. Vt nulla tibi aut alijs super eo maneat vacillatio, recolligam paucis, quæ à nobis hic sparsim tractata sunt. Scripturæ Matth. 5. Luc. 12. ad Phil. 3. Apo. 5. 1. ad Corint. 3. Esa. 4. Malach. 3. verisimili argumento ostẽdunt locum in quo fiat animarum expiatio post hanc vitam, nempe carcerem, & ignem probatorium, siue emendatorium, aut purgatorium, vti suprà indicauimus. Scripturę insuper vtriusque Testamenti, nimirum 2. Machab. 12. & Matth. 12. concorditer declarant, & id quidem satis dilucidè fieri post hanc vitam quorundam peccatorum remissionem. D. Et hoc ex præmissis satis cõstat. M. Tertiò,

tiò, scripturæ tam veteris quàm noui Testamenti admodum clarè ostendunt, animas defunctorum posse iuuari nostris hic viuentiũ orationibus, sacrificijs, eleemosynis, Genes. 23. & 50. Tobiæ 4. 2. Machab. 12. primo Ioannis vltimo. D. Etiam hoc in præmissis satis est declaratum. M. Ad hæc traditio antiqua, Catholica, vereque Apostolica, à temporibus Apostolorum, & ex eorum institutione semper tenuit, credidit, docuit sanctum esse, ac pium orare pro defunctis fratribus, memorias eorum facere in tremendis Missarum mysterijs, eleemosynas distribuere, aliaque pia opera pro ipsis facere tãquam pro ijs qui his egeant, hisque iuuari & expiari possent ab ijs quæ remoram ipsis faciunt ab ingressũ cælorum, in quodam pœnarum ac purgationis loco. D. Istud optarem paulo exactius velut epilogo quodam declaratum esse. M. Veneranda & Orthodoxa Patrum sibi secundum seriem temporis succedentium scripta, quibus enarrant quisque fidem & vsitatam religionem sui tempo ris, adeò euidenter postremum hoc ostendunt, vt non possent euidentius. Lege compendiolum Clementis, & inuenies ab eo commendatum, quòd fiant exequiæ, & suffragia, & eleemosynæ pro defunctis fratribus, hoc est, pro his qui Christianè mortui sunt. Lege insuper Ecclesiast. Hierarchiam Dionysij Areopagitæ capite 7. & inuenies quàm religiosè describat sanctus Martyr ille, ritum ac cæremonias sepeliendi Christianos, modum quoque & rationem fundendi preces super defunctum, etiam sub Eucharistiæ oblatione dicens: De prece super defunctis facienda, ex diuinis ducibus, id est, Apostolis, traditio peruenit ad nos. Vixit vterque temporibus Apostolorum, nec aliud in suis libris commendarunt, quàm quòd tum temporis Apostolica traditione doctum, religiosa deinde ab omnibus Ecclesijs frequentabatur obseruantia. Lege præterea quod scribit Tertullianus de Monogamia pag. 1. 596. Item in Exhortatione castitatis pagin. 581. & inuenies tunc temporis valde sedulò oratum pro defunctis, annuasque oblationes pro ijsdem in die dormitionis eorum factas. Claruit autem vir ille circiter annum 200. à Christo passo. Lege Originem in Psalmos pagin. 38. præter ea quæ habet in Hieremia, atque supra allegata sunt, & inuenies tempore eius visitatum fuisse, celebrare diem mortis sanctorum, insuper memorias facere parentum, & amicorum in fide morientium. Lege Cyprianum, libr. 2. Epistolarum, epistola nona, & libro quarto epistola quinta, & facilè notabis,

Clemens.

Dionys.

Tertulli.

Origenes

Cyprian.

quòd tam ipse quàm clerus eius, subinde offerebant sacrificium pro defunctis fratribus. Pro dormitione autem Victoris (quanquam & ipse frater esset) neque oblatio neque deprecatio aliqua frequentabatur in Ecclesia: eò quòd contra decretum Sacerdotum instituisset quendam Geminium Faustinum presbyterum, rerum suarum actorem. Claruerunt autem isti duo, alter 232. anno, alter 260. post Christum. Adhæc, lege opera Gregorij Nazianzeni, & inuenies quòd quemadmodum ipse animas defunctorum Deo oratione commendabat, ita & commendandas docebat. Oratione septima: Commemorans Oratione secunda in Iulianum Imperatorem, quòd Constantius communibus omnium elatus sit (scilicet ad sepulcrum) laudibus & pompis ijsque venerandis, nec non canticibus tota nocte resonantibus, ac luminaribus accensis. Et hæc quidem scripta sunt à sancto illo viro, circa annum Domini 380. Lege & Ambrosium, in oratione sua super obitu Theodosij Imperatoris. Item, in epistola sua ad Faustinum, & inuenies vsque ad ætatem suam religiosè fuisse oratum in Ecclesia pro animabus defunctorum, fuisse insuper obseruatos, tertium, septimum, tricesimum dies, pro defunctis, ad fundendum orationes, offerendumque pro ipsis. Vixit autem anno Domini 380. Lege Epiphanium libro tertio contra hæreses, & inuenies quòd damnauerit Aërium hæreseos eam ob causam quia negabat orationes ac oblationes debere fieri pro defunctis. Quas dicit Ecclesiam pro eis necessariò perficere traditione à Patribus acceptа. Lege etiam Homeliam tertiam Chrysostomi in capite primo ad Philippenses, & Homeliam quadragesimam primam, in primam ad Corinth: & Homeliam 69. ad populum Antiochenum, inuenies eum dicere in hunc modum. Precantes (pro defunctis) hortemur & alios, vt pro ipsis orent, pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus. Inuenies præterea ipsum docere ab Apostolis sancitum esse, ac Spiritus sancti ordinatione factum, vt in celebratione Missarum, memoria fiat defunctorum. Claruit vterque eodem fere tempore, circa annum Domini 430. In primis autem lege diuum Augustinum in suo enchiridio ad Laurentium cap. 109. vbi sic habet: Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt, & quæ ibi sequuntur in eandem sententiam. Item libro suo, De cura pro mortuis agenda, cap. 1. 4. 8. Item in libro Confess.

Gregor. Nazian.

Ambros.

Epiphan.

Chrysost.

August.

fess.9.cap.11 13.vltimo. Item in Commentarijs suis super Psalm.37.Item in epistola eius 64.ad Aurelium.Et clarè videbis,quanto studio vir ille in religione nostra asserenda occulatissimus,doceat orare , offerre, eleemosynas dare pro defunctis: ostendens quibus defunctis eadem prosunt,quibus non : quamque serio pronunciet dicens, oblationes pro spiritibus dormientium , ipsos verè , aliquid iuuare credendum esse : damnans libro suo, De hæresibus , Aërium quendam hæreseos, quòd Arrianorum hæresibus addidisset etiã hoc,videlicet,non oportere orare pro defunctis,oblationemue facere. addens libro 2. de Genes.contra Manichæos, capite 20.in hunc modum: Qui agrum non coluerit,& spinis opprimi permiserit,habet in hac vita maledictionem terræ suæ in operibus suis , & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam : scribens super Psalm. trigesimum septimum,quòd ille ignis purgationis,per quem saluæ fiunt animæ , grauior erit quàm quidquid homo potest pati in hac vita.Vixit autem D.Augustinus circa annum Domini 430. Lege insuper Isidorum de origine officiorum ,

Isidorus. vbi sic dicit : Sacrificium pro defunctorum requie offerre, quia per totum orbem custoditur,credimus ab ipsis Apostolis esse traditum. Claruit anno Domini 630. Lege prætereà sermonem quem scripsit Ioannes Damascenus, de ijs qui in fide hinc

Damasce. migrarunt,& inuenies illum testari, quòd Apostoli Saluatoris edixerunt (obserua , edixerunt, hoc est,præcipiendo statuerunt) habendam esse memoriam in tremendis vitalibusque Sacramentis, eorum qui fideliter obdormierunt . Claruit tempore Gregorij secundi circa annum Domini 733. vt constat ex historia Eutropij . Lege prætereà D.Ber-

Bernard. nardum sermone sexagesimo sexto, & inuenies quòd vir ille sanctus suo tempore annumerauit inter hæreticos , eos qui vel negant ignem purgatorium restare post mortem,asserentes animam solutam à corpore , statim ad requiem transire , vel ad damnationem: vel nolunt quod oremus pro mortuis,quodque sanctorum suffragia postulemus , fraudantes & mortuos, viuentium auxilijs , & viuentes sanctorum qui decesserunt suffragijs. Vixit autem Bernardus , anno ab incarnatione Domini 1140 . Vltra annos 400.ante hæc nostra tempora.Lege prætereà Concilij Cabilonen. decretum, quod de hac re sic definit.Antiquitus hunc morem sancta tenet Ecclesia, vt & Missarum sollennibus & alijs precibus , Domino spiritus quiescentium commendentur:dicente Augustino : Non sunt prætermittendæ supplicationes , quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate laudamus . Lege Concilium Carthaginense 4.cap. 95.vbi tale statuit decretum:Qui oblationes defunctorum,aut negant Ecclesijs, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. Item lege Concilium Valense, quod capite secundo sic definit : Qui oblationes defunctorum retinent,& Ecclesijs dare remorantur , vt infideles sunt ab Ecclesia abijciendi,quia vsque ad exinanitionem fidei peruenire certum est hanc diuinæ pietatis exacerbationem , quia & fideles de corpore recedentes votorum plenitudine , & pauperes consolatu alimoniæ,& necessaria sustentatione fraudantur.Hi ergo tales, quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei habendi sunt. Lege denique Petrum Lombardum libro quarto sententiarum , distinctione 45. & inuenies eum exactè tradere de varijs animarum receptaculis , de suffragijs viuorum pro defunctis , & quibus eadem prosunt,quibus non , valde conformiter Catholicæ doctrinæ à veteribus traditæ. Vixit autem vir ille anno Domini 1140. Similiter D.Thomas Aquinas,D.Bonauentura,Albertus Magnus,ac alij, qui præcesserunt tempora nostra vltra ducentos quinquaginta annos , exactissimè tradiderunt fidem sui temporis de pœnis animarum in Purgatorio , & de subsidijs quibus iuuari possunt à nobis viuentibus hic in terris,per orationes , Missas, & eleemosynas. Ad hæc,si vacat inspicere vitas Sanctorum , qui multis ante nos sæculis claruerunt,descriptas non quidem à fabulosis aut nugacibus , sed ab ijs qui indubitatæ habentur fidei apud omnes , clarè videbis quàm fuerit semper creditum per omnem Ecclesiam,esse purgatorium locum,in quo post mortem luant animæ pœnas peccatorum suorum , nostraque hic viuentium opera & orationes , posse huiusmodi animis defunctorum prodesse. D. Et quæ sunt istæ vitæ Sanctorum? M. Indicabo quasdam. Nam omnes recitare,& tibi molestum,& mihi nimis foret laboriosum. Lege vitam sancti Humberti descriptam à D. Bernardo Abbate Clareuallensi.ibi sic inuenies : Volat irreuocabile tempus,& dum creditis vos cauere illam pœnam minimam , incurritis ampliorem.Illud enim scitote,quia post hanc vitam in purgabilibus locis,centupliciter quæ fuerint hic neglecta , redduntur vsque ad nouissimum quadrantem. Lege insuper vitam Surani Abbatis ac aliorum , per D. Gregorium conscriptam , & inuenies ibidem dici, quòd

Habetur inter sermones eius fol.69.

quòd quorundam iustorum animæ à cælesti regno,quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud inuenitur, nisi quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt? Ecce mansiones nominat, in quibus animæ quorundam iustorum detinentur purgandæ. Lege etiã vitam S. Fabiolæ, matronæ Romanæ, descriptam à D. Hieronymo, rursum clarè videbis mortuos iuuari posse orationibus viuentium. Videbis etiam veram intelligentiam illorum verborum Christi: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Qualia haud dubiè Purgatorij veritatem comprobant. Ad hæc, lege vitam Satyri, fratris diui Ambrosij descriptam ab eodem, & videbis eum testari quòd pauperes lauerint suis lacrymis delicta Satyri defuncti. Quas lacrymas vocat redemptrices. Prosunt ergo pia vota, & gemitus viuentium, animabus defunctorum. Neque omittas legere & annotare quæ scribit Ioannes Damascenus de vita beatorum Barlaham & Iosephat. Quia inuenies quòd sanctus ille Iosephat exhibuit dignas exequias patri suo, & texit corpus eius in sepulcro pœnitentiæ cilicio, fundens ardentissimas orationes pro patre suo defuncto, idque totis septem diebus; nullo modo à monumento surgens. Distribuens octaua die largissimas eleemosynas pauperibus. Longè itaque absunt à vero, qui reijciunt exequias mortuorum, septenaria, item trecenaria, vel anniuersaria eorundem, quæ obseruauit Ecclesia, etiam temporibus Ambrosij, & Damasceni, & longè ante tempora eorum. Sic si inspexeris vitam Paulinæ Pammachi vxoris descriptam per D. Hieronymum, videbis eum testari ex facto Pammachi sepelientis vxorem, quòd veneranda defunctorum ossa sunt riganda eleemosynæ Balsamo, quod que eleemosynæ extinguunt etiam defunctorum peccata. Haud dissimiliter si legeris vitam Attici Episcopi Constantinopolitani, per Cassiodorum Senatorem descriptam, videbis Atticum iussisse vt in orationibus Ecclesiæ memoria haberetur Ioannis Chrysostomi, sicut aliorum dormientium Episcoporum haberi consueuerat. Poteris etiam legere vitam S. Benedicti Abbatis, conscriptam per D. Gregorium, & inuenies quòd olim pro animabus defunctorum in Missa memoria fiebat, quodque orationes factæ pro defunctis prosunt eis ad pœnarum alleuiationem. Vt autem finiam, debeo tibi & illam historiam indicare quam scripsit Bernardus Abbas Claruallensis de vita Malachiæ Episcopi, in qua inuenies, & Missas applicatas defunctis, & orationes pro iisdem fusas, & exequias cum sacrificio missarum illis exhibitas. D. Deus bone, quàm clarè, quàm exactè, quàm vniformiter exprimitur nobis à veneranda Patrum antiquitate, secundum seriem temporum sibi succedentium, eadem illa doctrina de purgatorijs pœnis animarum, & subsidijs impendendis eisdem post mortem, quam adhuc nunc temporis retinet mater Ecclesia. M. Placuit quidem hæc tibi sic annotare, cum designatione temporis quo quisque Patrum scripsit, & cum insertione harum clausularum: A diuinis ducibus traditio ad nos peruenit. Apostoli Christi edixerunt. Sancitum est ab Apostolis. Sancti Spiritus traditione factum est. Necessariò pro defunctis hæc perficit Ecclesia, traditione à Patribus accepta, &c. Vt possis luculenter perspicere, traditionem de purgandis & iuuandis animabus defunctorum, esse vetustam, esse Catholicam, esse & Apostolicam. Et ideo vim habere probandi fidem Purgatorij, haud secus atque scriptura sacra, quanquam etiam scripturæ supra citatæ simul collectæ, permagnam eiusdem doctrinæ euidentiam adferant. D. Et quis, precor, his perspectis vltra audebit dicere: De Purgatorio animarum nihil inuenitur in scripturis sacris, aut vetustis Patribus?

Tomo primo fo. 67

Tomo tertio fol. 16.

Tomo primo fo. 55.

Habetur lib. 12. Historiæ tripartitæ.

Lib Dia.

Quæ sit dispositio inferni damnatorum, & quæ pœnæ eius. CAP. X.

Vcusque egimus de duabus superioris inferni partibus, Limbo scilicet, & Purgatorio. Nunc restat, vt dicamus de inferno inferiori, quem scriptura subinde vocat infernum absolutè, quemadmodum & nos loquentes de loco damnatorum, nominamus eum communi vocabulo infernum. D. Domine, vbi est infernus, & quæ qualitas eius? M. De loco infernorum diximus superius capite primo, cuius te meminisse oportet. Est enim infernus damnatorum in infimo totius vniuersi, abiectissimoque loco, in inferioribus partibus terræ longè sub inferno superiori. Nam diues ille epulo dum esset in inferno damnatorum, eleuans oculos suos, vidit à longè Abraham, & Lazarum in sinu eius, Lucæ 16. Eleuans, inquit textus, oculos vidit à longè. Ergo infernus damnatorum longè est sub inferno superiori, in quo erant Abraham, ac Lazarus, quàm maximè distans à throno gloriæ Dei, prorsus extra terminos maiestatis, gloriæ, felicitatis, munificentiæ, beneficentiæ, miserationisque Saluatoris Dei, iuxta illud: M.

illud: Qui malignantur exterminabuntur, id est, projicientur foras extra fines regni, gloriæ, felicitatis magni Dei regnantis etiam super terram. Nam iusti hæreditabunt terram. Erit ergo locus iniustorum, siue malignantium, subtus terram, in infimis partibus vniuersi. At tu quærens de loco, & qualitate inferni, videris præsupponere esse infernum, cũ tamen plurimi sic viuant, quasi nullus esset damnandorum infernus. Quidam etiam hoc audent comminisci, nullum post hanc vitam esse infernum, vt Albieñ. Hermannus Kissink Alemarieus, sed habentem peccatum mortale, habere in se simul & infernum, peccati nẽpe conscĩetiam, quo nullum grauius tormentum. Alij verò admittunt post hanc vitam infernum, at pœnas inferni contendunt non esse perpetuas, sed post annorum curriculum solui. Cuius erroris antesignanus fuit Origenes. Ceterùm vbi demonstratę tibi fuerint ex scripturis inferni qualitates, prorsus nihil erunt in oculis tuis figmenta eiusmodi. Nam esse infernum, passim in scripturis sacris obuium. Ait enim Iob: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et Psal. Sicut in inferno positi sunt, & mors depascet eos. Item parabola Saluatoris testatur de epulone in inferno sepulto Luc. 16. Et illud Petri: Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Et similia testimonia numero quasi infinita, certò demonstrant esse infernum aliquem pro impijs, ac sceleratis. Quod idem & ratio dictat. Si enim ordo iustitiæ requirit, vt hic sint principes, & potestates ad vindictã malefactorum, laudem verò bonorum, vt habes ad Rom. 13. & 1. Pet. 2. quomodo Deus ipse, à quo est omnis potestas, relinquet aut bona irremunerata, aut mala impunita, aut bonos in perpetuum simul cum malis permistos, quod citra miseriam, & vexationem esse non potest, cùm certũ sit ex scripturis, quòd vindex est Dominus, & iustus iudex, reddens vnicuique iuxta vias adinuentionum suarũ. D. Credo facilè, esse infernum: sed de qualitatibus inferni, & ijs quæ fiunt in ipso, audire cupio. M. Dispositio inferni terribilis est, & horribilia fiunt in eo. Siquidem infernus dãnatorum est gehenna ignis, sic dicta à valle filij Ennon, iuxta Hierusalem dæmonijs dicata ob filiorum per ignem consecrationem. Item est caminus ignis, Matt. 3. 13. Item stagnum ignis & sulfuris, Apoc. 20. 21. Est præterea ignis æternus præparatus Diabolo, & Angelis eius, Matth. 25. Ignis inextinguibilis Marc. 9. Ignis crucians per flammam Luc. 16. Ignis habens supplicium æternum, Matth. 25. Nec sane alienum supplicium, sed proprium crucia tum ipsius ignis, ac sulfuris, vnde fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum, Apocal. 14. Nam ignis, sulfur, spiritus procellarum, pars calicis eorum, supple, qui descẽdunt ad infernum Psal. 10. D. Deus bone, hæccine duntaxat sunt pars inferni damnatorum? M. Audi præterea quod dicitur Matt. 25. ad seruum inutilem. Ligatis manibus, & pedibus eius, projicite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. Idem est in esse ctu: Matt. 8. & 24. Sũt ergo in inferno damnatorum tenebræ. Nec solùm tenebræ interiores, sed & exteriores, quas palpabiles solem' vocare. Et præter tenebras, fletus propter nimios cruciatus ac dolores, quales etiam solẽt de oculis virorum fortium exprimere lacrymas. Insuper præter fletus, & tenebras, etiam est ibi stridor dentium, id est, malitia, & maleuolentia perfecta, ad stridorem vsque dentiũ. Nam mali in inferno summè maligni erunt, sicut & boni, summè benigni in cælo existũt, qualis summa maleuolentia significatur per stridorem dentium. Et tormentorum infernalium dolor tantus erit, vt non poterit non exprimere lacrymas de oculis patiẽtium. D. Nunquam audiui talem huius scripturæ interpretationem. M. Verba dictorum locorum per phrasim accommodata sunt, &, mihi crede, hunc habent sensum textui Germanũ. Nam cùm vulgò dicimus de aliquo, flebat, tropicè significamus eum in vehementi positum fuisse dolore. Sic dicentes, stridet dentibus suis, significamus ira & indignatione supra modum esse inflammatum. Præterea inquit Esaias: Præparata est ab heri Tophet, id est, vallis diffluens, seu dispositio habitationis infernalis, à rege, scilicet regum, præparata est profunda, dilatata. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, & flatus Spiritus Domini, sicut torrens succendens eam. Addit cap. 34. Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulfur, & erit terra eius in picẽ ardentem nocte ac die, non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus eius à generatione in generationem, desolabitur in sæcula sæculorum. Ecce fili, nutrimenta ignis infernalis sunt ligna multa, pix, sulfur, ne putes concionatores aliud à scripturis prædicare, dum pœnas inferni exponunt. D. Vnde ibi pix, & sulfur, & quis succendit ista. M. Torrentes, inquit, eius, scilicet loci infernalis conuertentur in picem, & humus eius in sulfur, & terra eius in picem die ac nocte ardentem, & in sempiternum, atque flatus Domini, id est, vis &

Error Albiensium qui dicũt nullum esse infernũ post hanc vitam.

2. Petr. 2.

1. Tess. 4.
1. Tim. vl.

Qualitas inferni, quæ sit.

vis & efficacia iustitiæ Domini iudicantis, erit sicut torrens sulfuris succedentis eam, Tophet scilicet, hoc est, vallem infernalem. Præterea Saluator loquens de gehenna infernali, expressè meminit vermis damnatorum qui nunquam moritur, dicens: Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. D. An ibi quoque vermes? M. Per vermem eorum, intelligunt doctores concorditer remorsum conscientiæ lamentantis secum, & sese recordatione commissi peccati continuò corrodentis, qualis vermis indãnatis non moritur in æternum. Et habet pœnam inexplicabilem. Nã Seneca epistola 16. ad Lucilium dicit. Pœna est, & maxima peccantium pœna, peccasse. D. Sic & Iuuenalis.

Pœna autem vehemens & multo sæuior illis,
Quas & Ceditius grauis inuenit & Rhadamãthus:
Nocte dieq; suũ gestare in pectore testẽ.

M. Quapropter recte, inquit, Sapiens. Tinea ossium cor intelligens, scilicet, super proprijs malefactis. Verùm an in locis infernalibus sint vermes corporales, rodentes carnem problematicum est. Videntur tamen scriptura idipsum satis testari. Nam Ecclesiast. 7. dicitur: Vindicta carnis impij vermis, & ignis. Et Iudith 16. sic dicitur: Dabit ignem, & vermes in carnes eorum vt vrantur, & sentiant in sempiternum. Denique & sanctus Iob depingit incommoda inferni dicens: Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi est vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ergo in inferno vmbra & caligo mortis, disturbatio omnis ordinis, & horror sempiternus simul inhabitant. D. Væ, væ, & plusquam væ illis quorum sors est in inferno. At in his tantis miserijs nullúsne vnquam finis aut intermissio aut refrigerium? M. Quoniam Scripturæ tam expressè testantur de igne infernali, quòd sit æternus, & inextinguibilis, quòd fumus tormentorum eius ascendat in sæcula sæculorum, quòd vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur, quòd impij vadunt in supplicium sempiternum, sicut iusti in vitam æternam. Ideo impius est, & verbo Domini planè contrarius, quicunque audet asserere pœnas inferni aliquando finem habituras. Et ne quis putet æternum, siue sempiternum, significare iuge tempus, vsque ad consummationem sæculi, tunc autem finiendum: Saluator tractans actionem extremi iudicij, quòd erit in consummatione mundi, dicit iudicem pronunciaturum sententiam hoc pacto: Discedite à me in ignem æternum, subiungens: Et ibunt hi in supplicium æternum, illi autem in vitam æternam. Ergo etiam post consummationem sæculi erunt infernus, & supplicia eius æterna, duratura in perpetuas æternitates, & infinita sæculorum sæcula. Immo tempore consummationis sæculi, & mors, & infernus dabunt mortuos suos, qui in ipsis sunt, & iudicabitur de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus, hoc est, vniuersus infernalium grex, & mors, hoc est, omnes mortui secundum animam, mittentur tum in stagnum ignis, hæc est mors secunda, id est, mors duplicata, adeoque plena animarum ac corporum condemnatio. Nec vlla dabitur eis intereà requies, aut refocillatio à pœnis, aut refrigerium sub tormentis. Quòd euidenter ostendit condemnatio diuitis Epulonis, Luc. 16. Cùm enim clamans oraret: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, ne guttulam quidem aquæ in refrigerium cruciatus sui impetrare potuit. Tum autem indubiè defunctus erat diues epulo, & defuncti erunt vniuersi homines, quando dicetur ad eos illud Matthæi. Et ibunt hij in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam, Abeant igitur intereantque illi, qui insano errore fidem nostram commaculant, dicentes, neminem pati infernum, nisi in hac vita. Pœnas item inferni aliquando finiendas fore. In inferno autem prorsus nullum amabile solatium esse alicuius societatis partim demonstratur ex illo Saluatoris: Discedite à me in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius. Quam autem beneuolus sit in nos Diabolus, clarè exprimit B. Petrus dicens: Sobrij estote, & vigilate, quia inimicus vester Diabolus, tãquam leo rugiẽs circuit, quærens quem deuoret: partim ex illo Sapient. 5. Pugnabit pro eo, scilicet Domino Deo, orbis terrarum contra insensatos. Pugnabit vniuersus orbis contra eos, ergo nihil eorum quæ sunt in orbe mundi præstabit solatium, aut refrigerium. Sed & ipsi damnati inter se non poterunt sibi solatio esse, aut recreationi: quia omnes summè mali, ad stridorem vsque dentium, singuli in intolerabilibus tormentis, ad fletum vsque oculorum, nec quisquam sufficiet sibi in suis cruciatibus ferendis. D. Ergo non est orandum pro illis qui sunt in inferno, quia nulla potest eis contingere refocillatio. M. Si Abraham & Lazarus nullum impendebant misericordiæ officium epuloni in inferno sepulto. Si prætereà Ioann. Apostolus dicit: Est peccatũ ad mor-

Infernus damnatorum non solùm ita bit vsque ad iudiciũ sed & post iudicium in æternũ.

ad mortẽ, non dico vt pro eo quis oret. Profectò omnino non eſt orandum pro his qui ſunt in inferno, ad quem non condemnantur niſi ſoli illi qui peccant peccatum ad mortẽ. Nec Eccleſia vllum eis orationum impendit officium, modò ad mortem vſque eos perſeueraſſe in peccato cognoſcat, pro certo habens tales eſſe in inferno. D. Quid ſi præter ſpem meã ſint in inferno, pro quibus oro? M. Eo caſu, inquit Pſalm. Oratio mea in ſinu meo conuertetur, hoc eſt, mihi apud Dominum præſtabit, quod alijs præſtare non poteſt. Sic & eleemoſyna, ſi præter iudicium, & opinionem meam inutilis ſit illi cui do, tamen mihi vtilis eſt coram Domino, & meritum bonum mihi facit iuxta verbum Eccleſ. 13. Verùm ſi certo argumento ſciam in inferno eſſe, non debeo illis impendere vllum caritatis officium, eò quòd iuſto Dei mei iudicio, illoque definitiuo ſint condemnati, & abſciſſi à communi corpore, exterminati inſuper procul extra ordinem caritatis omnemque ſpem melioris fortunæ, cui vtique iudicio Dei Patris, ego filiusfamilias me per omnia conformare debeo.

Prædictorum quaſi epilogus. CAP. XI.

M. Multa, & articulatim diximus de partibus inferni, & de diuerſis illarum proprietatibus, quò perfectiùs intelligeres verba Symboli. Deſcendit ad inferna. Quia vt Symbolum indicat plura eſſe inferna, loquens numero plurali: ita & ſcriptura teſtatur eſſe infernum ſuperiorem & infernum inferiorem, ſuperiorẽ quoque bipertitum eſſe, in Limbum videlicet, & Purgatorium. Ad omnia autem inferna deſcendit Chriſtus: ſed non idem operatus eſt in ſingulis, prout eſt videre in illo Eccleſiaſt. 24. loquentis ſub nomine Sapientiæ de Filio Dei: Penetrabo, inquit, omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Omnes, inquit, partes penetrabo, omnes item dormientes, hoc eſt, mortuos inſpiciam: attamen non omnes, verùm ſperantes in Domino illuminabo, gratia videlicet redemptionis meæ. Viſitabo quidem omnes dormientes, ſed illis duntaxat quibus ſupereſt ſpes in Domino, impendam beneficium redemptionis. Supereſt autem ſpes poſt mortem tantummodo illis, qui credentes cum pietate mortui ſunt, iuxta illud 2. Machab. 12. Quia cõſiderabat, ſcilicet Iudas Machabæus, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiã, futuræ videlicet redemptionis. Et ſane horũ receptacula ſunt in inferno ſuperiori, partim quidem in Limbo, partim verò in Purgatorio. Limbus redemptione Chriſti ex toto ſublatus eſt, cùm deſcenderet ad inferna. Purgatorium verò vti ex eo indeſinenter transferũtur animæ ad cælum, ſimili Chriſti beneficio, ita demum auferetur totum in cõſummatione ſæculi, ante iudicium extremum. At infernus inferior ſtabit in æternũ, in ſtagno ignis, & ſulfuris quæ eſt mors ſecunda. Et hæc tibi ſufficiant de iſta materia. D. Patere quæſo vnam adhuc interrógatiunculam. Chriſtus cur ſecundum animam potius, quàm ſecundum totum hominem deſcendit ad inferna? Iterum, quare triduum duntaxat, ibi moratus eſt? Nam tertia die reſurrexit à mortuis. D. Sicut naſcens in mundum, vt hominem ſeruum redimeret fórmam ſerui induit, habitu inuentus, vt homo: ita deſcendens ad inferna ſecundum animam, corpore depoſito eo ire voluit, vt per omnia ſimilis eſſet redimendis illinc patribus, qui ibidem erant ſecundum animam tantùm. Quoniam vt ſimilitudo ſeminarium habet amoris, & rapit efficaciùs in imitationem ſui, quod qualitate propinquum eſt: ita & ſocietas in miſerijs, miram habet energiam excitandæ compaſſionis. Quã vtique ob cauſſam Chriſtus vt ante mortem incommoda huius mundi, & paſſiones in carne tulit, ſicuti & nos, immo magis quàm nos: ita poſt mortem quoque voluit ferre peregrinationem animæ exutæ, quemadmodum & Patres perferebant in inferno ſuperiori: vt eſſet nobis fidelis Pontifex, qui poſſet compati infirmitatibus noſtris, tẽtatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Quòd autẽ ibi triduum duntaxat, hic verò pluſquam triginta annos conuerſatus eſt, ideo factũ videtur, quia in mundum venit, non ſolùm cauſſa redimendi, ſed & docendi. At docendi genus efficaciſſimum eſt per exempla, prout Seneca docet. Longa, inquit, via per præcepta, breue autem compendium per exempla. Vt ergo doceret homines huius mundi, & verbo, & exemplo, functiones virtutis meritoriæ apud patrem, ideo multo tempore debuit eſſe cũ hominibus. Ad infernum autem deſcendit tãtummodo redimendi cauſſa. Quia dum nox eſt, id eſt, poſt mortem, nemo operari poteſt merita vitæ. Ceſſat autem docendi ratio, vbi non eſt merendi, demerendique cõditio. Et eam ſane ob cauſſam triduum dũtaxat, apud inferos moratus eſt, apud nos autem, & hic nobiſcum in carne noſtra annis multis conuerſatus eſt, docendi ſimul ac redimendi cauſſa.

Quare Chriſtus ſecundum animam tantùm deſcendit.

DE RESVRRECTIONE, ET ASCENSIONE CHRISTI. TRACTATVS QVINTVS.

Qvomodo resurrectio Christi sit demonstranda ex scripturis. Cap. I.

Christus reuera fuit tribus diebus, & tribus noctibus in sepulcro. Cap. II.

De his quæ contigerunt in resurrectione Christi, & quod sua ipsius virtute resurrexit à mortuis Cap. III.

Qui fructus quæue incitamenta spei Christianæ cõsequantur ex resurrectione Christi. Cap. IIII.

Plures esse cælos, & Christum ascendisse in omnes, ad thronum vsque Dei. Cap. V.

An potuerit ascendere Christus existens Deus, et quando ascenderit. Cap. VI.

De loco vnde, & modo quo ascenderit Christus. Cap. VII.

De modo quo Christus sedet à dextris Dei Patris, siue à dextris virtutis Dei. Cap. VIII.

De fructu ascensionis Domini. Cap. IX.

Quomodo sit explicandum illud Saluatoris: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Cap. X.

Quomodo resurrectio Christi sit demonstranda ex scripturis. CAP. I.

M. PRo Symbolo rectæ fidei de resurrectione Domini nostri Iesu Christi, statuerunt Apostoli hunc articulũ. Tertia die resurrexit à mortuis. Cui superaddidit Nicænum concilium: secundum scripturas. Eò quòd Apost. instruẽs Corinthios, solicitè addat eandem particulam dicens: Tradidi enim vobis quod & accepi, quoniã Christus mortuus est pro peccatis nostris secundũ scripturas, & quia sepultus est, & resurrexit tertia die secundũ scripturas. (1.Cor.15.) Nec dicit, secundum scripturam ne putemus vnam tantùm esse, sed secundum scripturas, quia multæ sunt. D. Non potest absq; caussa esse, Apostolum hoc loco toties inculcare particulam secundum scripturas. M, Ideo id facit, ne velut figmentum hominum abijciat quispiam, potissimùm Iudæus, quod credimus de morte & resurrectione Christi. Demonstratur enim ex proprio suorum Prophetarum testimonio. Secundò, ideo facit, ne inexpectata putetur, aut nihili pendenda resurrectio Christi, de qua adeò solicitè prænũciarunt Prophetæ, vt etiam scriptis eam prædictam, & testatam posteris vellent relinquere. D. Et quæ sunt istæ scripturæ? M. Prophetarum, primò Dauidis Psalm.3. & 70. Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Conuersus

Cur articulo addatur adeò diligēter: secūdum scripturas

Scripturæ testātes de resurrectione Christi.

viuificasti me, & de abyssis terræ reuocasti me. Iterum Psalm.15. Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Hæ scripturæ testantur de resurrectione Christi, tamen citra determinationem temporis, quo mansurus erat in sepulcro. De postrema prorsus certum est ex verbis Petri, Actu.2. applicantis dictam Prophetiam hoc modo: Viri Israëlitæ, audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigijs, & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis, quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quòd impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum, nota in eum, Prouidebam Dominum meum semper quoniam à dextris est mihi ne cõmouear. Propter quod lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescit in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. Addit Petrus: Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam & defunctus est & sepultus est, & sepulcrum eius manet apud vos, vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi: Quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hũc Iesum resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Hucusque Petrus Apostolus, cuius interpretatione non potest alia dari, aut expressior, aut certior. Secundò, est scriptura Oseæ cap. 6. in quo depingit propheticè, & tempus resurrectionis & fructum inde secuturum in nobis. Nam dicit: Viuificabit nos, id est, nostram naturam, post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Quoniam tertia die incepit in Christo & multis alijs cum Christo resurrectio quæ in nobis omnibus consummabitur qui morimur in Christo. Tertiò, est manifesta scriptura Ionæ secundo, non solùm literis & syllabis prophetans, sed & historia rei gestæ in persona Ionæ, prout Saluator testatur dicens: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde (Matth.12.)

terræ tribus diebus & tribus noctibus, Matthæi 12. Luc. 11. Præter hæc autem & Christus [illegible] prædixit [illegible] tertia die [illegible], Matthæi 17. 20. Marci 9. 10. Luc. 9. 16. & [illegible] facit [illegible] mortis suæ & passionis, statim subiungit. Et tertia die resurget, vt scandalum passionis promissa temperetur resurrectione.

Quod Christus re vera fuit tribus diebus & tribus noctibus in sepulcro. CAP. II.

D. Vòd facta sit resurrectio tertia die secundum scripturas, satis intelligo, quia surrexit Dominus prima sabbati, hoc est, die Dominica mane, orto iam Sole. M. Hoc certum est ex Euangelistis. D. Et sepultus erat die Veneris sub vesperam. M. Et illud sic testantur Euangelistæ. D. Verùm quomodo fuerit tribus diebus & tribus noctibus in sepulcro, sicut Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti, prorsus non intelligo. M. Hanc difficultatem, quidam paucis expediunt per synecdochen. Attu clariùs, magisque Euangelicè dices, tropum esse scripturæ sanctæ: vt quoties exprimere velit diem naturalem continentem 24. horas, ferè coniunctim dicat, diem & noctem. Veluti scriptura dicens, primò Moysen, deinde Heliam, tertiò Christum ieiunasse quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, voluit indicare, eos spatio quadraginta dierum naturalium abstinuisse ab alimento corporali. Eodem modo dicens, eum Ionam in ventre ceti, tum Christum fuisse in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, significat tribus diebus naturalibus, illum fuisse in ventre ceti, Christum verò in sepulcro. Quòd seposita omni dubietate verissimum est. Quia à die Veneris ante occasum Solis fuit in sepulcro, vsque ad diem Dominicum mane circa ortũ Solis. Ergo tribus diebus naturalibus. Vna die naturali quæ incepit post occasum Solis diei Iouis, durans vsque ad occasum Solis diei Veneris, quo die ante Solis occubitum sepultus erat, altera die naturali quæ incepit post occasum Solis diei Veneris, durans vsque ad occasum Solis diei Sabbati, tertia quoque die naturali, quæ incepit post occasum Solis diei Sabbati, durans vsque ad occasum Solis diei Dominicæ, qua die Dominica, ab Euangelistis appellata prima Sabbati, surrexit Dominus. Fuit igitur re vera in sepulcro tribus diebus naturalibus. D. Necdum habes tres integros dies naturales. M. Neque vsquam dicitur, quòd fuit aut debuit esse tres totos dies

Ionæ 1.

Expediti solutio difficultatis super tempore quo Christus quieuit in sepulcrũ.

Deut. 9

3. Reg 19.

Matth. 4.

naturales in sepulcro, sed tribus diebus & tribus noctibus, id est, tribus diebus naturalibus. Quicunque autem est alicubi, in aliqua parte diei naturalis, vel artificialis, is ibi est, & dicitur esse eo die, secundum communem phrasim, tam popularium quàm eruditorum. Ingressus Louanium die Veneris, & ibi continuò manens vsque ad diem Dominicum orto iam Sole, is indubiè dicitur fuisse Louanij tribus distinctis diebus. Et est verus sermo, siue de naturalibus diebus intelligas, siue de artificialibus. Scripturę igitur quæ dicunt: Et tertia die resurget, etsi veritatem habeant loquẽdo de dieb. artificialibus, meliùs tamẽ certiusq; intelligũtur de dieb. naturalibus. Nã sic intelligẽdo, inter has & eã quæ est Ionæ 2. ac Matth. 12. optima est consonantia: Nec vlla tunc potest moueri de tertia nocte difficultas. D. Deus bone, quot interfui ego pugnis verborum, circa hanc materiam: nec tamen vnquam audiui tam expeditam huius difficultatis resolutionem. M. Porro Christum non derelictũ esse in sepulcro, sed veraciter resurrexisse à morte, iuxta sermonem Prophetarum, & suum concorditer testantur quatuor Euangelistæ, scribentes historiam vitæ, mortis, & resurrectionis eius. Idem testantur apparitiones quas fecit plurimas post resurrectionem, ostendendo seipsum viuum in multis argumentis, per dies quadraginta, præbens Apostolis corpus suum inspiciendum, & palpandum, loquens quoque de regno Dei. Denique conuescens cum eis, & illi simul manducantes & bibentes cum illo, sicuti sparsim inuenies apud Euangelistas in fine suorum Euangeliorum. Insuper Actuum primo & decimo capite. Vbi habes: Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus à Deo præordinatis, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum. Item primo ad Corinth. 15. sic habet Apostolus: Quia resurrexit tertia die secundum scripturas. Et quia visus Cephæ. Et post hoc vndecim: Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque huc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo. Deinde Apostolis omnibus. Nouissimò autem omnium, tanquam abortiuo, visus est mihi. Hæc putat Apostolus sufficere Corinthijs ad credẽdam resurrectionem Christi, debent igitur meritò & tibi & mihi sufficere.

Probatur scripturis Christum veraciter resurrexisse à mortuis.

De his

De his quæ contigerũt in resurrectione Christi, & quod Christus sua ipsius virtute resurrexit à mortuis. CAP. III.

D. Verum quæ contigere in resurrectione Christi, & quomodo facta est? M. Terra tremuit & quieuit dũ resurgeret in iudicio Dominus. Nam Matthæus: Et ecce, inquit, terræmotus factus est magnus. Erat autẽ iste terræmotus magis exultationis, quàm cõpassionis. In morte Domini mota est terra, tremore, & horrore quodam, quòd Deum suum ac Dominum in tantis sustetaret suppliciis. Rursum in resurrectione factus est terræmotus magnus, præ lætitia & exultatione, quòd sentiret terra sese suamque substantiam iam in corpore Christi glorificari gloria magni Dei. In hoc terræmotu surrexit Dominus, nõ obstante, quod sepulcrum esset excisum de petra, clausum insuper saxo magno, præterea consignatum sigillis principum, sed & militibus custoditũ. Quoniam corpus mortuum etiam primo cõtactu animæ deificatæ ac glorificatæ, mox surgit in gloria & in virtute, factum iam spirituale, quod prius erat animale, immortale & incorruptibile, quod priùs mortale erat, passibile, ac corruptibile. Quia autem spirituale, ideò spirituum ac cœlestium rerum habuit proprietates, quare vltra non potuit cogi, artari, includi, aut concludi vllis firmamentis rerum, ex saxis, ferro, lignis aliisque materiis mũdi huius, vti infrà pleniùs audies. Surrexit autem Dominus non aliena, sed sua ipsius virtute, more dormiẽtium, qui somno expleto surgunt, non alterius, sed sua sibi insidente virtute. Mors autem Christi, & omniũ Christifidelium morientium in Christo, est simillima sopori dormientium. Hinc dormire dicuntur in Christo. Et Christus de se per os Prophetæ: Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi. D. Quomodo sua virtute? Iã mortuus erat. M. Tamen Deus permanebat, neque sua diuinitas vnquam dereliquit, quod semel assumpserat. Ipse quidem vt homo veraciter mortuus per realem separationẽ corporis & animæ, sicut nos verè mortui sumus dũ anima diuisa est à corpore nostro, tamen semper viuens vt Deus, semper etiam vnitam habens suam diuinitatem, & cum anima dum esset in Limbo, & cum corpore dum iaceret exangue ac mortuum in sepulcro. Et hac suæ diuinitatis virtute surrexit dum voluit, velut soporatus à somno. Hinc dicit ad Iudęos: Soluite templum hoc, loquens de templo corporis sui, sicut Ioannes testatur, & in tribus diebus excitabo illud. Ego, inquit, excitabo illud, non alius suscitabit illud, sed ego ipse.

Ad quid terremot' in resurrectione. Matt. 27.

Matt. 28.

Corp' glorificatum nullis potest artari rebus.

Surrexit Christus sua virtute.

Propterea, inquit, me diligit Pater, quia ego (mea sponte) pono animam meam scilicet pro salute generis humani, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. D. Tamen dicitur multis in locis, quod Deus suscitauit illum. M. Sic dicitur Actuum 2. Rursum Propheta in persona Christi sic alloquitur Deum: Non derelinques animam meam in inferno, Et Apostolus: Quòd si spiritus eius qui suscitauit Iesum habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eiùs in vobis. Hinc palam testamur quòd Deus suscitauit filium suum Iesum à mortuis. Adhæc, quòd idem Deus viuificabit & mortalia corpora nostra in resurrectione mortuorum. Nihilominus tenemus & confitemur, quod Christus ipse cum voluit reassumpsit animam suam, ipseque surrexit à mortuis, seipsum viuificans. Nec vlla est hic repugnantia. Quoniam virtus diuinitatis inhabitantis in illo excitauit eum. Deus erat & homo. Secundum hominem mortuus, secundum Deum omnipotens. Adeoque diuinitas Christi quæ nunquam moritur, estque eadem cum diuinitate Patris & Spiritus sancti, excitauit seipsum secundum humanitatem, secundum quam mortuus fuit: Vt verissimè dicatur Deus suscitauit illum, verissimè etiam Christus suscitauit seipsum. D. An eodem modo fuerit resuscitatus Christus atque Lazarus, Adolescens quidam, & puella Iairi filia? M. Nequaquam. Illi enim aliena virtute: Christus vero sua ipsius virtute fuit resuscitatus. Illi ad vitam mortalem, non longè post denuò morituri: Christus verò suscitatus est ad vitam immortalem. Christus enim resurgens à mortuis iam non vltra moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quòd autem viuit, viuit Deo, ad Roman. 6. Mortuus est peccato, id est, mortuus est mortem consonam, atque obnoxiam peccato. Nunc vero viuit Deo, id est, viuit vitam consonam Deo. Deus autem indeficiens est, ac semper in se consistens, velut auctor, finis, ac ratio vitæ, atque ideo qui viuit Deo, iam æternitatem, fontem, rationemque indeficientem, vitæ in se habet. Illi resuscitati sunt, vt viuerent iterum in tali corpore, quale priùs seminatum erat, in corruptione, in ignobilitate, in infirmitate, denique animale, I. ad Corinth. 15. prout facile patet. Nam

Deus suscitauit Christũ & Christus sua virtute surrexit.

Vtrúq; verũ. Deus suscitauit & Christus suscitauit seipsum.

Ioan. 11. Luc. 7. Matth. 9. Aliter Lazarus suscitatus à mortuis, aliter Christus.

Luc. 7. Matth. 9. Ioan. 11. resedit adolescens. Et puellæ iussit Christus dari ad manducandum. Et Lazarus quoque suscitatus adhuc ligatus erat institis, sicuti ubique debuit ab Apostolis. Omnia enim officia, omnes que proprietates mortalis naturæ quæ sunt in alijs, erant & in corporibus illorum postquàm resuscitati essent. At Christus surrexit in gloria, & in virtute, habens nunc corpus spiritale. Nam quod mortale fuerat in eo & corruptibile, iam induerat immortalitatem & incorruptionem, morte prorsus absorpta in victoria, 1. ad Corinth. 15.

Qui fructus, quæue incitamenta spei Christianæ consequantur ex resurrectione Christi. CAP. IIII.



D. ET quis obsecro fructus resurrectionis Christi in nobis? M. Audi precor ipsum ad Martham respondentem: Ego, inquit, sum resurrectio & vita, omnis qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Nõ solùm igitur resurrectio Christi, est forma & exemplar resurrectionis nostræ, sed etiam ipse est sua omniumq; resurgentiũ resurrectio, sicut est sua omniumq; viuentiũ vita. Adeoq; nemo viuit aut viuere potest in Deo, nisi per Christum. Nemo suscitatur à mortuis, aut resurgere potest nisi per Christum. Siquidẽ per Christum resurgentem est resurrectio mortuorum: prout pulcrè deducit Apost. 1. Corin. 15. dicens: Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum nõ est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra, inuenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deũ, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui in Christo dormierunt, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ verò Christus. Deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, deinde finis. Hucusque verba Pauli. Quæ ruminando si iterum atque iterum, videbis Paulum efficaci argumento nobis demonstrare: Primò esse resurrectionem mortuorum, ex eo quòd Christus surrexit à mortuis: secundò, resurrectionem omnium esse per vnum Christum, sicut mors omnium est per vnum Adã: tertiò, per Christi resurrectionem & non sine Christi resurrectione, esse resurrectionem internam à peccatis nostris. Quoniã si Christus non resurrexit, adhuc manemus in peccatis, quam tertiam partem Paulus exactiùs prosequitur ad Roman. 4. dicens. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et. 6. Consepulti enim sumus cum illo per baptisma in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Exclamans ad Collos. 3. Si consurrexistis cũ Christo, scilicet à morte peccati ad vitam gratiæ, quæ sursum sunt quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autẽ apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quartò autem legendo totum cap. 15. 1. ad Corint. etiam primum cap. primæ Petri, videbis nos per resurrectionem Christi habere spem certam atq; viuam, ad immortalitatem, incorruptionem, gloriam denique & felicitatem, quę Christus assecutus est resurgendo. Sic enim habet Petrus Apost. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secũdum suam misericordiam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcessibilem, conseruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem, in salutem paratam reuelari in tẽpore nouissimo, &c. Non quidem omnes habent hanc spem viuam, sed nos, inquit Petrus. Confirmat idem Paulus dicens: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Nos, inquit, qui sequimur Christũ & morimur in Christo, nos qui in virtute Dei custodimur per fidem, nos inquam, immutabimur scilicet ad eũdem statum, easdem quoq; dotes ac proprietates corporis, ad quas Christus resurgẽdo immutatus est, prout infrà latius exponemus.

Margin notes: Ioan. 11. Qui sunt fructus resurrectionis Christi. — Ex verbis Pauli tria notanda. — Per resurrectionẽ habemus spẽ viuam resurrectionis nostræ.

Christus caussa & ratio resurrectionis omnium. Christus forma & exemplar resurrectionis iustorum.

nemus artic. II. Itaque fili, Christus resurgendo factus est primitię mortuorum, & primogenitus ex mortuis, auctor quoque & ratio omnis resurrectionis quæ fiet, sed propriè forma & exemplar resurrectionis eorum qui in Christo sunt: primò eius qua intus in interiori homine surgimus à peccato, vt ambulemus in nouitate vitæ: secundò, eius qua secundum Paulum surgemus à morte ad immortalitatem & statum glorię. Atque hanc ob caussam Paulus Thessalonicensibus scribens ait: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Christus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet eum eo. Obserua, ita, id est, eodem modo adducet eũ eo, hoc est, suscitabit à mortuis, nõ quolibet modo, sed sicut illum suscitauit: Et sic semper cum Domino erimus: Non omnes, sed qui dormiuimus per Iesum. Nã dormire per Christum, & dormire in Christo, est eum pietate dormitionem accipere, siue Christianè & catholicè mori, habendo in nobis spiritũ Christi inhabitantem. Qui enim suscitauit Iesum, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitatem spiritum in vobis. Nemo ergo contristetur dum videt mortuos sepeliri, & quasi in terram redigi. Hanc enim spem certam ac viuam retinemus ex scripturis sanctis. D. Minor foret tristitia, essetque spes viuidior in nobis, si constaret etiam alios homines præter Christum resurrexisse à mortuis. Dum autem remittimur ad resurrectionem in nouissimo die, meritò lãguet multorum expectatio. M. Si constaret, dicis? an non constat satis quod Euangelium apertis verbis testatur? Matthęus inter miracula quę contigere dum expiraret animam Christus, narrat & hoc. Monumẽta aperta sunt, & multa corpora sanctorum quæ dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Non igitur Christus surrexit solus à mortuis, sed & multi Sanctorum cũ eo, tamen post resurrectionẽ eius. Quia primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi. Et ne putemus alios resurrexisse solùm secundũ spiritũ, dicit expressẽ: Multa corpora sanctorum qui dormierant, hoc est, mortui erant, surrexerunt. Addeus ad maiorẽ certificationẽ rei gestæ, ea corpora venisse in ciuitatẽ, & apparuisse multis. Ne verò putemus duos, tres, quatuor, aut quinq;, duntaxat resurrexisse cum Christo, vtitur Apostolus dictione multa, qua ferè solet vti scriptura quando numerũ vincit multitudo, eò quod tã numerosa erat copia tunc resurgentium cũ Christo, vt speciatim exprimi non potuerit: ideoq; multa corpora. Est autẽ hæc resurrectio sanctorũ facta in attestationẽ, non solùm resurrectionis Christi, sed & efficaciæ eius quã habitura erit in nobis: vt visa partim impletione promissi diuini, firmior existat spes eius, quod futurum creditur. Hinc apparuerunt multis, nõ paucis aut quibusdã, sed multis testantes de resurrectione mortuorũ futura per Christum Dominũ iã crucifixum. Sic intelligit D. Hiero. aliiq; patres dictum locũ, Nec aliter intelligi potest. Quis enim auderet vel somniare eadẽ corpora sanctorũ postea denuo rediisse ad sua sepulcra in cinerem mortis, vt verũ falso, vera Christi resurrectio falsa sanctorũ resurrectione probaretur. Neutiquã verò Christus est primogenitus ex mortuis, aut primitiæ resurgentium eo modo, quo surrexerunt Lazarus, adolescens, puella, à Christo suscitati, sed nascentiũ ex mortuis eo modo, quo ipse resurrexit ad vitam, videlicet, diuinam, immortalẽ, impassibilẽ, quasi primus & ante omnes renatus in nouam vitam throno cælesti idoneam, ducens suos fratres, qui simul resurrexerunt, eadem immortalitate vestitos secũ in cælum ad triumphũ, traditurus illos Patri, velut primitias regni, quod suo iam sanguine conquesierat iuxta verbum Psalmist. simul & Apostoli dicentiũ: Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Itaque fili & vniuersi fratres Christiani consolamini inuicem in verbis istis. D. Valde quidem cõsolatoria sunt hæc. Verùm repugnat aliud verbum scripturæ dicentis: Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. M. De hac scriptura dicemus in fine huius sequentis articuli.

Matt. vlt. Probatur multos resurrexisse cũ Christo.

Vera erat resurrectio eorũ qui surrexerunt cũ Christo. Christus propriè, primitiæ nascentiũ ex mortuis.

Ephes. 5.

Plures esse cælos, & Christũ ascendisse in omnes, ad thronum vsq; Dei. CAP. V.

M.



Via indubitata fide credẽdum est, quod Christus post resurrectionẽ suam à mortuis, non manserit hic in mundo, aut paradiso aliquo terrestri, sed ascẽderit corpore in cælos ad thronum vsque gloriæ Dei: ideo addiderunt Apostoli pro Symbolo rectæ fidei, & hunc articulum. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris. Siquidẽ cõsummato redẽptionis nostrę mysterio, & animab' sanctis de Limbi captiuitate liberatis, ascẽdit Christus cũ triũpho in cęlos. Cęlos dico pluraliter, quia nõ in vnũ cęlorũ dũtaxat, sed in vniuersos cęlos. D. An igitur cęli multi? Est terra vna, aer vn', ignis vnus, & super hęc elemẽta, videtur non nisi

Quòd multi sunt cæli.

nisi vnum extensum esse cælum. M. Consensus omnium philosophorum testatur plures esse cælos, licet fortassis discrepent in numero cælorum. Idem autem testatur, & quidem multò efficaciùs scriptura vtriusque Testamenti. Nam affirmat Apostolus se raptum fuisse in tertiũ cælũ, siue in corpore suo, siue extra corpus. Et Ioanni Baptistæ aperti sunt cæli, & vidit gloriam Dei. Sed & Ezech. Propheta: Aperti sunt, inquit, cæli & vidi. Sic B. Stephanus. Ecce inquit video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, cui consonat Paulus dicens: nos habere aduocatum Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Filium Dei, ad Hebr. 4. Verissimũ igitur est quod dicit articulus: Christũ ascendisse in cælos, quia penetrauit omnes, vsque eminentissimum illud cælorum, ibi est sedes Dei, & thronus gloriæ eius. Quando autem Marcus & Lucas dicunt Christum ascendisse in cælum, loquentes singulariter: tunc per cælum intelligunt vniuersum corpus omnium cælorum. Et ne subeat cogitationem nostrã, Christum ascendisse duntaxat in infimũ cælorum, quod hinc est primum, & vocatur cælum lunæ, Addit Marcus: Et sedet à dextris Dei. Itaque ascendit in illud cælum, vbi est thronus Dei, nec ibi sedet in angulo, aut sub scabello throni, aut sub altari, sicut animæ sanctorum, Apoc. 6. sed in loco dignissimo, nempe à dextris Dei. D. Apparet totum articulum istum esse in scripturis. M. Omnino, & sub eisdem ferè verbis. Dicit enim Ioannes: Ascendo ad Patrem meum. Marcus: Eleuatus est in cælum. Lucas: Ferebatur in cælum. Paulus: Penetrauit cælos. Quibus addit Marcus: Et sedet à dextris Dei. Adeoque ex verbis Euãgelistarũ Ioan. vlt. & penul. Marc. vlt. Luc. vlt. Act. I. Licet clarè deducere, quæcũq; spectant ad hanc materiam, quando ascenderit, quo ascenderit, & quomodo ascenderit, quid antè, quid pòst, quid in ipsa factum sit ascensione, tu interroga.

1. Cor. 12. Matth. 3. Ezech. I. Act. 9.

Articulus iste cõtinetur in scripturis.

An potuerit ascẽdere Christus existens Deus, & quando ascenderit. CAP. VI.

D. Principio Christus erat Deus, Deus autem vbique est, nec vsquam abesse potest. Quomodo igitur credi poterit ipsum ascendisse de loco inferiori ad locum superiorem? M. Etiam Christus verus homo erat, qua natura non vbique est, sed certo loco præsens existit. Vt Deus, implet cælum & terram, nusquã absens. Vt Deus igitur, & secundum diuinam suam naturam non ascendit. Quia ascendere est se mouere de loco inferiori in quo erat, ad locum superiorẽ in quo non erat. Verùm vt homo, & secundum humanã naturam ascendit: quia in illa natus hic de virgine Maria, nondum fuerat in cælo, hinc dicit ad Mariã Magdalenam: Noli me tangere, sed vade ad fratres meos, & dic illis: Ascendo ad Patrem meum & Patrẽ vestrum, Deum meum & Deũ vestrum, quasi diceret: Ego qui loquor tecũ, & secundum naturã qua loquor tecum, qua crucifixus fui, mortuus fui, & nũc posteà resurrexi, qua & illis frater sum, habens cum eis communem Patrem & Deum: Ego homo, & in hac natura ascendo, nõ in natura qua Deus sum. Quia in illa vniuersum mundum impleo cum Deo patre. In illa, α sum & ω, principiũ & finis. Non igitur illa possum ascendere, aut descendere, moueri vel circũscribi. D. Mirabile valde, personam aliquam ascendere secundum vnam naturam, secundum alteram non ascendere, immo manere immotam. M. Reuera istud nihil habet admiratione dignũ, simile est quotidie obuium, in te, in me, omnibusque hominibus. Siquidem constamus ex duabus naturis, anima & corpore, anima intelligimus, recordamur, ratiocinamur, nihil horum facientes corpore. Rursum corpore nutrimur, crescimus & decrescimus, cùm nihil horum fiat in anima. Prætereà in corpore eodem, partes diuersæ diuersa habent officia, manducamus ore, non manibus aut pedibus, pedibus ambulamus, non ore aut manibus, & sæpè mouemur vna parte corporis manentes immoti in reliqua parte totius, vtputa dum sedentes aut lingua loquimur, aut manibus operamur, Non est igitur mirum Christum secundum vnam naturam ascendisse, & secundum aliam mansisse immotum. D. Neque ego ampliùs de hoc mirabor. Verùm quando ascendit Christus? M. Quadragesimo post resurrectionẽ suam die, Act. I. Non vtique statim à resurrectione, sed debuit mora temporis intercedere, quo præberet seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, loquens ad cõsolationẽ eorum de regno Dei, scilicet quale esset, in quibus cõsisteret, quomodo, & quibus medijs primò ius in illud, deinde possessionẽ eius obtinemus. Quò etiã disponeret quæ pertinent ad hierarchiam Ecclesiæ, quæ est pars regni Dei, constituit vnũ, nẽpe Petrum, Archiapostolum siue summum sacerdotem, & pastorẽ vniuersalẽ totius gregis sui, Ioan. 21. quod est munus papale, vsque nunc perseuerans in Ecclesia catholica. Omnes autẽ Apostolos misit cum potestate qua ipse venerat, docendi, regendi, plantandi, euellendi, ligandi, atq; soluendi, remittẽdi deniq; & re-

Christ' licet Deus, tamẽ ascẽdit, sed secundum quod homo,

Obiectio.

Solutio ex similibus,

Quando ascẽderit Christus.

Quę Christ' fecerit & ordinauerit inter resurrectionẽ, & ascensionem.

& retinẽdi peccata hominum, Ioan.20. quod similiter est munus Episcopale & Sacerdotale perseuerans in Ecclesia, vsque in hodiernũ diem. Ad quæ sanè munera ritè peragẽda, aperuit eis tum temporis sensum, vt intelligerent scripturas, Luc. vlt. ne, scilicet, indocti venirẽt ad gubernacula Ecclesiæ, vt hodie fit. Quam potissimùm ob caussam perit nunc Ecclesia sub manibus istorum prælatorum quę creuit tunc sub manibus Apostolorum. Ne autem suspectum foret, aut illegitimum testimoniũ, quod redderituri erãt Apostoli de Christo per vniuersum mundum, etiam tum temporis palàm ac publicè requisiuit eos, vt sibi fierent testes in Ierusalem, & in omni Iudęa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Nam testes qui ingerunt se testandi gratia, non vocati ac rogati, meritò suspecti habentur apud omnia tribunalia. Hinc in omnibus instrumentis vbique inseritur hæc clausula: Testes ad hoc vocati specialiter & rogati. Sicut & sępius insertum legitur instrumento noui testamenti, Act.1. ac alijs locis. Quapropter Pseudoeuangelistæ huius temporis, re vera sunt illegitimi testes verbi Dei, quia à se veniunt non missi ab eo qui mittendi potestatem habet, verèq; suspecti, quoniam ingerunt se ad reddendum testimonium Iesu Christo, non vocati ad hoc specialiter atque rogati. Nota quæ dico, non enim sine caussa dico.

Qui legitimi testes Euãgelicę veritatis.

Depulsori

De loco vnde, et modo quo ascenderit Christus. CAP. VII.

D. Nunc de modo quo ascendit Christus. M. Inter alia etiam hoc pręcepit Apostolis suis iam iam ascensurus, ab Hierosolymis ne discederent, sed sederent, id est sedatos & in quiete se continerent in ciuitate, donec induerentur virtute ex alto. Et omnia hęc cùm dixisset, videntibus illis, eleuatus est. D. Vbi? an in ipsa ciuitate? M. Non. Quoniam Lucas dicit: Et eduxit illos foras Bethaniam in montem qui est Oliueti, Sabbati iter habens à ciuitate. D. An verò ibi multi fuerunt præsentes? M. Principio certum est ibidem fuisse præsentes numero plures. Quia dicitur Act. 1. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Prætereà est certum ibi fuisse pręsentes vndecim Apostolos. Nam Lucas dicit: Eduxit autem eos, scilicet vndecim Apostolos, in Bethaniam &c. Insuper vix dubiũ est se potest quin fuerint ibi pręsentes, plusquàm quingenti fratres, hoc est Christifideles. Nã illos de quib⁹ Paulus dicit 1. ad Cor.15. Deinde visus est plusquàm quingẽtis fratribus: verisimile est in ascensione dñi adfuisse, eò ꝙ eisdẽ se tam amicè tamque familiariter spectandũ præbuerat. Immo quidam sancti Doctores intelligunt præfata verba Pauli, de ea apparitione qua apparuit Christus suis in die ascensionis, eò ꝙ particula, deinde, tertiò repetita, non indicet eo loco ordinem rei gestæ, sed magis seriẽ narrationis, qua articulatim narrantur quę antea gesta fuerant. Omnibus itaque his congregatis circa montem Oliueti, venit eò Iesus cum vndecim Apostolis velut ducibus ac capitibus Ecclesiæ & religionis. Quòd autem venerit cum illis in montẽ Oliueti simul ambulans cum eis, certum est, quia Lucas ait: Et eduxit illos foras in Bethaniam. Populus quidem credentium stabat ad montem expectans, sed futuri immo tunc instituti duces ac rectores credentis populi, venerũt eò cum Iesu, & Iesus pariter cum illis, deducens eos, velut pręcipuam ipsorum curam gerens, vt etiã hinc clarè liceat intelligere, præpositos Ecclesię, & dignitate, & modo habendi se, & coniunctione cum Christo, ab initio, semper fuisse distinctos à communi populo in republica Christiana. D. Ipsa ascensio quomodo facta est? M. Dominus quidem Iesus postq̃ locutus est eis, eleuatis manibus benedixit eis. D. Faciendo signum crucis super eos? M. Benedicere est bona imprecari. Dicere autem Dei semper efficax est: Dixit enim, & facta sunt. Quare & benedicere eius, non potest nõ esse efficax. An verò Christus benedicendo, hoc est, bona illis imprecando vsus sit signo crucis, tacet Euangeliũ. Hoc tamen certum est, hanc antiquissimam consuetudinem benedicendi per signum crucis, Ecclesiam retinuisse in vsu publico à temporibus Apostolorum, quare verisimile est, Apostolos eam didicisse à magistro suo Christo. Maximè tũc, post triumphũ victoriæ per agonem crucis, ad declarandum Deum Patrẽ nos benedicere, omni benedictione in cælestibus per triumphum crucis. Pergit Lucas dicendo: Et factum est dum benediceret eis, recessit ab illis, & ferebatur in cælum. D. Ferre est portare, an igitur portabatur in cælum? M. Fertur lapis sursum ab extrinseco, natura lapidis nõ cõferẽte vim, Sic ferebatur Abacuc in Babylonem manibus Angeli. Et Helias in ęera curru igneo. Feruntur & aues sursum, nõ quidem ab extrinseco, sed virtute propria per alas & plumas. Nubes itẽ tendũt versus cęlum, propria leuitate ibi inhęrente, & oleum positum sub aquis, fertur mox sua sponte supra aquas, eò quòd plus habeat de natura aëris & ignis, quàm de natura aquæ. Hoc autem secundo modo, nempe sua spõte, virtu-

Vbi, & quomodo ascẽderit Domin⁹.

Ascẽdit in præsentia multorũ.

An Christus benedixerit per signũ crucis.

Ephes.1.

An Christus portabatur in cælum.

Christus ferebatur in cælum suauissimè, à propria sibi inexistẽte virtute.

virtute propria, ab eo quod inhabitabat nequaquam ab extrinseco aut à manibus aliorum, ferebatur Christus Dominus in cælum. Omnia quoque corpora sanctorũ simili modo ferentur in cęlum post resurrectionẽ, sua, dico, spõte, & à propria sibiq; in existẽte virtute, facilimè, proprijssimeque secundum naturam glorificatá, nulla omnino parte totius cõpositi renitente. Quoniã de sursum est vis siue pondus gloriæ inhabitantis animã sanctam, quæ iam nõ tam prædominatur, quàm prorsus ac sola dominatur omnibus viribus, omnibusq; qualitatibus corporis glorificati. Sicuti enim lapis dum fertur deorsum, naturaliter sidit nulla parte lapidis renitente, immo viribus omnibus vim cõferentibus, quoniam in terra est proprius locus eius, indeq; sumpsit præcipuam qualitatẽ naturæ suæ, sic Christus dum ferebatur in cælum, ferebatur facilimè, quod plus est, naturalissimè secundũ naturam corporis glorificati. Quoniam in cælo est proprius locus hominis glorificati, inde dotes, inde habet proprietates glorię ac spirituum, quæ longè ac latè dominantur super vniuersas qualitates acceptas à parentibus carnis nostrę. Ferebatur autem Christus in cælum non raptim aut inperceptibiliter, sed sensim, sic vt intuerentur euntem eum in cælum, donec nubes lucida susciperet eũ ab oculis eorum, Act. 1. D. Verùm solúsne, an simul alij cum ipso? M. Matth. 27. post narrationem passionis habes sic: Et multa corpora sanctorũ surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Et hæc sanè corpora sanctorum ascenderũt simul cũ Christo. Et pręterea infinitus numerus animarũ sanctarũ, quas de Limbo eduxerat. Si magni principes nusquam proficiscuntur soli, potissimùm quando quid triumphalibus pompis sunt peracturi, profectò multò minùs princeps regum terræ debuit solus proficisci iã in triumpho traditurus Deo patri regnum quod suo sanguine conquesierat. Quod certè regnũ in die ascensionis suæ cœpit tradere, adferens secum primitias ex omni genere nationis humanæ, ex Patriarchis, ex Prophetis, ex Regibus, ex Sacerdotibus, ex plebeis, ex Martyribus, ex eis etiã, qui mũdo quidem incogniti, tamen eximiè fuerunt sancti. Cœpit, inquam, tunc tradere, & tradit indesinenter hucusq;, tradetq; semper, donec ipsum regnum prorsus ac integrum tradiderit, quod fiet in cõsummatione sæculi. Et tũc finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, 1. ad Cor. 15. D. Satis apta est ratio ista, verùm an scriptura sic testetur? M. Apostolus ad Ephes. 4. ait. Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Duo ergo fecit Christus ascendendo. Duxit secum ad triumphum captiuam illam captiuitatẽ patrum, qui eousque in Limbo fuerant. Et dicit id Apostolus per abstractum, captiuam captiuitatẽ: vt intelligamus etiam ibi tum temporis factam plenitudinem gratiarum, eò q liberauerit ac duxerit secum omnem illam numerosam multitudinẽ sanctorum Patrum, ita vt videatur abstulisse secum Limbum, & ipsam totam captiuitatem quæ ibidem detenta fuerat vsq; ad illud tempus. Secundò, dedit dona hominibus quę exprimit ibidem Paulus prosequendo textum.

Ascendit sensim Christus.

Probatur quod christus non ascẽderit solus.

De modo quo Christus sedet à dextris Dei Patris, siue à dextris virtutis Dei.

CAP. VIII.

M.

Vnc autem dicamus de modo, quo sedeat ad dextram Patris. Dicit enim Marcus: Assumptus est in cælum, & sedet ad dextram Dei Patris. D. An dextrum & sinistrum habeat Deus, sicut & nos? M. Non fili. Quod infinitę est naturę, & extra omnia, maiusq; omnibus, nullam potest recipere differentiam situs aut positionis. Neque Christus iam sedet iuxta positionẽ corporis, quomodo nos sedemus, nõ enim in sedendo, sed in stando est naturalis situs corporis secundũ Philosophum. Nam sedere est imbecillitatis. In statu autem beatitudinis, vt optimè dispositum ita & naturalissimè collocatum esse oportet corpus hominis. D. Quorsum igitur Marcus dicit eum sedere, & id ad dextrã Patris? M. Vtrumq;, & sedęre, & ad dextrã Patris, dictum est tropicè secundum phrasim popularem, secundũ quam dicimus collocare ad dextram nostram, quos summo honore dignos habemus, quos & super omnia & præ omnibus quæ nos attingunt, honorari volumus. Sedet igitur ad dextrã Dei, quoniã in summo honore est receptus super omnia quæ nominari possunt, & eo collocatus vnde omnem potestatèm omneque iudiciũ exercere potest in quiete, & cum maiestate, citra laborem & cõtradictionem. Sedere enim est vel iudicantis ex tribunali, vel regnãtis pacificè, iuxta phrasim. Stare autem, præparati ad prælium vel auxilium. D. Solúsne Marcus asserit Christũ sedere à dextris Dei? M. Etsi solus assereret, satis esset. Quoniã nõ loquitur nisi verbum Dei Marcus. Veruntamẽ idẽ & plus eo asserũt aliæ scripturæ. Christus adiuratus à Caipha summo pontifice, dixit assertiuè: Ego sum Filius Dei, & amodo videbi

An dextrã & sinistrã sint in Deo.

Christus non sedet in cęlo sicut nos sedemus.

Et sedere Christi, & ad dextrã Patris, vtrũq; tropice est intelligẽdum.

Alię scripturę dicũt Iesum esse à dextra virtutis eius.

tis

tis filium hominis sedẽtem à dextris virtutis Dei,& venientem in nubibus cæli.Insuper B. Stephanus cùm esset plenus Spiritu sancto, intuens in cælum vidit gloriam Dei,& Iesum stantem à dextris virtutis Dei,Et ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Quæ sanè scripturæ dicunt Iesum stare & sedere,non à dextris Dei,sed à dextris virtutis eius,quod plus est,quàm sedere à dextra Dei. Optimum rei, est virtus eius. Præcipuum hominis est virtus ipsius. In virtute honestas & decorũ, in virtute felicitas & beatitudo. Virtus bonum, summa virtus summum bonum. Sedet igitur Christus aut stat à dextris virtutis Dei,quia eo exaltatus est vt primas habeat in summo,in optimo,in felicissimo Dei & totius gloriæ eius. Adeò vt omnes in cælis acclament ei dicentes: Dignus est accipere virtutem, & diuinitatem,& sapientiam,& fortitudinem,& honorem,& gloriam,& benedictionem. Immo an diuit Ioannes Euangelista omnem creaturam dicentem sedenti in throno,& agno. Benedictio,& honor,& gloria,& potestas in sæcula sæculorũ Amen. Hæc fusissimè in Apocalypsi Ioan. nominatim cap.5. quæ dum legis debes ea quæ acclamantur sedenti in throno, intelligere iuxta plenitudinem suam & vniuersalitatem,eò quod dictæ voces per se & indefinitè ponuntur,quasi dicerent: Dignus es accipere omnem fortitudinem, omnem diuinitatem, omnem gloriam,&c. Item omnis benedictio, omnis honor,omnis potestas,sit agno sedenti in throno. Vides nunc quomodo sedet à dextris virtutis Dei. Quòd autem D. Stephanus positus in agone viderit eum stantem, iuxta similem phrasim intellige, eò quod stare sit accincti ad prælium,aut præparati ad ferendum auxilium. Nihilominus si spectes naturalem corporum glorificatorum situm, stat Christus, stant Sancti, non sedent aut iacent. Quoniam illud naturalis est perfectionis, ista verò sunt imbecillitatis per se, siue propriè loquendo. Cumque intuerentur Apostoli euntem illum in cælum quasi luminibus & affectu sequentes eo, quo corpore insequi nõ poterant: Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælũ, sic veniet, quẽadmodũ vidistis eum euntem in cælum. D. Viri isti qui astiterunt Apostolis, nonne Angeli Dei erãt? Quare ergo apparuerũt in specie viri,& in albis vestibus? Et quæ caussa legationis eorum? M. Indubiè Angeli erant missi de cælo, stantes erecto corpore in aere, tam propinqui Apostolis, vt rectè scribat Lucas. Astiterunt iuxta illos: Quòd autem astiterint in aëre, non super terram, ex eo colligitur, quoniam si astitissent super terram, suspicio oriri potuisset, illos fuisse adiunctitios homines, subitò superuenientes, ipsis oculis intẽtis in cælum, minusque certum fuisset testimonium quod attulerunt. Quod tamen in animis Apostolorum certissimum erat, velut oraculum diuinum Angelico ore allatum. Astiterunt autem in forma viri, quia in propria specie sunt inuisibiles. Non autem in forma mulieris, propterea quòd mulier est animal imperfectum, secundum Aristotelem. Potissimùm autem quia testimonium mulieris minùs idoneum est, eò quòd labilis sit ac mutabilis, vtpote mollis & inconstans, à mollitie appellationem habẽs. In veste verò alba apparuerũt, vt & habitu exprimerent triumphum festiuitatis, quam pepererat Angelis ascensio Domini. Caussæ autem ob quas apparuerũt Angeli, ex ipsis eorum verbis colliguntur. Nempe ne Apostoli vltra quàm oportuit, aut otiosa aliqua expectatione hærerent ibi in monte, oculis curiosè intentis in cælum. Secundò, vt eos certiores redderẽt oraculo cælesti de duobus: Quorum primùm est Iesum non permãsisse in regione aëris, vbi nubes suscepit eum ab oculis eorum, sed vltra assumptum esse vsque in cælum. Secundùm est, quod non modò, sed aliquando, videlicet in nouissimo die, sic veniet, quemadmodũ viderant eum euntem in cælum: Nempe propria virtute in corpore glorificato, motu libero ad modum gradientium, sociatus sanctorum milibus. Exprimentes quidẽ modum quo veniet, quia sic quemadmodũ &c. Non autem tempus quando veniet. Non enim est viuẽtium in terris, vti Saluator prædixerat, nosse tempora & momenta quæ posuit Pater in sua ipsius potestate: immo de illo die & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater. Matth.24. Ideoque non vltra vobis expectandũ est hic in monte Oliueti. Qua sanè informatione accepta, adorantes reuersi sunt Hierosolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierusalẽ, Sabbati habens iter. Et cùm introijssent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebat Petrus,& Ioannes, Iacobus,& Andræas, Philippus, Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi,& Simon Zelotes, & Iudas Iacobi: qui omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione & obsecratione, cũ mulieribus & Maria matre Iesu,& fratribus eius, Actorum primo. Hæc fili iuxta tenorem scripturarum gesta sunt in ipsa Domini ascensione.

Quomodo intelligitur à dextris virtutis Dei.

Apocal.5.

Act.1.

Ad quid & quare eo modo apparuerunt Angeli in ascensione Domini.

De fructu ascensionis Domini.
CAP. IX.

D. Dubio procul, magnus luctus debebat esse in Apostolis ex recessu Domini. M. Nihil minus, immo Lucas asserit dicens: Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno (Obserua quod dicit, cum gaudio magno) erantque semper in templo laudantes & benedicentes Dominum Deum: Amen. Tantum abfuit vt contristaret eos ascensio Domini. D. Et quæ hic caussa gaudij? M. Aperuerat eis Dominus sensum vt intelligerent scripturas, Luc. vlt. Ex scripturis igitur, partim etiam ex informatione Domini intelligebat, & necessitatem qua necesse fuit ipsum ascendere, & vtilitatem quæ inde subsecutura erat. Necessitatem, quia nisi abiero, inquit, Paracletus non veniet: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et sanè nisi abiero, nõ reserabitur cælum quod hucusque omnibus clausum fuit. Ego enim, ego ipse aperio, & nemo claudit, claudo & nemo aperit. Vtilitatem, quoniam vado, inquit, vobis parare locum. Et si abiero, & parauero vobis locum, iterum veniam ad vos, & accipiã vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. Iam vici, iam triumphaui in negotio generis humani, redemptio facta est, ius vobis quæsitum per me ad regnum cæleste & immortalitatem. Expedit igitur vobis vt vadam. Et deinde, quod vnum restat, accipiam pro vobis realem, vt more Iurisperitorum loquar, possessionem eius, quod pretio magno emptum est, introducendo naturam humilitatis vestræ in thronum gloriæ magni Dei. In omni enim conquisitione rerum, post ius in rem, omnino modo properandum est ad possessionem eiusdem. Nam possessione accepta, tunc demum pleno iure res nostra est. Iuxta vetus illud: Potior est iure, qui prior est in possessione. Firmat enim non parum ius obtentum, possessio subsecuta. Explicat autem cumulatissimè fructum ascensionis dominicæ, Apostolus ad Heb. 4. 8. 9. 10. capitibus, ostendens Christum Pontificem magnum, qui sempiternum habet sacerdotium, in cælis offerre pro nobis sempiternum sacrificium, quo consummauit vniuersa, qui & interpellat pro nobis, velut aduocatus noster apud Patrem 1. Ioan. 2. Sed & illinc consolatoria loquitur ad nos dicẽs: Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cũ Patre meo in throno eius, Apoc. 3. Quapropter ad Heb. 4. concludit Apostolus hoc modo: Habentes igitur Pontificem magnum qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. Adeamus ergo cũ fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Fili ex prædictis facilè intelliges quæcunq; scitu vtilia sunt de ascensione Domini, nunc pergamus ad alia.

Apostoli nõ tristitia, sed gaudio afficiebãtur ex recessu Domini.

Necessitas ascendendi.

Apoc. 3. Vtilitas ascensionis.

Christus ascendendo accepit pro nobis regni cælorum possessionem.

Quomodo sit explicandum illud Saluatoris: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. CAP. X.

D. Domine, memor esto promissi tui, redde quam pollicitus es explicationem dicti Saluatoris, Ioannis tertio quo dicit: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Quæ igitur spes relicta est nobis, qui non descendimus de cælo? M. Certè nulla. Nulla, inquam, iis qui nõ descẽderunt de cælo. D. At nemo nostrum fuit in cælo. M. O mentis caliginem, quàm non vides quæ ante te sunt. Domino nostro philosophãte in mysterio de regeneratione, Nicodemus alioqui doctus in lege, non potuit cogitare de alia natiuitate, quam ea quę accipitur à matre carnis, cùm sit alia incomparabiliter melior, durabiliorque illa. Sic tu Christo loquente de descensu è cælo, videris non cogitare nisi de descensu locali, quasi nõ esset alius descẽsus, quàm secundũ locum, cùm sit & alius, tam apud vulgus quàm inter eruditos vsitatissimus. Nõnne verissimè, nõnne etiã Latinè dicimus? Ille descendit ex regia prosapia, iste ex stemmate regum Franciæ, Carolus quintus ex domo Austriaca? Secundum hunc sanè tropum Christus Dominus Filius Mariæ descendit de cælo à throno gloriæ, quia Patrem habuit in cælis. Inde, quod erat secundum diuinam naturam, inde, quod secundum hominem, inde, quod in humana natura eius erat per gratiam, inde, dico, originem omnium traxit, verè itaque descendit de cælo. Alioqui si de descensu locali intelligis. Neq; secundũ diuinam naturam, quę locum non mutat, descendit Christus, neq; secundum humanam naturam, quæ in Bethleẽ nata, nunquam fuerat in cælo, magis quàm mea vel tua natura. Veruntamen ipse ascendit in cælum secundum carnem, quia etiam quoad illam descenderat de cælo secundum genealogiam habens patrem carnis suæ in cælo. Siquidem descẽdere accipiatur pro dimittere se ad inferiorẽ statũ, Christus etiã secũdũ diuini-

Ioan. 3.

Est descẽsus secundũ locũ, est alius secũdum propagationem. Christus descendis de cælo secundũ propagationem.

Descendere aliquando est dimittere se ad inferiorem statum. Descendere aliquando est genus ducere ex alto.

diuinitatem descendit de cælo. Quoniam in illa eo dimisit se, vt dignaretur sibi vnire hypostaticè naturam hominis de terra sumptá, fieretque Deus homo, immo vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Si verò descendere intelligatur, vt intelligitur, genus ducere ex alto, etiam sic descendit Christus è cælo secundú hominé, vti diximus. Nunc facilè aduertes, quàm elegás, quamque propria sit vniuersalis illa sententia Christi: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo &c. Quia nemo mortaliú ascendet in cælum, nisi priùs genus ducat & originem è cælo, adeò vt verè sit, & nominetur filius Dei, patrem, totiusque suæ verę nobilitatis prima stemmata habens in cęlis. Vtq; illud Apostoli: Viuo iam nó ego, verùm viuit in me Christus, è cælo non ex terra, aut homine possideat, quod est descendere de cælo, ex Deo Patre, à stemmate regio cælestis regni, non minùs propriè, q̃ cùm dicimus ille aut ille descedit ex regia prosapia. D. Sed additur Filius hominis, qui est in cælo, nos autem nó sumus in cælo. M. Neq; Christus secúdú eá parté qua loquebatur, & posteà ascendit in cælú, hoc est, secundú humaná naturá, erat tú téporis in cęlo localiter. Nihilominus insequendo tropos scripturæ, & Christus Filius hominis, hoc est, secundum naturam qua homo est, & omnes alij homines qui re & nomine Christiani existunt, sunt in cælis. Primò conuersatione, iuxta illud Apostoli: Nostra cóuersatio est in cælis. Secundò affectu, quia sunt in caritate, Deus autem caritas est, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo, 1.Ioan.4. Tertiò, sunt in cęlo origine, habetes Deú cæli naturę suę, qua sunt quod sunt, principium & patre, est autem omnis filius in patre, & pater in filio, hoc solùm interest inter Christum & Christianú, q̀ ipse Deus est & homo, & ratione suę diuinitatis erat in cęlo eodem modo quo Pater. Nemo ergo ascendit in cælum, nisi qui originem traxit è cælo, hoc est, descendit de cælo, & pręterea manet prosapia, affectu, & obedietia filiali in cælo, quia semen Dei cóseruatur in ipso, suá cóuersationé magis habens in cælo q̃ in terra: Iuxta illud Apostoli quod diximus: Nostra conuersatio est in cęlis. Additur quidé in prætacta sentétia Ioan. Filius hominis, hoc est, filius Adæ, quo tropo vtitur Saluator, vt intelligamus ta de se, secundum quod homo est ex Adá, q̃ de quouis alio ex Adam descedete, hanc sententiam prolatam esse. Scio fili q̀ alij aliter hic rhetoricátur, sed quem dixi, est germanus, literalis, vereq; Euagelię sensus verború Christi, valde correspódes ad ea quę dixerat Christus Nicodemo paul ŏ antè: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sáncto, nó potest introire in regnum Dei. Quod natú est ex carne, caro est, quod natú est ex spiritu, spiritus est. Non mireris Nicodeme quia dixi: Oportet nasci denuo. Siquidem natum esse ex morituris parentibus, insérit quidé regno & populo mundi huius, sed nó aptat neq; idoneú facit regno Dei. Oportet itaq; renasci denuo, ex aqua & Spiritu sáncto, vt genùs ducas ac originé ex Deo & cælestibus: Quia nemo ascédit in cælú, nisi qui descendit de cælo, &c. Spiritú esse oportet de Spiritu Dei, nó carné duntaxat de carne hominis, quod aptum habebitur sedibus illis cęlestis regni. Oportet & filiú Dei esse, nó vtiq; solú filiú hominis. Capis quá dixi interpretationé? D. Optumè, quonia clara est & propria. Vtinam enarrares nobis ex ordine omnia illa profundiora mysteria Euangelij Ioan. Deus bone q̃ saperent nos sic viuo modo interpretata. M. Faciam aliquádo per gratiá Dei. Iam enim núc meditamur aliquid de paradoxis Euangelicis, potissimùm ijs in quibus supergreditur Ioannes vniuersos.

Boni christiani hic viuentes sunt in cælo.

Phil.3.

ad Phil.3. Quare additur, Filius hominis.

DE IVDICIO EXTREMO. TRACTATVS SEXTVS.

Quem habeat sensum septimus articulus Symboli Apostolici, & quis sit iudicaturus in iudicio vniuersali. Cap. I.

Quid sit iudicare, & quid iudicium, & quæ sit distinctio iudiciorum quæ exercentur in caussa salutis humanæ. Cap. II.

Vbi locorum fiet vniuersale iudicium, & an solius iudicij caussa sit venturus Dominus. Cap. III.

Qua maiestate sit venturus Christus ad iudicium. Cap. IIII.

De his qui comparebunt ad iudicium, & quomodo separabútur ab inuicé ante tribunal. Cap. V.

Qua constantia Sancti, & qua confusione stabút in iudicio impij, & quæ fiet disceptatio super singulis. Cap. VI.

De sententia quam dabit Christus in iudicio extremo. Cap. VII.

Non esse poßibile vt quis effugiat iudicium extremum, esse tamen medium euadendi horribilem illam sententiam: Discedite à me maledicti &c. Cap. VIII.

De signis venturis ante iudicium, item de Antichristo, & vita, regno, ac fine ipsius. Cap. IX.

Quid futurum sit postea iudicio extremo peracto. Cap. X.

P. 2 Quem

Quem habeat sensum septimus articulus Symboli Apostolici, & quis sit iudicaturus in iudicio vniuersali. CAP. I.



M. VT fixa permaneát in cordibus singulorum duo hæc: nempe, quòd penes Christum sit iudiciaria potestas super vniuersos homines, siue viuát, siue mortui existant. Quòdque certo expectandum sit iudicium quoddam vniuersale, quo simul ac semel iudicabit Christus cunctos homines, quemq; pro suis meritis, ideo statuerunt ac tradiderunt Apostoli etiã hunc rectæ fidei articulum: Inde venturus est iudicare viuos, & mortnos. Qui quidem articulus hunc habet intellectũ. Quod is filius Dei qui natus est de Maria virgine, passus sub Pōtio Pilato, & mortuus, resurrexit denique, & ascendit in cęlos, tandem veniet inde, hoc est, ex cœlis facturus vniuersale iudicium vinorũ & mortuorum.

Distinctio necessaria.

Verùm, esto memor distinctionis præhabitæ. Non enim veniet inde secundum naturam suam diuinam, quæ nõ mutat locum, indesinenter vbique præsens: sed veniet secundum eam naturam quam accepit ex virgine Maria, in qua & passus est & resurrexit. Illam etenim intulit cælo vbi prius non fuerat, Secundum illam & descendet è cęlis facturus tam viuorum quàm mortuorum iudicium. D. Tempore iudicij nónne viuent omnes per resurrectionem ex mortuis? Quorsum igitur copulatim dicitur, iudicaturus viuos & mortuos? M. Articulus cōiungens has voces, viuos & mortuos, eleganti phrasi exprimit vniuersitatem omnium hominum, qui fuerunt, sunt, & erunt. Omnes enim qui hominis nomine censeri possunt, aut viuos aut mortuos esse oportet: siue propriè accipiantur voces, siue metaphoricè: nempe pro iustis & iniustis, pro glorificatis, & dãnatis. Ex hoc itaque articulo docemur credere futurum esse quoddam iudicium, quo iudicabũtur simul, & semel omnes homines, qui fuerunt ante nos, nunc sunt, & erunt in posterum, quisq; secundum merita, & demerita sua. D. Et quomodo fiet tã vniuersale iudicium? Quando? Vbi? Et qua sollennitate? Quis pro tribunali sedebit? Qnis executor erit sententię?

De modo Iudicij extremi.

M. Et modum quo fiet, & locum vbi fier, & maiestatem in qua veniet iudex, & discussionem quam faciet, & formam sententiæ, & executionem subsecuturam, omnia luculẽter exprimit scriptura sancta, sparsim tamen, & per diuersa capita, vti audies.

D. Copiam mihi facis liberè interrogandi? M. Facio. Si quid etiam defuerit interrogationi tuæ, supplebo. D. Quis pręsidebit iudicio huic tam vniuersali? Paterne, an Filius?

Quis sit Iudex futurus.

M. Pater, inquit scriptura, non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, Ioan. 5. Si ne vnum quidem iudicat Pater, ergo nec omnes simnl. Rursus, si omne iudiciũ dedit Filio, ergo & extremum & vniuersale iudicium. Hinc Apostolus Petrus ad Corneliũ Centurionem dicit: Præcepit nobis Christus prædicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Act. 10. Christus vt homo iudicabit, non Deus Pater.

Igitur Christus vt homo, & secundum humanam naturam iudicabit, nõ Pater, hoc est, Deus, siue diuinitas. D. Nónne Deus est dominus omnium? Nónne & Domini est iudicare de subiectis potestati & iurisdictioni suæ? M. Omnino. Ideoq; dicit Apostolus, ad Heb. 12. Accessistis ad iudicem omnium Deum. Et 1. ad Cor. 5. Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Dubio procul omnia sunt Dei, omniũ Dominus omniumq; iudex est Deus, per naturam, per proprietatem, per æternitatem.

Matt. 28.

Nihilominus autem omnia quę Dei sunt, vti testatur scriptura, iã tradita sunt Christo, positaque in manu eius, qui natus est de virgine Maria, dicente Ioanne: Et potestatem dedit ei, scilicet Deus Pater, iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, venit enim hora, &c. Ioã. 5.

Ioan. 5.

Christus quidem ea ratione qua Filius Dei est, habuit indubiè per essentiam ac æternaliter iudicij potestatem. Porrò vt homo & secundum humanam naturam, non habet eam, nisi donatione siue constitutione Dei Patris. Hinc Petrus sic loquitur: Qui cōstitutus est à Deo iudex viuorũ & mortuorum. Si cōstitutus: ergo nõ ex naturæ qualitate, sed à constituẽte habet iudicij potestatem, quomodo ratione diuinitatis habere non potest.

Quare sit Christus iudicaturus in forma humana.

Habet igitur per constitutionem, ratione naturæ assumptę. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur, ad Roman. 14. Siquidẽ Filius Dei quoniam exinaniuit se formam serui accipiens, propter seruos qui perierant, habitu inuentus vt homo, & per omnia tẽtatus vt homo, factus insuper obediens Patri pro homine vsque ad mortem, mortem autem crucis, reuiuiscens denique ex mortuis, idq; omnibus hominibus in spẽ viuam futuræ resurrectionis, ideo sanè donatũ est illi à Deo siue a diuinitate, vt sit Dominus & iudex viuorũ & mortuorum, hoc est, omnium hominum, in eadem quidẽ forma serui, in qua perpessus est, peregitque hęc omnia pro homine. Omneq; iudiciũ, particulare, vninersale, interlocutorium, definitiuum, discussionis, damnationis, ante mortẽ, post mortem, positũ est in manu eius, vt ipse exer-

exerceat illud circa hominē tanquam homo, hominumq; frater & dominus. Siquidē diuina prouidentia, ne exercendum iudicium videri posset durum, [Ioan. 1.] durum enim est iudicari ab extero, qui qualitatem populi ac regionis ignorat, ideo voluit illud fieri per eum qui habitauit in nobis, & in medio nostri, in hac nostra, regione vmbræ mortis. Ne etiam ipse iudex videri posset implacabilis, ideò per eum fieri voluit, qui nouit cōpati infirmitatibus nostris, per omnia tentatus & passus vt nos, immo magis q̃ nos: aut suspectus, ideo per eū, qui proprius pastor est animarum nostrarum, insuper redemptor & Saluator, qui propter nos nostramque salutē, semetipsum dedit, nedum sua. Ne denique suspicari queat iudicium illud fuisse superficiale, minusq; exactum, ideo fieri voluit per eum qui vt homo, ita esset & Deus, scrutās corda & renes. Quē nullum latet secretum, eò ꝗ omnia nuda sunt [Psal. 7.] & aperta in cōspectu eius. [Hiere. 15.] Vera itaq; est scriptura quæ dicit: Omnium iudicē esse Deum, quia Deus est Dominus onium. Iterum vera est scriptura quæ dicit: Deus pater nō iudicat quenquā, quia per semetipsum non iudicat, sed per Filium, cui tradidit omnem iusti iurisque dicendi potestatem. Tertiò, vera est scriptura quæ dicit: Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Christus scilicet qui Deus est, Iudicabit, inquam, per semetipsum, non autē per hominē quem habet vicarium in terris. Quomodo iudicat eos qui intus sunt, per [Matth. 18.] præpositos Ecclesiæ, quibus dictum est: Amē dico vobis quæcunq; alligaueritis super terrā, erunt ligata & in cælo &c. Ex his fili persuasum habe Filium Dei in ea ipsa natura, quam accepit de virgine Maria, in qua & passus est & resurrexit, iudicaturum vt omne iudicium, ita & extreinum illud ac vniuersale iudicium.

Quid sit iudicare, & quid iudicium, & quæ sit distinctio iudiciorum quæ exercentur in caussa salutis humanæ. CAP. II.

[M.] PRæterea & hoc certum habe, ꝗ non iudicabit Christus tanquam priuata persona. Quia vetitum est lege Euāgelij ne quis priuatus iudicet suæ iurisdictioni non subditos, aut sibi nō cōmissos. Sed iudicabit tanq̃ iudex legitimè constitutus, potestatem habens & iurisdictionem, non ab hominē, aut per hominē, sed à Deo Patre. Et indicabit sic, non ciuitatē vnam aut alteram, sed orbem terrarum. Neq; populum duntaxat suum, sicut Saluator est tantúmodo sui populi, Matth. 1. sed populos, suum scilicet, & nō suum, Christianum, & nō Christianum populum: Quia omnes populos cuiuscunque nationis sint, linguæ, instituti, aut religionis. Nec iudicabit iudicium iniustum, sed in iustitia & veritate iudicabit, dicēte de eo Psalmista: Iudicabit orbem terrarū in iustitia, & populos in æquitate, Psalm. 97. Rursum: Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua, Psal. 95. Postremo nō iudicabit hoc pacto semel tantùm atque iterum, sed semper & in æternum. A die quidem aduentus sui in carnē iudicat multa per semetipsum, multa etiam per eos quos habet vicarios in terris: Tandem verò in aduentu suo nouissimo semel vniuersa iudicabit per semetipsum, etiā eos per quos nunc iudicat, [1. Cor. 15.] alios. Quoniam ipse iudicabit iudices terrę, & euacuabit tandem omnem principatum & potestatem & virtutem. Verùm quid est iudicare? Quid iudicium? & quis propriè dicitur iudex? [Quis propriè iudex.] D. Iudex est qui ius dicit. M. Propriè quidem, si iuris dicendi potestatem habet, vel ex se, quia Dominus aut superior: vel ab alio, quia in hoc constitutus substitutus, legatus, aut delegatus. D. Iudicare autem est ius dicere super cōtrouersijs. [Quid iudicare, quid iudicium.] Iudiciū verò est iuris iustique definitio. M. Rectè. Est autem iudiciorum aliud interlocutoriū, [Iudiciorū aliud interlocutoriū, aliud definitiuum.] aliud definitiuū, aliud particulare, aliud vniuersale. Definitiuum est quod datur in caussa principali, vel per absolutionem rei ab impetitione actoris, vel per condemnationē eiusdem. Tale iudicium est quo condemnatur, aut saluatur finaliter homo. Subdiuiditur autem in vniuersale, & particulare. Hoc datur in morte cuiusque hominis, illud fiet in fine mundi, cùm Dominus venerit ad iudicādum simul omnes viuos & mortuos. Iudicium verò interlocutorium est, [Iudicium interlocutorium.] quo interloquitur iudex super materia incidente, quam decretam oportet ante sententiam principalem. Qualia dantur à Christo pro tempore litis pendentis super principali, videlicet perpetua saluatione aut damnatione hominis. Et horum aliud est particulare datum in caussa huius vel illius, aliud vniuersale datum pro omnibus. Interlocutorium particulare erat quod dixit ad Paralyticum: [Matth. 9. Lucæ 7.] Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Item ad Magdalenam: Fides tua te saluam facit, vade in pace. Et ad adulteram: Neque ego te cōdemnabo, vade, & iam amplius noli peccare. [Matth. 16.] Ad Petrum insuper: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam. Quare & omne iudicium reconciliationis, quod sacerdos pronuntiat super peccatore, est interlocutorium, præuium ante definitiuam saluationis aut damnationis

nis hominis, habens tamen vim definitiuæ quoad remittenda aut retinenda peccata. Interlocutoria vniuerſalia ſunt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Item: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit condemnabitur. Item: Nō quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem, de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Item: Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Item: In Chriſto Ieſu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per caritatem operatur. Item: Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. Hæc ſanè & eiuſmodi ſunt iudicia Filij Dei interlocutoria, quibus niſi pareat homo, non eſt quòd ſperet triumphum in cauſſa & negotio ſalutis ſuæ, & trāſierūt iā in canones perpetuos, ſeu leges Euangelicas, quomodo Decretales Pontificum facti ſunt Canones Eccleſiaſtici. Dum peregrinamur à Domino in hac vita, & lis ſalutis vniuſcuiuſque pendet indeciſa, agit cum homine Deus citatione ſymbolis, præceptis, conſilijs, decretis, interlocutorijs, ſententijs. Verùm dū egrediens anima de corpore ſiſtitur coram tribunali Chriſti, vt recipiat prout geſſit in eodem ſuo corpore, tum demum fit iudicium definitiuum: ſed particulare ſuper ſaluatione perpetua, aut condemnatione iſtius, vel illius. Non tunc ampliùs interlocutoriū ſuper reconciliatione aut emendatione facienda, ſed ſimpliciter definiens & adiudicans, aut felicitatem perpetuam, aut æternam damnationē, pro qualitate in qua deprehendetur tunc temporis anima. Fitque tunc quod dici ſolet ex Eccleſiaſte: Lignum in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Poſt hoc autem erit & aliud iudicium definitiuum prorſus vniuerſale, quia coram toto mundo, & ſuper cauſſa ſalutis vel damnationis, ſimul omnium hominū. Quod & extremum iudicium appellatur. Quoniam poſt ipſum non erit expectandum aliud. Nulla poſteà ſeſſio pro tribunali, nulla diſcuſſio meritorum, aut demeritorum, nulla denique ſpes appellationis interponendæ. D. Si de quolibet iudicatur per ſententiam definitiuā in morte eius, quorſum igitur opus eſt ſuperaddere iudicium vniuerſale? An quia ſententia prior retractabitur in poſteriore? M. Non vt retractetur ſententia prior. Sed vt cōfirmetur, & extendatur, & mundo manifeſta fiat iuſtitia eius: ideo ſuperadditur vniuerſale iudicium. Nunc accipit iudicium ſuum anima egrediens, tunc accipiet iudicium totus homo, tam in corpore quàm in anima. Quoniam vtrunque à Deo eſt, vtrunq; etiam aut iuſtitiæ ſeruiuit aut iniuſtitiæ. Nunc quiſque ſeorſum iudicatur: Tunc verò pālàm & in propatulo, & coram vniuerſis hominibus, vniuerſis etiam Angelis, & cauſſa ſingulorum manifeſtabitur, & iudicium de ijs pronuntiabitur, vt obſtruatur omne os loquētium iniqua, & ſubditus fiat Deo totus mundus, videns clarè quòd omnia iudicia eius ſunt veritas & iuſtitia.

Ioan. 3.
Marc. vlt.
Matth. 15.
Marc. 7.
Rom. 3.
Ad Gal. 5.
Iaco. 2.
Eccle. 11.
Cur addatur vniuerſale Iudicium poſt particulare.

Vbi locorum fiet vniuerſale iudicium, & an ſolius iudicij cauſſa ſit venturus Dominus.
CAP. III.



VBi, quæſo, locorum ſedebit Chriſtus pro tribunali ad iudicandum viuos & mortuos? M. Non in cælo, aut throno gloriæ magni Dei, ſed in parte mundi inferioris. Quoniam ſic docet articulus: Inde, hoc eſt de cælo, venturus eſt. Sic inſuper dicit ſcriptura, Act. 1. Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælū, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Hæc eſt teſtificatio Angelorum ad Apoſtolos intentos oculis ac cordibus in cælum, quò viderant præeuntē Chriſtum Dominum ſuum. Cur non in cęlo? M. Quia vniuerſale erit omnibus coram tribunali aſtantibus. Mortui autem ſiue damnandi, malique dæmones, limina cęlorū, & thronum gloriæ contingere non poſſunt. Ratio eſt in promptu. Quoniam vt inquit Ioannes: Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium. Non enim intrabit in illam ſanctam ciuitatem aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni. D. Et quæ ratio, ob quam conueniat fieri ſub cælo, in mundo hoc inferiori? M. Quia ibi merita demeritaque hominum iudicandorum peracta ſunt. Ibi Chriſtus omnia myſteria redemptionis noſtræ peregit. Ibi denique & ipſe, & ſui omnes impiè iudicati ſunt à malis ac atheis hominibus. D. Audiui nonnunquam quòd fiet iudicium in valle Ioſaphat, quæ eſt media inter montem Oliueti, & ciuitatem Hieruſalem. M. Piè magis quàm neceſſario ſic creditur ex illo Ioëlis Prophetæ: Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm conuertero captiuitatem Iuda & Hieruſalem, cōgregabo omnes gentes, & de-

D.
De loco Iudicij vniuerſalis.
Act. 1.
Quare non fiet iudicium vniuerſale in cælo.
Apoc. 22.
Apoc. 21.
Quare cōueniat iudiciū fieri in parte mūdi inferioris.
An ſit futurū iudiciū in valle Ioſaphat.
Ioëlis 3.

& deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cũ eis ibi super populo meo, &c. Quādoquidem Iosaphat sonat Hebræis iudicium Domini, vt sit sensus: Deducam eos in vallem Iosaphat, id est in vallem iudicij Domini. Ex quo non potest liquido inferri: Ergo illa pars terræ, media intee montem Sion, & Hierusalem erit locus iudicij extremi. D. Nunquid alia de caussa veniet Dominus quàm iudicij exercendi? M. Etiam hanc ob caussam venturus videtur, vt appareat ipse mundo in gloria cum omnibus sanctis suis. De qua Domini apparitione testantur Paulus & Ioannes. Paulus quidem ad Colossenses dicens. Vita vestra abscondita est, scilicet à mūdo, cum Christo in Deo: Cùm autem Christus apparuerit, scilicet mundo, nam cælestibus semper apparet, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Ioannes verò in sua Canonica hoc modo; Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemue & simus. Propter hoc mundus non nouit vos, quia nō nouit eum. Carissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Mundo itaque oportet fieri ostensionem Christi, & sanctorum eius, in opprobrium & confusionem illorum qui non acquiescunt veritati, credunt autem falsitati, iuxta illud Ioannis: Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam, Amen. Atque illud Sapientiæ 5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, &c. Prout infra latiùs tractabimus. Tuncque prorsus & ex toto verificabitur illud Apostoli: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei patris. Et illud Esaiæ: Viuo ego dicit Dominus: Quia mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Nunc quidem multi nolunt curuare genua Christo. Verùm tunc facient, vel inuiti, compulsi lumine veritatis. Tunc quoque consummabitur illa Prophetia Mariæ virginis: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Laudabunt enim tūc & venerabuntur foetem electorum quotquot sunt, etiam hæretici, & idololatræ; qui nunc nihil non detrahunt venerationi sanctorum. Prout latiùs explicauimus in Salutatione Angelica, & primo decem mandatorū. Per quæ haud dubiè continget, Deo sic prouidente, vt sit tandem digna eorum vicissitudo. Et fiat etiam inter malos, reparatio nominis ac famæ eorū qui seruierunt veritati, multo subinde & rerum suarum, & nominis, & corporis denique dispendio.

Alia caussa aduentus Domini.

Coloss. 3.

1. Ioann. 3.

Apocal. 1.

Ad Phil. 2.

Esaiæ 45.
Rom. 14.

Lucæ 1.

Qua maiestate sit venturus Christus ad iudicium. CAP. IIII.

ET qua, precoe, maiestate veniet? magnáne, an mediocri? M. Summa, maxima, ineffabili. Quia veniet in sua maiestate, prout ipse futurum promittit dicens: Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua: vtique illa quā habuit ab initio priusquàm mundus fieret, & nunc possidet in corpore glorificato, super omne id quod nominari potest. Maiestas à magnitudine, dicitur, auctore Festo. Est autem maiestas eximium decus, honor, & amplitudo Imperatoris, magistratus, aut populi. Videbunt autem omnes venientem Christum cum virtute multa & maiestate, secundum Matthæum: cum potestate magna & maiestate, secundum Lucam: cum virtute multa & gloria, secundum Marcum. D. Ergo non est maxima maiestas qua veniet, prout dixisti. Quoniam Euangelistæ loquuntur gradu positiuo, non superlatiuo. M. Ideo dicunt Euangelistæ per positiuum, quoniam virtus, potestas, gloria, maiestas, vt sunt in Christo, comparationem, recipere non possunt ad vllam aliam. Excedunt enim infinitis modis. Imperatoria maiestas, si illi comparetur, fit obscura, euanescit. Quidquid enim in hac miramur, ex parte est, finem habet, perit citò: quidquid verò in illa spectare lubet, vt plenitudine superabundat, ita finem nescit quaqua versum spectas, sine fine ditionis, sine fine potestatis, sine fine durationis gloriæ, diuitiarum, dulcedinis, felicitatis. Necdum dixi totum. Excedit enim longè nostram dicentium facultatem, venientis Domini diuina maiestas. Interim scio, quòd alij pro maiestate legunt gloriam, Matth. 24. & 25. Quo etiam loco addit Saluator: Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. D. Hoc minus intelligo. Quæ enim est sedes maiestatis Christi? M. Tropicè dictum est, ad similitudinem iudicantium intee homines. Quorum est sedere pro tribunali, eò quòd & pacatos esse oporteat iudices, & auctoritate fungi. Quorum alterum in sessione, alterum per tribunal intelligitur. Sedes ergo maiestatis Christi, auctoritas eius est, super qua sedebit. Quia citra affectionem & perturbationem, cum plenitudine potestatis iudicabit. D. Solusne veniet Christus, an multi simul cum eo? M. Solus? Dicit Euangelium:

D.

De maiestate qua veniet Christus ad iudiciū.

Matth. 24.
Lucæ 21.
Marci, 13.

Quomodo Christus sedeat super sedē maiestatis suæ.

Multi veniēt simul cũChristo

Et omnes sancti Angeli cum eo, Matthæi 25. Non utique mali Angeli quos cacodæmones vocamus cum eo, sed omnes boni. Sunt autẽ millia millium sanctorum Angelorum. Iterũ

Zacha. 14

Zachar. Veniet, inquit, Dominus Deus meus, omnesque sancti eius cum eo, qui faciunt numerum per millia, dicente Iuda Apostolo: Ecce venit Dominus in sanctis milibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.

Matt. 26.

Tertiò aderit virtus Dei. Quoniam Saluator ad Caipham, & concilium Iudæorum hoc pacto inquit: Veruntamen dico vobis, Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Igitur sic sedebit, veniendo à dextris virtutis Dei: vt posset hic sedẽs palàm videri, etiam ab impijs qui eum iudicauerunt. Quare & virtus Dei spectabitur ab vniuersis. Nisi enim illa videatur, non poterit videri Christus sedens à dextris eius. Quæ autem sit virtus Dei, & quæ dextra illius, supra interpretati sumus in articulo 6. Denique aderit etiam Deus pater. Nam Filius nondum glorificatus audet affirmare: Non sum ego solus, sed ego & qui misit me Pater, clarificans me virtutibus, signis, & prodigijs. Multò igitur magis aderit ei Pater in die ostentionis suæ, clarificans eum claritate quam habuit ab initio. Si verò Pater aderit, ergo & Spiritus sanctus, vt sit tota simul superbenedicta Trinitas: cuius essentiam licet impij contemplari non poterunt, tamen videbunt illius gloriam, virtutem, & maiestatem, quantum satis erit, vt erubescant, paueant, contremiscant à facie formidinis eius, quem ne obeditione quidem dignum arbitrabantur, vt taceam de amore aut veneratione.

Ineffabilis est maiestas qua veniet Christus.

Et ego fili hanc tantam, tamque ineffabilem apparationis Dominicæ maiestatem, qua tibi facundia eloquar? Bene viuere, amore quodam anhelare, nedum credere in hunc Christi Domini aduentum, hoc optimum, hoc & elegibile super omnem de eadem disputationem. D. Scio. Tamen vt follis ignem, ita pia disputatio solet incitare mentis ardorem. M. Perge igitur interrogando. D. Legi ego, quòd veniet Christus in nubibus cæli. At nubes obscurare solent claritatem eius quod obnubilant.

De nubib' cæli in quibus veniet Christus.

M. Sic est de nubibus aëreis. Verùm, quantum cælum ab aquis distat, aut terra, tantùm differunt ab aqueis istis vaporibus nubes cælestes: Porrò nisi multum contineret mysterij, Christum venire ad iudicium in nubibus cæli: Non vtique fuisset hoc, & à Prophetis, & à Christo, & ab Apostolis tam constanter, tamque varijs in locis pronuntiatum. Quales autem futuræ sint eiusmodi nubes, nusquam aperuit Scriptura. D. Vocantur fortassis nubes cæli eo tropo, quo Christus aues appellauit volucres cæli, Matthæi 13. M. Minimè. Quia omnes scripturę dicunt, quòd veniet è cælo in nubibus cæli, ita quòd nubes eiusmodi venient è cælo simul cum illo. Sed & ignis conflagrationis præcedens faciem Domini, & aërem, & omnia inferiora reddet purgatissima. Gloria quoque Domini faciet serenum, quale nunquam visum est in mundo hoc inferiori. Non igitur erunt tunc temporis exhalationes, aut nubium vapores suspensi per aëra. D. An in cælo nubes? M. Quid mirum? Nam & in cælo sunt corpora sanctorum attracta ad thronum vsque gloriæ magni Dei illustrantis illa splendore maiestatis suæ, haud secus atque Sol facit sursum euaporare de terra aëreas nubes, quas velut pellucidas reddit, multiplicatis in eis splendoris sui radijs. Hinc quidam opinantur non incongruè per nubes cæli in præfatis scripturis, intelligi corpora glorificata sanctorum. Quę neutiquam obnubilabunt, sed mirum in modum decorabunt venientis Christi gloriam, ad pleniorem confusionem eorum qui non crediderunt.

Corpora glorificata sunt nubes cæli.

Obiectio

D. Corpora sanctorum veniẽte Christo, tũc demum resurgent à mortuis, eique obuiam rapientur in aëra. Prout dictũ est ex tertio capite Pauli ad Tessalonicenses.

Solutio.

M. Sic erit de corporibus quorum resurrectio nondum facta est. Verùm, corpora quæ surrexerunt in die resurrectionis Dominicæ, & Domino ascendente simul ascenderunt cũ ipso, velut primitiæ regni, quod sanguine suo conquisierat Deo Patri, sicuti latè probauimus in articulis 6. & 7. Illa, dico, venient cum Christo è cælo tanquam nubes cælestes. Non quidem natura talia, sed dotibus per gloriã superadditis. Sicut nubes aëris, natura sunt aqua & proprietatibus, tamen vigore Solis superinducto fiũt aëreæ. Hanc fili interpretationem non possum ego non probare tanquam literalem. Si tamẽ sint aliæ nubes cæli, sicut esse possunt, & has oculis intuebimur, cùm ante tribunal simul astabimus. D. Facilè credo sic esse. Nam Deus & Angeli eius sunt planè spiritus, nedum spiritales. At corpora sanctorum inter illos erũt quasi nubes, reuera corpora ex terra composita, tamen dotibus spirituales. Prout de nubibus aëreis dictum est.

De his qui comparebunt ad iudicium, & quomodo separabuntur ab inuicem ante tribunal.

CAP. V.

Cete-

D. Ceterùm, iudice in hac maiestate pro tribunali residente quos, precor, continget sisti iudicio eius?

M. Vniuersos homines, ne vno quidem excepto. Quoniam omnibus nasci, omnibus pati, omnibus denique mori, ac resurgere dignatus est Christus. Audi precor Scripturam. Tunc, inquit Matthæus, mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna. Et congregabunt electos eius á quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorũ. Addit Marcus: A summo terræ vsque ad summum cæli. A quatuor ventis, id est, à quatuor angulis mundi, ab Oriente, ab Occidente, à Meridie, à Septentrione. Et hoc à summo cælorum vsque ad extremum, siue fines terrarum. Igitur ex omni parte totius mundi, ne putemus quemquam defuturum iudicio Domini. D. Scilicet de numero electorum. Nam de illis loquitur expresse Matthæus.

Matt. 14. Omnes electi astabunt ante tribunal. Marci 13.

M. Si nullus electorum sit defuturus iudicio vniuersali, ergo nec vllus reproborum poterit deesse. Fiet enim hoc iudicium potiùs propter improbos, quàm propter electos, vt videant & confundantur, videntes quòd vniuersæ viæ Domini sint iudicium & veritas. Quodque sicuti misericordia, ita & iustitia Dei manet in æternum. Nec tacent interim Scripturæ de reprobis congregandis ante tribunal Domini. Et congregabuntur, inquit Matthæus, ante eum omnes gentes, & qui ouium, & qui hædorum nomine intelliguntur. Rursum: Sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem. His adde quod dicitur Apocalyps. 20. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Quid fili, verúmne uidetur, tibi nũc illud Pauli: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum? Et illud: Omnes stabimus ante tribunal Christi? D. Sed quomodo stabimus ibi? gregatimne, aut mistum boni simul cum malis: an separatim mali seorsum à bonis? M. Sicut piscator postquàm traxit rete in terram, segregat malos pisces à bonis: aut pastor dum reducit gregem, separat oues ab hædis. Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum. Nunc quidem mistim mali viuunt inter bonos, prout zizania in medio tritici. Tempore autem messis, hoc est, in consummatione sæculi, nam sic interpretatur Saluator, colligentur in vnum omnia scandala, omnesque qui iniquè egerunt ac prorsus separabuntur de medio iustorum. Tunc, inquit Matthæus, sedebit Filius hominis super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis. Et oues quidem statuet a dextris, hædos autem à sinistris. Intelligẽs per oues, bonos, qui probè audierunt vocem pastoris sui. Per hædos verò malos, maximè illos qui in vno grege sub eodem pastore eisdem vsi sunt pascuis, seruantes cum alijs communia fidei & religionis. Nam fœtidos hircos, lupos, belluasque siluestres qui non pascuntur simul cum ouibus, non segregabit, quia iam olim segregati fuerunt etiam hominum iudicio, propter perfidiam suam, vel rebellionem, vel insaniæ fœtorem, aut propter vagam illam & in nullo consistentem infidelitatem, & idololatriam, more siluestrium belluarum. Segregantur quæ mista fuere in vnum. Separantur quę quasi vnum esse videbantur. Videtur autem boni malique Christiani vnum esse in Domino habentes vnam fidem, vnum baptisma, ritum vnum colendi, vnius denique vocationis spem vnam, nec hominum iudicio discernuntur ab inuicem. Sicut dum hiems est, inter viuas, mortuasque arbores vix vlla est discretio: Cùm autem illuxerit vernale illud atque beatum tempus, tum demum liquido secernuntur. Fideles itaque qui retinuerunt vsque ad finem, speciem quandam pietatis & religionis, tamen citra virtutem, hi palàm & cum rubore inexplicabili segregabuntur tũc ab alijs etiam ab ijs, quibus in mundo meliores & potiores esse videbantur: maritus ab vxore, vxor à marito, pater à filio, filius à patre & mater ab ipsis quos multo dolore edidit de visceribus suis: pastor ab ouibus quas ipse ducere debebat: doctor ab his quos docẽdo probos reddidit ipse reprobos. Et consummabitur tunc mysterium, sicut euangelizatum est per Filium Dei & Apostolos, videlicet: Tunc erũt duo in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ molẽtes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Nolite arbitrari, inquit Christus, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Simile est Micheæ septimo. Scito quòd hæc Christi vaticinia cœperunt impleri paulatim à prædicatione fidei. Verùm con-

Margin notes: Omnes reprobi astabunt ante tribunal. Matth. 25. Matth. 13. 2. Corin. 5. Rom. 14. De ordine quo stabunt mali & boni ante tribunal. Matth. 13. Matt. 25. Quid intelligi debeat per hædos. Matt. 24. Luc. 17. Matt. 10.

consummabuntur prorsus in die iudicij extremi. Tunc enim manifestè & in propatulo, ita vt totus mundus videat, separabit filium aduersus patrem suum, nurum aduersus socrum suam, &c. Quia collocabit filium à dextris inter electos, vbi affectu & approbatione simul feret iudicium condemnationis cū Christo, aduersus progenitorem suum, aduersus matrem suam, aduersus pastorem, doctorem, vel Episcopum suum. Et stabit hoc iudicium, eaque aduersatio filij aduersus patrem inæternum, sicut & Christi sententia stabit inæternum. O quantus tunc luctus, quantaque lamenta reiectaneorum, quando impij in conspectu omnium citra compassionem, citra vale, citra spem melioris conditionis, rapientur prorsus & æternaliter extra societatem, sortem quoque, & gaudium omnium bonorum, quibus in mundo aut cari aut venerationi fuerunt! O quanta mutatio dextræ excelsi! In mundo primi, hîc nouissimi. In mundo rectores, hîc indigni vel stare inter eos quibus præfuerunt. In mundo pinguia quæque Christi ad copiam vsque possederunt, hîc verò præter durum iudicium, durius supplicium, mortem denique interminabilem, nihil manebit cum eis, vniuersis totius vniuersi bonis se conuertentibus ad electos, vt consummetur illud Saluatoris: Tollite ab eo talentum, & date illi qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit. Ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. D. Interim illi quos hircorum & luporum ac siluestrium belluarum nomine designasti, vbi parebunt? Vbi erit statio illorum? M. Stabunt & illi à longè versus sinistram, velut indigni segregatione, colloeatione vlláue discep tatione, tanquàm ij quibus nihil superest præter solam prolationem sententiæ. De illis loquor, qui aut nunquam voluerunt esse de familia Ecclesiæ, aut semper Antichristi extiterunt. Vt enim non egent separatione quæ disparata sunt, ita quorum damnatio certa est, illorum caussa non eget discussione, sed sola dútaxat iudicij prolatione. Dextrum autem & sinistrum Christi iudicantis significant secundum literam, dexteram partem, & sinistram, quas tum temporis habebit Christus corporaliter. Tamen iuxta phrasim tam popularis sermonis quàm scripturarum, collocatum esse à dextris Christi iudicantis, est esse in tutela ac protectione eius, quasi sub extenso brachio ipsius saluantis. Iuxta illud Sapientiæ: Quoniam dextra sua teget eos, & in brachio sancto suo defendet illos. Item, constitui ad dextram, est proxima

Nota

Matth. 25.

Quid dextrū, quid sinistrum.

Sapient. 5.

secundum Christum felicitate donari, cum il lo regnare, gloriæ maiestatis eius participem fieri. Sicut Christus homo sedet à Dextris Dei, quia constitutus est in suprema secundum Deum potestate, gloria, maiestate. Iuxta illud Dauidis: Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Vt tandem Christus homo à dextris Dei, sancti verò sint à dextris Christi in eadem tamen gloria & felicitate cum Patre, & Spiritu sancto, omnibusque ethereis spiritibus. Porrò ad sinistram statui, est derelinqui, posthaberi, aut velut reiectaneum quid in extremo constitui. Hoc pacto constituentur reprobi ad sinistram. At nunc pergamus.

Qua constantia Sancti, & qua confusione stabunt in iudicio impij, & quæ fiet disceptatio super singulis. CAP. VI.



Ingulis iam coram tribunali constitutis per agmina sua, quid obscero fiet? M. Hoc nemo elegantiùs describit, quàm Sapiens, Sapientiæ 5. dicens. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus, dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransijt fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinę illius in fluctibus. Aut auis quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantùm sonitus alarum, verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem. Commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius. Aut tanquam sagitta emissa in locum desti-

D.

De lamentatione piorū, & gaudio illorum in iudicio extremo.

destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Sic & nos mali continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextra sua teget eos, & in brachio suo sancto defendet illos. Quos sanè videntes sancti, exultabunt ipsi in gloria sua, & meritò dicent in impios. Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Ecce quomodo nunc inter relictamenta mundi sors illorum est. Ex aduerso autem suspirabunt illi à sinistris, eiulatu magno dicentes: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Tunc quoque aperientur libri, ex quibus iudicabuntur, quisque secundum opera sua. De quibus habes Apocalyp. 20. Et vidi, inquit Ioannes, mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni. Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ: Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. D. An ibi vsus erit librorum? Si erit, quales precor erunt libri, & quis scriba illorum? M. Textus loquens de futuro iudicio asseuerat dicens: Et libri aperti sunt, per numerum pluralem. Igitur non pauciores duobus. Nam vnitas non facit numerum. Et iudicati sunt ex his quæ scripta erant in libris. Igitur libri isti continent merita demeritaque singulorum. Et apertus est alius liber, qui est vitæ. Quapropter vltra priores libros, erit & ibi tertius, qui intitulatur, Liber vitæ, de quo sæpius est mentio in Scripturis. Non ergo iudicabitur ibi ex aëre (vt vocant) aut ex suspicionibus, sed certò, sed fideliter, nam ex scriptis libris, & ex his quæ tum temporis adhuc scripta erant in dictis libris. Nam ex obliteratis sanguine Christi, & deletis spongia pœnitentiæ, ac lacrymis, non iudicabuntur. Quoniam illa iam non scripta dicuntur, sed expuncta & obliterata. Quapropter qui dealbauerunt stolas suas, hoc est, conscientias suas sanguine agni, & nitro pœnitentiæ, hi pro ablutis illis demeritis, nullum sustinebunt iudicium. Vide Ezechielem capite 18. & 33. Et omnes quidem ibi iudicantur secundum scripturam librorum. Verùm quicunque non est inuentus scriptus in libro vitæ, missus est, inquit textus, in stagnum ignis. Quod additur, tum propter paruulos morientes ante baptismum, qui licet nihil egerunt boni aut mali, & per consequens nulla habeant merita aut demerita in prioribus libris, quia tamen habēt originale peccatum, & non inueniuntur, scripti in libro vitæ, ideo mittentur in stagnum ignis, tum propter eos qui post lauacrum iterum exciderunt à vita. Dicit enim textus: Omnis qui non est inuentus, scilicet tunc temporis, scriptus in libro vitæ (licet enim fuerit aliquando scriptus in illo, scilicet tempore baptismi sui, si tamen expunctum est nomen eius, tunc temporis de catalago viuentium in Deo & Christo) dubio procul mittetur in stagnum ignis. Non est satis scriptum fuisse aliquando in libro vitæ, quoniam mox vbi viram abdicasti à te, expunctum est & nomen tuum de libro illo. Est enim liber vitæ, catalogus quidam actu viuentium per fidem & caritatem in Deo. Quamdiu tu viuis in Christo, & Christus in te, tamdiu manet nomen tuum in illo libro vitæ. In alijs libris sunt merita demeritaque priuata singulorum. In hoc autem libro est sola intitulatio viuentium in Deo, quæ multis contingit citra vlla merita propria, nempe per fidē Iesu Christi, & fidei Sacramentum. Multi, fili, multa philosophantur de libro vitæ: Verùm hæc resolutio est ceteris expeditior, ad intelligendum scripturas. Quales autem & cuius matcrix sint dicti libri, malo alios diuinare, quàm ipse temerè diffinire. Insuper tunc illuminabuntur abscondita tenebrarum, & consilia cordium, adeò vt poterunt singuli videre, de singulis verè iusteque iudicatum esse. Prout docet Apostolus 1. Corinth. 4. dicens: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quia nihil tam opertum quod non reueletur tūc, nihil tam occultum quod non sciatur. Nemo itaque poterit tunc obmurmurare: immeritum ego, iniustum patitur ille, testimonium reddente singulis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die illa, inquit, cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum per Iesum Christum, ad Rom. 2. Tunc denique reddenda erit ratio seu calculus, præcipuè ab ijs qui militarunt sub vexillis Christi quique possent sibi aliquid iuris vendicare ratione fidei aut militiæ Christianæ. Redde rationē, intonabit tum iudex villicationis tuæ. Profer fenus talēti cōcrediti. Calculū requiro de ver-

De libris qui aperiētur in iudicio extremo.

Quomodo illuminabuntur abscondita tenebrarum in die iudicij.

Roma. 2.

Qualis in die iudicij erit reddēda ratio vitæ.

de verbis tuis, de cogitationibus tuis, de factis tuis, de omissis, de perpetratis, maximè illis quæ prius iudicio hominum facilè discerni non potuerunt, bona ne essent an mala. Arguat nunc me mundus circunstans, si quod meum est non agnosco, si quod verè bonum est, non remunero, si pro malefactis iustam retributionem non reddo. D. Tantane fiet, tamque exacta discussio anteactæ vitæ? M. Nemo de hoc potest dubitare qui probè perpendit verba Saluatoris Matth. 12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Quòd si ne otiosum quidem verbum citra discussionem transibit, quid precor de vsu, abusuque bonorum animæ, bonorum corporis, bonorum fortunæ, ipsius denique animæ, & corporis præsumemus? Quid de impietatis & blasphemiæ verbis? Quid de pecunia Domini nostri abscondita sub terram? Quid de omissis pietatis officijs erga Deum, aut erga proximum? Multi, inquit Saluator,
Matth. 7. dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem;
Luc. 13. Alij dicent: Domine manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicam eis, nescio vos vnde sitis. Vbi lampades vestræ? vbi fides per dilectionem operans? vbi quæ nunquam excidit caritas? vbi vestis nuptialis? vbi bona opera? Speciem quandam pietatis video, at veritatem virtutis in vobis non inuenio. Esuriui enim, & nō dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infirmus & in carcere, & non venistis ad me. Confessionem quidem repetitam Domini mei audio, quia dicitis, Domine, Domine, sed obedientiam in vobis nullam deprehendo. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et dicent: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Et respondens Dominus, dicet prius illis qui à dextris sunt: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his minimis fratribus meis, mihi fecistis. Deinde ad illos qui à sinistris sunt: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de his fratribus meis minimis, nec mihi fecistis. Postre-
Ioelis 3. mò, vti Ioël dicit, disceptabit etiam cum gentibus in valle Iosaphat, hoc est iudicij Domini, super populo suo, & hereditate sua Israël, quos dispserserunt in nationibus. Quoniam & hoc iudicio nationum velut iustum habebatur. Fili super prædictis, teste Scriptura, fiet in die iudicij disceptatio siue examen ante sententiam. Non igitur dubium quin sua per vniuersis alijs, quæ ab homine iudicari possent, velut pia, cùm sint impia, vel velut impia cùm reuera sint pia. Aut quæ inter homines nihili penduntur, cùm interim in oculis Dei pondus habeant & momentum, vt est videre in minutulis illis operibus misericordiæ. Aut denique quæ sic fuco ac coloribus palliantur ab auctore suo, vt cognosci nequeant. Verùm de ijs quæ in lumine naturali et apud omnes prorsus manifesta sunt, vt blasphemia in Deum, oppressio miserorum, latrocinia, adulteria, & id genus alia, non fiet ibi disceptatio: sed iudicium suum accipient absque examine præuio. Seruabitur enim in iudicio extremo illud, quod Apostolus scribit Timotheo Episcopo, videlicet: Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, id est, ante palam nota quàm veniant ad discussionem. Et quid operæpretium est super eiusmodi peccatis disceptare iudicialiter? Quorundam autem subsequuntur; scilicet iudicium discussionis nempe sic tecta fuco aliquo, vt non appareāt vindicanda, nisi ad trutinam iustitiæ fuerint prius examinata. Similiter autem & quædam facta bona manifesta sunt, scilicet, ante discussionem iudicis. Et quæ aliter se habent, abscondi non possunt, scilicet, dum fiet exacta discussio à iudice. Ratio autem cur hoc dictum Pauli obseruabitur etiam in iudicio extremo, est, quia tota actio illius iudicij fiet propter hominem, vt videat mundus quia omnia iudicia Domini æquitas & veritas sunt. D. Multum profectò temporis requirent omnia ista, quia vniuersitas hominum magna est. M. Mundi vniuersitas multò maior est hominum vniuersitate: tamen spatio septem dierum compleuit Dominus totius mundi opificium, Genesis 1. & 2. Vbi omnia sunt nuda & aperta omnibus, ibi non opus est mora, quò minùs expeditum fiat iudiciū. Ceterùm, quanto tempore sit duratura apparitio Domini & iudicium eius, nusquam expressit nobis Scriptura: declarat tamen quòd fiet humano modo, conuenienter ad captum etiam damnatorū. Quia fiet à Christo homine & de hominibus, ac citatione, atque collocatione singulorum, libris adhibitis, disceptatione præeunte, prolatione sententiæ subsequēte. Quæ si tempus habuerint & mo-

1. Timo. 5

An multo tempore fit actio iudicij extremi duratura.

& moram, erit hoc & pro gloria sanctorum, & pro maiori pena damnatorum. Quoniam quidem valde gloriosum erit, stare in tali maiestate à dextris Domini aduersus eos à quibus angustiati antea fuerant, & ludibrio habiti. Tormentum quoque magnum debere multo tempore stare ibi, velut sub furea iustitiæ, coram omnibus tanquam ludibrium eorum, quos ipse priùs ludibrio habuisti, tanquam nunc omnium peripsema, id est, reiectamentum qui præ alijs magnus haberi studuisti. Si obiecta mouent potentias, si appetibile præsens prouocat appetitum, denique si afflictionem habet, cupitis non posse potiri bonis (Nam in pœnam peccati dicitur vni ex ducibus Samariæ: Videbis oculis tuis, & inde non comedes, 4. Regum 7.) Quis obsecrò poterit explicare tortiones affectuum, quas patientur reprobi, in summa miseria coram aspicientes summam felicitatem, in summa abiectione, coram aspicientes diademate gloriæ relucentes eos, quos priùs velut sterquilinium á se abiecerunt. Tu cetera tecum collige.

De sententia quam dabit Christus in iudicio extremo. CAP. VII.

M. Matth. 25

Eractis autem his quæ memorauimus, pronuntiabit iudex sententiam, primò pro ijs qui à dextris sunt, sub hac verborum forma: Venite benedicti Patris mei, possidete regnū quod paratum est vobis à constitutione mundi. D. O quanta lætitia, quantaque iubilatio tunc erit eorum qui à dextris sunt. Ceterùm quo venient? M. Venite haud dubiè ad me de sub altari ad dextram meam, apud Patrem vestrum, & ad thronum gloriæ eius, in plenam securamque possessionē regni. Quoniam dicere, venire, possidete regnum, idem est, ac si diceres: Venite ad possessionem eius regni, quod priùs bono quidem iure vestrum erat, & donatione Patris, & pretio sanguinis mei, & sanctæ actionis vestræ merito. Iuxta Scripturam: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Iterum: Beati pauperes spiritu: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Item: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium enim est regnum cælorum. Si ipsorum erat, ergo ius habebant in illud etiā ante possessionem subsecutam. Solet enim actio siue ius in rem subinde multo tempore præcedere possessionem eiusdem rei. Et excedit non rarò actor à iure suo priusquàm possessionem attingat. Possessione autem reali,

Explicatio sententiæ saluandorum.

Luc. 12.

Matth. 5:

Ius ad regnū priùs postea datur eiusdē possessio.

Matth. 19.

id est, qua quis pedem ponit in rem quasi suā, legis ac iudicis beneficio subsecuta, iam vltra turbari non potest. Venite ergo, possidete regnum. Non enim ius vobis adiudico, sed bonis iuris possessionem realem, liberam, securam. Et qui mittitur in possessionem regni nónne rex statim efficitur? D. Immo rex regnans actu, & triumphans in diademate gloriæ. M. Hoc est quod dicit: Possidete regnū. Sitis exinde actu regnantes tanquam reges regni illius, quod paratum est vobis à constitutione mundi. Obserua singulas voculas, paratum est, & vobis, & ab exordio mundi. Deus suis æternaliter ante mundi constitutionem. Mundum verò constituens, parauit regnum quoddam felicitatis, in eo comprehendens vniuersum ornatum, omnia bona, omniaque amabilia totius mundi, non sibi, sed filijs obedientiæ suæ. Quod verò ita paratum est, vt sit vobis destinatum ab origine mundi, hoc nūc possidete. D. Verùm quod, vel quale est regnum istud? M. Est regnum Dei Patris, regnum Christi, regnum cælorum, regnum gloriæ, regnum cuius non est finis, regnum omnium sæculorum, regnum pertingens à mari vsq; ad mare, & ad fines orbis terræ. De quo vide plura, lib. 3. in secunda petitione orationis Dominicæ. At miror hîc dictum esse, Benedicti Patris? D. Miror quidem dictum esse: Benedicti Patris, & non potiùs: Benedicti à Patre meo. Attamen mysterium non intelligo. M. Dum dicimus: Benedicti vos à Domino, actum & tempus significamus. Dum verò dicit hic locus: Venite benedicti Patris mei; indicat benedictionem ex nunc versam quasi in substantiam & naturam electorū, nec posse vltra per modum accidentis adesse & abesse, sed propriam, sed connaturalem esse, immo supernaturalem, toti naturæ humanæ dominantem. Ideo velut per substantiuum dixit interpres: Venite benedicti Patris mei. Sicut per substantiua dicimus, & ouem bidentem, & mundi partem vnam Orientem, alteram Occidētem: eò quod illius naturæ sit habere duos duntaxat dentes: Harum verò proprietates perpetuæ: alterius reddere nobis Solem Orientem, alterius excipere Occidentē. His peractis, exinde contra eos qui à sinistris sunt proferet sententiam, sub hac forma: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius. D. Durum, bóne Deus, & horrendum iudicium, discedite à me. M. Posset paruipendi, si pauper aliquis & modicus sic diceret: At Christus est, qui sic pronuntiat, In cuius manu sunt omnia, & quæ in cælis, & quæ in terris, cuius regnum comprehēdit vniuersa. Ipse vita, ipse

Possidere regnū est esse regē actu regnantem.

Cur dictū benedicti Patris mei

Explicatio sententiæ damnatorum.

veritas, ipse via ad Patrem, ipse principium et finis, ipse per quem omnia, & in quo omnia, ipse salus. Qui igitur iubetur discedere à Christo, & ijs quæ Christi sunt, ille protruditur planè foras, extra vitam, extra lumē veritatis, extra viam qua itur ad Deum, extra ordinem, extra spem salutis. Igitur ad mortem, ad tenebras, ad deuia vel inuia, ad locum horroris, vbi nullus est ordo, sed sempitern⁹ inhabitat horror. Qui habet aures audiendi audiat, & perpendat. Verùm, Domine, si sic oportet discedere, adde saltem, vel vnam aliquam benedictionē. Non. Sed discedite à me maledicti, hoc est, exuti, extorres, & exheredati ab omni propitiatione, gratia, consolatione, spe denique melioris fortunæ, cum omni omnino omnium malorum imprecatione. Nam ex hac maledictione armabit se vniuersa creatura, in vindictam pro Domino contra insensatos, vt habetur Sapientiæ 5. Eia Domine si omnino sic oportet, vt discedamus maledicti vel locum concede fragili naturæ aptum. Non. Sed ite maledicti in ignem. Ignem Domine? Et quid igne magis inimicum magisque contrarium naturæ nostræ? Hæreticorum est ignis, & quos sublatos volumus protrudimus in ignem. Esto: tamen vos maledicti discedite à me, non ad ignem, aut propè ignem tantùm, sed in ignem, & in medium eius, adeò vt circumuallet vos. Quoniam enim deprehendi vos obstinatos in malitia & falsitate, meritò cum hæreticis igne puniendi estis. At Domine, si omnino sic oportet, saltem da citò pertransire ignem, aut flammas velociter extingui de latere nostro. Non. Sed discedite à me maledicti in ignem æternum, non horarium, non temporaneum non modicum, sed æternum, sed inextinguibilem, sed immensum, quia in perpetuum stagnum ignis ardentis & sulfuris. O dura sors & miserabilis vitæ nostræ. Hæccine lassitudine laborum nostrorum inuenimus? Pie Iesu, bone Domine, saltem adiunge nobis aliquos beneuolos qui consolentur nos in hac continua afflictione. Non. Sed discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo & Angelis eius. Ille hospes vester, cum illis contubernium habetote & solatium. Vbi Domine? vbi misericordiæ tuæ antiquæ? vbi quod dici solet, quòd misericordia Domini superexaltat vniuersa? Hucusque quidem patuerunt vobis fontes misericordiæ diuinæ, ostia propitiationis meæ. Nunc autem est tempus iudicij, & iustitiæ, dies retributionis & vltionis in eos qui dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquam continere non valent. Fili nihil dicis? D. Quid dicerem? Liquescit animus, horrent membra, vox faucibus hæret, dum hæc audio. Verè etenim dies illa, dies iræ, dies calamitatis, & miseriæ, dies magna & amara valde, vti canitur in Ecclesiastico officio. M. Neque hoc canticum amaritudinis excogitatum est ab hominibus, sed à diebus antiquis sic pronuntiauit Spiritus sanctus per os Sophoniæ Prophetæ. D. Interim non puto ignem prædictum fore eis ignem combustionis, sed retentionis, alioqui prorsus intolerabile esset naturæ hominis, igne æterno æternaliter vri. M. Longè aliud dicit Saluator, subiungens sententiæ suæ: Et ibūt hi, scilicet, qui à sinistris sunt, in supplicium æternum: illi autem in vitam æternam. Quid sit vita æterna, explicabimus in articulo vlt. Est autē supplicium, vt verè definit Cicero ad Pisonem, pœna peccati, in vindictam criminis commissi imposita. Erit itaq; ignis ille vrens & comburens, & vstione sua affligens naturam damnatorum in vindictam peccati, idq; æternaliter, vti patet ex Apoc. cap. 14. Vbi docet Apostolus quòd & bestia, & pseudoprophetę cruciabuntur die ac nocte, in sęcula sęculorum, in stagno ignis, & sulfuris. Igitur ignis actione sua cruciabit eos in æternum, Deo iusto suo iudicio reddēte, & naturam hominis passibilem in æternum citra sui consumptionē, & ignis ardorem perpetuò vrentem citra defectum vllamúe remissionem. Prolata verò sententia, mox ibunt damnati in hoc supplicium æternum. D. Ibunt? Solent malefici vix posse rapi aut protrudi in supplicia. Nā quis vnquam vadit in præparatum sibi exitium? M. Tanta erit vis & efficacia sententiæ prolatæ, tanta auctoritas sedentis super throno, vt illi ipsi ituri sint in tam miserabile suppliciū mortis, vel citra impulsionem & pertractionem, omnino absque funibus, & fustibus, aut minis dæmonum. Illi ipsi, dico, qui anteà ne centum quidem præceptionibus ac minis potuerunt reuocari à morte in vitā. Dabit enim Deus tunc temporis voci suæ vocem virtutis, sicut fecit in horto montis Oliueti, eū virtute vocis huius, Ego sum, effecit vt abiret retrorsum omnis illa armatorum caterua, & caderet in terram. Quid multis? Plumbū quod detines sursum, te nō ampliùs retinente, quo vadit? D. Deorsum. M. Cuius impulsu? D. Naturæ propriæ. M. Sic Deo abdicante à se præsidium damnatorum, mox descendunt in abyssum velut plumbum, natura propria, vel contra ipsorum voluntatem, impellente. Nā quod terrenum est, & in quo dominatur elementū terræ, semper sponte propria nititur ad

Ignis infernalis perpetuò vret, & cruciabit dānatos.

Psalm. 67.

Ioann. 18.

ad imum terræ, nisi sursum detineatur. De Sanctis autem quomodo & illi spontè propria, & virtute insidente sibi per gloriã, ibũt in vitam æternam, & tabernacula cælestia, diximus alio loco. Caue autem, ô fili, ne existimes loco prædicto, Matth. 25. describi totam actionem, omnesque sollennitates venturi iudicij. Quoniam nihil ibi dicitur de ijs qui moriuntur ante vsum rationis. Nam illi neque inter eos numerari possunt, quibus ibi adiudicatur regnum Dei propter impensa alijs opera misericordiæ: Neque inter illos qui condẽnantur propter eadem opera prætermissa: Insuper non agitur ibi nisi de vna caussa damnationis, eàque non communi omnibus, cùm tamen constet esse plures alias propter quas condemnantur, etiam illi nonnunquam qui in operibus misericordiæ fuerunt benè spontanei & liberales. Non credere in Christum caussa sufficiens est damnationis, Marci vltim. Sic, non regeneratum esse ex aqua & Spiritu sancto, sufficiens caussa est damnationis, Ioann. 3. Iterum post illuminationem fidei, & lauacrum regenerationis, non fecisse voluntatem Patris qui in cælis est, immo offendisse in vno mandatorum eius, caussa est cur iustè damnemur iudicio Domini, Matth. 7. Iacob. 2. Non habere vestẽ nuptialem, de qua Matth. 22. aut non vestitũ esse ornamento sponsæ, videlicet byssino candido & splendenti (byssinum autem iustificationes sunt sanctorum) de quo Apoc. 19: Nõ habere oleum cum lampadibus: Non reportare talentum creditum cum fenore, de quo Mat. 25. Item fecisse mendacium, aut abominationem, aut furtum, aut adulterium, aut cetera eiusmodi, de quibus habes Matth. 15. I. Cor. 6. ad Gal: 5. quodlibet, dico, horum est caussa cur portandum erit iudicium damnationis, dicente Apost. De quibus prædixi vobis, sicut & nunc prędico. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur: sed foris, sed in stagno ignis & sulfuris, qui eiusmodi sunt, Apoc. 21. 22. Vt confundatur hæreticus mentiens: Quoniam si credis tantùm, nõ portabis iudicium. Ipse autem sic mentiens portabit. Nam qui seducebat oues Christi, pars illius in stagno ignis, Apoc. 19. 20. Sic plurimæ sunt caussæ, ob quas adiudicabitur possessio regni, vt credere: si tamen corde credas non intellectu tantùm, & ore confitearis, Roman. 10. vt seruare mandata Dei, tingi sanguine Christi, relinquere sua, opprobrium ferre, persecutionem pati propter Christum & Euãgelium eius. Quodlibet horum & similium est caussa secundum scripturas, cur iudicialiter instituamur in possessionem regni Patris.

Matth. 25. non tractatur tota actio extremi iudicij

Plures caussæ propter quas fiet iudicium damnationis. Ioann. 3.

Caussæ multæ ob quas adiudicetur regnũ Dei.

Dices itaque Christum, Matth 25. declarare Apostolis formam quandam futuri iudicij, non tamen explicare ibidem omnem actionem eius, neque ponere omnes caussas, propter quas alijs regnum, alijs adiudicetur supplicium perpetuum. D. Cur igitur magis meminit ibi operum misericordiæ quàm aliorum? M. Vt illa vel hac ratione habeamus magis persuasa, magisque insidentia cordibus nostris. Nam si tantus ac talis est respectus Domini iudicantis ad opera misericordiæ, vt ea iudicaturus sit tanquam sibi impensa, quamdiu impenduntur vni, & quidem minimo de his fratribus suis, demonstratis hominibus, vtque eadem alicui negata sit iudicaturus tanquam sibi ipsi denegata: Mirum valde & ad stuporem vsque admirandum, quòd vllus Christianus hæc credens retineat apud se panem, vestem, pecuniam, vltra vsum necessarium, tam multis de fratribus Christi necesse habentibus, immo ipso Christo in tam multis suis membris egestatem patiente. Quàm improuidus & non frugi est, immo quàm indignus nomine Christiani hominis, qui dies, qui menses, aut annos præterlabi patitur absque exercitio in aliquo operũ misericordiæ. Quoniam si credit Christum sic iudicaturum sicut asseritur Matthæ. 25: ostendat nobis ex operibus fidem suam: Si non credit, cur adhuc vt Christifidelis venerabile nomẽ sibi vsurpat?

Cur solum opera misericordię explicat Saluator. Matth. 25

Non esse possibile vt quis effugiat extremum iudicium; esse tamen medium euadendi horribilem illam sententiam, discedite à me maledicti, &c. CAP. VIII.



Eterùm nullàne superest praxis declinandi hoc forum Christi? M. Prorsus nulla. Iudicium Christi est ineuitabile. Forum eius indeclinabile, hanc ob caussam. Quia ipse Dominus vniuersorum est, omnipotens, omnisciens, iustus bonus, in quo omnino nulla iudicandi peruersa aut incongrua ratio inueniri potest, vt in alijs iudicibus solet. Quare nec rebellione aut appellatione posthaberi debet, nec dolo circumueniri potest. Quoniam sermo ipsius potestate plenus est, Ecclesiast. 8. Nec iudicabit secundum visionem oculorum, neque secundum auditum aurium arguet, Esaiæ. 2. vt posset decipi more causidicorũ: sed pondus & statera omnia iudicia eius. Non verebitur personam cuiusquã. Quoniã pusillum & magnum Ipse fecit, & æqualis est illi cura de omnibus, Sapient. 6. Non valebit liberare diuites aurum & argentum eorum in die furoris Domini, Ezech. 7. Quoniam bonorum no-

D. An sit possibile declinare forum Christi.

strorum non eget, Psal.15. vt posset corrumpi muneribus. D. Saltem, vel pœnitudine flectetur, quoniam bonus est. M. Quia bonus est, ideo iudicabit in iustitia & veritate. Si quidem hoc vnum est bonorum iudicum. Ista & eiusmodi considerans Apostolus dicit: Omnes nos manifestari oportet ante tri-

2.Cor.5. bunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Vox, oportet, dicit necessitatem, dictio quoque, omnes, neminem exceptum patitur. Quibus addit Christus, loquens de aduentu suo, ac dicens: Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia ista fiant, quæ locutus sum de aduentu meo ad iudicium. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt, Matthæi vigesimo quarto. Marci decimo tertio. Fili etsi posset declinari hoc forum, tamen non expediret. Ratio est. Quoniam in foro Christi, laus erit vnicuique à Domino: ibi reddetur corona iustitiæ, diadema gloriæ, regnumque decoris his, qui certarunt bonum certamen, merces post merita, quies post laborem: ibi quoque faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum suorum, ad quam anhelant indesinenter de sub altari animæ interfectorum, propter verbum Dei & propter testimonium quod habebant, clamantes voce magna dicentes: Vsquequo Domine, sanctus & verus non iudi-

Apoc.6. cans, & non vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra? Quam vindictam in spiritu præuidens Psalmista erumpit in hęc

Psal.149. verba: Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum. Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem. Exultabunt sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus suis. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Gloria hæc est omnibus sanctis eius. Faciet ergo tunc temporis vindictam, facient & ipsi sancti vindictam pro se cum Domino. Quod adeò non est euitandum, vt dicat Propheta: Gloria hæc est omnibus sanctis eius. Damno quis affectus, aut iniuria, beneficio iuris ac iudicis restituitur in integrum, facta vindicatione in eos qui affecerunt. Sic sancti passi opprobrium in hoc mundo, infamiam, persecutionem, restituentur tunc prorsus in integrũ, immo in id quod centuplo melius est, sumpta digna vindicta de malis. D. Hoc quidem elegibile bonis ac iustis, neque de illo quærebam. Ceterùm sitne praxis aliqua euadendi terribilem illam sententiam: Discedite à me maledicti, &c. M. Abundans, certa, infallibilis, prædicta, præscripta, docta, & à Domino, & ab Apostolis, & ab omni succrescente Ecclesia. Nam totum Euangelium & vniuersa scriptura in hoc data est, vt credamus in eum quem misit Pater, credamus dico, corde, & veritate: Qui autem credit in eum, non confundetur. Et in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam. Iterum, qui credit in eum non iudicatur, Ioannis tertio. Huc equidem tendit omnis institutio Christiana, vt simus in Christo Iesu. Porrò nihil damnationis ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Satis de hoc. Nunc, credo, intelligis articulum. D. Habet articulus: Inde venturus est. At nondum indicasti, quando aut qua hora quoue die veniet Dominus ad iudicium. M. De illa die, inquit Saluator, aut hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi Pater, hoc est Deus, Matthæi 24. Marci 13. In die iudicij fiet restitutio regni Israël. At Apostoli interrogantes Christum in die Ascensionis: Num in tempore illo restitueret regnum Israël? Audierunt: Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua ipsius potestate. Si non erat Apostolorum scire tempus hoc, si ignorant Angeli, si nescit Filius, quomodo tu fili vel ego scire poterimus? D. Mirum non posse quenquam habere notitiam huius temporis.

Qua praxi poterit euitari sententia damnatorum. Ioann.3.

Rom.8.

Dies aduentus Domini omnibus incertus.

Act.1.

M. Non dicit Scriptura, neminem posse scire diem vel horam iudicij (potest enim Deus reuelare, cùm homini, tum Angelis pro sua voluntate, non solùm diem aut horam, sed etiam ipsum instans siue momentum aduentus Christi ad iudicium, quia omnipotens) veruntamen, vt dicit textus, nemo scit de illa die, neque Angeli Dei, neque Filius, notitia scilicet naturali, vel etiam supernaturali, quam adfert secum visio beatifica. Alioqui omnes beati scirent de illa, quod constat falsum esse ex illo Apocalypsis: Vsquequo Domine non vindicas sanguinem interfectorum? & cet: Nemo nouit consilium Dei, nisi Spiritus Dei qui in ipso est. Nemo scit secreta cordis humani, ne is quidem qui in vno conuictu vnaque societate assiduè contemplatur hominem, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Beatifica visio non adfert secum consiliorum Dei notitiam, neque euentuum quos Deus posuit in sua solius potestate, præscientiam. Nihilominus tamen verum est, quòd Deus potest reuelare quibus vult. Sicut nemo scit diem mortis

Obseruanda verba textus. Sancti nesciunt diē iudicij.

Apoca.6.

Posset Deus reuelare diem iudicij si vellet.

mortis suæ: tamen reuelatione Dei multi sanctorum præsciuerunt illam. Attamen credimus quòd Pater, hoc est, Deus siue diuinitas sicut tradidit Christo homini omne iudiciú, ità inspirauit siue reuelauit animæ eius tempora ac momenta exercendi iudicij idonea. Scit igitur Christus diem ac horam futuri iudicij, naturali, coæterna Patri notitia, vt Deus. Scit etiam vt homo, reuelatione Dei siue diuinitatis. Aliorum autem nemo scit, etiamsi Angelus sit, aut filius in gratiam & gloriam adoptatus, ne reuelatione quidem. Quia constat alijs non esse factam eius rei reuelationem ex primo capite Act. & ex 24. & 13. capite Matthæi & Marci. D. Quæ est caussa ob quam voluit hoc tam secretum seruari sibi Deus? M. Venturum Christum Dominum ad iudicium, voluit nobis indubitata fide certum esse, non ex persuasione hominum, sed ex traditione Euangelica, Matthæi 24. 25. 26. Marci 13. 16. Luc. 21. & scriptis Apostolorum, 2. ad Tessalonicen. 3. 2. Petri 3. ex Epistola Iudæ, Apocal. 10 Libris Prophetarum. Diem verò & horam aduentus eius, voluit cunctis incognitam esse, vti patet Actuum 1. Matth. 24. Marci 13. Ne quis vnquam dormiat in vtramque aurem securus, néue tempore medio committat, quod commisisse tunc, cùm Dominus iudicabit, graue iudicium adfert. Qui scit certò reddendam principi rationem villicationis suæ, nesciens qua parte anni, quáue die, is totus studet in omnem diem paratus esse. Non quia inuidet nobis Deus, aut quia durus est, ideo cælat nos instans futuri iudicij, sed quia bonus est, & circunspectus, cupiens nos dubio euentu tam mortis quàm iudicij continere in officio virtutis. Hinc inculcat Saluator: Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Iterum: Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Rursum: Videte, vigilate, orate. Nescitis enim quando tempus sit. Sicut enim in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium edentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes. Ita erit & aduentus Filij hominis. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideoq; & vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. Aliud simile: Sicut homo peregrè profectus reliquit domúsuam & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit vt vigilet. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus, hoc est Christus qui est Dominus Ecclesiæ, veniat, serò an media nocte, an gallicantu, an mâne. Ne cùm ipse venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Nec minus diligenter Apostolus nititur persuadere istud Tessalonicensibus dicens: De temporibus autem & momentis fratres, non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, pax & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Vos autem fratres, non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei, hoc est, fidei, bene illuminati doctrina Euangelica de aduentu Domini, vt vigilando possitis præcauere horribilem illam damnatorum sententiam. Simile est, secundo Petri tertio, & Apocalyp. 3. 16.

Certo voluit Dominus certú esse futurum aduentum & tamē horam aduētus incertam.

Matt. 25. Matt. 24. Matth. 13. Matt. 24. Marci 13 1. Tessa. 5.

De signis venturis ante iudicium: item de Antichristo, & vita, regno ac fine ipsius. C. I X.

M.



Obseruabis hoc loco fili Saluatorē dixisse: Nemo scit, non quidem tempus iudicij in genere, sed horam aut diē iudicij, quasi diceret, nemo habet certam & indubitatam notitiā, quo præcisè tempore futuro fiet iudicium, vt sciat ipsum diem vel horam aduentus Domini. Cui non repugnat, nos posse ex signis & iudicijs verisimiliter colligere, iam iam instare aduentum Domini, & consummationem sæculi. Sicut non scimus certò quo momento sit moriturus hic, vel ille, tamen ex senio, vel ex morbis, vel ex virium defectione colligimus mortem in proximo esse. Signa autem ex quibus licet ratiocinari instare iudicium, fusissimè nos docet Saluator, Matthæi 24. Marci 13. Lucæ 21. capita illa diligenter perlege, satis clara sunt. Attamen fili licet videamus quædam illorum signorum quæ enumerantur in illis capitibus, impleri hoc nostro tempore, quoniam abundat nunc iniquitas, & refrigescit multorum caritas. Insuper quamuis cernitur nunc temporis non modica abominatio in templo Dei, eiecto corpore Christi, & sanctorum veneratione, sectarum denique mira varietas, quibusdam dicentibus: Ecce hic, in doctrina Lutheri, est Christus, alijs contendentibus, ecce ibi, in secta Anabaptistarum, est Christus. Non tamē propterea oportet nos conturbari, quasi his

Licet dies aut hora iudicij præsciri non potest, potest tamen ex signis verisimiliter colligi.

nostris diebus sit futurum iudicium, prout quidam impiè sunt mentiti in suam ipsorum confusionem. Quoniã & temporibus nascentis Ecclesiæ quędam eiusmodi contigere, quã do redarguit acriter Apost. eos qui propterea perturbabant Thessalon. quasi instaret dies Domini, 2. ad Thess. 2. dicens: Rogamus autẽ vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ cõgregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquã per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo. Quoniam nisi venerit discessio primùm (Hieronymus, cõpleta, inquit, discessione ad Romanum imperium, & ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam, aderit discessio ab vtroque imperio: qua impleta aderit ille iniquus, de quo hic Apost. Impleto tempore misericordiæ, quo plenitudo Gẽtium intrat ad fidem, reuelabitur discessio, & tunc instabit dies Domini) & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, quem vulgò vocamus Antichristũ, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, supplendum est, nõ veniet dies Domini: eò quod illa duo oporteat præire. Num retinetis, inquit, quòd eũm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat (id est quæ sit caussa moræ quò minùs veniat) scitis (nempe) vt reueletur in suo tempore, id est, tempore à Deo constituto propter iniquitatem hominum, & ipsius Antichristi malitiæ apto. Nam mysterium iam operatur iniquitatis, hoc est, ipsum occultum iniquitatis, velatum specie aliqua pietatis iam exercet in prauis & fictis hominibus velut præcursoribus ante illum. Tantum, supple restat, vt qui tenet nunc (tempore medio) teneat, scilicet imperij Romani gubernationem, donec de medio fiat idem imperium. Dicta quidem sunt hæc per aposiopesim, vt plus significari voluerit silentio, quàm si manifestè dixisset: Et tunc reuelabitur ille iniquus, Antichristus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, eum, cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacib⁹, & in omni seductione iniquitatis, ijs qui pereunt, eò quòd caritatem veritatis non receperũt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderũt veritati, sed consenserunt iniquitati. Hucusque Apost. Non turbemur itaque eò quòd sectæ

De aduentu Anti-christi.

Rom. 11.

sint & hæreses in mundo, multaque operatio iniquitatis, quasi eras aut perendiè sit futurum iudicium extremum. Quoniam duo debent præire. Primùm, discessio ab imperio Romano, & præsidentia sedis Apostolicæ, quod Ambrosius vertit defectionem, nempè cùm aliquis deficit à suo superiore seu principe. Quam defectionem licet videamus paulatim magis ac magis succrescentem, nondum tamen videmus cõsummatam, adhuc multis parentibus Imperio Romano, plurimis etiam Ecclesijs obedientibus sedi Apostolicæ. Secundùm apparitio siue dominatio Antichristi extollentis se, non solùm contra Christum, sed etiam super omne illud quod dicitur Deus. D. Putabam ego fabulosum esse quod dicitur de Antichristo. M. Fabulosum fili? ipsa scriptura exactissimè tradit nobis, & nomen Antichristi, & interpretationem eius, & conditiones personæ ipsius, & quando veniet, & quomodo dominabitur, & qualiter destruetur per Christum regnum eius. In duabus prioribus Canonicis Ioannis, habes nomen cum interpretatione nominis. In secunda ad Tessalonicenses habes vitam & opera eius, tempus quoque quo manifestabitur, & quis erit finis ipsius. Quæ etiam legere poteris in Apocalypsi 12. 13. 19. capite. & Ezech. 38. & 39. sub nomine Gog. & Danie. 7. & 12. An fabulosum quod tanta diligentia traditum est per vtrunque Testamentum? Ioannes dicit prima sua Canonica capit. 2. Filioli, nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus quia nouissima hora est. Mox subijciens definitionem nominis dicit: Hic est Antichristus qui negat Patrem & Filium. Item. Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, capite 4. Et in secunda sua Canonica: Omnis qui non confitetur Iesum Christum venisse in carnem, hic est seductor & Antichristus. Itaque secundum traditionem Ioannis, & vocis etymologiam, Antichristus nihil est aliud quàm aduersarius Christi. D. Tales sunt multi in mundo, immo tales fuere temporibus Apostolorum, dicente Ioanne in loco præallegato: Quia Antichristus venit, & iam sunt Antichristi multi. M. In loco illo vox, venit, non est præteriti temporis, sed præsentis vel futuri, vti euidenter constat ex textu Græco. Dicimus autem tropicè venire, quidquid certò futurum nunciamus, & velut in accessu esse, vel nunc quasi capitibus nostris immineare. Quo tropo dicimus: Finis mundi venit, bellum venit, pestis venit, eò quòd omnia sic dispo-

Non veniet iudiciũ nisi postquam duo præcesserint scilicet defectio & Antichristus.

Vide August. de ciuitate lib. 20 cap. 19

Quę dicũtur de Antichristo, non sunt fabulosa.

Ipsum nomen Antichristus, est in scripturis.

1. Ioan. 4.

1. Ioan. 1.

dispoſita ſint, vt vel nunc propè nos eſſe vel in proximo acceſſura videantur. D. Addidit Ioannes: Et nunc Antichriſti multi ſunt. M. Quin & cap. 4. dicit: De quo Antichriſto audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt. D. Quid igitur modò prædicatur venturus, ſi tum temporis erat in mundo? M. Erat tunc in mundo non ſecundum perſonã, ſed ſecundũ ſimilitudinẽ ſpiritus et rebellionis. Sicut Helias dicebatur venturus ante Chriſtum predicantẽ. Quia Ioannes venit præcedẽs Chriſtum in ſpiritu & virtute Heliæ. Et ſi vultis ſcire, inquit Saluator, ipſe Ioannes eſt Helias, ſcilicet ſpiritu & virtute. Prorſus eadẽ

Math. 11. phraſi dixit Ioannes Euãgeliſta: Et nunc Antichriſti multi ſunt: Quia nũc multi rebelles, & ſubdoli homines ſunt in mundo, præcurrentes illum in ſpiritu ſeductionis & malitię. Attamẽ ſub ſpecie ac velamine quodam pietatis, quod Apoſtolus dicit: Nam myſterium iam operatur iniquitatis, ſcilicet in præcurſoribus ſuis. Addo, vt vox, Chriſtus, communis eſt multis, ita vox Antichriſtus. Et ſicut aduentum Chriſti præceſſerũt multi Chriſti, typum gerẽtes illius venturi, qui antonomaticè præ omnibus alijs dignus eſt poſſidere nomen Chriſti: Ita multi ſeminantur per mũdum Antichriſti, malitia & rebellione typum gerentes illius venturi qui antonomaticè dicitur Antichriſtus præ omnibus alijs, eò quod ſcelere & rebellione longè & vltra modum

Deſcriptio Antichriſti ex Paulo. antecellet vniuerſos. Nam Apoſtolus depingit Antichriſtum eſſe, Primò, hominẽ peccati, quia manifeſtè ac totus ſceleſtus erit: adeò vt mereatur potiùs dici ſcelus, ſeu homo peccati, quàm peccator. Secundò, filium perditionis: cuius tota natura erit aduerſari, perdere, & omni ex parte tendere ad deſtructionem, tam ſui, quàm aliorum. Tertiò, extollentẽ ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Quartò, admirandum, ſecundũ operationem Satanæ, quã operabitur per eũ Satanas in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs qui pereunt. Hæc de Antichriſto Apoſtolus Paulus. Nec minùs expreſſè eum depingit Ioannes ſub nomine beſtię aſcendentis de

Deſcriptio Antichriſti & regni ei' ex Ioãne. mari: Apoc. 13. cap. dicens: Et vidi de mari, id eſt, de collectione malorum, velut de pelago quodam, beſtiã aſcendentem habentem capita ſeptem, quia erit bellua multorum capitum, id eſt, princeps ac dux multorum hæreſiarcharum, & cornua decem, quia vndique pugnax, erecta ac potens ad lædendum, & ſuper cornua eius decem diademata, eò quòd multitudo regnorum ac dominorũ ſubijcietur tyrannidi & violentiæ eius, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ, id eſt, malorum dogmatum, quibus blaſphematur Deus. Et beſtia quam vidi erat ſimilis pardo, propter varietatem vitiorum in quibus obſtinata erit. Et pedes eius ſicut pedes vrſi, vt aſcendat & eleuet ſe ſupra quamcunque altitudinem Eccleſiæ: ſicut vrſus non obſtante mole corporis ſui eleuat ſe ſupra quamcunque arborẽ, & os eius ſicut os leonis, propter crudelitatẽ. Et dedit illi Draco, ille ſerpẽs magnus & antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit vniuerſum orbẽ cap. 12. virtutem ſuã & poteſtatem magnam, ſcilicet ſeducendi & perdendi multos. Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, quia ſimulabit ſe Antichriſtus quaſi mortuum, & per triduum latens apparebit dicens ſe ſuſcitatum. Et plaga mortis eius curata eſt, quia arte magica aſcendet in aëra, ferentibus eum Dæmonibus, & curabitur plaga mortis eius: ſicque qui priùs mortuus videbatur, poſteà viuens reputabitur. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam. Et adorauerunt draconem qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam (ſicut adoramus nos, & Deum qui dedit Chriſto poteſtatem, & ipſum Chriſtum Dominum) dicentes. Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Et datum eſt ei os loquens magna (quia extollet ſe ſuper omne illud quod dicitur Deus) & blaſphemias (contra Chriſtum & omne id quod ſanctum eſt, Deoque gratum) Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos (quia regnabit triennium & dimidium anni) Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum (ne Deo quidem parcens) blaſphemare nomen eius (quod nos oramus vt ſanctificetur ſicut in cælo & in terra) & tabernaculum eius (id eſt Eccleſiam Chriſti quam inhabitat, omnemque conſtitutionem eius per quam laudabilis apparet) & eos qui in cælo habitant (venerabiles illos Angelorum ſanctorumque ordines) Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis (cõtra ſanctos) & vincere eos (ſcilicet corporaliter, quia rapiet in mortem. Quoſdam etiam partim muneribus, partim tormentis ſeducet in errorem) Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum & populum, & linguam, & gentem (quia latiſſima erit dominatio eius) Et adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitę agni, qui occiſus eſt ab origine mũdi (videlicet in mẽbris ſuis: Abel & Prophetis, alijsq; iuſtis) Si quis habet aurẽ audiat. Et vidi aliã beſtiam (etiam beſtiam, id eſt, beſtialiter

viuentem in omni spurcitia vitiorum citra pudorem) ascendentem de terra (hoc est de Ecclesia Christifidelium , quæ per virtutes & cultum Dei comparatione maris floridum & amœnum habet aspectum , proferens fructū salutis) & habebat cornua duo similia agni (tā quam infulatus mitro Episcopali, siue iactans innocentiam simul & puram doctrinā, qua bestia vtetur Antichristus, velut pontifice sacrorum diuorū & pseudopropheta, eritq; de numero Christianorū. Nam Antichristus ipse , erit de populo Iudaico , vt tradit venerabilis Haymo diligentissimus mysteriorum obseruator, dicens: Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan. Iuxta quod Iacob ait: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. Et cùm venerit Hierosolymam: circūcidet se dicens. Ego sum Christus vobis promissus. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi & reædificabunt templū ab Romanis destructum, sedebitque ibi dicens se esse Deum. Hæc ille) Et loquebatur sicut draco (omnibus modis decipiendi vtetur quibus vtitur ipsemet draco antiquus Diabolus) Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius: Et fecit terram & omnes habitantes in ea adorare bestiam primam , cuius curata est plaga mortis, id est, Antichristi euius mystagogus erit. Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in cōspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra propter signa quæ data sunt ei facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra: vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Et datum est illi (à Dracone sci licet permissione diuina) vt daret spiritū (magia quadam) imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ (dando responsa, vt solent idola dæmonum) Et faciet vt quicunque nō adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere charactêrem in dextera manu sua, aut in frontibus suis (pro sacramēto seu simbolo bestiæ prioris, siue Antichristi. Et (faciet) ne quis possit emere aut vendere , nisi qui habeat charactêrem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. In diebus illis erit solutus Satanas, sicue draco antiquus de carcere, & exibit & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ: Gog & Magog (quibus nominibus figuratur Antichristus, & pōtifex eius , in Prophetia Ezechielis) & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuerunt castra sanctorum , & ciuitatem dilectam , hoc est Ecclesiam Christi. Hucusque Ioannes. Nec dissimilia habet Ezechiel capit. 38. & 39. Erit tunc , inquit Christus, tribulatio magna: qualis non fuit ab initio mundi vsque modo , neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, id est, dies illius temporis, quo erit illa tribulatio regnante Antichristo, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Hæc Saluator, tractans materiam aduentus sui. Fili: & si multi præcesserunt nos , sintque modo non pauci aduersarij Christi & veritatis , tamen de tali , tamque insigniter se extollente aduersus Deum, aduersus Christum, & suprà omne id quod colitur, in tali potentia, tamque stupenda operatione mirabilium signorum & prodigiorum, licet in mendacio, nihil adhuc audierunt aures nostræ. Non fuit talis Arrius : quia coluit Deum , doctrinamque Christi & virtutem , licet hæreticus esset . Non fuit talis Machumetus: quia non extulit se super omne illud quod dicitur Deus : sed dixit se flatum siue spiritum magni Dei. Fuerunt tamen illi , vt sunt vniuersi hæretici atque schismatici, Prophetæ Antichristi, perfidia & rebellione: velut indicantes venturum aliquando ipsum Antichristū. Sicut Prophetæ Dei tum virtute tū doctrina veritatis longè prænuntiauerūt Christū, præparantes viā in illum. Verùm cùm operarij carnis cœperint auersari omnem doctrinam, omnemque Dei cultum & Christi, omnem denique potestatem & magistratum, & vitæ modum seu temperiem, viuentes secundum carnem: prout libido feret animi , scito : quia tunc adest nouissimus præcursor Antichristi, qui fortassis digito suo nobis scelestum illum demonstrabit. Sicut Ioannes Baptista speculum abstinentiæ & disciplinæ : demonstrauit Christum. Hæc fili non sunt figmenta, sed veritatis documenta , de scripturis elucidata , secundum traditionem Patrum. D. Et qualis obsecro erit finis Antichristi, & dominationis eius? M. Talis, qualem scriptura futurum tradit, 2. ad Thessal. 2. dicit Apostolus. Quem (hominem peccati siue Antichristum) Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Addit Ioannes: Et apprehensa est bestia , & cum illa pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos: qui acceperunt charactêrem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulfuris. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius , & omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum. Similia prædicta sunt de Interitu Antichristi & complicem eius apud Ezechielem, dicentem in persona Christi: Et iudicabo

Haymo, Gene. 49. — Apoc. 20. — Matt. 24. — De fine Antichristi.

diabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immēsis. Ignem & sulfur pluam super eum, & super exercitū eius, & super populos multos qui sunt cum eo. Et magnificabor & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentiū, & scient quia ego Dominus, cap. 38. Et descendit ignis à Deo de cęlo, & deuorauit eos. Et Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnū ignis & sulfuris. Vbi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum, Apo. 20. Habes fili nomen, tēpus, vitā, & finē Antichristi. Nolo plura addere. Non veniet autem Antichristus, nisi præeunte defectione ab imperio Romano, & sede Apostolica, vti demonstratum est: Aduentus verò Christi ad iudicium non erit nisi præeunte vtroq; nempe defectione, & post illam Antichristo. Necdum itaque in proximo est dies ille magnus & terribilis, quia defectio nondum consummata est. Ille etiam homo peccati necdum apparuit in persona. Interim tamen non potest omnino longè abesse, quia defectio ab imperio, & ab obedientia Romani Pontificis crescit suprà modum. Et multa nimis fit præparatio in aduentum Antichristi, multiplicatis nunc hæreticis qui nō solùm maligni sunt in sedem Apostolicam & Romanum imperiū, sed nec colunt, neque Deum, neque Christum, neque Sanctos, nec vllum suscipiūt sacramētū Ecclesiæ. Sed & mulieribus abutuntur cōmuniter, cetera taceo, oculos, ac manus, & solis aspectum fœdantes libidine. Furta quoq; & sacrilegia, & latrocinia, aliaque scelera pro virtutibus cōmendata habētes. Adeò vt quasi certum sit nouissima tempora pœnè adesse, si vera sunt quæ scribunt Apostoli de temporibus nouissimis, 1. ad Timo. 4. 2. ad Timo. 3. 2. Pet. 3. Epistola Iudę circa finem. Ceterùm vt redeamus vnde digressi sumus, quantumcūq; instet dies Domini, tamen nunquam cōstabit quo die, quáue hora veniet Dominus, ne tūc quidem, quando palàm regnabit Antichristus, quoniam dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet. Non q̄ veniet tempore nocturno, siquidem tropicè dictum est, sed quia veniet inexpectatus: cùm dixerint omnes pax & securitas, quasi nihil cogitantes de aduētu Dñi.

Quare fit verisimile aduentū Domini nondū omnino in proximo esse.

Adorātes sæpius in die diabolum.

Quid futurum sit posteà, iudicio extremo peracto. CAP. X.

D. Mundo purgato, & iudicio vniuersali iam peracto, tūc obsecro quid erit? M. Tunc finis, inquit Apostolus cùm scilicet tradiderit Christus regnum Deo & Patri (efficiendo vt Deus diuino quodam modo regnet, in omnibus membris bonis ac spōtaneis regni sui, prorsus ac integrè tam quoad corpus quàm quoad animam, citra omnem repugnantiam & dissonantiam à beneplacito eius: malèuolis ac rebellibus detrusis in puteum damnationis. Siquidem hoc efficere est proprię tradere regnum). Et cùm euacuauerit omnē principatum (siue magistratum) & potestatem (principum & magnatum) & virtutem, id est, potentiam malignantium, vt sit Deus omnia in omnibus, tunc, dico, finis vltra quem nihil est expectandum. Res omnis terminatur, initio, medio, & fine. Post initium restat medium, post medium finis, post finem denique nihil. Finis enim est vltimus gradus, vltimus status, postremaque, vel abolitio, vel consummatio rerum, cuiusque in sua qualitate. Nunc proficiunt deficiuntue, alij in bono, alij in malo, alij in honoribus, alij in sordibus, vt sit verum ad extremum vsque iudicium: Qui iustus est iustificetur adhuc, qui in sordibus est sordescat adhuc. At tunc finis. Non quidem huius vel illius rei, sed finis simpliciter, quia omnium rerum finis. Omnia enim tunc accipient aut finem consumptionis suæ, aut finem consummationis suæ. Finem consumptionis vel abolitionis suę accipient principatus, potestates, ac ministrationēs, merita & demerita, accessus & recessus, generationes & corruptiones, motiones & tempora. Finem verò consummationis, hoc est, statum æternitatis accipient, quæcunque permanebunt vel ad ornatum regni Dei, vt mundi partes, vel ad ostentionem iustitiæ eius, vt Infernus & quæ illius sunt. Quem finem consummationis perelleganter explicat Ioannes in Apocalypsi sua cap. 10. dicens: Et Angelus quem vidi stantem super mare & super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum. Qui creauit cælum & ea quæ in eo sunt, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt, Quia tempus non erit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas. Hæc Ioannes: Igitur completo hoc tempore per iudicium vniuersale, non erit ampliùs tempus: quare nec motiones. Quia tempus est mensura motionum. Si non ampliùs motiones, ergo nec generationes, neque corruptiones, & cetera eiusmodi quæ tēpore fieri solent. Iterū tunc consummabitur mysterium Dei, nō hoc quidē, vel illud: sed quidquid nomine mysteriorum

Post iudiciū finis omnium rerum.

Quid finis.

Apoc. 22.

Duplex finis rerum consumptio rei finis eius.

Consummatio rei finis eius.

Post iudicium non erit ampli us tēpus.

Quomodo cōsummabitur mysteriū Dei per iudiciū vniuersale.

rum Dei intelligi potest. Sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas, id est, per sanctos Dei homines prænuntiantes de futuris. Ergo quidquid prænuntiatū est de vindicta & supplicijs iniquorum, hoc tunc cōsummabitur, id est, ponetur in esse pleno & consummato, cum statu perenni æternitatis. Sic quidquid vsquam prænuntiatum est siue in veteri, siue in nouo testamento de felicitate, gloria & dotibus sanctorum, de regno Christi, de elementorum & mundi transitu, de morte, de vita, totum prorsus consummabitur per iudicium extremum Christi. Nihilque prorsus vltra expectandum erit. Nulla omnino rerum mutatio fiet posteà. Hinc scriptura sancta appellat finem mundi consummationem sæculi, dicens: Matt. 13. 24. 28. Sic erit in consummatione sæculi &c. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et Christū, quia via iuris, & iustitiæ, ac iudicij deducit in hanc consummationem, vocat consummatorem, dicens: Ideoq; & nos tantā habentes impositā nubē testiū, deponentes omne pondus & circūstans nos peccatum, per patientiā curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, Heb. 12. Valde obseruanda sunt hæc in scripturis videlicet, plenitudo legis, plenitudo temporum, tempus regenerationis, consummatio sanctorum, consummatio sæculi, finis præcepti, finis legis, finis simpliciter.

Finis mūdi est cōsummatio sæculi.

Rom. 54. Quoniam plenitudo legis est dilectio implēs & opus præceptum, & modum qui erat in voto præcipientis. Plenitudo tēporum, est tēpus reuelatæ gratię in quo est inuenire omnia illa, quæ vllis vnquam temporibus expectata sunt aut expectari possunt in hoc mundo. Post quam plenitudinē nulla amplius est expectanda immutatio religionis vel doctrinæ de Deo. Regeneratio siue cursus regenerationis est ille status qui durat à Christo baptizante vsque in diem iudicij. Pro quo statu promisit, & dedit Christus Apostolis suis eorumq; successoribus cathedras, tribunalia in quibus præsideant, & ius dicant super credētes. Matth. 19. Consummatio sanctorū est extrema perfectio, seu beatitudo eorum secundum animam & corpus. Consummatio sęculi est finis mundi, terminans quidē & abolēs peritura: alia verò consummans statu perpetuo & immutabili. Finis legis Christus: Finis pręcepti caritas. Finis caritatis, vnū seu vnio eū Deo & Christo in amplexibus felicitatis. Finis vitiorū, mors. Finis simpliciter, status rerū æternitatis. Hæc & alia eiusmodi qui non obseruant, alucināter in scripturis, sæpè non intelligētes, neq; quid dicant, neq; de quo lo-

Ephes. 4.

Mal. 13. 14

1. Tim. 4.

quantur. Hucusq; de aduentu Domini ad iudiciū. Tu autem fili memorare nouissima, de quibus nunc audisti, & inæternum nō peccabis. D. Vtinā hæc sub imo pectoris, & mētis ob oculos perpetuò mihi essent. M. Meritò nō deberēt ista vnq̄ excidere mentibus Christianorū. Nihil enim in tota scriptura pij hominis animū siue in aduersis tolerandis, siue in tentationibus vincēdis adeò cōfirmat, ac erigit: nihil adeò cōsolatur deiectos, & mæstos, atque ea quę aget Christus pro bonis in die iudicij. Ad hæc nihil sic retrahit animū à cogitatione mali, nihil tam emollit saxea illa corda rebelliū, atq; iugis memoria eorū quæ tunc decernet Christus cōtrà impios. Beatus homo cui semper sunt præ oculis nouissima eius. In primis illa: Venite, discedite, Benedicti, Maledicti, In vitā æternā, In suppliciū ęternū, In regnū patris, In ignē inextinguibilem præparatū Diabolo, & Angelis eius. D. Hieronymus hæc continuò recolens scribit de se: Siue comedam, siue bibā, siue quid aliud agā, semper insonat auribus meis, illud: Surgite qui mortui estis, & venite ad iudicium.

Peroratio

DE SPIRITV SANCTO. TRACTATVS SEPTIMVS.

De voce Spiritus, quid significet, & quàm variè accipiatur in scripturis. Cap. I.

De scripturis, & Ecclesiæ decretis quibus demōstramus Spiritum sanctum reuera esse Deum. Cap. II.

De modo quo Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, manens nihilominus vnus Deus cum illis. Cap. III.

Spiritum sanctum mitti nunc visibiliter, nunc inuisibiliter, tamen citra sui lociq; mutationem, & quæ sint dona Spiritus sancti. Cap. IIII.

De voce Spiritus, quid significet, & quàm variè accipiatur in scripturis. CAP. I.



Veusque tibi demonstrationem fecimus de his quæ fide Catholica credenda sunt: de Deo Patre: & de Deo Filio Christo redēptore nostro. Nunc autē demonstrandum venit, quid credi debeat de Spiritu sancto. De quo ædiderunt Apostoli & hunc articulum, Credo in Spiritum sanctum. Quid verò significet vox, Credo, & adiuncta præpositio, In, quid operetur diximus tractatu primo. Hic solùm aperiendum restat, quid intelligatur per Spiritū sanctum. Et cur doceamur per symbolum fidei credere in ipsum. D. Apud scriptores M.

Vox Spiritus quid significet. res linguæ Latinæ vocatur spiritus, quod spiramus, aut quo viuimus: nempe anima, halitus, respiratio. Sic Cicero: Tribus, inquit, rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu. Idem: Quid enim tam commune, quã spiritus viuis, terra mortuis? M. Aliquando etiam accipitur pro elatione siue impetu superbiæ. Vti patet apud eundem Ciceronem pro Sylla. Res, inquit gestæ, credo meæ, me nimis extulerunt, mihi nescio quos spiritus attulerunt. Nonnunquam verò pro odore, sæpè pro vento ponitur. Nec sanè minorem varietatem significationum recipit vox eadẽ in scripturis sacris. Nam cùm dicitur. Spiritu vehementi cõteres naues Tharsis. Itẽ cum dicitur: Spiritus vbi vult spirat: accipitur pro vento siue flatu aëris. Cùm verò dicitur de Christo: Et clamans voce magna emisit spiritum, indubiè pro anima ipsius ponitur. Cùm autem dicitur de Aegyptio seruo Amalechitæ. Et cùm comedisset, reuersus est spiritus eius & refocillatus est, accipitur pro viuacitate seu fortitudine. Porrò cùm dicitur: Nescitis cuius spiritus estis, accipitur pro vehementi zelo seu impetu animi, siue ad bonum, siue ad malum. Iterum cùm dicitur: Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus, accipitur pro Spiritu sancto. Denique cùm dicitur: Spiritũ nolite extinguere. Et paulò inferiùs: Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur, hoc loco, inquit D. Hieronymus, non substantiam Spiritus sancti, quæ non potest interire, quæ neque instar flammæ extincta desinit esse, sed gratias eius, donationesq; accipimus, quæ nostra vel virtute vel vitio, & accenduntur in nobis, & extinguuntur. D.

Varia significat vox Spiritus in scriptura. Psal. 47. Ioan. 3. Matth. 27. 1. Reg. 30. Luc. 9. Ad Gal. 5. 1. Thes. 5.

Et in hac tanta æquiuocatione vocis quomodo intelligemus scripturas loquentes de spiritu? M. Certè dare firmam in hac parte & indubitatam regulam, maius est viribus nostris. B. Hieronymus in Commentarijs super Michæam cap. 2. velut regulam tradens, dicit: Quòd spiritus tam in nouo quàm in veteri testamento, vbicunque sine additamẽto ponitur, in bonam partem intelligitur, & sæpè diximus, & nunc ex parte ponemus, ne cui dubium sit. Fructus autem spiritus, caritas, gaudium, pax. Et: Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Et illud: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et in veteri testamento: Dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam, scilicet terram, Qui enim calcant terrena opera, & pedibus suis subijciunt ea, vtique non malum, sed bonum spiritum merentur accipere. Et econtrario, malus spiritus semper cum additamento legitur. Vt ibi: Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine. Et in alio loco: Increpauit Iesus spiritum immundum. Et: Spiritus Dei malus inuasit Saul. Et cetera his similia. Hucusque Hie. Similem regulam tradit Origenes, lib. I. Periarchon dicens: Quidam sanè ex prædecessoribus nostris in nouo testamento obseruant, quòd sicubi spiritus nominatur sine adiectione ea quę assignet qualis sit spiritus, de Spiritu sancto debere intelligi, vt puta: Cùm cœperitis spiritu nunc carne consummamini. Nos verò, etiam in veteri testamento putamus distinctionem istam posse seruari. Spiritus Domini qui super aquas ferebatur, puto, inquit, quòd non sit alius quàm Spiritus sanctus, qui & si modo quodam peculiari foueat ac teneat in æquitate & iustitia rationales spiritus, & iustorum hominum corda: ipse tamen omnia creata, tam animata quàm inanimata, tam irrationalia quàm rationalia sustentat, suoque fluxu conseruat. Hæc Origenes. At tu regulas istas intellige de voce spiritus per se, & in numero singulari posita. Quomodo Michææ 2. Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer. Nam si vox accipiatur pluraliter, vt ibi: Veruntamen in hoc nolite gaudere quòd spiritus subijciuntur vobis, manifestè accipitur pro dæmonibus. Præcedit enim: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis. Aut si sermonis consequentia demonstrat aliud, vt ibi: Iesus autem clamans voce magna emisit spiritum, fallit regula. Nam ibi manifestè accipitur pro anima Christi. Vt ibi: Reuersus est spiritus eius in eam. Veruntamen hic non prorsus per se ponitur, quia additur, eius, scilicet puellæ. Itaque regulæ prædictæ, vt solet in disciplinis, intelliguntur, de his quæ vt in plurimum ita se habent. Nam Psalm. 67. vbi dicitur, Spiritus vadens & non rediens. Spiritus absolutè dictus, pro spiritu siue anima hominis accipitur, qui per se vadit, nunc à semita iustitiæ in peccatum, nunc à carne moriente corpore, non rediens per se ad vitam, quia non est potens resuscitare sese, neque ad vitam corporis, neque ad vitam animæ. Sic illud: Saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, accipitur de animo hominis. In multis oportet te considerare filum orationis, seu præcedentium & subsequentium connexionem. Ponit & Didymus Alexandrinus in opere de Spiritu sancto, tertiam regulam internoscendæ dictæ æquiuocationis, certè non inconuenientem, videlicet: Quòd quoties in Græco textu est adiunctus articulus, accipiatur pro Spiritu sancto.

Regula D. Hiero. Ad Gal. 5. Rom. 8. Esaiæ 42. Matth. 12. Luc 9. 1. Reg. 18. Regula Origenis. Ad Gal. 3. Genes. 1. Luc. 10. Luc. 8. Psal. 64. 3. Regula.

D. Et quando adduntur hæ determinationes videlicet Domini, Dei, Christi: dicendo, spiritus Domini, spiritus Christi, vti frequens est, tú an semper accipiatur pro Spiritu sancto? M. Ita, si nihil vltra adijciatur, indicans sermonem esse de Spiritu Domini maligno. Vnde pro regula accipe quod D. Augustinus tradit lib. 2. ad Simplicianũ quæst. 1. dicens: Vbicunque Spiritus Domini, vel Spiritus Dei, vel Spiritus Christi in scripturis sacris sine additamento inuenitur. Spiritus sanctus esse à nullo qui est sano sensu dubitatur. Vbicunque verò cum additamento, dicitur esse Spiritus Dei malus. Vt in libro Samuelis, intelligitur Diabolus. Qui Spiritus Domini propter ministerium appellatur, malus autẽ propter vitium. Hæc August. Porrò in scripturis præter Spiritum Dei, Spiritum Christi, Spiritum sanctum, Spiritum hominis, Spiritũ pro flatu seu vento, aut pro Angelo Dei bono, inueniuntur adhuc varia alia genera Spirituum, sed malorum spirituum. Est enim spiritus zelotypiæ, Nu. 5. Est spiritus Dñi nequã, 1. Reg. 16. Est spiritus fornicationis, Oseæ. 4. & 5. Est spiritus mendax, & seductionis, 2. Paral. 15. Est spiritus immundus, Matth. 8. Est spiritus mundi huius, 1. ad Cor. 2. Est deniq; spiritus erroris, 1. ad Tim. 4. D. Et quid propriè in his locutionibus significat vox spiritus? M. Aut Diabolum, qui malitia sua hęc omnia ingerit mẽtibus hominum, aut ipsum impetum, impulsum, seu inspirationem zelotypiæ, erroris, fornicationis, seductionis, vertiginis, &c. Hæc fili propter scripturas, velut digito tibi demonstraui, quò excitem diligentiam tuam ad inquirẽdum reliqua. Nam propter articulum Symboli, ferè nihil opus erat his omnibus. Quia ibi ad vocem Spiritus additur dictio, sanctus, quæ non patitur articulum intelligi de alio, q̃ de spiritu qui bonus est, ac sanctus. D. Etiam spiritus piorũ hominum est bonus ac sanctus. M. Tamen de illo nõ potest intelligi articulus. Ratio est ista. Quia nusquam docemur credere fide Catholica in pium aliquem spiritũ hominis. Quandoquidem omnis talis vt creatura est ita potest & falli & fallere. Est autem phrasis istius symboli, vt quoties apponitur articulo præpositio, In, significet fidem debere se resoluere in id quod articulo exprimitur, tanq̃ Deũ suum. Hinc in primo articulo dicitur, Credo in Deum Patrem. In. 2. Et in Iesum Christum. Denique verò in hoc articulo, Credo in Spiritum sanctum, velut personas maiestatis diuinæ, quarum quælibet est principium, & finis, puppis, & prora salutis nostræ. Quoniam vt pater est Deus, ita filius est Deus. Ita Spiritus sanctus est Deus. Non quidem alius à patre & filio Deus, sed vnus Deus cum patre & filio. Quia eadem prorsus secundum numerum diuinitate Deus qua illi.

Regula D. Aug.

De varijs spiritibus malis.

Quare nõ potest intelligi articulus de Spiritu sancto hominis vel Angeli.

De scripturis, & Ecclesiæ decretis quibus demonstramus Spiritum sanctum reuera Deũ esse. CAP. II.



AVdiui non vsque adeò dudum, olim fuisse quosdam, qui contenderent Spiritum sanctũm non esse Deum, sed meram creaturam. M. Vt omnis, ita & ista veritas Catholica, quę est de diuinitate Spiritus sancti, passa est multam impugnationem. Olim temporibus Liberij Papæ. & Constantij imperatoris: quidam pneumatomaci asseruerunt Spiritum sanctum nõ esse Deum, sed diuinæ operationis ministrũ. Sic dicti à πνεῦμα quod Græcis significat Spiritum & μάχομαι quod Latinè interpretamur pugno. Quoniam pugnabant aduersus Spiritum sanctum. Cœpit autem error iste sub Arrio: creuit verò per Eunomium quendam, leprosum quidem, sed artis Dialecticæ callentissimum. D. At, quibus argumentis demonstrabimus veritatem aduersus istos, aliosque qui exurgere possent? M. Dicam. Ego cùm ostendero cuiquã conuenire quidquid homini proprium est, ac naturale, nónne tunc demonstro illum hominem esse? D. Prorsus. Siquidem hoc est demonstrare rẽ, proprietates eius, ac naturalia ob oculos ponere. M. Et veteris & noui testamenti scripturæ luce clariùs testantur, conuenire Spiritui sancto ea quæ propria sunt diuinitati: vt, Esse vbique, Psal. 125. Replere & continere omnia. Sap. 1. Nosse & scrutari omnia 1. ad Corint. 2. Largiri omnia, Iac. 1. Omnia viuificare, Ioan. 6. Spiritus est, inquit, qui viuificat omnia. Operari in omnibus prout vult, 1. ad Corinth. 12. Hæc indubiè Deo sunt propria: attamen omnia hæc Spiritui sancto tribuit scriptura sancta: Sequitur ergo necessariò, Spiritum sanctum Deum esse. An in naturam hominis generare potest, qui non est homo? D. Minimè, Non enim potest de se seminare naturam hominis, qui illam non habet in se. M. Ergo nec Spiritus sanctus posset regenerare in nouam creaturam quæ secundum Deum est, & vitam possidet æternitatis sicut Deus, nisi ipse Deus esset. Nunc autem certum habemus testimonio Dei, quòd sicue pater regenerat: & filius regenerat: ita & Spiritus sanctus regenerat. Euntes, inquit Saluator, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nõ in no-

D.

Quomodo demõstramus Spiritum sanctum Deũ esse.

Prima demõstratio

Secunda demõstratio.

Matt. vlt.

in nominibus, sed in nomine trium. Quia vna est potestas omnium trium personarum quæ operatur in baptismo. Iterum: nónne fides, sapientia, gratia sanctum, & cetera quæ enumerat Apost. 1. Corint. 12. sunt dona optima, non ab homine, neque per hominem, sed à Patre luminum, à quo, secundum Iacobum, est omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens? Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Sequitur ergo quòd Spiritus sanctus: vnus atque idem est Deus cum Patre luminum. Iterū: si Deus est qui abluit, sanctificat, iustificat corda hominum. Ergo & Spiritus sanctus non potest non esse Deus. Quoniam Apost. sic habet: Et hæc quidem fuistis, videlicet, fornicarij, idololatræ, adulteri, raptores & c. sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Quinto docet Christus: grauius esse peccatum blasphemiæ quod committitur in Spiritum sanctum, quàm quod committitur in filium hominis Christum, qui tamen Deus est, dicens: Quicunq; dixerit verbũ contra filiũ hominis: remittetur ei, qui auté dixerit cõtra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Igitur Spiritus sanctus plus est quàm creatura. Sexto, Optimum hominis, intimum hominis, & viuacissimũ ipsius est spiritus eius, hoc an eget probatione? D. Nulla, quia spiritus hominis est forma ipsius, forma autem est quæ dat esse rei. M. At spiritus Angeli vt ita dicam, est ipsemet Angelus. Angelus enim quo nobilior est creatura quã homo, eo forma eius est indistinctior ab ipso. Itaque Spiritus sanctus, qui & Spiritus Dei appellatur in scripturis, est optimũm, intimum, & viuacissimum Dei, Non vtique per modum formæ, aut cõpositionis, qualis in Deo nulla cogitari potest. (Nihil enim in Deo, quod non sit prorsus indiscretum à natura eius) sed per modũ identitatis: qua idem est cum Deo Patre & Deo filio. Quapropter Spiritus Dei: est & ipse Deus, vna natura, vnum esse, vna quoque essentia cum Deo: eò quòd Deus sit simplicissima natura, infinitis modis longiùs recedens ab omni mistura quàm Angelus. Dicit autem Apost. Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt, nemo nouit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritũ qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis 1. Cor. 2. Denique templa, non nisi Deo cõstituuntur: adeò quòd nec Barbaræ quidem nationes fana constituant nisi ijs quos Deos esse credunt. Dicit autem Apostolus. An nescitis, quoniam membra vestra, templum est Spiritus sancti qui est in vobis, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Igitur Spiritus sanctus Deus est, cui sacra sunt corda nostra, velut templum ipsius. Multa similia poteris tu fili deducere ex scripturis, si diligens lector existas: tantũmodo viam quandam demonstro obseruandi similia. D. Verùm an vsquam in scripturis vocetur Spiritus sanctus expressa appellatione Deus? M. Expressissima, actorum 5. cap. dicente Petro ad Ananiam: Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Ecce: expressa voce appellat Spiritum sanctum Deum: dicens Ananiam mentitum esse Deo, quia mentitus erat Spiritui sancto. Sic Apostolus dicit Spiritum sanctum Dominum esse, inquiens: Dominus Spiritus est. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos verò omnes, reuelata facie gloriã Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Quod tractans Basilius Magnus, Ecce, inquit, testimoniũ Apostoli, Spiritus & Dominus est, & Domini Spiritus, à quo transformamur à claritate veteris testamenti, in claritatem noui testamenti, tanquam à Deo, ac Domino omnium. Vtiq; ergo Spiritus sanctus est Deus. Similiter Saluator noster Ioan. 4. dicit expressè: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Quod tractans D. Ambrosius, ostendit dictum esse de Spiritu sancto. Quæ omnia ad viuum examinans Ecclesia, constituit in Symbolo Missæ expressè canendum esse: Et in Spiritum sanctum, scilicet credo, Dominum, & viuificantem, qui ex patre, filioque procedit. Qui cum patre & filio simul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Quandoquidem oportet credere de Spiritu sancto: Primò, quòd sit Dominus absolutè, ideoque Dominus omnium. Secũdò, quòd sit viuificans, etiam sine addito, ergo viuificator omnium. Tertiò: quòd sit Deus adorandus & conglorificandus, cum Deo Patre, & cum Deo filio. Quartò, quòd Spiritus sanctus procedit à patre simul & filio. Non à patre tantum, neque à solo filio: sed à patre & filio. Quintò, quòd ipse Spiritus sanctus locutus est per ora Prophetarum & Apostolorum scripturas sanctas vtriusque testamenti. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiri-

Marginalia: Tertia demõstratio. — Iaco. 1. — 1. Cor. 12. — Quarta demonstratio. — 1. Cor. 6. — Quinta demonstratio. — Math. 12. — Sexta demonstratio. — Septima demõstratio. — 1. Cor. 6. — Octaua demonstratio. — 2. Cor 3. — Ioan. 4. — Symbolũ Missæ. — Quæ oporteat credere de Spiritu sancto.

Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, 2. Petri 1. Quod dictum Petri, ut magnificat beneficentiam Dei erga nos, ita infallibilem tribuit scripturæ sacræ auctoritatem. Porrò, ne putes nos infideliter ex scripturis deducere: Spiritum sanctum reuera Deum esse, Audi precor diffinitionem Ecclesiæ. Concilium Constantinopolitanum 150. Episcoporum, sub Theodosio maiore, & Damaso Papa, damnata hæresi Macedoniana, talem protulit fidē. Credimus in vnum Deū, patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, &c. Sequitur, Credimus in Spiritum sanctum dominum, & viuificantē, ex patre procedentem, cum patre & filio adorandum, & glorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Eandem docuit fidem Ephesinum Concilium. Eandem amplectitur Concilium Chalcedonense. Eandem recipit Concilium Lateranense sub Innocentio Papa huius nominis tertio celebratum. Cuius diffinitio habetur in libro Epistolarum Decretalium, titulo de summa Trinitate & fide Catholica.

Demonstrantur prædicta ex cōcilijs.

Conciliū Constātinopolitanum.

Conciliū Ephesinū.

Conciliū Lateranense.

De modo quo Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, manens nihilominus vnus Deus cum illis. CAP. III.

D. Num miror, nempè Spiritum sanctum, & procedere à Patre & Filio, & vnum esse cum illis, sicut dictum est. Quoniam si procedit ab illis, non est vnum, aut vnus Deus cum eis. M. Quia procedit Spiritus sanctus à Patre & Filio, ideo alius est à Patre, & Filio. Siquidem alia persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Verùm quia non procedit à Patre & Filio, vt creatura à creatore, aut factura ab opifice, sed vt Deus de Deo: procedens quidem ab illis, non tamen recedens, aut discedens à natura eorundem, ideo manet vnum, vnusque Deus cum vtroque. Sicut fluuius qui procedit a fonte, sic procedit vt fluuius maneat, alius quidem à fonte, & nomine, & proprietate, sed non aliud quia prorsus eadem est aqua fluuij & fontis: In isto scaturiens, in illo procedens ab isto. Rursum: quia procedit Spiritus sanctus à Patre non per viam generationis, quomodo filius est à Patre: sed per modum processus, quomodo fluuius à fonte, ideo etiam alius est à Filio. Nam Filius est à Patre nascendo, Spiritus autem sanctus est à patre procedendo: alius quoque ab vtroque, quia illi de se producunt, iste ab illis procedit. Quod paucis, & luculenter exprimit Athanasius dicens: Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre & Filio est, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedēs. Pater generās & producēs, Filius genitus & producēs, Spiritus sanctus procedens ab vtroq;. Nihil tamē ibi pri⁹ aut posteri⁹, nihil maius, aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Cuius quidem identitatis & æqualitatis non est alia ratio, q̄ quòd omnium trium vna est eademque diuinitas, vna eademque essentia. Non alia in Patre, alia in Filio, alia in Spiritu sancto: sed prorsus & omni modo eadem in tribus. Quapropter æqualis gloria omnium trium, coæterna maiestas omnium trium, eadem potestas & indiuisa operatio omnium trium. Præterea autem hoc tibi diligenter est obseruandum, quòd duplex est processio Spiritus sancti, æterna videlicet, quam meritò dixerim ineffabilem, qua æternaliter, & sine tempore procedit à Patre, & Filio, & temporalis qua tempore accepto mittitur à Patre & Filio, ad sanctificandam creaturam. Et sicut ab æterno communiter ac simul procedit à Patre & Filio: ita & in tempore gratiæ communiter, ac simul ab vtroque mittitur, proceditque ad creaturam. Non vtique diuisim à Patre in Filium, & à Filio ad creaturam, sed ab vtroque simul: Prout apertè docet D. Augustinus libro 15. de Trinitate. D. Verum an hæc consonent Scripturis, illisque demōstrari possent? M. Possunt, quantum satis fuit vniuersis Patribus, qui tamen curiosissimi fuerunt scrutatores eloquiorum Dei. Etenim Spiritum sanctum procedere à Patre, Spiritum sanctum esse à Patre, Spiritum sanctum accipere de eo quod Filij est, Spiritum sanctum esse vtriusque Spiritum, & ab vtroque mitti, sic quòd Filius mittit eum à Patre, & Pater mittit eum in nomine Filij, & ille non loquatur sue annuntiet, nisi quæ audierit acceperitq; à Filio & à Patre, omnia ista sub his proprijs suis vocabulis inuenies in scripturis. Porrò Spiritum sanctū vel gigni à Patre, vel fieri, aut creari à Patre & Filio, nusquam inuenies, ne voculam quidē eiusmodi sermonis. Ioan. 15. habes hoc pacto: Cùm venerit Paracletus, quē ego mittā vobis à Patre meo, Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Obserua verba, sed & signa verborum mysteria. Dicit expressè: Qui, scilicet, Paracletus à Patre procedit: Non processit, non, procedet tunc primùm quando ego mittam eum, sed procedit etiam nunc ante missionem, quia æternaliter, sine initio, sine fine, sine temporum vicissitudine, sine sui mutatione. Secundò dicit: Cùm venerit: Et, Quem ego mittam, scilicet

Spiritus sanctus à Patre & Filio.

Simile.

Athanasi⁹

Duplex processio Spiritus sancti.

Demonstratur ex scripturis vtraque processio Spiritus sancti.

scilicet tempore oportuno ad sanctificandum corda vestra. Igitur præter ineffabilem illam processionem qua procedit à Patre & Filio æternaliter, procedit etiam ac mittitur temporaliter, ad sanctificandum corda pœnitentium. Tertiò dicitur. Quem ego mittam à Patre meo. Alibi: Quem mittet Pater meus in nomine meo. Igitur mittitur Spiritus sanctus temporaliter, & à Patre, & à Filio. Nec mittit Pater primò ad Filium, deinde Filius ad nos, sed mittit Filius à Patre, & mittit Pater in nomine Filij. Præterea habes Ioan. 16. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Hic rursum obserua: Primò quod dicitur: De meo accipiet indubiè, & quod est, & quod annuntiabit vobis. Et accipiet de meo sicut accipit à Patre. Ratio est. Quoniam quæcumque habet Pater, mea sunt. Ideo dixi de meo accipiet: Non quidem furtim, aut raptim, sed me donante, ac producente. Secundò quod dicitur: Non loquetur à semetipso, quoniam quidem non est à semetipso, sed à Patre & Filio. Quæcumque ergo communi consilio benedictæ Trinitatis decreta esse audiet, illa loquetur: accipiens scilicet de meo, hoc est de eo quod habet Pater, & meum est per generationem: annuntiabitque illud vobis. Quod postremum addit Christus, vt demonstret doctrinam Apostolorum futuram tam venerabilem, tamque fide dignam, quàm suam. Habes insuper ad Galat. 4. Quoniam estis Filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater. Et ad Roman. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. In istis duobus locis dicitur Spiritus sanctus esse Spiritus Christi. Sicut alibi dicitur esse Spiritus Patris. Et hæc omnia tam manifesta locutione, vt nemini esse dubium debeat, quin Spiritus sanctus sit à Patre & à Filio, ab vtroque procedat æternaliter, ab vtroque etiam mittatur temporaliter. Ne verò existimes hanc veritatem ex prædictis scripturis nostro sensu assertam, qui falli potest, Audi precor Ecclesiæ diffinitionem in legitimis Concilijs factã. In Concilio Ephesino, quæ est tertia Ecclesiæ Synodus appellata, epistola ex communi consensu patrum illius Concilij missa ad Nestorium sic habet circa finem: Spiritus sanctus est appellatus spiritus veritatis, & veritas Christus est: Vnde & ab isto similiter, sicut à Patre procedit. Concilium verò Lateranense, celebratum sub Innocentio 3. sic habet: Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus æternus, immensus, & incommutabilis, omnipotens, & incomprehensibilis, & ineffabilis. Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab vtroque, absque initio semper, ac sine fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, coomnipotentes, & coæterni. Hæc Concilij determinatio habetur in volumine Epistolarum decretalium, Titulo de summa Trinitate, & fide Catholica. Concilium quoque Lugdunens. sub Gregorio nono celebratum sic habet. Fideli & deuota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit. Et damnantur ibidem omnes qui ausi fuerint asserere Spiritum sanctum non procedere à Patre, & Filio, aut procedere ab eis, sed tamen tanquam à duobus principijs. Est quidem verùm quòd Græci semper pertinaciter restiterunt huic veritati, negantes Spiritũ sanctũ procedere à Filio, verum hanc ob causam damnati sunt ab vniuersa Ecclesia Latina, & manent schismatici in hunc vsque diẽ. Fili si altiùs indagare placet de Spiritu sancto, lege precor, præter Doctores Scholasticos, libros Augustini de Trinitate, duos libros Didymi Alexandrini de Spiritu sancto, librũ Basilij Magni aduersus Eunomium, tres denique libros D. Ambrosij de Spiritu sancto.

D. Malo ego credere Patribus & Ecclesiæ, quàm meo sensui scrutari inscrutabilia Dei. Cęterùm cur Spiritus Dei Patris, & Christi peculiari appellatione dicitur sanctus?

M. Quia solus sanctus, & sic sanctus, vt non posset non esse sanctus. Siquidem sanctitas est natura ipsius. Aliorum spirituum quidam nihil habent sanctitatis, vt spiritus erroris, seductionis, vertiginis, immundus, nequam. Quidam sunt sancti, sed per gratiam & misericordiam, nequaquam per naturam. Accidens ipsis est quòd sunt tales: Quibusdam quidem merum accidens quod potest abesse, vt pijs animabus peregrinantibus adhuc à Deo, quibusdam verò accidens versum in proprietatem, quæ vltra non potest abesse, vt Angelis, & animabus glorificatis. Quapropter etsi multi sint spiritus, qui dicuntur sancti,

Ioan. 14.

Conciliũ Ephesinũ.

Concilium Lateranense.

Conciliũ Lugdunense.

Error Græcorum.

Cur Spiritus Dei vocetur Spiritus sanctus.

sancti, tamen vnus est spiritus solus sanctus. Matth.19. Sicut testimonio Christi vnus est bonus, Deus: licet omnia quæcumque fecit Deus bona sint, & pij homines peculiariter boni existant per virtutem. Quoniam omnia bona, quòd sunt bona, hoc à Deo habent gratuita illius communicatione: mala verò quòd sunt mala, à semetipsis. Iuxta illud Oseæ 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Sicut solus color visibilis, solus odor olfactu perceptibilis attamen paries & homo, ceteraque corpora videntur: sed per accidens, non nisi beneficio coloris ac luminis. Quam ob caussam per se loquendo, non hæc quidem visibilia, sed solus color visibilis. Eodem modo per se loquendo, non homo, aut Angelus sanctus, sed solus Spiritus Dei sanctus. D. Quid igitur propriè vox sanctus significat? M. Integrum, purum, inuiolabile, firmum, augustum, segregatum ab eo quod commune est, omnique obseruatione dignum. Prout latiùs explicabimus in Oratione Dominica. Puritas puritatum est Spiritus sanctus, segregatissimus ab omni eo quod vel mutabile est, vel corruptibile, velut prima omnium nobilitatum nobilitas, summa integritas, summa maiestas, firmamentũ vnicum quo stabiliuntur in Deo quæcũque Dei capacia sunt. Iuxta illud: Verbo Dñi cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorũ: Iterũ: Redde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me. D. Hæc autem omnia videntur tam conuenire Deo Patri & Deo Filio, quàm Spiritui sancto. Cur igitur Spiritus præ illis dicitur sanctus? M. Sedenti super throno acclamant Cherubin tertio, sanctus, sanctus, sanctus, Isa. 6. similiter Apocal. 4. Quatuor illa animalia, quibus designantur quatuor Euangelistæ non habent requiem die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Vt constet testimonio vtriusque testamenti sanctitatem æqualiter propriam esse tribus personis diuinis. Omnes enim similiter sancti, nempe per proprietatem, per essentiam, per æternitatem. Item omnes simul, ac indiuisim sunt totius quæ est, vel esse potest sanctificationis principium, iuxta regulam Boethij lib. de Trinitate. Exceptis, inquit, relationibus oppositis, omnia quæ de vna persona dicuntur, dicuntur etiam de alijs. Nihilominus tamen per oppropriationem quandam Pater omnipotẽs, Filius sapiens, Spiritus verò vtriusque dicitur sanctus. Non quidem quòd Pater plus potest quàm Filius, aut Filius sit sapiens suprà Patrem, vel Spiritus puritatem aliquam

Quid significet vox sanctus.

Psal.32.

Psal.50.

Tres personæ in diuinis æqualiter sanctæ.

Spiritus dicitur Sanctus per appropriationẽ.

possideat, quam nõ alij. Sed quia omnia procedunt à Patre, ideo illi tribuimus omnipotentiam. Omnia restituuntur per Filium ineffabili quadam sapientia, qua in opere restaurationis generis humani iustitia & pax, veritas & misericordia osculatę sunt sese mutuo, secundum Prophetam: ideo illi tribuimus sapientiam. Omnia denique per Spiritum sanctum purgantur, illustrantur & confirmantur in Deo, non vi, sed amoris vinculo, ideo Spiritui attribuit scriptura sanctitatem, bonitatem, amorem. Eam itaque ob caussam Spiritus Dei peculiariter sanctus appellatur, quòd missus sit in mundum sanctificandi gratia animas Christi sanguine redemptas. Nempe sanctas actiuè, id est, sanctificans: quomodo medicina dicitur sana, quia sanitatem introducit. Sortitur autem Spiritus sanctus & multa alia nomina in scripturis sacris. Dicitur enim paracletus quod Latinè redditur, consolator, vel aduocatus. Quoniam consolatur pauidas & afflictas mentes eorum, qui inter spem & metum, velut anheli, extendunt se in futura. Et patrocinatur ijs qui prosequuntur ius suum sibi Christi sanguine quæsitum, tanquam aduocatus eorũ. Dicitur ignis Matth. 3. Luc. 3. Quia excoquit scoriam, & immunditiem veteris vitæ, inflammat insuper, & illuminat. Dicitur aqua mũda, Ezechiel. 36. ea phrasi qua herba dicitur sana, quia mundat & nitidum reddit. Dicitur spiritus principalis, Psal. 50. Cùm enim Deus habeat multos spiritus bonos, malos, humanos, Angelicos, solus Spiritus sanctus incomparabiliter, ineffabiliterque præstat vniuersis. Dicitur virtus ex alto, Luc. vltimo. Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto: qua induti sunt ipso die Pẽtecostes, Act. 2. Dicitur oleum lætitiæ seu exultationis, ad Heb. 1. Psal. 44. Eo quòd oleum sanat, agilemque reddit. Quam ob caussam athletæ solent inungi. Deinde quoque quia rem sua natura obscuram, facit perspicuam, luminisque susceptiuam. Vngit autem Deus oleo Spiritus sancti omnes participes Christi: porrò Christum præ participibus suis. Impossibilè explicatu est, quàm valeant, quam ferueat in certamine virtutum, quamque idonei sint illuminationi supernæ suscipiendæ, quorum mentes pinguefecit semel vnctio Spiritus sancti. Lubet, inquit B. Gregorius, oculos fidei in virtute opificis huius attollere, atque sparsim patres testamenti noui ac veteris considerare. Et apertis oculis fidei, Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor. Et sanctus iste Spiritus qualis sit artifex cõsiderare volo,

Psal.84.

Habet Spiritus sanctus & alia nomina in scriptura.

Ezech.36.

volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharœdum, & Psalmistam facit. Implet pastorem vellicantem sycomoros, & Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem verbi facit. Implet persecutorem & doctorem gentium facit. Implet publicanum, & Euangelistam facit. Et qualis est iste artifex Spiritus? Nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox vt tetigerit mentem, docet, solumq; tetigisse, docuisse est. Abnegat hoc repentè quod erat, & exhibetur repentè quod nō erat. Rectè igitur sortitus est nomina quæ diximꝰ. Denique vocatur spiritus bonus, Luc. 2. & spiritus rectus, Psalm. 50. Quoniam & in se talis est, & quos tetigerit eiusmodi facit. Sufficiūt quidem hæc. Transeamus igitur ad sequentem articulum.

Spiritum sanctum mitti nunc visibiliter, nūc inuisibiliter, tamē citra sui lociq; mutationē. Et quæ sint dona Spiritus sancti. CAP. IIII.

D. Ecdum capio quomodo mittitur aliquò Spiritus sanctus, qui vbiq; est, si est Deus. Iterum: Quomodo inhabitat mentes nostras, quem, si Deus est, cælū & terra capere non possunt? M. Neutra quæstio est propria huic loco, Quia non solum mittitur Spiritus sanctus, sed etiam Filius, Ioan. 6. 8. 20. Neque solum inhabitat corda hominum Spiritus sanctus, sed etiam Pater, & Christus. Equidem veniūt ad eum qui obseruat mandata Dei, & mansionem faciunt apud eum, Ioan. 14. Dicam tamen de hac re aliquid. Mitti non solum est dirigi in locum vbi prius non eras, sed & destinari ad functionem, vel opus quod prius non exercebas. Sic mittebatur Filius, quando æterna Dei patris voluntate, immo communi Trinitatis decreto, factus est homo, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo in medio nostri. Sic mittitur Spiritus sanctus, quando voluntate Patris ac Filij operatur in mentibus nostris per munera bonitatis suæ quæ prius non operabatur in eisdem. Semper quidem est vbique præsens spiritus Dei: at tunc propriè missus est ad nos, quando actu tangit, & immutat, suisque muneribus ditat corda nostra: quia tunc longè aliter præsens, quàm prius. Simili modò illud intellige, Ad eum veniemus scilicet Pater, Paracletus, & ego. Non vtique passibus corporalibus, sed donis æternis. Non eundo de loco ad locum: sed subueniendo, illuminando, implendo, exhibentes nos aliter nunc præsentes ad vtilitatem eius, quàm priùs quod est accedere, siue venire ad aliquem. Et mansionem apud eū faciemus, more amicorū aduentātium, & eligentium manere apud eum, quem diligunt, vt longo tempore fruantur eo quem multum amant. Iuxta illud: Deliciæ meæ esse cum filijs hominū. Multa sunt in scripturis dicta de Spiritu sancto quæ videtur motū locale, vel mutationem aliquam indicare. Vidit Ioannes Spiritum sanctum descendentem, Matthæi 3. Dicit præterea Christus Accipietis virtutem superuenietis Spiritus sancti in vos, Act. 1. Quem mittam à Patre, Ioann. 16. Et id certè de altissimis ad vos, Sapientiæ 1. Effundet Deus super vos de Spiritu suo, Iohel. 2. Act. 2. Denique cecidit super Cornelium Centurionem, & familiam eius, Actuum 10. Iterum: Extinguitur Spiritus Dei per vos, 1. Tessalonicens. 5. Aufertur à nobis, Psalmo. 5. Aufert se, Sapient. 1. Effugit fictum, Sapient. 1. Contristatur insolentia nostra Ephes. 4. At hæc omnia dicta intelligi debent de Spiritu sancto citra sui locique mutationem. Semper idem ipse, non motum, non mutationem, laborémue, aut passionem suscipiens, quia Deus. Sed in eiusmodi aptat se sermo Dei ad captum nostrum, nostris voculis exprimens effectus diuinæ operationis. Dicitur è cælo, & ex altissimis descendere, vt sursum habeamus corda nostra, vnde tam preciosa dona accipimus, quibus consortes efficimur diuinæ naturæ. Dicitur effundi super nos, quia nō dantur dona eius parca manu, sed largissimè, profusissimeque, sicut dum largas facimus eleemosynas, dicimur nostra bona effundere in sinum pauperum. Dicitur habitare in nobis, & in medio nostri, quia ibi (velut perpetuò mansurus) collocat omnem supellectilem gratiarum suarum, animis lucrandis necessariam. Dicitur aufugere, vel auferre se, quando ad se recolligit donorum suorum supellectilem, vt solent facere migraturi. Dicitur contristari, quando per modum contristati non vltra sic propensus est in nos vt prius. Denique dicitur extingui, quia sicut ignis multitudine aquarum, ita donationes eius suffocantur malicijs nostris. Vt video aliquid adhuc expectat cogitatio tua. D. Est verum. Quia lego Spiritum sanctum descendisse sicut columbam. Iterū, venisse super Apostolos in igne: istud quomodo intelligam? Nō enim puto Spiritum sanctum volucrem esse, aut ignem. M. Duobus modis mittitur Filius: duobus etiam modis mittitur Spiritus sanctus, scilicet visibiliter & inuisibiliter. Filius semel duntaxat est missus visibiliter cùm formam serui acciperet, habitu inuentus vt homo,

Quomodo mittitur Filius.

Quomodo mittitur Spiritꝰ sanctus.

Quid sit Deū vel Spiritum sanctū venire ad nos.

Prouer. 8.

homo, Philip. 2. Spiritus autem sanctus missus est sæpius visibiliter, semel in specie columbæ, Matth. 3. bis in specie ignis, Actuum 2. & 10. cadente Spiritu super Cornelium Centurionem, & familiam eius, sicut prius ceciderat super Apostolos, sæpissimè verò mittitur inuisibiliter, vt in Mariam, in Elizabeth, & infantem vteri sui, Luc. 1. in Apostolos, Ioã. 20. quando Christus insufflauit in eos dicens: Accipite Spiritum sanctum. In Simeonem iustum, Luc. 2. in omnes pios, quando ignescit cor illorum igne veræ caritatis in Deum, & proximum. Sic Filius Dei missus est inuisibiliter in vterum virginis Mariæ cùm conciperetur: visibiliter verò in mundum, & ad Iudæos cùm æderetur per partum virgineum. Aliter tamen Christus apparuit, aliter Spiritus sanctus visibilis creaturæ demonstratione. Quia Filius sic apparuit in specie hominis, vt reuera esset homo passibilis similis nobis. Spiritus verò sic apparuit in specie columbæ, aut ignis, vt reuera neutrum esset quod apparuit. D. Tamen vtrobique videtur esse similis forma dicendi. Nam vt Spiritus descendit sicut columba, ita Filius habitu inuentus est vt homo, hoc est similitudine. M. Ad Philippens. 2. dicit Apostolus: quòd Filius formam serui accepit, non vtiq; cuiuslibet serui, (nam & Angeli seruiũt Deo, vt habes ad Hebr. 1.) sed in similitudinẽ hominis factus, & habitu, id est, dispositione & qualitate corporali inuentus est vt homo, quæ veritatem rei, non simulationem significant. Et vt tollatur omnis ambiguitas, dicit Ioãnes absolutè: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Misit enim Deus Filiũ suum reuera factum, hoc est, natum ex muliere, factum sub lege. Natum, dico, officijs maternis, sicut alij homines nascuntur, excepto viri semine, prout declarauimus articulo 3. Verùm loquens scriptura de corporali apparitione Spiritus sancti, vbique vtitur dictione similitudinaria, sicut, tanquam, quasi, seu specie, volens indicare quòd Spiritus sanctus non sit reuera columba, aut ignis, aut lingua, sed quòd sub speciebus harum corporalium rerum apparuit. Non quidem temere, aut citra caussam: sed vt ipsa specie rerum indicaretur quid esset operaturus in hoc mundo. Ideoque primò in specie columbæ, quasi inuecturus mundo simplicitatem, & innocentiam verè columbinam. Deinde in specie ignis, & linguarum: quasi ipse sit ignis ille, quem Christus venerat mittere in terram, faceretque adeò disertas piorum linguas, vt oratione possent vel saxea inflammare pectora. Vide D. Augustinum lib. 2. de Trinitate vbi sic habet: In promptu est intelligere de Spiritu sancto, cur, & quomodo missus est in visibili specie. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore in qua visibiliter ostenderetur, siue cùm in ipsum Dominum corporali specie columbæ descendit, siue cùm de cælo sonus quasi ferretur flatu vehementi, & visæ sunt illis linguæ diuisæ sicut ignis, qui & insedit super vnumquemque eorum, hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est. Non vt appareret eis ipsa substãtia Spiritus, qua & ipse inuisibilis, & incõmutabilis est, sicut Pater & Fili⁹: sed vt exterioribus visis, corda hominũ cõmota, à tẽporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem eius conuerterentur. Hæc ille. At tu vel hinc disce, non esse mirum quòd datur nobis caro & sanguis Christi sub speciebus panis & vini. Nam & Spiritus sanctus datus est sub speciebus corporalis creaturæ columbæ, ignis, linguarum, ita quòd species harum rerum ibi essent, substantiæ verò earundem ibidem non essent: sicut in sacramento Eucharistiæ species panis ac vini est, substantia tum panis ac vini ibi nõ est. Quos autem fructus operetur Spiritus sanctus in homine, exprimit Paulus ad Galat. 5. dicens: Fructus autem Spiritus sancti est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex: immo omnis lex data est in protectionem & fomentum talium. Quæ autem munera spargat per Ecclesiam ad ædificationem eius, exprimit 1. ad Corinth. 12. dicens: Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autẽ Spiritus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem: alij quidem, per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum, alteri fides, in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio Spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Ecce quàm graphicè depingit manifestationes Spiritus sancti quibus nascentem Ecclesiam admirabilem reddidit, quo cresceret vberius: adeò vt distinguat sermonem sapientiæ, & sermonem scientiæ, ab ipsa sapientia & scientia. Quæ denique dona operetur in animis piorum hominum ad saluationem ipsorum, pulcerrimè exprimit Esaias 11. capite Prophetiæ suæ dicens: Et egredietur virga de ra-

Aliter Christus aliter Spiritus sanctus apparuit visibiliter.

Ioan. 1. Galat. 4.

Qui sint fructus Spiritus sancti.

Quæ sint munera Spiritus sancti.

Quæ sint dona Spiritus sancti.

de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Vides expressè hic posita septem dona Spiritus sancti: Donum sapientiæ, donum intellectus, donum consilij, donum fortitudinis, donum scientiæ, donum pietatis, donum timoris Domini. Ne, dum legis pios libellos tractantes de donis Spiritus sancti, suspiceris illos nugas tradere præter scripturam. Intellectu, sapientia, & consilio perficitur mens nostra ad rectè apprehendum diuina, & pertinenter iudicandum de eisdem. Scientia verò quæ à Spiritu sancto est, in hoc cooperatur, vt debitè fiat applicatio principiorum salutis ad ea quæ pertractanda occurrunt. Reliquis verò perficitur affectus. Dono quidem pietatis ad Deum & proximum: dono verò fortitudinis ad seipsum, ne aduersis frangatur, aut prosperis in solens fiat. Denique timor Domini, quem Spiritus infundit, facit vt etiam tunc quum anima incipit in nobis pauere, tædere, & mæsta esse, vel vsque ad mortem, constanter exclamemus cum Christo. Pater non mea voluntas fiat, sed tua. Si non potest transire calix iste, fiat voluntas tua. Malo vitam, & omnia perdere, quàm te Deum meum offendere. Nolo plura addere, quia de donis Spiritus sancti speciali agemus tractatu libro sexto. D. Saltem hoc adde quæ sint propria Deo Patri, quæ Filio, quæ Spiritui sancto? M. Si de verè proprijs interrogas: Non esse ab alio, Patri: esse genitũ, Filio: procedere ab vtroque, Spiritui sancto, reuera proprium est. Si de appropriatis est quæstio, quæ Patri vt est principium rerum, appropriata sunt, habet primus articulus: quæ Filio peculiaria sunt vt est mediator Dei & hominum, docent sex sequentes articuli: quę denique Spiritui tribuenda sunt, quatenus est Spiritus inspirans, & id adeò subtiliter vt nescias vnde veniat aut quo vadat, & Spiritus sanctus, id est sanctificans, ea phrasi qua medicina dicitur sana, habes in quatuor vltimis articulis, hunc immediatè subsequentibus. Ipse enim vnit populum Christi sanguine quæsitum, in vnam Ecclesiam, ad quam vnitatem hortatur Paulus Ephesios dicens. Soliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ipse facit remissionem peccatorum, quia abluit, sanctificat, iustificat prout habes 1. Corinthior. 6. Ipse operatur carnis resurrectionem, Romanor. 8. Ipse viuificat vita æterna, quia regenerat intus, Ioann. 3. Non quidem in carnem motituram vt homo. Sed in spiritum perpetuò victurum tanquam Deus. Quia sicut quod natum est ex carne caro est, ita quod natum est ex spiritu, spiritus est. Et hæc quidem præsupponunt redemptionem, & reconciliationem quæ est in sanguine Christi, de qua in prioribus articulis, quomodo & illa præsupponunt creationem mundi & generis humani, de quibus in primo articulo, vt videas rationem ordinis articulorum symboli. Porrò quomodo fiant hæc posteriora, operatione Spiritus sancti, in subiectis articulis explicabimus.

DE ECCLESIA DEI EIVSQVE PROPRIETATIBVS. TRACTATVS OCTAVVS.

Quid nomine Ecclesiæ significetur, & quibus epithetis, ac metaphoris significetur Ecclesia Dei in scripturis. Cap. I.

De proprietate Ecclesiæ qua dicitur vna. Cap. II.

De secunda proprietate Ecclesiæ Dei qua dicitur Catholica. Cap. III.

Ecclesia qua ratione dicatur sancta, non obstante quod multi sint in ea peccatores. Cap. IIII.

Malos Christianos siue peccatores esse in Ecclesia longè alio inexistendi modo, quàm Iudæos, Gentiles, & excommunicatos in medio eius habitantes. Cap. V.

Quomodo solui debeant argumenta quæ hic obijci solent. Cap. VI.

De quarta proprietate Ecclesiæ Dei qua dicitur Apostolica. Cap. VII.

De quinta proprietate Ecclesiæ qua dicitur in ea esse sanctorum communio. Cap. VIII.

Quæ hoc nostro sæculo haberi, ac credi debeat vera Christi Ecclesia, & primo an talis posset haberi Ecclesia sectariorum. Cap. IX.

Quod Ecclesia Romana cum appendicibus quaquà versum per orbem dispersis, sit ipsa Catholica, & Apostolica Dei Ecclesia. Cap. X.

In qua Ecclesia, aduersantiũmne, an Romana sit permanendũ secũdũ definitiones Patrũ. Cap. XI.

Quid nomine Ecclesiæ significetur, & quibus epithetis ac metaphoris nominetur Ecclesia Dei in scripturis. CAP. I.

Radiderunt Apostoli pro Symbolo rectæ fidei, & hunc articulum. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionẽ. D. Verùm quid hic subintelligã, quia oratio videtur esse imperfecta? M. Verbum credo: attamẽ citra prępositionẽ, In, Traditio Apost. vt M.

cuncta digessit exactissimè in Symbolo, ita et hoc obseruauit ne vsquam poneretur præpositio, in, nisi vbi fides se debet resoluere in id quod articulo exprimitur tanquam Deũ suum. Est quidem Ecclesia Catholica prælecta Christi sponsa, & mater nostra: non tamen Dea aut Saluatrix nostra, sed ipsa egens saluatione, quæ est in sanguine Christi, sicut & nos. Sensus itaque Symboli est, Credo esse Ecclesiam sanctam, & Catholicam, cui addit Symbolum Missæ, etiam tertium epithe ton, videlicet Apostolicã, in qua est sanctorum communio. Fili hìc valde solicitè nobis inquirendum erit quid sit Ecclesia Christi, vbi inuenienda & quibus dignoscenda signis, qui sint in ea, qui longè extra ipsam, quando nata, quomodo continuata, & quæ erit consummatio eius, cur sancta, deinde cur Catholica, tertiò quare Apostolica dicatur: quoniã præcipua cõtrouersia quam hoc nostro sæculo patimur, est circa hũc fidei articulũ. D. Ecclesia vox Græca est ab ἐκκαλεῖν quod est euocare, vnde Ecclesia interpretari potest euocata, concio, conuentus seu cœtus hominũ. M. Valde bene. Quia per Ecclesiam intelligimus populum, legibus siue certo viuendi ritu sociatum, atque in hoc velut persuasione quadam euocatum. Vt cùm dicimus Ecclesiam Christi, intelligimus eos qui sociati sunt in vnum populum verbo Dei, ac Sacramentis fidei Christianæ. Cùm verò dicimus Ecclesiam Sathanæ intelligimus eos qui conueniũt in operibus tenebrarum ad suggestionem Sathanæ: quorum cœtum Scriptura vocat aliquando Ecclesiam malignantium, aut Ecclesiam impiorum. Psalm. 25. Aliquando reprobam Iudæorum synagogam. Populum verò fide ac religione sociatum vocat Ecclesiam Dei, Nu. 20. Timoth. 3. Ecclesiam sanctorum, Psal. 149. Ecclesiam iustorum, Eccle. 3. Ecclesiam Christi, Ecclesiam sanctam, Hierusalem de cælo descendentem Apocal. 5. Ecclesiam simpliciter, & sine addito dictam, Matt. 18. ad Col. 1. Eò quòd ipsa sola habeat statum gloriæ, & coniugium æternitatis cum Deo, omnibus alijs Ecclesijs tandem absorbendis in victoria. Populus quidem Dei postquàm cœpit crescere in rempublicam, quæ legibus, ac symbolis gubernanda erat, tunc primùm cœpit vsitato vocabulo habere appellationem Ecclesiæ Dei sibi conuenientem pro omni ætate, omnique statu suo, vti patet Nu. 24. Deu teron. 23. Iud. 2. Cœpit quoque tunc temporis à re ac qualitate status sui sub lege habere nomen synagogæ, illi statui peculiare, vt patet Num. 16. & per omnem ferè scripturam. Synagoga enim Græca vox à σὺν & ἄγειν Latinè dicitur coadunatio, congregatio, contractio, à συνάγομαι quod est in vnum cogo, eò ꝙ vetus populus quasi agebatur more seruorũ sub pedagogia, & seruitute legis. Ceterùm adueniente Euangelio libertatis, & plenitudine reuelatæ gratiæ, sub qua populus credẽtium verbo Dei seu Euangelio libertatis conuocatur ad spontaneam prosecutionem virtutis, dimissis seruilitate & coactionib. legis, abolita est appellatio synagogæ, & mansit nomen Ecclesia, quod dicitur ab ἐκκαλεῖν, quod est euoco. Valde cõformiter scriptis Apostolicis, quibus familiaris est hæc phrasis, Vocatus Apostolus, Vos in libertatem vocati estis, Vocatis sanctis, vocatis Iudæis, & Gentibus, Vocati in societatem filij Dei, Vocati estis in corpore Christi in vitam æternam, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, Videte vocationem vestram, Vocationis cælestis participes, & id genus infinita. Postquam autem tincti sanguine Christi, inciperent sibi imponere honorificam appellationem Christiani hominis, quæ cœpit Antiochiæ. Act. 11. incepit etiam ab eo tempore Ecclesia Dei, appellari Ecclesia Christiana, à Christo redemptore suo & sponso, qualis appellatio haud dubie est propria, & legitima, primò quia est cõformis scripturis, Act. 11. & 26. 1. Petr. 4. Secũdò quia Christus est sponsus Ecclesiæ, caput eius, & saluator ipsius, ceterùm cognominis appellatio sumpta à spõso, aut capite, aut seruatore, omnino propria est, ac legitima. Habet nihilominus Ecclesia Dei multa alia nomina, sibi per tropum, seu metaphoram apta ta in Scripturis sanctis. Vocatur enim corpus Eph. 1. Coll. 1. Propterea quòd vno spiritu viuifico, vniuersa eius membra connectuntur in vinculo vnius fidei, spei, & caritatis. Vocatur & regnum Dei, ac Christi, Matth. 5. 23. 25. propter leges, politias, Sacramenta, tutelam, protectionem & saluationem, quæ constituit Deus in Ecclesia ad vtilitatem credentium. Vocatur etiam sponsa Christi, propter fidem hinc inde datam sub Sacramento. Nam & Christus velut sponsus Ecclesiæ, fouet eam ac nutrit, suisque meritis fecundam efficit, mũdans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, do nec sibi gloriosam reddat, non habentem maculam, aut rugam, adeoque suæ tandem felicitatis participem in omnibus efficiat. Et vicissim illa velut propria ipsius sponsa adhæret ei, ac subest, ditans eum multa prole, semine fœcunditatis cælitus suscepto. Hine Apostolus: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & Ecclesia, Ephes. 5. cap. Insuper vocatur amica, propter mutuum amorem, Cant. 1. 2. Columba propter

[Margin: Ecclesiæ definitio.]

[Margin: Galat. 5. 1. Cor. 1. Colos. 3. 1. Timo. 6. Rom. 11. Corin. 1. Hebr. 3.]

[Margin: Ecclesia propriè Christiana.]

[Margin: Ecclesia multis nominibus tropicè exprimitur.]

pter simplicitatem, & gemitum ac luctum in hac peregrinatione, Cantic. 1. Turtur propter castitatem, cordisque suspirium ad cælestem patriam. Cantic. 2. Ciuitas qualis est ciuium multitudo, propter vinculum societatis in vnum populum sub vno Rege Christo, vnaque lege Dei. Iterum ciuitas, qualis est vrbs mœnibus ac ædificijs constructa, propter structuram, debito ac eleganti ordine digestam viuis ex lapidibus. Castra siue exercitus propter militiam eorum qui in præcinctu semper debent velut excubias agere, stareque in prælium parati contra animarum hostes. Hortus ab oriendo, propter arbores, herbasque viuas indesinenter nouas in eadem orientes. Vinea, propter rationales palmites, fide adhærentes Christo viti, mira fertilitate proferentes vuas, hoc est, opera iustitiæ. Ad hæc dicitur Ecclesia, mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, Psalm. 67. Primò propter supereminentem scientiam quæ est in Christo Iesu. Secundò propter pinguedinem caritatis, roremque Spiritus sancti. Tertiò propter decorem ac fertilitatem virtutum, & despectum, quo velut sub se despicit limosam vallem rerum caducarum. Porrò in Apocalyp. vocatur mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, quæ velut in vtero habens, clamat parturiens, ac cruciatur vt pariat: propter statum quem habuit sub lege, cupiens sub vmbris cæremoniarum suarum parere veritatem Euangelij per Messiam promissum. Cumque esset partus proxima, habuit in capite coronam duodecim stellarum, id est, ornatum duodecim Apostolorum, qui designabantur in duodecim patriarchis: Lunam verò, id est, mundi huius mutabilitatem sub pedibus suis, hoc est sub illis membris suis viuis, quæ pro infimis & despectissimis reputantur in hoc mundo. Cetera tu apta similiter. Siquidem certum est, omnia huiusmodi esse tropicè dicta. Denique vt finiam, vocatur Ecclesia, ciuitas sancta, Ierusalem noua, descendens de cælo, parata à Deo sicut sponsa ornata viro suo, Apocal. vigesimo primo. Idque propter statum gloriæ, quo descendet tempore iudicij, cum spōso suo Christo hærens lateri eius, velut sponsa ipsius tota pulcra, non habens tunc neque maculam, neque rugam. Habes præterea in Scripturis multa alia nomina quibus per metaphoram exprimitur Ecclesia sancta, sed prætereo illa. Hoc tantùm tibi est obseruandum, quòd sicut Ecclesia Dei, sub diuersis exprimitur metaphoris in Biblijs, sic & eius membra in eisdem Scripturis nuncupantur varijs nominibus translatè acceptis.

Apoc. 12.

Ad hæc, sicut quædam res transferuntur ad significandam & figurandam Ecclesiam, ita res aliæ transferuntur ad figurandum & significandum Ecclesiæ partes, & membra, aut officia, aut ornamenta, tempora, ætates, & incrementa. Siquidem Ecclesia cùm assimilatur corpori, sua habet membra, suum caput, suos capillos, suam faciem, genas, oculos, aures, labia, dentes, guttur, linguam, ventrem, nominibus eiusmodi translatè acceptis, sicuti patet ex libro Canticorum. In quo Christus vt sponsus, & dilectus loquitur ad Ecclesiam suam tanquam ad sponsam, atque dilectam, pulcram, quæ habeat genas, oculos, dentes, labia, nasum, quibus significantur diuersa eiusdem Ecclesiæ membra, secundum diuersa gratiarum dona, propter aliquam similitudinem sic appellata. Eadem Ecclesia dum appellatur ciuitas, aut domus Dei, suum legitur habere fundamētum, suos lapides, suas turres & propugnacula, suos parietes, sua tigna, suum cubile regium, suam vinariam cellam, suum lectulum: quibus nominibus translatè acceptis significantur Ecclesia eiusque membra, ornamenta, officiaque, vti patet ex eodem libro Canticorum & Psalm. 16. & prophetis. Vnde Isa. 54. ad Ecclesiam dicitur: Paupercula ciuitas, & tempestate conuulsa absque vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos: qualium verū nominibus significantur lapides in Ecclesia viui, hoc est, Ecclesiæ membra diuersis gratiarum donis prædita, de quibus dicitur & illud: Vrbs beata Ierusalem dicta pacis visio, constructa viuis ex lapidibus. Eadem Ecclesia dum dicitur esse exercitus seu castrorum acies, suum legitur habere equitatum, suos currus, suas quadrigas, suos Duces & Principes, sua tabernacula, sua tentoria, suaque bella & prælia, suum apparatum bellicum, enses, gladios, scuta. Vnde in Cantic. de Ecclesia dicitur: Terribilis vt castrorum acies ordinata. Et Esaiæ quinquagesimo quarto. Sic dicitur: Dilata locum tentorij tui, tabernaculorum tuorum pelles extende, longos fac funiculos tuos. Eadem Ecclesia cum intimatur esse hortus, seu mons pinguis, mons coagulatus, suas legitur habere arbores, suaque diuersi generis germina, sua pascua, suos fontes aquarum, suos fructus, suasque aromatum species, vti est videre in Canticis & Psalmis ac Prophetis. Eadem Ecclesia cùm dici-

dicitur esse vinea, habet suam vitem, suasque radices, suos palmites & propagines, suam sepem, & maceriam, suam turrim, & torcular, Esa. 5. Vt autem secundum diuersas huiusmodi metaphoras, Ecclesiae eiusque membra nuncupantur, ita etiam diuersis nominibus translatè acceptis variè appellatur & ipse Christus eiusdem Ecclesiae Dominus. Quandoquidē cùm Ecclesia dicitur sponsa, aut virgo, ipse Christus congrua ratione appellatur sponsus aut vir eius. Cùm verò eadem Ecclesia dicitur corpus, ipse appellatur eiusdem corporis caput: cùm dicitur ędificatio, seu domus, aut ciuitas, ipse appellatur eiusdem domus fundamentum, aut angularis lapis: cùm autem dicitur exercitus, vocatur & ipse correspondenter Rex, Dominus, Princeps: cùm dicitur vinea, ipse vitis appellatur. Et quoniam huiusmodi locutionum translatè significantium in scripturis immensa est silua, de quibus dicere per singula foret prolixius, quàm conuenit huic instituto nostro, ideo te remitto ad eximium illud & incomparabile decus Louaniensium Magistrum nostrum Turnhout, qui exactè tradidit regulas cognoscendi metaphoras scripturarum libro suo de regu. & dogma. scripturae sacrae. Id autem pro hoc tempore certissimum habe ex scripturis suprà allegatis, ab initio mundi semper fuisse duas Ecclesias, alteram Dei ac sanctorum, alteram Sathanae, & malignantium. Illam vocat D. Augustinus ciuitatem Dei, istam ciuitatem Diaboli, scribens de duabus istis ciuitatibus grāde volumen intitulatum, De ciuitate Dei. D. Si stetit vtraque istarum Ecclesiarum ab initio. Videtur ergo vtraque à Deo esse condita. M. Nullo modo. Quia à bono Deo nō potest nisi bonum esse, iuxta illud: Et vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona Genes. 1. Naturam hominis creauit Deus bonam ad imaginem suam, addens ei adiutorium simile sibi eum benedictione multiplicandae prolis, vt esset sibi Ecclesia sancta. Porrò sicut inuidia Diaboli mors, quam non fecerat Deus, intrauit in orbem, ita & suggestionibus Diaboli, hominisque voluntate liberè consentientis in opus interdictum à Domino, facta est malitia deuiantium à Deo, qui sunt Ecclesia Sathanae, creuitque ista cum illa Deo sic permittente, & vtraque simul vsq; in consummationem saeculi permanebit. Nā tunc demum mittet filius hominis Angelos suos, & congregabit de medio iustorum, hoc est, de Ecclesia sancta, omnia zizania omniaque scandala, hoc est, Ecclesiam malignantiū, illamq; mittet in stagnum ardentis ignis, & sulfuris, pro meritis eorum. Ad Ecclesiam autem sanctorū decet: Veni sponsa mea, veni columba mea, veni coronaberis, intra in gaudium Domini tui, benedicti patris mei venite, possidete nunc regnum vobis pręparatum à constitutione mundi

Ab initio fuerūt Ecclesia sancta & Ecclesia malignantiū.

A Deo nō est condita nisi Ecclesia sancta.

Ecclesia malignantium semper permista erit cū Ecclesia sancta vsque ad cōsummationē seculi. Matth. 13.

Apoc. 21.

Matth. 25.

De proprietate Ecclesiae qua dicitur vna.
CAP. II.



M. De proprietatibus Ecclesiae sanctae.

[S]T autem liquidò constet quae Dei, quae Sathanae sit Ecclesia, symbolis fidei docemur has proprietates cō uenire Ecclesię Dei. Videlicet quod sit vna, sancta, Catholica, Apostolica, quodque in ea sit sanctorum communio. Quarum proprietatum vnaquaeque habet suas, easque magnas difficultates hoc nostro saeculo mirum in modum controuersas. Nunc igitur dicamus de prima eius proprietate, videlicet, quòd sit vna. D. De hac proprietate nihil habet symbolum fidei. M. Immo habet euidenter, non quidem sub expressa hac voce vna, sed in numero vocum quibus vtitur articulus. Dicens enim sanctam Ecclesiam Catholicam, numero singulari, manifestè insinuat credendum esse, quòd sit vna sancta Ecclesia, &c. quodque nō sint plures Ecclesiae sanctae. Ceterùm nunc studiosè est inquirendum qua ratione, quoue modo Ecclesia Dei dici atque intelligi posset vna, quae ab initio vsque modò multoties varijs statibus, alijs ac alijs caeremonijs, nouisque populis adeo est immutata, vt posterior vix speciem aut imaginem illam retinuerit prioris. In primis autem tu dicito, quid vnum? D. Principium numeri vnitas, diciturque vnum quod sic est idem sibi vt sui pluralitatem non recipiat, vt vnus Sol vnus Deus, et secundum Ouidium: Vnus erat toto naturae vultus in orbe. Accipitur nihilo minus aliquando vox, vnus, pro solo, idque ferè cum genitiuo, sic Plinius libro 9. Acipenser, vnus omnium squamis ad os versis, contra aquam natando meat. Ponitur etiam pro eodem, vt apud Plautum: Vno exemplo viuunt omnes. Nonnūquam & pro praecipuo. M. Nec hoc indignum scitu est, quod D. Hieronymus annotauit, scribens ad Damasum, videlicet: quòd vnus est numeri, cùm dicimus vnus homo, vnus equus, vbi autem alius vel tertius non potest adiungi vnus: si dicatur, non numeri, sed vniuersitatis est nomen, vt si dicamus vnum solem, hic vnus sic dicitur vt alius ac tertius, addi non possit: vnus enim est sol. Multò magis Deus cùm vnus dicitur, non numeri, sed vniuersitatis vocabulo nuncupatur, id est, qui propterea vnus dicitur, quòd alius non sit. D. Bene quidem Hiero-

Ecclesia sancta.

ronymus ac alij quos allegaui. Verùm Eccleſia Dei qua ſignificatione dicatur vna, non ſatis intelligo. M. Dicitur Eccleſia vna ea ratione quia eadem eſt & indiuiſa à ſe. Quæ enim incæpit Eccleſia in Abel, eadem in hæc vſque tempora manet, manebitque in æternum: nunquam deſijt, nunquam tranſijt in aliam Eccleſiam, deſerens ſuam, licet ceteræ Eccleſiæ à Deo alienæ ſæpius tranſierint in ipſam, Gentibus (quæ faciebant Eccleſiam Sathanæ) tranſeuntibus ad Chriſtum. Siquidem credentium vniuerſitas, quæ fuit ante legem, aut ſub lege, tam erat Eccleſia Dei, quàm ea quæ nunc militat ſub Euangelio Chriſti, vel glorioſa triumphat cum eo in cælis: Eſtque illa prorſus vna eademque cum iſta, ſicut iſta, vna eſt ac eadem cum ea quæ regnat in cælis.

Argumentum contra vnitaté Eccleſiæ.

D. Nunc alia eſt forma colendi, alia ſunt Sacramenta, alia denique ratio fidei quàm erat olim tempore legis. Nam qui nunc crederet Chriſtum venturum in carnem, quod illi crediderunt hæreſeos immo apoſtaſiæ argueretur. Ad hæc nunc alius populus, aliud quoque caput iſtius populi quàm olim. Nam Iudæorũ caput & legiſlator erat Moyſes: Chriſtianorum verò caput & legiſlator eſt Chriſtus. Quomodo ergo Chriſtianorum Eccleſia eſt vna ac eadem cum Eccleſia Iudæorum, cùm inter eas nulla ſpectetur identitas, neque ſecundum formam neque ſecundum materiam? M. Adde, quòd etiam tempore legis, alij erant ritus Eccleſiæ, aliæ leges, aliaque Sacramenta, quàm ante legem: quodque ſanctorum ſtatus in cælo prorſus diſtinctus eſt, ab ea forma quam nunc retinemus in Eccleſia militante. Illi poſſident quod noſtra Sacramenta figurant: illi contemplantur, quod nos credimus, futurumque ſperamus. Hic militia & pœnitentia, ibi triumphus & gloria. Hic ſtandi cadendique viciſſitudo, ibi æternitatis ſecuritas. D. At in hac tanta diuerſitate, qua ratione poſſibile eſt, vt Eccleſia Chriſtiana ſit vna ac eadem, aut cum illis Eccleſijs quæ præceſſerunt Chriſtum, aut cũ ea quæ nunc triumphat in cælis cum Chriſto?

Solutio à ſimili.

M. Dicito mihi. Tu aliquando infantulus, deinde puer, nunc tandem vir, aliter ne eras diſpoſitus tempore infantiæ, aliter in pueritia aliter nunc in virili ætate? D. Longe aliter. Nam infans lacte, & faſcijs opus habebam, nec cibum ferre poteram: puer verò ſub pædagogia regebar magiſtri, quaſi nihil differens à ſeruo, cùm eſſem filius, & heres patris mei: at nunc demum donatus libertate meo arbitrio viuo. M. Et ſub hac diuerſitate ætatum, & incrementorum, nunquid ſemper fuiſti Ioachimus? & idem ille Ioachimus qui natus es Antuuerpiæ à progenitoribus tuis. D. Omnino: alioquin non eſſem nunc filius & heres patris mei. M. Eodem modo, à temporibus Adę primi parentis vſque in hæc tempora, vna prorſus & eadem fuit Eccleſia ſancta, habens ſecũdum ſucceſſionis ſeriem ſuas ætates, ſua incrementa, ſuum cibum, ſuam noctem, ſuum diem, ſuam ſtatuum diuerſitaté, ſuam conſummationem. Ante legem infantula erat, diuiniſque inſpirationibus velut lacte parentis alebatur. Sub lege velut paruula paulatim accreſcens, ſub pædagogia legis & Prophetarum agebatur. Verùm adueniente Euágelio táquam adulta, libertate Chriſtiana donata eſt, habens nunc vbera vtriuſque Teſtamenti, quibus lactet quos Deo regenerat. Iuxta illud Canticorum: Paruula eſt ſoror noſtra, nondum habet vbera, ſcilicet ante Euágelium, quæ habuit ſuccreſcente Euangelio, quibus lacte cæleſtis doctrinæ plenis, cœpit adeò fecunda eſſe, vt mundum impleuerit prole, impletura denique & cælum. Sicut igitur tu non es alius à te propter diuerſas ætatum tuarum qualitates aut incrementa membrorum, ac virium: nec propterea alia arbor quòd in ea noui prodeunt rami, veteribus reſectis: nec idcirco alia eſt vitis, quòd in ea noui ſuccreſcunt palmites, aridis ſuccisis: neque alia ideo ciuitas Louanienſis, quòd in ea nullus ſit nunc eorum ciuium qui vixerant ante centum annos: ſic non poteſt dici nũc alia Eccleſia, eam ob cauſſam, quòd nunc alius ſit ſtatus eius, lex alia, aliaque Sacramenta, quam olim ante Chriſtum, vel eã ob cauſſam, quòd nunc nemo viuat in ea Patriarcharum, & Prophetarum, ſuccreſcentibus in locum illorum Apoſtolis, Iuxta illud: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes terræ,

Cantic. 8.

Vnitas Eccleſiæ nõ eſt conſiderãda ſecundum locum.

Non ſecũdum tempus.

Fili non eſt conſideranda vnitas ſeu identitas Eccleſiæ ſecundum locum: quia in omni loco qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Et illud: An Iudæorum Deus tãtùm? nónne & Gentium? Non etiam ſecundum tempus. Quoniam vt homo vnus, ita & Eccleſia vna, varios habet ætatum ſtatus, ſecundum acceſſionem temporum.

Primus ſtatus Eccleſiæ.

Primus Eccleſiæ ſtatus erat vſque ad tempus Abrahæ, cuius ſtatus qualitatem demonſtrat nobis prima pars Geneſis vſque ad caput duodecimum.

Secundus ſtatus.

Secundus ſtatus Eccleſię fuit ab Abraham vſque ad Moyſen educentem filios Iſrael de Aegypto, quem ſtatum depingit reliqua pars libri Geneſ.

Tertius ſtatus.

Tertius ſtatus Eccleſiæ fuit in eremo, & in terra promiſſionis ſub Moyſe, & Ioſue, alijſque Iudicibus, vſque ad Saulem primum Regem Iudæorum. Quem ſtatum demonſtrãt nobis Exodus, & Leuiticus, ac Numeros

merorum, Deuteronomion, Iosue, & Iudicum libri.

Quartus status.

Quartus status Ecclesiæ fuit sub regibus, vsque ad regni Hebræi diuisionem. Et exprimitur nobis in libris Reg. vsque ad duodecimum caput 3. Reg.

Quintus status.

Quintus Ecclesiæ status fuit, sub regni Hebræi diuisione in duo regna: Regnum scilicet Iuda, continens duas tribus, Iudæ & Beniamin: & in regnum Israël, vel Samariæ, quod erat reliquarum decem tribuum. Iste status describitur in tertio & 4. libris Reg. & in secundo Paralipomenon.

Sextus status.

Sextus status Ecclesiæ fuit sub reditu filiorum Israël ex captiuitate Babylonica, sub ducibus & Pontificibus, qui describitur in libris Esdræ, Neemiæ, Hester, Iudith, & Machabæorum.

Septimus status.

Septimus Ecclesiæ status, fuit sub regibus alienigenis, ablato sceptro de Iuda, appropinquante Messiæ aduentu, in quem pendebant omnium Prophetarum vota, qui & sub hoc statu natus fuit, iuxta prophetiam Iacob: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentiu.

Octauus status.

Octauus Ecclesiæ status incœpit post ascensionem Domini, quando ipse eandem Ecclesiam, in terra Iudæorum adhuc modicam induit fortitudine ex alto, faciens eam ex paucis Iudæis crescere in omnem partem mundi vsque ad vltimum terræ, Iuxta illud Actuum primo: Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Vocatur autem in scripturis tempus istius octaui status Ecclesiæ, plenitudo temporum, tempus gratiæ, tempus regenerationis, nouissimum tempus, post quod non erit aliud tempus, Apocalyp. 10. Nouissima hora, 1. Ioan. 2. Dies, comparatione legis quæ quasi nox erat, Iuxta illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, &c. Roman. 13.

Vnitas Ecclesiæ nõ attenditur secũdum formam disciplinæ externæ.

Postremò non est consideranda vnitas Ecclesiæ secundum formam disciplinæ externæ, quoniam pro varijs ætatibus suis habuit Ecclesia varias leges, & formas viuendi, alia item & alia Symbola, siue Sacramenta fidei. Nam ante legem nullum legimus corporale Sacramentum speciatim constitutum, quo distingueretur visibiliter Ecclesia Dei ab Ecclesia Sathanæ, nisi tandem tempore Abrahæ signaculum circuncisionis. Sub lege autem erant Symbola multa, sed prorsus aliena significatione ab his quæ habet Euangelium. Sed & Euangelium tradit de Baptismo, de confirmatione, de sacerdotali absolutione, de extrema vnctione, quorum nulla est institutio in veteri Lege. D. Itaque ex quo tandem consideranda erit vnitas Ecclesiæ? M. Ex vnitate successionis continuatæ ab exordio mundi vsque in hæc tempora. Item ex vnitate fidei & gubernatione eiusdem Spiritus sancti sub vno Deo, vnoque mediatore Dei ac hominum.

Ex quibus debeat cõsiderari vnitas Ecclesiæ.

Nunquam fuit interrupta dicta successio: sed perpetuò procedens secundum seriem decedentium, & succrescentium in fide vnius Dei cæli, & terræ, & spe eiusdem redemptionis per mediatorem dandum à Deo. Quoniam populus credentium licet fuerit in continuo quasi fluxu, alijs morientibus, alijs supernascentibus: nunquam tamen sic defecit, vt vniuersus populus præcedentis Ecclesiæ fuisset vel extinctus, vel prorsus à Deo derelictus, priusquàm inciperet nouus succedentis Ecclesiæ populus: sed mansit semper pars aliqua prioris status Ecclesiæ, accrescens iterum in succedentem Ecclesiam. Prout tempore diluuij ex priori Ecclesia, mansit familia Noë, continuans priorem Ecclesiam cum ea quæ fuit post diluuium. Vti patet Genes. 6. Et iterum Ecclesia illa continuata est cum ea quæ fuit sub lege, per posteritatem Abrahæ, Isaac, Iacob, duodecim Patriarchas, & filios eorum, quos Moyses eduxit de Aegypto, vti testatur Exodus, & libri sequentes. Expressè autem Psalmista dicens: Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti Gentes & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram. Extendit palmites suos vsque ad mare, sed vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam, Psalm. 79. Atque illa denique quæ fuit sub lege, continuata est in eam quæ nunc militat sub Euangelio Christi, per eos quos Christus ex Iudæis collegit Apostolos, ac discipulos, quorum prædicatione cœpit Ecclesia crescere, & diffundi in omnem partem mundi. Iuxta illud Zachariæ Prophetæ: Ponam Hierosalem in omnibus Gentibus. Et illud: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam. Et erit in loco vbi dicitur eis, non pleps mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui: prout eleganter probat Apostolus ad Romanos nono, & decimo. Itaque non est deserta aut abiecta tota synagoga Iudæorum, sed tantùm pars illa carnalis populi, & contradicentes verbo Dei, conseruatis duodecim Apostolis, Lucæ sexto & 72. discipulis. Lucæ decimo, centum quoque & viginti, Actuum primo, quingentis insuper fratribus, 1. Corin. 15. tribus denique milibus, qui crediderunt ad vnam prædicationem B. Petri, Actuum 2.

Psalm. 79.

cum

cum infinitis alijs, qui velut semen spiritualis synagogæ insertus sibi gentibus, per verbum Apostolorum creuerunt in Ecclesiam Christianam, quæ nunc est: prout egregiè explicat Apostolus ad Romanos vndecimo, docens Deum non repulisse plebem suam Israel quam præsciuit, sed & Gentilem populum velut excisum de oleastro inseruisse plebi ex Iudæis credenti, tanquam oliuæ bonæ, & ita factum esse socium pinguedinis & radicis eius: confirmans per hæc & explicans illud Saluatoris, Matthæi vigesimo primo, vbi dicit: Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis. Non, inquit, vineam aliam plantabit: sed suam, inquit, scilicet olim plantatam in synagoga Iudæorum: locabit alijs, hoc est Gentibus. Non enim fecit sibi Christus aliam vineam, quæ aliam habeat radicē, aut alium vitæ spiritum, sed ipsam quæ prius erat auxit, perfecit, & in melius commutauit, malis agricolis, id est, Iudæorum, Scribis & Pontificibus perditis, eamque locauit alijs, hoc est Episcopis, virisque Apostolicis Ecclesiæ, non ergo desijt, aut extincta est Ecclesia quæ sub lege erat, sed transijt per semen iustorum in meliorem statum, Christo adaugente populos Gentium in ipsam. Vnde & Iudæa, vt inquit Chrysostomus, secundum Deum mater est Gentium, Sic enim dicit ad eam Deus per Esaiam Prophetam: Tunc vocaberis ciuitas iustitiæ, & mater ciuitatum, id est, Ecclesiarum ex Gentibus. Ad quas Paulus Apostolus loquens, in hac materia, sic habet, Ephesior. secundo. Propter quod memores estote quod aliquando vos eratis Gentes in carne qui dicebamini præputium, ab ea, quæ dicitur circuncisio in carne manufacta, quòd eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo: nunc autem in Christo Iesu, vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vno nouo homine, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis; & pacem ijs qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu apud Patrem. Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in tabernaculum Dei, in Spiritu sancto. Hucusque Apostolus. Itaque sicut ætatum accessus, qualitatis item & operationum variatio, nō facit Ioachimum iam virum, alium esse hominem à se adolescente, aut puero: Sic omnis illa varietas iam dicta, non facit Ecclesiam nostram esse aliam ab Ecclesijs præcedentibus, sed alteram, siue aliter dispositam. Quoniam quod substantiale est Ecclesiæ Dei manet pro omni tempore, omnibusque ætatibus eius. Semper enim fuit vnum ac idem fundamentum Ecclesiæ, vnum caput, idemque lapis angularis. Habes istud ad Ephesios 1. & 2. capite. Primo quidem capite sic dicit: Dedit ipsum, scilicet; Christum, caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius & plenitudo eius. Non super hanc aut illam Ecclesiam, sed super omnem Ecclesiam Dei, ab initio vsque ad consummationem seculi. Secundò verò capite asserit Christum esse fundamentum, tam Prophetarum quàm Apostolorum, & lapidem angularem iungentem vtrunque populum in vnam Ecclesiam. Præterea semper fuit vna eademque fides, licet doctrina fidei pro ætatibus Ecclesiæ nunc simplicior nunc esset explicatior altiorque. Nam sapientiam loquimur inter perfectos. Paruulis verò lac potum damus, non solidum cibum. 1. Corinth. tertio. Semper idem spiritus dirigens Ecclesiam ab initio, illuminansque varie tamen pro temporum ac statuum qualitate. Semper spes eadem redemptionis per passionem eiusdem Saluatoris: Quod pulcrè demonstrant verba Petri dicentis: Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum, de qua salute exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret eis Spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & futuras glorias, quibus reuelatum est quòd non sibijpsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui euangelizauerūt vobis Spiritu sancto misso de cęlo, in quem desiderant Angeli prospicere. Vides eundem Spiritum sanctum illuminasse tam Prophetas quàm Apostolos, loquens per ora vtrorumque de eisdem passionibus redemptoris agni, & glorijs subsecutis. Quapropter & idem agnus legitur occisus ab origine mundi. Item eadem semper fuit vita spiritualis omnium statuum Ecclesiæ, operante illam intus in cordibus iustorum, vna ca-

Ipsū principale quo cōstitit & vna est Ecclesia nunquam fuit mutatum.

1. Petri 1.

S demque

demque virtute Dei: tunc in meritis præuisis venturi, nunc in sanguine exhibiti mediatoris. Denique omnes ritus omniaque Sacramenta quamlibet diuersa, quæ fuerunt vel sub lege, vel ante legem, vel post legem, prorsus eodem tendebant: Nempe vt credentes se continerent simul, velut populum vnũ sub vno ac vero Deo cæli & terræ, ad finem salutis consequendæ, per eum quem Deus tunc daturus erat, nunc autem dedit saluatorem omnium. His si iungas perpetuam populi credentis successionem ab initio vsque nunc, citra defectum & intermissionem, facile perspicies, in quo consistat vnitas Ecclesiæ Dei.

D. Perspicio quidem vtcunque, scrupulis vno, & altero exceptis. Quoniam needum plenè intelligo, qua ratione potuerit fieri fundamentum ac caput præcedentium Ecclesiarũ Christus, priusquàm factus esset homo. Nam ipse caput Ecclesiæ est secundum quod homo, non secundum quòd Deus. Prętera quomodo nostra, & veteris legis fides, posset vna dici ac eadem: cùm quod nobis prorsus impium est, illis pium erat ac necessarium credere: Nempe Christum venturum in carnem? M. Quoad posteriorem scrupulum, hoc scito, quòd doctrina quidem fidei quæ fuit olim de venturo saluatore, vtcunque alia est ab ea, quæ nunc habetur de redemptione per eundem Saluatorem iam interposita. Eam ob caussam quoniam alijs propositionibus oportet exprimere, docere, prædicare, quod futurum est; alijs quod est exhibitum. Nihilominus tamen semper vnum fuit, & idem quod creditur. Videlicet vnum esse Deum qui est super omnia, inspector ac remunerator omnium, à quo omnia, per quem, & in quo omnia, & hunc reconciliare sibi mundum perditum, per interpositum mediatorem in sanguine redẽptionis ipsius. Aliter quidem exprimitur venturum esse Imperatorem Carolum V. ad defensionem huius suæ prouinciæ, aliter quòd iam venit, suosque debellatis hostibus defendit, tamen eiusmodi enunciationibus idem credit, idemque tribuit Carolo anhela mens subditorum. Habitus itaque siue assensus mentis captiuantis se in obsequium Dei per mediatorem quem ille designauit, semper vnus idemque fuit, & ante legem, & post legem. Nam quòd ille mediator tunc futurus erat, nunc autem est exhibitus, sunt accidentia quædam quæ non mutant substantiam rei. Sicut circumcidi olim quidem necessarium erat. Nunc autem omnino est impium: quoniam hæc, & eiusmodi accidunt fidei, mutanturque secundum beneplacitum Dei, prout, & quãdo ipse vult. Certum igitur habe quòd sicut alijs typis, & signis, siue Sacramentis demonstratur populo quod futurum est, alijs applicatur quod iam in vtilitatem eius exhibitum & donatum existit: ita alia est doctrina fidei de rédemptione interponenda, alia de eadem redemptione iam interposita. Quantum verò ad priorem scrupulum tuum, tibi persuasissimum habe, quòd Christus licet natus sit ex virgine Maria, factus homo de visceribus matris suæ, nunquam tamen esse incœpit, sed fuit semper, & ante sæcula, iuxta verbum suum: Amen amẽ dico vobis, priusquàm Abraham fieret, ego sum. Ego, inquam, filius Mariæ qui loquor vobiscum, sum antequam Abraham natus, etiam priusquam mundus esset factus. Quoniam semper vnum ac idem suppositum fuit, & ante, & post incarnationem idẽ Filius Dei, idemque verbum Patris, portans & tempore legis, & ante legem vniuersam domum credentium, totumque pondus domus Israëliticæ. Portans, dico, per spiritum fidei haud secus atque lapis fundamenti sustinet omnem structurã ædificij, tam tunc temporis quam modò, infundẽs insuper in vniuersum corpus credentium, Spiritum sanctificationis, vitaliumque operationum, diuidentem singulis membris prout ipse vult, & capit mẽbri qualitas: Non aliter quam caput corporis tui, aut mei, inserit in corpus nostrũ Spiritus vitales, quibus membra, & viuificantur, & diriguntur vnumquodque in suo officio; iuxta hermoniam seruãdã in vno corpore. Nihil tamẽ hic oportet cogitare de situ corporali partium, aut ordine positionis visibilis. Quia omnis ista constructio, membrorumque Ecclesiæ compago, fundamentique positio, metaphoricè intelliguntur, fiuntque mystico spiramine secundũ fidem in credentiũ cordibus, & per Sacramenta in hoc instituta, quomodo etiam nunc temporis fiunt, sublato iam corpore Saluatoris nostri in cælum. Verùm, oportet hic sumere cogitationem secundũ phrasim tam inter eruditos quàm populares vsitatissimam, qua dicimus: Carolus V. est caput imperij: Henricus primus est caput regni Franciæ: Episcopus, caput diœcesis suę: Decanus capituli sui. D. Quorsum igitur dicimus: Christus, vt homo, & ratione humanæ naturæ suę est caput Ecclesiæ? M. Quoniam labores, intercessiones, passiones, et omnia merita mysteriaque, virtute quorum & instituit velut caput, & sustinet tanquam fundamentũ, peregit in carne assumpta. Quod præuidens Pater ab æterno dedit illum esse caput super omnẽ Ecclesiã: Esse prætereà fundamentũ tã Prophetarũ quàm Apostolorũ. De quo Apostolus:

Quomodo Christus sit caput super omnem Ecclesiam

Quare Christus dicitur caput ratione humanæ naturę suæ.

Funda-

Fundamentum (inquit) aliud nemo potest ponere, quàm quod positum est (scilicet ab initio in doctrina Prophetarum & Apostolorũ) quod est Christus Iesus: Esse denique lapidem angularem iungentem vtrunque populum, Gentium, & Iudęorum in vnam domum structuræ sanctæ. Iuxta verbum Christi: Nunquã legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico vobis auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti faciẽti fructum eius. Non dico vobis faciam nouũ regnum Dei, quasi regnum Dei priùs non fuerit: sed idem illud quod fuit inter vos reprobantes lapidem, auferetur à vobis quidem contradicentibus, non tamen ab omnibus Iudæis, & dabitur genti, id est, populo adunato per prędictum lapidem, ex vocatis, atque spõtaneis tam Israëlitis, quàm Gentilibus. Proinde hoc ipsum cœpit fieri quando Apostol. dicebant ad Iudæos: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Nos Israëlitæ de semine Israëlitico conuertimur ad gentes, vt illos copulemus nobis in societatem Filij Dei sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium vt sis in salutem omni populo vsque ad extremum terræ, Act. 13. Itaque non dubites fili, quin fuerit semper ab origine mundi Ecclesia Dei habens vnum idemque fundamentum, vnum caput, eandem fidem, sub vno Deo, vnoque mediatore Christo Domino, in perpetua quadam & inseparabili vnitate continuatæ successionis. Nunc quidem maior, nunc minor, nunc læta fecunditatis successibus, nunc mærens ac patiens, ferè ad discrimen vsque, ab imbribus, ac vndis persecutionum, more humi nascentium, dum sentiunt hiemis incommoda: At nunquam interijt neque vnquam intermissa est successio eius, vt ex superioribus constat. Itaque pergamus modo ad alias Ecclesiæ Dei proprietates. D. Domine, si rectè memini quidam probatus auctor habet, Ecclesiã incœpisse ab Ierusalem, & illinc creuisse in omnes gentes: at Ierusalem non fuit ab initio, nõ potuit igitur Ecclesia stetisse ab initio mundi. M. D. Augustinus contra epistolam Petiliani demonstrat scripturæ testimonijs Ecclesiam Christi incœpisse ab Ierusalem, ciuitate terrena, dicente Domino: Et vos eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Verùm Augustinus nequaquam intẽdit per hoc docere, quòd Ecclesia Dei aut Christi tunc primum incœperit, quando cœperunt Apostoli testimonium reddere Iesu Christo in Ierusalem, &c. Sed quod tunc cœpit Ecclesia secundum eum statum, eamque doctrinam fidei, ac Symbola quæ habet sub Euangelio Christi, siue sub nouo Testamento. Ex quibus voluit D. Augustinus demonstrare, quòd tempore nouæ legis nulla collectio hominũ potest sibi vsurpare nomen Ecclesiæ Christi, nisi genealogiam suam per legitimam successionem extendere posset in eam vsque Ecclesiam, quæ incœpit ab Ierusalem. Nam collectio hæreticorum, quæ fingit sibi noua Sacramenta, nouum Sacerdotium, aut nouam doctrinam fidei, qualis non conspirat cum matrice Ecclesia, quæ in Ierusalem nata est sub Apostolis, iudicari debet adulterina & apostatica Ecclesia, connumeranda inter aduersarias, & malignãtes ecclesias. Hæc & eiusmodi voluit in loco prææallegato docere Augustinus: quoniam ab Ierusalem, vbi & Christus passus, & Spiritus sanctus est datus, incœpit testificatio Iesu Christi, hoc est, prædicatio Euangelij, cum ea simul innouatione, siue eo nouo statu doctrinæ, Sacramentorum ac cæremoniarum, quem adsert secum Euangeliũ Christi. Qui sanè status Ecclesiæ quoniam inuectus est mundo per Filium Dei, post quem non est expectandus alius mediator, vel saluator, aut aliud Euangelium, dicente Paulo: Sed licet nos, vel Angelus de cælo euangelizauerit præter id quod euangelizatum est, anathema sit. Ea propter nõ erit finis illius status Ecclesiæ, quem Christus introduxit ante cõsummationem sæculi, vt ipse testatur Matth. 24. dicens: Prædicabitur Euangelium regni vniuerso orbi in testimonium omnibus Gentibus. Tunc consummatio. Non antè consummatio. Non etiam ante consummationẽ immutatio Euangelij, aut regni Christi. Quoniam ipse regnabit in domo Iacob in æternũ & regni eius non erit finis, Luc. 1.

Matth. 21. Psal. 117.

Quomodo intelligendum quòd Ecclesia incœperit à Ierusalem

De secunda proprietate Ecclesiæ Dei qua dicitur Catholica. CAP. III.



D. Emonstrata vnitate Ecclesię, congruo nunc ordine demonstranda eritalia eius proprietas, qua Catholica dicitur. D. Catholicos Gręcè, Latinè dicitur circa totum, vel vniuersalis quasi versans circa omnia, κατὰ τὸ καθόλου, hoc est, secundum totum siue in vniuersum. M. Et hac ipsa ratione maiores nostri teste Aug. vocauerunt Ecclesiam Catholicam, eò quòd extendat palmites suos in omnia tẽpora, omnia loca, omnemque nationem hominum, M.

Lib. de vnitate Ecclesiæ cõtra Petilianum.

quò ſic ex ipſo nomine palàm facerent Eccleſiam Dei non eſſe affixam vlli regioni, vlli gēti, vlli familiæ, vlli temporum ætati, ſed in omni tempore, ac loco cuiuſcunque ſis familiæ vel nationis, ſi ſecūdum regulam fidei credas in Deum, & Chriſtum eius, membrum efficeris Eccleſię per ſpiritum ipſius. Non enim eſt

Galat. 3. Roma. 2. Act. 10. Marc. vlt.

diſtinctio Iudæi & Græci. Non eſt perſonarū acceptio apud Deum: Sed in omni gente, & loco qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: quiq; timet Deum acceptus eſt illi. Hinc Saluator: Ite in mundum vniuerſum & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Obſerua quod dicit, omni creaturæ: quaſi diceret: Non conſideretis nobilisne ſit an ignobilis: diues an pauper: huius an illius nationis, modò rationalem creaturam Dei eſſe cognoueritis, prædicate illi Euangelium: quòd ſi crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Vnde in

Act. 1.

receſſu ſuo ad cælū: vos, inquit, Apoſtoli mei, vos eritis mihi teſtes, non ſolùm in Ieruſalē, & omni Iudæa, & Samaria, ſed vſque ad vltimum terræ. Meritò igitur valde vniuerſalis, ſiue Catholica eſt Eccleſia Dei, à qua nullum excluditur, neque tempus, neque regnum, neque populus, neque ratio, neque ſexus, neque vlla conditio hominum: Adeò vt Ioannes in ſua Apocalypſi audeat dicere. Poſt hæc (ſcilicet numerata centum quadraginta milia ſignatorum ex omnibus tribubus Iſraël) poſt hæc, inquit, vidi turbam magnam ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni amicti ſtolis albis. Quæ Apocalypſis etſi de Eccleſia triumphante facta videatur: tamen quoniam nemo tranſplantatur in illam Eccleſiam triumphantem, niſi prius fuerit membrum Eccleſiæ hic militantis: ideo certum eſt ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis quoſdam recipi in Eccleſiam hic agentem ſub vexillo Chriſti, eaque propter rectè Catholicam dici. D. Ceterùm an Eccleſia ita fuerit Catholica ab initio? M.

Eccleſia aliter nunc Catholica quam tempore legis

Non omnino ita. Quia olim notus in Iudæa tantùm Deus. Natio noſtra Gentilium tum

Oſeæ 2. 1. Petr. 2. Eſa. 25. Rom. 9. 1. Petr. 2.

temporis vocabatur non plebs mea vos, non dilecta, non miſericordiā conſecuta. Oportebat enim primùm poni in Sion lapidem illū ſummum angularem, probatum, electum, pretioſum, qui eſt Chriſtus, & eundem lapidē reprobari à crucifigentibus Iudæis. Deinde fieri in caput anguli omnibus credentibus in eum, coniungendo vtrumque parietem, Gentium ſcilicet, & Iudæorum in vnam domum Dei, quo facto, tum demum tranſijt ad Gentes promiſſio hæc: In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes, vt ruina Iudæorum ſalus fieret Gentium. Sicuti proſequitur Apoſtolus ad Romanos 11. Et cœpit tādem Eccleſia meritò ſibi velut ſuum epitheton vſurpare hanc vocem, Catholica. D. Ergo tempore legis, non erat Eccleſia Catholica? M. Erat quidem & tunc Catholica, ſed hac duntaxat ratione: quòd oſtium eius etiam tum temporis patebat vniuerſis, qui vellent per fidem tranſferre ſe ad legitima religionis cælitus inſtitutæ per Moyſen, prout habes Exod. 12. dicente Domino: Quòd ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circuncidetur priùs omne maſculinum eius, & tūc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ. Quod licet nonnulli Gentium fecerunt, tamen non leguntur id feciſſe regna, prouinciæ aut populi. At nunc etiam hac ratione dicitur Catholica, quòd per prædicationem Apoſtolorum aliorumq; ſanctorum, actu ſe extenderit in omnem ferè angulum mūdi, omnemque nationem hominum. Iuxta illud: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Item illud: Omnes Gentes venient & adorabunt corā te Domine, hoc eſt, Chriſtiani fient. A ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini, Chriſti, ſcilicet, qui cōſtitutus eſt Dominus viuorum, & mortuorum. Quam quidem prophetiam contendit Apoſtolus ſuo tempore cœptam impleri, inquiēs. Sed dico nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Iterum: Fides, inquit, veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. Et ad Col. Si tamen perſeueratis in fide fundati ſtabiles, & immobiles à ſpe Euangelij quod prædicatum eſt vniuerſæ creaturæ quæ ſub cælo eſt. Hinc Ambroſius tractās decimum caput epiſtolæ ad Rom. perſuaſum habet per ipſos Apoſtolos & temporibus eorum fuiſſe annunciatum Euangelium Chriſti in vniuerſo mundo. Tamen Origenes & Aug. opinantur, etiam ſuis temporibus extitiſſe nonnullas nationes quæ nondum audierant Euangelium Chriſti: Nihilominus B. Hieronymus Auguſtini contemporaneus, pro ſuo ſæculo ſic loquitur: Signum Dominici aduentus eſt Euāgelium in toto orbe prædicatum, quod aut iam completum, aut breui complendum eſſe credimus. Non enim puto aliquam remanſiſſe gentem, ſcilicet nunc cognitam, populoque ac regnis celebrem, quæ ignoret Chriſti nomen. Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex varijs nationibus, opinionem fidei non potuit ignorare. Hæc ille: Verùm, parum facit ad rem, ſiue

An tempore legis fuerit Eccleſia Catholica.

Pſalm. 18.

An temporibus Apoſtolorum fuerit Euāgeliū prædicatum per totum mundum.

Rom. 1.

Sententia Ambroſij.

Sententia Auguſt. & Origen.

Sententia Hierony.

siue temporibus diui Hieronymi, fuerint impletæ scripturæ, loquentes de Euangelio annuntiando in vniuerso mundo, siue non. Satis est credere consummationem sæculi non ad futuram, nisi prius annuntiato Euangelio in omnibus nationibus quæ sub cælo sunt. Quoniam verbum Domini sic prophetans, stabit inæternum. Insulæ recens inuentæ per Imperatorem Carolum Quintum, & Regem Lusitaniæ omnibus retro temporibus incognitæ, nunc primùm receperunt fidem cum Euangelio, Domino cooperante, & sermonem prædicantium confirmante sequentibus signis & miraculis, vti à fide dignis Episcopis Hispaniæ audiui. Quam ob caussam planè confido nos, nunc viuentes, necdum venisse in finem sæculorum. D. Quantum, obsecro, nunc patet per orbem habitabilem Ecclesia Catholica? M. Vix tres vlnas longum, comparatione eius vastitatis quam possidet Ecclesia Sathanæ. Diuidunt Cosmographi orbem habitabilem à sæculis cognitum in tres plagas, Asiam, Africam, & Europam. Quarum pars longè minima est Europa: & ea sola nunc paret Euangelio Christi, nec tamen tota. Quoniam non modicam eius portionem iam fortiter occupauit Mahumetica perfidia, nempe Grætiam, Dalmatiam, Bulgariam, Vngariam, &c. Quod autè reliquum mansit Christo, sic turbant, sicque diuidunt contra se hæreticorum pestes, vt etiam illi metuenda sit extrema desolatio, iuxta illud Saluatoris: Omne regnum in se diuisum desolabitur, & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se non stabit, Matthæi 12. Luc. 11. D. Horrendum dolendumque narras, & qui fieri potuit istud, vt veritas falsitati, & Christus adeo cederet Sathanæ? M. Iusto Dei iudicio, quia scilicet peccauimus cum patribus nostris, & iniquitatem fecimus, ideo imminuti sumus atque in direptionem traditi, & opprobrium. Sed ad propositum. Neque nunc, neque vnquam antea ideo dicta est Ecclesia, Catholica, quòd in gremio suo colligat vniuersos homines, quales quales sunt. Certum enim est ex scripturis, multos foris esse, & prorsus extra Ecclesiam, dicente Apostolo: Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Nonne de ijs qui intus sunt vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit. Et Saluator: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Iterum: Si scandalizat tè manus tua, aut pes tuus, aut oculus tuus, erue, abscinde, projice abste, Matth. 18. loquens ad Ecclesiam. Multi itaque foris sunt qui nunquam intrarunt Ecclesiam Catholicam. Multi recepti intus in Ecclesia, qui tamen auctoritate Christi rursum projiciuntur foras. Sed & alij sua sponte prosiliut foras extra Ecclesiam, sicut Capharnaitæ, Ioann. sexto, dicentes: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire. Et ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iā non cum illo ambulabant, non potentes sustinere verbum de carne Domini manducando, & sanguine eius bibendo. Ex quibus luce clarius consequitur: Primò Ecclesiam Catholicam non esse in spiritu tantùm, aut occultam, aut inuisibilem, seu mathematicam, vt fingit hæreticus: sed digito demonstrabilem. Quoniā si iudicant Apostolis, & præpositi Corint. de ijs qui intus sunt, non de ijs qui foris sunt, ergo in foro iudicij, palam & iudicialiter constare potest qui intus sunt, qui foris. Item si contumacia fratris aliquando est denuntianda Ecclesiæ, ergo denuntiator debet habere perspectum quæ sit Ecclesia, & vbi inuenienda. Sed de hoc infra dicemus. Secundò consequitur ex eisdē, esse symbola quædam certo cognoscibilia, & humano iudicio nota, quibus recipiuntur ad gremium Ecclesiæ qui foris erant: item quibus dignoscuntur perseuerantes intus in Ecclesia ab ijs qui vel prosiliunt vel projiciuntur foras. Habent cuncti militares sua symbola, hoc est, constituta indicia, quibus receptus miles cognoscitur vt proprius, non receptus deprehenditur vt hostis, aut certè alienus. Eodem modo Ecclesia agens in castris aduersus mundum, carnem, & Diabolum, coniuratos hostes suos, ideoque militans dicta, habet constituta sibi à Christo symbola, quibus probè dignoscat suos à non suis, domesticos ab extraneis. D. Et quæ sunt ista symbola? M. Fides, & fidei Sacramentum. Nam sic dicit Marc. vltimo. Christus: Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Fides ergo & Baptismus sunt symbola ingressus in Ecclesiam. Non quidem sola fides, quia dicit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, quasi diceret: Credidisse non est satis, sed symbolum Baptismi oportet adesse. Iterum baptismum suscepisse non satis, quoniam qui non crediderit, condemnabitur. De adultis loquimur hoc loco, sicut & Christus. Sicut olim non saluabantur ab aquis diluuij, nisi qui fide salutis obtinendæ intrabant in ventriculum arcæ fabricatæ per Noë: ita & nunc nō saluantur nisi qui fide per Baptismum ingrediuntur ad gremiū Ecclesiæ, pro qua Christus mortuus est. De qua salute loquitur Petrus dicens: Quod & vos nūc similis formæ saluos facit Baptisma. Non quòd similis formæ sit Baptisma cum arca, sed

Marc. vlt.

Ecclesia Sathanæ multò longius sese extendit quàm ecclesia Christi.

Non omnis homo est intus in ecclesia.

1. Cor. 5.

Math. 18.

Ecclesia Dei non est occulta aut inuisibilis.

1. Petr. 3.

ca,sed quòd salus per baptisma similis est formæ eum ea salute que erat per arcam. Nā sicut tunc à diluuio seruabantur per arcam euectam vi aquarum: ita nunc saluamur à pelago malorū mundi huius per lauacrum fontis. Vtq; generatione membra efficimur humanæ naturæ: ita regeneratione membra efficimur Ecclesiæ Catholicæ. Et sicut nemo agnoscitur, tractaturq; vt homo, nisi natus de muliere: ita nemo cognoscitur aut habetur vt particeps Christi, & sanctorum in Ecclesia, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, dicente Saluatore: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei, quod est Ecclesia. D.

Quòd baptismus sit symbolum, hoc est indicium quo sensibiliter incorporamur Ecclesiæ, facilè est intellectu. Verùm fidē esse symbolum, cùm possit manere occulta in corde, nullo se prodens signo, needum intelligo. M. Fides hominis nullo se prodens signo, omnino non facit membrum Ecclesiæ: ideoque debes diligenter perspicere de quo credere, & de qua salute sint intelligenda verba hæc Christi: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Primò, certum est istud non posse intelligi de quacunque fide: quia non de fide quæ est in apprehensione tantum intellectus. Nam sic Dæmones credunt, non tamen membra efficiuntur Ecclesiæ, neque participes fiunt salutis: siquidem illa mortua est, secundum Iacobum, & nihil prodest, secūdū Paulum. Sed intelligitur de fide quæ ad cor transit, orisq; confessionem. Nam vti demōstrat Apostol. ex libris Prophetarum, corde creditur ad iustitiā, ore autē fit confessio ad salutem. Quia si confitearis in ore tuo Dominum esse Iesum, & corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum nō confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omniū, diues in omnes qui inuocant eum. Omnis enim qui inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Quam demōstrationē, vtinam vniuersi qui disputant de fide, tam examinassent quàm ponderauit eam Apost. nūquam suscitassent Ecclesiæ tot perditionis pugnas circa vim & operationē fidei: quoniā non nisi corde creditur ad iustitiam. Fides itaque si in apprehensione tātùm consistat, impotens est, non valens neque iustitiam neque salutem inducere. Si verò de apprehensione transeat ad cor, iam iustum facit, quia quod cordi est, quodque corde agimus, id demum verè, & ex animo agimus.

Quæ fides facit membrum Ecclesiæ.

Iacob. 2.

Roma. 10

Ioann. 3.
Actor. 2.

Quod autem solo intellectu, vel imaginatione pertractamus, hoc non raro vel aliud agētes facimus. Denique si de corde transeat ad confessionem, vt quod corde credideris ore confitearis, tum demum propria plenaque est salus, vt coram Deo, ita & coram sponsa eius Ecclesia. Vides fili quàm eleganter simul ac subtiliter distinguit scriptura inter credere quocunque modo, & credere corde, credere que ore ad confessionem: Item inter iustitiā & salutem. Nam rectificatio ab operibus impijs vocatur iustificatio siue iustitia. Verùm tùm demum salus, quando iustificatus eo cō stituitur loco, vbi liberè Deo tuto viuere possit, habens secum vitę defensionumque suarū necessaria. Non enim mox saluus qui numerato pretio redimitur ab hostibus, sed qui per redemptionem eductus est de medio hostium ad suos, & in regno suo suaque ciuitate cōnstitutus, vbi liberè & sibi viuere, & suis vtilitatibus studere, & nouis hostium insultibus, si non suo solius, saltem aliorum totiusque regni beneficio resistere potest, is demum vere est saluus. Talis autem salus animarum, non nisi in Ecclesia reperitur, quæ velut corpus vnum, ciuitas vna, regnum vnum, habet communiter & ad sufficientiam omnia vitæ spiritualis fouendæ defendendæque necessaria: nempe verbum Dei, Sacramenta, gubernationem, communionem, fraternitatem, mutui denique subsidij auxilia, iuxta illud Apostoli: Membra vnius corporis in inuicem solicita sunt: Si gaudet vnum, congaudent omnia, si dolet vnum compatiuntur reliqua. Item: Alter alterius onera portate. Rursum: Infirmum in fide suscipite. Et illud: Non quæ sua sunt quærentes, sed quę aliorū. Porrò ad hanc salutem non parit nos fides etiam ad cor transiens, nisi foras prodeat in opus seu confessionem. Hinc D. Petrus loquens de hac salute, vt animaduertas elegantem scripturarum consonantiam, Quod & vos, inquit, nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem, &c. Quasi diceret: Depositionem sordium carnis hìc non æstimamus, sed conscientiæ bonæ interrogationem in Deum. Illam sanè oportet adesse velut probationem & incitamentum ad rectā sanę fidei confessionem, tendens eò vt sit bona cōscientia baptizandi in Deo. Nō enim dicitur interrogatio bonæ conscientiæ, quasi procedens à bona conscientia, sed quasi agens ad hoc vt sit bona conscientia in Deum. Sicuti appellamus certam obseruationem cibi ac potus, regimen sanitatis, non quòd à sanitate prodeat,

Differentia inter credere & corde credere.

Differentia inter iustitiam & salutem.

Quid sit interrogatio cōsciē tiæ bonæ in Deum, & ad quē finē fiat.

prodeat, sed quòd cōtendat vt sit sanitas in corporibus nostris. Olim non solebant Apostoli procedere ad baptismum, nisi priùs facta diligenti interrogatione, num verè & ex animo crederent, scientes ex Christi verbo frustrà adhiberi baptismum nisi corde crederent Euangelio annuntiato. Hinc respondit Philippus Eunucho post euangelizatum sibi Christum dicenti: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Respondit, dico, per conditionalem quæ vim interrogationis includit, dicēs: Si credis ex toto corde, licet. Quasi diceret, nisi credas ex toto corde, non licet. Illo respondente credo, baptizatus est. Item Act. 2. Credentibus Euangelio prædicato per Petrum, & interrogantibus: Viri fratres quid faciemus? respondit Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Qui ergo receperunt sermonem eius, indubiè illum quo exhortatus erat eos, baptizati sunt. Et huc sanè siue ad eam obseruantiam qua debita interrogatione probatur cōfessio baptizandi, spectans D. Petrus, dixit: Non carnis sordium depositio, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Itaque non est recens inuenta praxis Ecclesiæ qua præmittit ante lauacrum has interrogationes, abrenuntias Sathanæ? credis in Deum Patrem? vis baptizari? sed ex dictis factisque Apostolicis est hucusque religiosè obseruata. Ne autem quilibet baptista imprudens, iuxta ac prudens quiduis suo sensu interrogaret de fide, præscripserunt Apostoli ab initio xij. articulos fidei, quod Symbolum religionis vocauerunt, vti memorauimus suprà, quòd confessio illorum articulorum sit nobis loco indicij, quo & asscribuntur noui ciues Ecclesiæ, & asscripti dignoscuntur intus permanere. D. Verùm, nunc ex his consequi videtur, neminē asscribendum esse Ecclesiæ, nisi ipse præuia confessione testetur se credere ex toto corde, quod videtur confirmare Anabaptistarum sectā.

De baptismo infantum qui nō possūt confiteri &c.

M. Illi contendunt nullos baptizandos nisi priùs credant, arcentes impiè & hæreticè à baptismo Infantes, vt in tractatu de baptismo demonstrabimus. Nos te hic docuimus adultos, rationis & arbitrij sui potestatem habentes, non asseribendos gremio Ecclesiæ, nisi priùs confiteantur se credere, vti patet Act. 8. & Marc. vlt. Nam paruulis qui non peccauerunt proprio demerito, sufficit baptismus operans virtute meritorum Christi, de quo infrà. D. Etiam videtur consequi ex præmissis, quòd nemo fiat membrum Ecclesiæ Catholicæ nisi iustus effectus, quia non nisi corde credat: Corde enim creditur ad iustitiam. M. Scripturæ prænominatæ loquētes de ingressu ad Ecclesiam Catholicā, hortantur ad eum modum ingrediendi qui secū fructum adfert salutis. Nam quorsum hortaretur Spiritus Domini ad id quod sine fructu est? Nihilominus testimonio scripturę ostenditur ad gremium Ecclesiæ de facto recipi etiam fictos & iniustos. Siquidem certum est Simonem Magum per simulationem intrasse Ecclesiam, adeò vt fieret membrum eiusdem, Act. 8. Cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, tunc Simon & ipse credidit: & cùm baptizatus esset adhærebat Philippo: cùm vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniā, dicens: Date & mihi hanc potestatem vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritū sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixistis. Ecce per fictionē credidit non corde, & id quidē vt posset operari mirabilia, sicut & Philippus ac Apostoli. Attamen sumpto baptismo veraciter ingressus erat Ecclesiā, tractabaturque ab Apostolis tanq̄ cōmune membrū Ecclesiæ. Quoniam Apostolus Petrus coarguens nequitiā eius, non hortatur illū ad reassumenda Symbola quibus ingredimur Ecclesiā, videlicet baptismum & fidei cōfessionem, quasi adhuc foris fuisset, sed hortatur eum ad commune Symbolū eorū qui intus sunt, nēpe pœnitentiā dicēs: Pœnitentiā age ab hac nequitia tua, & roga Deū si fortè &c. Nō obstāte igitur fictione & nequitia cordis, verè ingressus erat, vereque intus manebat, donec per apostasiā fugeret foras. Sicut Iudas fur existens & proditor, fuit, mansitque intus vsq; ad diem obitus sui, Domino recipiente cum cōmuniter cum alijs ad doctrinam verbi, ad functionem ministerij, ad cōmunionē cœnæ dominicæ. Sicut etiam fatuæ virgines erant intus vsq; ad tempus dormitionis suæ, & incestuosus Corinthius mansit intus, donec excōmunicaretur per Paulū, 1. ad Cor. 5. Accipe igitur distinctionē scripturis demōstrabilē, hanc scilicet. Quosdā Dei iudicio idoneos haberi numero & cōsortio saluādorū, qui tamē iudicio Ecclesiæ necdum

Nemo vtiliter ingreditur ad Ecclesiā absq; spiritu iustificante. De facto ingrediūtur Ecclesiam ficti atque iniqui. Act. 8.

Distinctio vtilis.

necdum habentur aut agnoscuntur vt sua Ecclesiæ militantis membra: alios verò iudicio Ecclesiæ recipi haberique tanquam vera membra, qui tamen suo demerito, Deique iudicio sunt potius membra Sathanæ quàm Christi, eradicanda suo tempore procul extra Ecclesiam, vt perpetuò sint cum eo, cuius spiritu aguntur. Iuxta illud: Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Et illud: Ite maledicti in ignem æternum qui præparatus est Diabolo & Angelis eius. D. Igitur errat Ecclesia, aliter iudicando quàm Christus. M. Nequaquam: sed ex alio iudicat homo, ex alio Deus, multa quoq; subsunt iudicio Dei, quæ non subsunt iudicio hominis, dicente scriptura: Homo videt ea quæ patent: Deus autem intuetur cor. Esse insuper vel non esse, propriè iudicio Dei: apparere, vel non apparere propriè subiacet iudicio hominum. Hinc signa visibilia concurrere oportet, per quę iudicat homo quempiam esse, aut non esse in Ecclesia, esse vel non esse de consortio saluandorum. Deus autem potest iudicare dignum vel indignum consortio saluandorum. vel absque signo visibili. Item alia ratione quis sociatur numero saluandorum, alia reponitur & reuera est intus in gremio matris Ecclesiæ. Fides enim viua intus iustificans, etiamsi nihil visibilium signorum accedat, associat numero saluandorum, verum sacramentum, confessio, & consensus in communem ritum colendi, faciunt esse membrum Ecclesiæ militantis. Quapropter qui sic credit verbo prædicato vt corde credat, volens ex animo mutare vitam secundum verbum auditum, ille iudicio Dei associatur numero illorum qui salui fiet. Qui verò sic credit verbo prædicato vt palàm confiteatur Dominū esse Iesum, suscepto desuper baptismatis lauacro, illū recipit, illumque habet & tractat tanquam membrum suum Ecclesia, etiamsi fictus sit ac malus, & reuera membrum Diaboli, pertinens meritò ad Ecclesiam malignantium. Quam certè fictionem si sciret Ecclesia, nullo modo reciperet eum ad sacramētum Baptismi. Sicut nec Philippus baptizasset Eunuchum nisi dixisset: Credo Filiū Dei esse Iesum Christum. Quo audito, respondit Philippus: Si ex toto corde credis, licet. Tractat autem talem Ecclesia tanquam verum suum membrum, communicans ei verbum, mensam dominicam, sacramenta, omniaque salutis beneficia, quæ accepit à spōso suo donec ingrediatur rex qui parauit nuptias, & lustrando conuiuas nuptiarum, dicat: Amice quomodo huc intrasti non habens vestē nuptialem? Ligatis itaque manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores. Nona sanè nupta quam sponsauit sibi Christus est Ecclesia, iuxta illud: Et sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide. D. Legi ego apud quendam, per vestem nuptialem intelligi fidem. M. Malè quidem, & hæreticè scripsit ille, si de qualibet fide est sermo. Quoniam quidem vestis nuptialis non potest intelligi, nisi ea, quam sponsus donauit sponsæ vt cooperiat se, sponsoque gratiosa fiat. De quo Apoc. 9. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, & datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim, iustificationes sunt sanctorum: Et dixit mihi, scribe, beati qui ad cenam agni nuptiarum vocati sunt. Itaque vestis nuptialis iustificationes sunt sanctorum. Porrò radix & fundamentū formaque iustificationum sanctorum, sunt aut fides viua caritate, aut caritas de fide non ficta. Illam vocat Apostolus vno loco fidem qua corde creditur, alio loco fidem per dilectionem operantem. Istam verò vocat finem præcepti, dicens: Finis autem præcepti est caritas, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Quapropter oportet intelligere, modò consentaneum scripturis dicere velimus, vestem nuptialem esse vel fidem ad cor transeuntem, siue fidem per dilectionem operantem, vel caritatem de fide non ficta, vel iustificationes sanctorum: prout Ioannes definiuit in Apocalypsi. Quæ tria licet nō prorsus vnum existant, sunt tamen ita connexa adeoque indiuisa, vt vnum sine alijs subsistere nequeat. Quoniam vbi fides transiens ad cor, ibi & caritas. Vbi verò fides & caritas, ibi reuera sunt & iustificationes sanctorum. Porrò vestis hæc nuptialis de qua Matth. 22. nullo modo potest dici symbolū internoscendi domesticos Ecclesiæ ab ijs qui foris sunt. Ratio: quoniam multi Christianorum qui reuera intus sunt in Ecclesia, non habent hanc vestem nuptialem. D. Tamen D. Augustini sententia: Caritas diuidit inter filios regni & gehennæ. M. Sic etiam diuidit inter eosdē vestis nuptialis. Nam Matth. 22. is qui nō erat vestitus veste nuptiali, proiectus est procul in tenebras exteriores, tanquam filius gehennę. Inter domesticos autem Ecclesiæ, & eos qui foris sunt, nō distinguit neque vestis nuptialis, neque caritas. Quod patet luculenter ex ijsdem verbis Matthæi. Nam homo ille vocatus erat, receptus erat, intus erat, simulq; accumbebat mensę nuptiarum, habebatur, tractabatur ab omnibus domesticis sponsæ, ve-

com-

Margin notes:

Ex alijs iudicat Ecclesia, ex alijs De⁹.

Matt. 22.

Osee 2.

Quid intelligitur per vestē nuptialē.

An vestis nuptialis, sit symbolū Ecclesiæ.

Fides viua & caritas distinguūt inter filios regni & gehēnæ, siue inter mēbra Ecclesiæ, & non membra.

commune membrum, domus erat ei communis, societas communis, œconomia communis, refectio communis: Nonobstante q non haberet illam vêstem nuptialem, de qua sponsa iudicare non potuit: quia non videt nisi ea quę patent. Rex autem ingrediens tandem lustraturus accumbentes, vidit quòd non haberet vestem quam ipse tradiderat, vt ea cooperiretur sponsa, obiurgauit eum, & eiecit illum, tanquam indignum vlteriori societate electæ sponsæ suæ. D. Quæ igitur sunt illa Symbola quibus Ecclesia internoscit suos intus perseuerantes, ab ijs qui foris sunt, ab ijs quoque qui postquam semel intrarunt, rursum excidunt aut proijciuntur foras? M. Rectæ fidei confessio, sacramentorum communio, consensus in domo Dei sub ordine hierarchico, & disciplina cælitus institutis, vt consentiendo, tu quidem superiorum auctoritatem, illi verò tuam ferant imperfectionem aut malignitatem: De quo cōsensu habes Psalm. 54. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei, quę est Ecclesia, ambulauimus cum consensu, tu meam institutionem, ego tuos ferendo defectus. Tria hæc, certissimum habent Symbolū quo cognoscitur quisque perseuerare in Ecclesia Catholica. Quamdiu enim quis affert in confessione sua doctrinam hanc ab Apostolis acceptam, & hucusque religiosè custoditam in Ecclesia, simul cum alijs cōmunicans in sacramentis Ecclesiæ, non auersando superiorum auctoritatem, neq; ipse abscissus per eosdem à cōmunione aliorū propter suā iniquitatem, tamdiu debet agnosci & tractari tanquam domesticus fidei, & membrū Ecclesiæ, qualis qualis sit intus aut corā Deo. Si verò cœperit sustinere aut prędicare, aut aliâs in angulis vspiam docere aliam doctrinam, aut aliud euangelium quàm euangelizatū est ab initio, iam vltra nō est communicandum cum eo, vt docet Ioannes in sua 2. Canonica, sed vitandus est, maximè post primam & secundam correptionem, vti docet Apostolus ad Tit. 3. Immo iam tanquā anathema est habendus, sicut docet ad Galat. 1. Ad hæc si dissessionem fecerit & offendiculum, ambulās inordinatè, & non secundum traditionem quam accepimus de sacramentis, de ieiunijs, de orationibus viuorum pro defunctis, & ceteris eiusmodi, iam debet oculis animoque obseruari, estque alijs Christianis declinandum ab eo, prout docet Paulus ad Rom. vltimo, grauiter percipiens Tessalonicens. sub hac forma: Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi; vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam accepistis à nobis. Porrò si Ecclesiam admonentem super hac inordinata sua ambulatione, & prohibentem iudicio auctoritatis suæ, non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: non autem vltra tanquam Christianus & domesticus fidei: hoc enim præscribit Saluator Matth. 18. Denique si scelere fiat contagiosus ac pestilens in communitate, aut notoriè infamis, rursum venit vitandus in communitate fidelium tanquam alienus, vt habēs 1. ad Cor. 5. dicēte Apost. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur inter vos, hoc est, si is qui Christianus existit, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibū sumere. Immo quod ampliùs est, talis si delicti magnitudo sic exigat, tradendus est Sathanæ per excommunicationem, sicut fecit Apost. 1. Corint. 5. & 1. ad Tim. 1. tradendo Sathanæ. Corinthium quidem propter incestum, Alexandrum verò & Hymenæū propter blasphemias. Itaq; quotquot à symboli sunt, nō communicantes nobiscū in pręnominatis tribus Symbolis Ecclesiæ militantis: hi sunt aut foris aut certè foras proijciendi extra Ecclesiam Dei, etiam si nolint, non obstante eo quòd Ecclesia catholica vocetur, id est, vniuersalis, extendens se ad omnem hominum nationē. Nunc dicito mihi, Iudæi & Turcæ cęterique infidelium, an sint membra Ecclesiæ Dei? D. Non. Ratio est: quia neque fidem Christi habent, neque fonte sacro sunt renati. M. Et sectarij, vt Anabaptistæ, Lutherani, Zuingliani, Pigardi, VVicleffistæ, Arriani, alijque perfidiæ alumni, an sint de gremio Ecclesiæ Dei? D. Non. Quia non retinent rectæ fidei confessionem, neque audiunt Ecclesiam diffinientem, sed & ritum immutant ac sacramenta religionis susceptæ. M. An'ne habeant codices vtriusque testamenti, & eandē scripturam canonicam quam nos? D. Habent quidē, sed alij mutilam, alij corruptā, alij suo sensu interpretatā. M. Optimè. At nunc audi, quid inde sit consequens: nempe quòd non habent verbū Dei, etiamsi habeant vtrūq; testamentū. Siquidem verbum Dei est doctrina cęlitus accepta per Christū, & sanctos Dei homines Spiritu sancto loquētes. Scriptura verò vtriusq; testamenti est scriptum testimoniū eiusdē verbi Dei. Qui ergo credit, docet, vel docetur secundum scripturam aut corruptam, aut truncatam, is non credit, docet, aut docetur verum ac integrum verbū Dei. Rursum hominis verbum nemo eloquitur

Tria sunt symbola quib' internoscūtur perseuerantes intus in Ecclesia ab his qui foris sunt.

Non omnes qui habēt scripturam vtriusque testamēti habēt verbū Dei.

nisi

nisi spiritu hominis. Id an tibi verũ videatur? D. Hoc certo certiꝰ est ex his quę me suprà docuisti. M. Ergo verbũ Dei nemo eloquitur nisi spiritu Dei. Sicut enim spiritus hominis scit quæ sint in homine, hoc est, quale verbum sit intus in mente conceptũ, ita Spiritus Dei scit quæ sunt Dei, & quod sit verbũ eius. Quapropter qui interpretatur scripturam suo sensu, aut suo spiritu, ille tradit in scripturis non verbum Dei, sed suum verbũ hominis. Qui verò interpretatur verbũ Dei, non suo spiritu, sed spiritu Ecclesię, is reuera loquitur & tradit verbum Dei in scripturis, eò ꝙ spiritus Ecclesiæ omni dubietate procul, est spiritus Christi & spiritus Dei. Quoniam docet Apostolus quòd corpus Christi est Ecclesia, & Christus caput corporis eius: capitis autem & corporis, non potest esse nisi vnus atque idẽ spiritus. Nos sacerdotes, nosque doctores, homines quidem sumus, & subinde mali, ideoque non nostro spiritu aut sensu, sed spiritu Ecclesię, & cõmuni omnium sanctorum iudicio, interpretamur scripturam, quotidiana experientia intelligentes illos, qui inter nos tentant scripturam interpretari suo sensu, plerumque excidere à verbo Dei in obscurissimas errorum tenebras.

Verbum Dei nemo recte eloquitur nisi Spiritu Dei.

Multos autem tenere scripturam sanctam citra verbum Dei, vt varijs locis insinuat Apostoli: ita elegantissimè hoc exprimit Paulus 2. ad Thessal. 2. dicens: Neque terreamini, neq; per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ac si dicat: habetis meam epistolam priorem, quam quidam inter vos interpretantur suo sensu terrentes vos de die Domini imminente, tanquam Spiritus Pauli, sermo Pauli, epistola Pauli, voluisset hoc verbum in sua epistola docere, quod minimè verum est. Verùm ne quis vos seducat &c.

Multi tenẽt scripturã sine verbo Dei.

c

D. Profectò errant quàm plurimi putantes scripturam sacram, & verbum Dei, vnum & idem esse, vt apud quoscunque sit scriptura, apud eosdem etiam sit verbum Dei. M. In capite huius institutionis clarissimè tibi demonstraui, aliud esse scripturam sacrã, aliud verbum Dei. Scripturam quidem testari nobis quid sit verbum Dei, maximè eùm interpretatur non spiritu proprio hominis, sed spiritu Ecclesiæ, qui est Spiritus Dei. Verbũ autem Dei esse ipsam doctrinam cælitus datã, etiam ante scripturam, vel citra scripturam. Illa repete. At nunc pergat interrogatio nostra. Hi qui fingunt se supremos Dominos in terris sub Christo, non agnoscentes Papam vniuersalem pastorem omnium ouium Christi; Item qui excommunicantur propter sceleratam suam vitam: An sint in gremio Ecclesiæ tanquam domestici fidei? D. Non. Quia non retinent cõsensum cum alijs Christianis sub hierarchia per Christum instituta. Illi quidem quia sua sponte exeunt: isti verò quia eijciuntur vel inuiti. M. Scilicet auctoritate quam Christus reliquit in Ecclesia, de qua dicemus in vltima proprietate Ecclesiæ. D. Ceterùm de alijs Christianis obnoxijs peccato, vt sumus ferè omnes, quid dicemus? intúsne sint in Ecclesia an foris? M. Sunt intus, quamdiu retinent tria illa prænominata, videlicet, rectæ fidei confessionem, sacramentorum communionem, & consensum cum alijs sub hierarchia Ecclesiastica. Vt etiam hac ratione dicatur Ecclesia catholica, hoc est, vniuersalis, recipiens ac fouens in gremio suo tam malos, quàm bonos. Et omnis quidem generis bonos, nempe incipientes, proficientes, perfectos, bonos item in occulto, bonos etiam in manifesto. Omnis quoque generis malos, per infirmitatem, per ignorantiam, per malitiam, publicè, occultè, incipientes, proficientes, perseuerantes in malitia, pœnitentes denique & impœnitentes.

Aliud verbum Dei, aliud scriptura sacra.

Scismatici & excõmunicati sunt foris extra Ecclesiam.

Christiani peccatores sunt intus in Ecclesia.

D. Qua igitur ratione credendum proponitur in hoc articulo, Ecclesiã esse sanctam? M. De hoc, fili, iam dicemus.

Ecclesia qua ratione dicatur sancta non obstante quòd multi sint in ea peccatores & scelerati. CAP. IIII.



TErtia proprietas Ecclesiæ Dei est, quæ dicitur sancta. D. Sanctũ multifariam accipitur apud scriptores linguæ Latinæ. M. Etiã Ecclesia multis modis, rationibusque dicitur sancta. D. Martianus de diuisione rerum ait: Sanctum propriè dici quod ab iniuria hominum est defensum atque munitum, tractum à sagminibus herbis, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret. M. Eadem ratione potest & Ecclesia dici sancta. Quia Christus est propugnator & defensor eius, haud secus atque maritus coniugis suæ, habens iniuriam Ecclesiæ velut suam: Siquidem membra sumus corporis eius, de carne eius & ossibus eius, ad Ephes. 5. cap. D. Dicit prætereà Vlpianus de verborum significatione, sanctũ esse quod nec sacrum est, nec profanum, sed sanctione aliqua firmatum, vt sanctæ leges, hoc est sanctione aliqua subnixæ. M. Si spectemus auctoritatem Ecclesiæ, eiusque infallibilitatem in definiendo & iudicando: profectò tãta nititur sanctione Ecclesia, vt dicat Apostolus

M. De tertia proprietate Ecclesiæ.

Sanctũ in scripturis accipitur multifariam.

Ecclesia dicitur multis rationibus sancta.

stolus ipsam esse columnam, & firmamentum veritatis. Et Christus: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Sanctior igitur vniuersis legibus Romanis Ecclesia, eiusque decreta omni obseruatione inuiolabilia, lōgè magis, q̃ edicta principū aut quæuis senatuscōsulta. Siquidē & Donatus definit sanctū, quod est omni obseruatione inuiolabile. Ceterùm non debet Ecclesia vocari, nec sacra nec profana, sicut Vlpianus loquitur: Quin potiùs valdè sacra, & neutiquam profana dici debet, quia Deo est consecrata Christi sanguine in sacramentis. Et sanè etiam hac ratione reuera sancta. D. Alij dicunt sanctum accipi pro casto, puro, religioso, incorrupto, vnde sanctus vir dicitur, qui est religiosis, & incorruptis moribus.

M. Etiam secundum hanc significationem Ecclesia Dei reuera sancta est, non meo, sed scripturæ testimonio. Viri, inquit Apost. diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundās eā lauacro aquę, in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Hæc ad Ephes. Item 1. ad Corint. 1. sic habes: Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est vobis sapientia & iustitia & sanctificatio. Simile est sexto capite: Et hæc fuistis aliquando, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. D. Ista, Domine, si ita se habeant, ergo procul sunt extra Ecclesiam iniusti, irreligiosi, scelerati. M. Non sequitur quod infers. Vti perapto simili & scripturis demonstrabo. Apostolus Paulus, nónne reuera vir sanctus erat? sicut scribit: Mihi autem sanctorum minimo? Et Dominus nunquid mandat: Sancti estote sicut ego sanctus sum? Insuper credentes, nónne vocantur sancti, 1. Corinth. 1. & 1. Petri 1? D. Nusquam non est obuium in scripturis, vt qui vita incorrupti existunt, sancti dicantur. M. Nemo tamen viuentium hic, ne ipse quidem Paulus, sanctus est secundum omnem partem sui. Scio, inquit, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Quoniam in carne nostra, vt ibidem prosequitur, habitat peccatum, lex membrorum, rebellio contra spiritum, fomes iniquitatum. Nihilominus tamen, homo quàmdiu mente seruit legi Dei, tamdiu dicitur sanctus. Nemo in hoc mundo ideo sanctus, quia totus, & secundum omnem partem sui purus, & incorruptus, sed quia talis secundum eam partem, qua præcipuè homo est. Nam prudentia carnis, legi Dei non est subiecta, neque enim potest. Eodem autem modo Ecclesia hic militans, sancta dicitur: Non quòd in omnibus suis membris sit pura, & integra, sed quòd talis est secundum electos, spirituales, quos habet plurimos, velut potiorem sui corporis partem, laborans indesinenter per verbum, & disciplinam, vt vniuersas suas partes, etiam carnalem illam portionem delinquentium in seruitutem spiritus redigat. Sicut vir sanctus, nominatim Paulus: Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutem redigo. Intelligis me? D. Optimè, adeoque conuenit simile vt non sit vllus excipiendi locus. Attamen, quia non solùm dicitur sancta Ecclesia, sed etiam sanctorum Ecclesia, vt dictum est suprà, videntur ergo impij prorsus alieni à gremio Ecclesiæ. M. Phrasis est notissima qua totum nominatur à parte magis principali. Eapropter etsi multi sint peccatores in Ecclesia, nihilominus rectè dicitur, & sancta, & sanctorum Ecclesia. Porrò in Ecclesia Dei esse peccatores, alios occultos, alios manifestos, alios pœnitentes, alios impœnitentes, luce clarius demonstratur, 1. ex parabolis tam Saluatoris quàm Apostoli: Deinde exemplis: Tertiò rationibus de scriptura sumptis. Simile, inquit Saluator, est regnum cælorum, hoc est, præsentis temporis Ecclesia, sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, bonos & malos, Matthæi 13. Iterum simile est regnum cælorum decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, Matthæi 25. Tertiò sumpta similitudine ab area, & vinea, docet vno loco Ecclesiam velut aream esse, aut horreum, in quod colligitur frumentum, simul cum paleis, in die iudicij segregandis & abijciendis in ignem inextinguibilem. Alio loco Ecclesiam esse vineam, in qua palmites, non solum vuas faciunt, sed & labruscas. Manifestum autem est in dictis parabolis, neque collegium decem virginum, neque sagenam, neque aream, neque vineam, significare totius mundi populum: sed communitatem quandam à cæteris segregatam in populum peculiarem Domino, licet interpretatione Saluatoris in parabola zizaniorum, per agrum significatur totus mundus, per quem Ecclesia dominica erat seminanda, sicut etiam per totum mundum superseminata fuerunt zizania. His accedit quod Apostolus dicit 2. ad Timoth. 2. In magna, inquit, domo vasa sunt, non solùm aurea & argentea, sed & lignea, atque fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem

Marginal notes:

Anomnes mali sunt extra Ecclesiam quia sancta est.

Ephes. 5.

Roma. 7. Aptū simile quo ostenditur Ecclesia sancta etiāsi non omnia ei' membra sint sancta.

1. Cor. 9.

Notanda phrasis.

Probatur scripturis peccatores in Ecclesia esse.

Matth. 13.

autem in contumeliam. Quod tractans Augu$t. lib. 4. de bapti$mo, contra Donati$tas, interpretatur ex doctrina Cypriani, Paulum per magnam domum non aliud intellexi$$e, quàm Eccle$iam Dei, in qua $unt boni & mali, alij quidem in honorem, alij verò in contumeliam. Erat Iudas Iscariotes intus in Eccle$ia v$que ad diem mortis $uæ, quia tum primum vacauit epi$copatus mini$terij eius, vti patet Act. 1. licet totus malus e$$et. Habuit præterea na$cens Eccle$ia $ub Chri$to Iacobum & Ioannem zelo vindictæ vltra quàm oportuit inflammatos. Habuit Petrum tertiò negantem Chri$tum Dominum $uum. Habuit de primatu contendentes. Habuit denique quo$dam eou$que $uo enui addictos, vt tandem Chri$tum & $anctum collegium eius de$ererent, Ioan. 6. Et po$t Chri$tum, $ub gubernatione Apo$tolica, habuit inter Corinthios de virtute bapti$mi altercantes, cenam quoque Dominicam irreligio$è tractantes. Habuit & incetuoum illum Corinthium, in$uper Hymenæum, & Alexandrum bla$phemantes, donec excommunicati per Paulum procul fierent ab Eccle$ia, habuit præterea fal$os fratres $ine numero, Antichri$tos multos, infirmos, contumaces, pœnitentes denique & impœnitentes. Porrò $i hic $tatus Eccle$iæ erat, & $ub Chri$to, & $ub Apo$tolis $tatim po$t Chri$tum, quibus nemo alius potuit aut inculpatiùs præe$$e, aut laborare $tudio$iùs in verbo, & doctrina: Quam pugnant igitur impiè aduer$us veritatem Euangelicã, qui contendunt peccatores non po$$e pertinere ad vnionem Eccle$iæ, a$$erentes Eccle$iam Chri$ti e$$e duntaxat communitatem Chri$tifidelium piè ac $anctè viuentium $ecundum $piritum Chri$ti. Quo pacto Donati$tæ tempore D. Aug. Nunc autem diebus no$tris dogmatizant quidam $ectarij, ne$cio quo nomine digni, di$ce$$ionem facientes ab Eccle$ia Catholica, propter peccatores qui $unt in eadem multi ac varij, qua$i congregatio illa Chri$tifidelium, in qua mali permi$ti $unt bonis, non po$$et e$$e vel dici Eccle$ia Chri$ti, aut Eccle$ia $ancta, aut prælecta $pō$a Filij Dei. At nunc tibi quid apparet ex his quæ diximus? D. Certè quòd errant prorsus, & toto, quod aiunt, cælo. Ceterùm quid dicemus ad verba Apo$toli ad Ephe$. 5. $uperiùs allegata? M. Nihil te moueant illa. Nam verba Apo$toli non a$$erunt Eccle$iam nunc non habere maculam, aut rugam, $ed finem exprimunt Chri$ti pa$$i & $acramenti in$tituti. Quoniam ideo tradidit $emetip$um pro Eccle$ia, ideo quoque Sacramentū in$tituit in Eccle$ia, vt tandem exhiberet eam nō habentem maculam, aut rugam, quomodo exhibebit eam cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, quod erit in con$ummatione $æculi. Intereà verò temporis $edulò purgationem facit veterum delictorum in $anguine redemptionis, per fidem, per verbum, per $acramentum. Quòd $i quid minus hic expurgauerit ante mortem, id vlterius perficit po$t mortē in igne diei $uæ, quem purgatorium vocamus, totum ad eum finem, vt exhibeat tandem $ibi Eccle$iam penitus immaculatam. Nunc quidem in Eccle$ia cre$cunt pa$$im zizania: At in con$ummatione $æculi mittet Angelos $uos, & colligent de regno eius omnia $candala, & eos qui faciūt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Nunc in $agena Eccle$iæ, boni pi$ces, & mali: At in cō$ummatione $æculi exibunt Angeli, & $eparabūt malos de medio iu$torum, & mittent eos in caminum ignis. Nunc arbores in Eccle$ia, & fructiferæ, & infructiferæ: At omnis arbor quæ non facit fructum bōnum excidetur tandem, & in ignem mittetur. Nota, quod dicitur, mittetur, per verbum futuri temporis. Nunc plantationes $unt in Eccle$ia quas non fecit Pater: At omnis plantatio quam non plantauit Pater, eradicabitur. Iterum loquens per verbum futuri temporis. Quibus tandem impletis in con$ummatione $æculi, tunc demū exhibebit Eccle$iam pror$us non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiu$modi, prout dictum locum pulcerrimè interpretatur D. Hieronymus.

Exemplis probatur malos e$$e in Eccle$ia.

Peroratio

Error Donati$tarū & aliorū.

Exprimitur enus dicti Pauli Ephe. 5.

Malos Chri$tianos $iue peccatores e$$e in Eccle$ia, longè alio inextendi modo, quàm Iudeos, Gentiles, vel excommunicatos in medio eius habitantes. CAP. V.



Vne, precor, audiam quonam modo $unt in Eccle$ia mali Chri$tiani? An $cilicet aliquo alio exi$tendi modo quàm Gentes aut Iudæi habitantes in medio Catholicorum? M. Longè alio. Nam vniuer$i Chri$tiani, tam boni quàm mali, in$unt Eccle$iæ, eo inexi$tendi modo, quo pars integralis e$t in toto, dome$ticus e$t in familia domus $uæ, ciuis e$t in ciuitate, miles in exercitu, membrum in corpore $uo, palea denique in eodem culmo cū granis tritici. Porrò vt corpus humanum habet membra, alia quidem eiu$dem generis ac vitæ cum toto, alia verò alterius generis ac naturæ quàm totum: ita & corpus Chri$ti quod e$t Eccle$ia. Boni quidem $unt membra Eccle$iæ veluti homœogenia eodem $piritu, eodemque enu viuificata quo totum, nem-

D. Quo inexi$tendi modo $unt mali in Eccle$ia.

nempe Spiritu Christi & viuifico illo influxu, qui est per fidem viuam & caritatem. Mali verò, ac scelerati sunt membra Ecclesiæ, sed longè alterius naturæ ac qualitatis quàm totum. Attamen reuera insunt vt membra siue partes totius, quomodo insunt corpori, sanguis, succus, capilli, vngues, membra, arefacta. Quæ omnia etsi vitam non recipiant in se, tamen energia, & operatione eiusdem animæ viuificantis continentur in toto, vnumquodque in suo officio, & loco. Non quidé frustra, sed velut necessariò, in magnam vtilitatem totius. Ceterùm dum nimis exundat sanguis noxius flebotomia minuitur, aut nimis luxuriat cæsaries capitis, siue barba, tondetur: vngues quoque dum indecorè exstant, resecantur. Eodem modo dum nimis exundat in Ecclesia effrenis petulantia malorum, aut castigatione comprimitur, aut excommunicatione prorsus resecatur. Voluit æterna Dei sapientia, perpetuò bonos esse inter malos, velut viua quædam specula melioris vitæ. Voluit & malos adhærere bonis in exercitium, velut limam repurgandæ virtutis: & id ad messem vsque, hoc est, vsque ad consummationem seculi. Nam tunc demum mittet Dominus Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, atque prorsus separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, Matth. 13. Fili vniuersa vasa domus, tam fictilia ac lignea, quàm aurea & argentea, eodem inexistendi modo sunt in domo, vt supellex quædam, tamen ista in honorem, illa autem in contumeliam, vt Paulus inquit ad Romanos. Et filij familias, & serui domus sunt in familia domus eodem inexistendi modo: quia vtrique tanquam reuera domestici, sed filius manet in domo in æternum, seruus autem non manet in æternum. Aduentitius autem hospes etsi requiescit sub tecto domus, tamen reuera non inest familiæ vt domesticus domus, iure aliquo partiecipans in his quæ ad familiam illam pertinent. Similiter tam immorigeri, quàm morigeri ciues insunt ciuitati, eodem inexistendi genere, velut alumni & socij ciuilitatis, vt ita dicam, illius oppidi, priuilegiorum insuper ac iurium eius: sed boni vtiliter, mali verò multa cum perturbatione. In qua dum intolerabiles fiunt, aguntur tandem, alij in crucem, alij in exilium. Quemadmodum Apost. tandem tradidit Sathanæ ad interitum carnis incestuosum illum Corint. itę Hymenæum & Alexádrum postquam intolerabiles esse cœpissent: ille per incestum, isti per blasphemias. Peregrini verò insunt quidem eidem ciuitati, sed non tanquam ciues, ius aliquod aut priuilegium in ea communitate habentes. Ex his facilè colliges, malos Christianos longè alio inexistendi modo esse in Ecclesia Dei, quàm Iudæos aut Gentiles in medio eius conuersantes. Quia isti non sunt in Ecclesia, nisi eo modo quo aduentitius hospes in domo aliena, aut peregrinus in ciuitate non sua, aut vas accommodatitium in domo vicini, aut manus ex ære vel ligno facta in corpore illius cui funibus alligatur. De hæreticis autem, contagiosis, & incorrigibilibus docét tá Christus quàm Apostoli, quòd abscindendi sint & proijciendi foras, Matthæi 18. Tradendi denique Sathanæ, 1. ad Corinth. 5. & habendi velut Ethnici & publicani, Matthæi 18. Quapropter quamdiu tolerantur, insunt quidem reuera in Ecclesia, sed sicut sanguis noxius mox flebotomia tollendus ne pereat totum, aut sicut mébrum infectum cancro, mox resecandum à corpore, aut sicut supellex putrefacta mox proijcienda foras. Ceterùm de alijs peccatoribus docent omnes, quòd sint suscipiendi, non abijciendi. Infirmum, inquit Paulus, in fide suscipite: Sicut Christus suscepit Magdalenam peccatricem, Matthæum teolonariũ, atque Zachæum principem publicanorum: item pater parabolicus filium suum prodigum: Pater cælestis publicanum humiliter orantem: Deus propitius esto mihi peccatori. Si tales suscipiendi sunt ad mysteria & sacramenra religionis, ergo longè aliter insunt in Ecclesia quàm Iudæi aut Gentiles in medio Christianorum habitantes. D. At isti erant de numero pœnitentium. M. Certè Iudas, & Simon Magus erant impœnitentes. Illum tamen suscepit Christus, & ad cenam suam sacramentalem, & ad honorem sacerdotij, non obstante quòd dixerat priùs de eo: Nónne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Ioan. 6. Istum vèrò hortatur Petrus ad pœnitentiam, & orationem, tanquam domesticum fidei. Est autem huius rei elegans parabola, Lucæ 13. de arbore fici, quam Dominus vineæ passus erat in sua vinea, licet nullum fructum ferret integrum triennium, dicens ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam. Vt quid enim terram occupat? At ille respondens dicit illi. Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. Vinea Domini Dei est Ecclesia sancta. Ficulnea, non ferés fructum, est Christianus peccator, quem fert Deus in Ecclesia, annum, bienniũ,

Ostéditur q in Ecclesia sút nó solùm peccátes, sed & perseuerátes & impœnitentes. Act. 8. Luc. 13.

triennium, quadriennium, & vltra, si fortè conuertatur, & frugi fiat in opere virtutum: Sin autem, tandem succidit illum. Iuxta illud: Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Excidetur, inquit, non autem excisus est de radice qua continebatur in Ecclesia. Alioqui si non sunt in Ecclesia peccatores, quorsum illud Saluatoris: Si peccat in te frater tuus dimitte illi. Et si septies in die peccauerit frater tuus in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi? Insuper si non habet Ecclesia perseuerantes in malitia, quorsum opus erat introducta illa parabola de ficu infrugifera ad triennium tolerata? Quorsum minæ illæ per omnem scripturam sexcenties repetitæ aduersus eos fratres qui tardant conuerti? Denique si non sunt impœnitentes in Ecclesia etiam inter illos qui legatione funguntur pro Christo, quorsum tum primo postquã Iudas laqueo se suspenderat, institutus est alius in locum eius, nisi quia eousque mansit in Ecclesia, & in auctoritate Apostolica? D. Facilè crediderim ex dictis scripturis occultos peccatores manere membra Ecclesiæ, etiamsi nunquam pœniteant. Verùm indignum videtur quòd ij qui in manifesto sunt peccatores, vt prostitutæ meretrices, publici vsurarij, aliique sceleribus prorsus infames, computentur inter vera membra, vereque domesticos Ecclesiæ sanctæ. Nam quomodo sancta si eiusmodi sceleribus ac fæcibus est dehonestata? M.

An peccatores manifesti sint in Ecclesia.

Hæresis est dicere manifestos peccatores non esse in Ecclesia.

Filii dicere in Ecclesia posse esse peccatores occultos, non autem manifestos, est hæresis Donatistarum, olim tempore Augustini damnata à patribus. Quod & demonstrat idem August. in epistola sua ad Donatistas I. cùm ex Euangelio, tum ex doctrina Apostoli Pauli. Ex Euangelio quidem per claues Ecclesiæ traditas, quas ad ligandum & soluendum suscepit Ecclesia. Vnde, inquit, peccans in nos, non ob id foris esse legitur, sed toleratur, donec primum monitus inter nos & ipsum solum, posteà denuntiatus cótempserit iudicium Ecclesiæ, quod vbi contempsit, tunc demum habendus est Ethnicus, & publicanus, id est, tanquam proiectus foras, ac prorsus alienus à consortio Ecclesiæ Catholicæ. Iudicium autem eiusmodi ferri non potest, nisi super peccatoribus manifestis. Manifestis dico, vel testium depositione, vel sceleris euidentia. Ex doctrina verò Pauli id demonstrat, quoniam obiurgat Apostolus grauiter Corinthios, quòd publicum quendam fornicarium tolerabant in Ecclesia, iubens illum tolli seu auferri, atque extra Ecclesiã fieri, I. ad Cor. 5. Manifestè iudicans peccatorem in Ecclesia permanere quamlibet enormiter ac publicè peccauerit, donec per iudicium præpositorum Ecclesiæ, ab eadem resecatus fuerit. Firmissimè igitur crede, vtor Aug. verbis, & nullatenus dubites, aream Dei esse Ecclesiam Catholicã, & intra eam vsque ad finem sæculi bonos malis sacramentorũ cõmunione misceri, & in professione, siue clericorũ, siue monachorum, siue laicorũ, bonos simul esse cum malis. Verba sunt D. Aug. qui lib. 7. contra Donatistas ostendit docendi caussa (ne putes nos vel latum vnguem discedere à doctrina patrum) ꝙ esse in domo Dei siue in Ecclesia bifariam dicitur. Vno modo esse in ea tanquam membrum in compage iustitiæ, particeps spiritualis vitæ, hoc est, cohærens ceteris membris in spiritu caritatis, quod nos diximus inesse per modum membri homogenij. Alio modo esse in domo Dei siue Ecclesia est adhærere membris Ecclesiæ, sicut palea tritico, capilli, membraque arida corpori: quod diximus nos, inesse per modum membri quod non participat spiritum viuificũ totius, quomodo insunt mali Christiani. Veruntamen siue isto, siue illo modo sint in Ecclesia, semper re vera insunt, donec iudicio Ecclesiæ separentur per excommunicationem, vel ipsi sua sponte prosiliãt foras extra Ecclesiã, persequentes aut contemnentes eandem, vel denique à Deo exterminentur per mortẽ, in æternam damnationem. Porrò foris sunt & extra Ecclesiam omnes nondum baptizati, omnes hæretici, schismatici, qui iam vel eiecti sunt auctoritate legitima, vel sua sponte prosilierunt extra Ecclesiam, & excommunicati, etiam si Christiani hominis nomen, & formam portent: donec, & quousque per reconciliationem reassumantur ad gremium matris Ecclesiæ, potissimùm autem foris sunt damnati à Deo ad æternam gehennam ignis.

Esse in Ecclesia Dei bifariam dicitur secundum August.

Quo modo solui debeant argumenta quæ hic obijci solent. CAP. VI.



NOn possum hic non obijcere pauca. Primò: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ergo nec membrũ Ecclesiæ ipsius. D.

1. argumẽtum.

M. Sic docet Apostolus ad Rom. 8. quoniã talis non est particeps redemptionis, quæ est in sanguine eius, quare neque genus ducit ex Deo, neque consors est Christi in iustitia, quę secundum Deum est, vt sit frater & coheres eius, & hic est intellectus dicti Apost. ad Roman. Pertinet nihilominus talis ad vocatio-

Solutio.

nem

nem Christi (iuxta illud: Multi sunt vocati: pauci verò electi) sacramento iam transplantatus de mundo in vineam Domini, ad eum finem vt fieret vua, sed factus est labrusca, prout habes Esaiæ 5. in qua pascitur & velut stercoratur verbo Dei ac sacramẽtis, vt tandẽ incipiat verè esse Christi, eiusdẽ spiritus participatione quod non est. D. Secũdò: Nunquid omnes impij & iniusti ex patre Diabolo sunt? M. Sic palàm docet Ioannes dicẽs:

2. argumentum.

Qui facit peccatum ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. D. Quomodo ergo potest esse membrum corporis Christi, quod est Ecclesia? Nam quæ conuentio Christi ad Belial, lucis ad tenebras, vitæ ad mortem? M. Prorsus nulla, amoris scilicet vel amicitiæ, sed potius hostilis conuentio, qua congreditur cum Diabolo Christus, vt dissoluat opera eius, & spolia detrahat, qua itẽ cõuentione & mors absorbeatur à vita in victoria. Et eam certe ob caussam ascisitur retineturque in Ecclesia peccator, vt fide, sacramentis, ijsque exercitijs, per Christum soluatur in eo opus Diaboli, & incipiat aliquando animari spiritu Christi, fiatque lux in Domino, qui anteà tenebræ erat. Quòd si nihil horum fiat, tempore quo gratiosè continetur in Ecclesia, tandem tremendo Dei iudicio abscinditur, proijciendus procul in ignem æternum. Vt autem non mireris in corpore mystico Christi, quod est Ecclesia, simul esse lucem & tenebras: vitam ac mortem: membrum diaboli, cum membris Christi:

solutio.

Apta similia.

Conuerte oculos ad similia quæ passim obuia sunt in scripturis. Nam in nobis, vti docet Apostolus, Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. Spiritus seruit legi Dei: Caro autem legi peccati. Caro enim legi Dei non est subiecta, neque enim potest. Spiritus concupiscit aduersus carnem: caro aduersus spiritum. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, idque toto tempore peregrinationis huius: Non obstante quòd duæ hæ partes colligatæ sunt in vno eodemque supposito hominis. Quid igitur mirum quòd in mystico corpore Christi quamdiu peregrinamur hic à Domino, sint simul colligata membra quædam Diaboli, cum electis membris Christi: carnales cum spiritualibus: mortui cum viuentibus? Et ideo diximus suprà malos inesse tanquam membra heterogenia, id est, alterius naturæ, quia mali Christiani plus habent de natura Diaboli, quàm de natura Christi, fide quidem sunt Christi: corde verò & opere, sunt Diaboli.

Rom. 6. & 7.

Galat. 5.

3. argumentum.

D. Aptissima est similitudo, & conuincit. Verùm qua ratione, aut quo vinculo, vel qua tandem operatione, manent colligati alijs membris in corpore Ecclesiæ Christiani peccatores, magis quàm hæretici, aut excõmunicati: cùm non minus illi quàm isti sint vacui caritate & spiritu Christi? M. Aliud est Spiritus sanctus, aliud donum eius: sicut aliud est Deus, aliud beneficium eius. Multi participes sunt quorundam donorum Spiritus sancti, qui tamen non habent Spiritum sanctum inhabitantem, aut intus animantem. Habuit Caiphas donum prophetiæ à Spiritu sancto, non tamen habebat spiritũ Dei intus viuificantem, Ioan. 11. Habuerunt & multi ex principibus Iudæorũ fidem Christi, quæ est donum Spiritus sancti: manebant tamen sine caritate, quia dilexerũt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei, Ioan. 12.

Solutio. Aliud spiritus sanctus, aliud donũ ei⁹.

In multis est donũ Spiritus sancti in quibus non est Spiritus sanctus.

Fuerunt insuper quidam gratia miraculorũ potentes: qui tamen non sequebantur Christum, Marc. 9. Nec salui facti sunt, Matthæi 7. Sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, genera linguarum, interpretatio sermonum, omnia sunt à Spiritu sancto. Hæc enim omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Adeò vt nemo dicat Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto, 1. ad Corint. 12. Diuidens, dico, singulis sæpè citra caritatis infusionem, vti patet ex capite sequenti, & locis præallegatis. Multis itaque insunt varia dona Spiritus sancti, quos tamen non inhabitat viuificator spiritus. Sicut esse, viuere, ratione vti, insunt vniuersis hominibus, non nisi beneficio Dei operantis hoc in illis, donec de medio fiant, vel morte naturali, vel sua volũtate vel iustitiæ necessitate: nihilominus tamen pagani siue Ethnici, vocãtur athei, & sine Deo secundum scripturam. Itaque impij, & iniusti Christiani manent colligati alijs membris in Ecclesia operatione Spiritus sancti & donis eius, nempe fide, confessione, sacramento, & consensu sub hierarchia Ecclesiæ. Quæ omnia beneficus spiritus Domini operatur circa Christianum, etiamsi vacuus sit caritate donec de medio Ecclesiæ fiat, vel sua voluntate vt hæretici: vel fato naturæ, vt morientes sine pœnitentia, vel executione iustitiæ, vt intolerabiles, nolentes audire Ecclesiam Dei.

Mali manẽt colligati in Ecclesia non Spiritu sancto inhabitante, sed donis eius.

simile.

Simile non ineptum habes in corpore naturali, in quo capilli, & vngues, membraque arida, licet vita in se careant, tamen operatione & efficacia viuificantis animæ locum suum, & officium retinent, in massa totius, donec vel excidant sua sponte, vel excindantur violenter. Fatuum est, impium, & repugnans dicere vinculum quo retinentur membra in corpore Ecclesiæ militantis, esse cari-

caritatem, aut præsentem iustitiam, aut prædestinationis gratiam, quod vltimum finxere VViclefistæ, ceteris irrationabilius loquētes, quia quotquot saluabantur ex gentibus prædicatione Apostolorum, fuissent hac cōtemplatione in Ecclesia etiam ante baptisma, tempore paganismi & infidelitatis, contra A-
1. Cor. 5. postolum dicentem: Quid mihi de his qui foris sunt iudicare? At condemnauit errorem hunc Ecclesia in Concilio Constantieñ, sessione decima quinta. D. Et quid, precor, impulit istos homines ad figmētū eiusmodi scripturis tàm contrarium? M. Mala mens, malus animus perturbandi vniuersa. Si enim non sunt in Ecclesia nisi iusti aut prædestinati, manet ergo locus excipiendi aduersus om-
Finis ob quē hæretici cōtendūt malos nō esse in Ecclesia. nes gubernatores cōstitutos in regimine Ecclesiæ. Nam dici potest eo casu contra singulos. Quid agis? Non est vlla penes te potestas Ecclesiastica, incertum enim est an sis in Ecclesia, ex quo incertum est, an sis in caritate, aut gratia prædestinationis. Potestas autem Ecclesiastica non potest residere nisi in membro Ecclesiæ. Sicque non solum manerent mala impunita, sed & vniuersa penderent ex incerto. Quod vtique intendunt qui talia dogmatizant, quo peccent, statuant, diruant, immutent omnia pro suo arbitratu,
4. argumentum. sine iudice. D. Ceterùm quomodo potest non maculare bonos consuetudo malorum?
An in Ecclesia boni maculentur malis. Cùm dicat Psalm. Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Iuxta tritū prouerbium: Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea. Si igitur sint misti in Ecclesia mali ac scelerati cum bonis, ergo omnes maculati erunt: illi suis criminibus, isti illorum consuetudine. Vbi igitur illa puritatis appellatio qua dicitur Ecclesia sancta? M. Sic olim dice-
Solutio. bant Donatistæ & Rogatistæ. At B. August. epistola 150. & 160. contra Crescentium, & Donatistas, ostendit multis rationibus, bonis viuentibus in Ecclesia nihil præiudicare aliena peccata, quia consuetudo malorum nō maculat aliquem communione sacramentorum, sed consensu malefactorum: sicut præsentia Iudæ proditoris non commaculabat Christi Apostolos non consentientes in malitiam eius, tametsi communicaret cum eis & in conuictu, & in sacramento. Neque posset veritas huius difficultatis euidentius demonstrari quàm illo Saluatoris: Vos mundi estis, sed non omnes, sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum. Propterea dixit: Sed non omnes, Ioan. 13. Vides Apostolos mansisse mundos, non obstante quòd inter eos esset immundissimus ille traditor Iudas, vnus de numero Apostolorum. Vt autem finiam, dicitur insuper Ecclesia sancta ea ratione, quia continet in se omnia instrumenta, omnia que media sanctificationi hominum deputata à Christo: videlicet, Verbum Dei, sacramenta & hierarchiam cum disciplina iustitiæ seruandæ. Quod plus est, continet in se totum thezaurum meritorum Christi. Nam tradidit Christus semetipsum pro Ecclesia, Ephes. 5. Quapropter vel hac etiam ratione sancta dici potest, quia sanctificat ministerialiter per hæc quæ à Christo accepit, quomodo medicina dicitur sana quia sanat. Adeò vt non possit inueniri salus animarum, nisi in Ecclesia sancta. Sicut olim tempore diluuij nemo saluari potuit extra arcam, quæ typum gessit Ecclesiæ sanctæ. Denique sancta dicitur, quia Deo consecrata sanguine Christi. Iuxta illud: Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te in iustitia & iudicio; eo modo quo templa dicuntur sancta, quia Deo consecrata. Nunc pergamus ad quartam proprietatem.

Ecclesia dicitur sancta quia cōtinet in se omnia sanctificationis media.

Ecclesia dicitur sancta quia sanctificat.

1. Pet. 4.

De quarta proprietate Ecclesiæ Dei qua dicitur Apostolica. CAP. VII.



Symbolum quidem Apostolorum non meminit huius quartæ proprietatis qua Ecclesia dicitur Apostolica, verùm Symbolum Missæ partim editum in Concilio Constantinopolitano ponit inter alias etiam hanc proprietatem dicens: Et vnam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. D. Vocem hanc, Apostolica, credo interpretari, pertinens ad Apostolos: Apostolos verò dici missos siue legatos cum potestate agendi, quod in mandatis acceperunt. M. Rectè, diciturque Ecclesia eam ob caussam Apostolica, quia ab Apostolis fundata, adhuc retinet sibi non quidem furtiuè, aut per rapinam, sed legitima successione, eam auctoritatem, eam iurisdictionem, eam denique functionem, quam Christus tradidit collegio Apostolorum, quamque & habuit Ecclesia sub Apostolis constituta. Eoque modo, & ordine, quo tunc temporis habuit, etiam nunc habet. D. Profectò hoc si demonstrari potest, meritò Apostolica dici debet. M. Ad Ephesi. 4. sic habes: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Primæ verò ad Corinth. 12. sic: Et quosdam quidem posuit in Ecclesia: primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, & cetera. Vno loco habetur, dedit, quia potestates, & functiones Eccle-

M.

Quare Ecclesia dicatur Apostolica.

Ecclesiasticas non habemus nisi donatione Dei per Christum. Alio loco habetur, posuit in Ecclesia, hoc est, ordinauit & constituit vt sint in Ecclesia quamdiu ipsa durabit.

aptum simile.

Quemadmodum rex ædificata sibi ciuitate, si ponat in ea dignitatem senatoriã & prætoriam, nequaquam vult illas vitales esse, ad vitam vnius vel alterius tunc possidentis, sed perennes: vt quamdiu existat ciuitas, tamdiu maneant in ea eiusmodi dignitates. Ex verbis autẽ Apostoli ad Ephes. fit euidens quod dicimus. Nõ enim posuit Deus prædictas facultates in Ecclesia, ad vtilitatem illorum qui tum temporis illis fungebantur, sed ad consummationẽ, inquit Paulus, sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Quæ tria videlicet ad consummationem sanctorum, deinde in opus ministerij, tertio in ædificationem Ecclesiç diligenter notãda sunt. Ideo enim posuit illas in Ecclesia, vt per eas numerus sanctorum compleatur: ministerium insuper, hoc est, dispensatio mysteriorum Dei indesinenter fiat, ac tertio perenniter ædificetur corpus Christi, quod est Ecclesia. Addit præterea: Donec occurramus omnes (scilicet saluãdi) in vnitatem fidei & agnitionis, quod plus est, in virum perfectum. Ergo nequaquam expirauit functio Apostolica cum ipsis Apostolis, aut potestas euangelizandi, pascendi, docendi, cum ipsis qui tum temporis erant euangelistæ, pastores, & doctores. Quia necdum ne nunc quidem sanctorum cõsummatus est numerus, necdum cessat ministerium, nondũ etiam ædificatio corporis Christi completa est. Nondum omnes saluandi occurrerunt in vnitatem fidei, neque ad agnitionem veritatis peruenerunt. Vnus est enim mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, non tantùm pro illis qui tum temporis viuebant, sed pro omnibus, 1. ad Timoth. 2.

Alia via probandi Ecclesiã esse Apostolicam.

Potest istud & hoc modo demonstrari, quia Apostoli facultates quas acceperunt à Christo, easdem & ipsi transfuderunt in alios. Paulus in Timotheum, & Titum: Dans illis non solum potestatem, sed & mandatum transfundendi easdẽm vlterius in alios. Nam scribit ad Titum hoc modo: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Tu constituas siue disponas presbyteros per ciuitates circumiacentes, eodem modo sicut ego disposui tibi, per impositionem manuum presbyterij. Depingens ei, sicut & Timotheo eas qualitates, quibus debeant pollere, ij quos constituerent per ciuitates Episcopos, presbyteros, aut diaconos. Si quis sine crimine, vnius vxoris vir & cetera. Habes præterea à Actuum 1. quòd sub Apostolis Episcopatus Iudæ transfusus est in Mathiam, Petro probante quòd id deberet fieri, per verbum Psalmistę dicentis: Et Episcopatum eius accipiat alter.

Psal. 108.

Ipsum dico Episcopatum Iudæ accipiat alter succedens in functionem eius.

Idẽ Episcopatus qui fuit in ecclesia tẽporibus Apostolorũ & nũc est in ecclesia.

Nõ fuit vnquam in Ecclesia nouus aut alius Episcopatus: sed quem acceperunt Apostoli à Christo idem ab Apostolis transfusus est in alios, ac alios perpetua quadam successione, vsque ad eos quos nunc habet Ecclesia Episcopos & sacerdotes.

Eadem potestas iurisdictionis quę tẽporibus Apostolorũ fuit etiã nũc est in Ecclesia.

Prorsus idem dicendum de Ecclesiastica iurisdictione & auctoritate finiendi controuersias circa fidem & mores, arguendi, corrigendi, excommunicandi. Nam vt has facultates acceperũt Apostoli à Christo, cui omne iudicium dederat Pater, constituens omnia in manu eius: Ita & ipsi Apostoli eas transfuderunt in alios, addentes instructionem bene vtendi eisdem facultatibus. Ad Timoth. sic scribit Paulus:

1. Tim 5.

Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Tu Timothee nunc constitutus in sede iurisdictionis Episcopalis, eaque recipias accusationem &c. Peccantes autem coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant. In priori verò capite inquit: Præcipe hæc. Nemo adolescentiam tuam contemnat. Ad Tit. autem sic scribit: Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

1. Tim. 4.
Ad Tit. 2.

Ista indubiè non sunt nisi habentis potestatem, & iurisdictionem præcipiendi, & arguendi, cum omni imperio. Sed de his dicemus fusiùs, lib. 3. in materia quarti mandati, de honorandis parentibus.

Eadẽ nũc potestas excõmunicãdi in Ecclesia quæ fuit olim.

Quòd autẽ excommunicatio qua nunc vtitur Ecclesia, velut Apostolica pollens auctoritate, sit eadem cum excommunicatione qua vtebantur Apostoli, clarè patet ex formulis excommunicandi præscriptis Ecclesiæ, tum à Domino, tum ab Apostolis. Nunc excommunicat Ecclesia eos qui scandalo sunt, non vni tantum, aut alteri personæ, sed ipsi Ecclesiæ, id est communitati Christifidelium, hoc autem vt faceret, legem accepit à Christo dicẽte: Si scandalizat te oculus tuus, manus tua, pes tuus, erue, abscinde, proijce abs te, Matthæi 15. loquens ad Ecclesiam credentium. Erue, inquit, extra communitatem tuam: Abscinde à corpore tuo: Proijce foras. Nunc excommunicat schismaticos, & seditiosos homines, qui nolunt monentem Ecclesiam audire. Hoc autem vt fieret, legem tulit Christus statuens: Si Ecclesiam non audierit, sit

tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen amē dico vobis quodcunque alligaueritis super terram, erit alligatum & in cælis. Ecce potestatem adiungit faciendi, quod vt fieret, per legem præcepit, Matth. 18. Nunc excommunicatione segregrat hæreticū hominē, nō solum à participatione eorum quæ sacra sunt, verùm etiam à consuetudine in ciuilibus. Quod sanè vt sic facerent formam præscripserunt sibi Apostoli. Paulus ad Galat. 1. Si quis euangelizauerit vobis præter id quod euangelizatum est, anathema sit. Iterum ad Titum 3. Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita: adeò vt non recipiat eum quis in domum suam, nec aue illi dixeritis, 2. ad Tessalonicens. 3. & 2. epist. Ioan. Audet insuper nunc Ecclesia, & excommunicat eos qui fœdis & prauis sceleribus ipsam quasi despicabilem faciunt, tradendo tales Sathanæ, nam omnis excommunicatio est quædam traditio Sathanæ. Hoc autem vt faceret audenter, reliquit ei Apostolus manifestum exemplum, tradendo visibiliter Sathanæ ad interitum carnis, primo incestuosum illum Corinthium, 1. ad Corint. 5. deinde blasphemos illos Alexandrum & Hymenæum, 1. ad Timoth. 1. Adeoque constanter retinuit hanc disciplinam Ecclesia, vt nulla vnquam tyrannorum vi, nullo impetu furentis populi, sibi eripi eam sit passa: Paratior semper vitam perdere quàm hanc potestatem. Quoniam sine ea ne vita quidem corporis Ecclesiæ, aut vlla forma religionis constare posset. Argumenta sume à naturalibus. Nisi minuas sanguinem noxium phlebotomia. Iterum nisi tempestiuè resceces membrū igni pestifero infectum, perdis totum. Et ab ouili nisi submoueas ouem morbidam, perdis integrum gregem. Hinc Cyprianus Martyr rectissimè dixisse legitur, quòd excommunicatio sit custos fidei, retinaculum spei, index itineris salutaris, fomes virtutum, & omnis corruptelæ repurgatio, quam qui dimiserit instabili cursu erret necesse est, & huc atque illuc impulsus, varijs dissidentium malorum tempestatibus dissipabitur, & quasi extorto de manibus Conciliorum gubernaculo, nauem Ecclesiasticæ salutis illidet in scopulos. Hæc ille. D. Et bene ac conformiter scripturis, quantum ex præmissis intelligo. M. Non alia, sed prorsus eadem potestas iurisdictionis, quę nunc est in Ecclesia, etiam olim fuit temporibus Apostolorum. Neque aliud sacerdotium in nobis, aliud in illis, aut alius nunc Episcopatus, alius olim: sed idem Episcopatus qui olim in Apostolis, nunc est in præsulibus Ecclesiarum nostrarū.

Sententia Cypriani de excōmunicatione.

Alia ratio quare Ecclesia Dei vera Apostolica dicitur.

Et sic de singulis alijs functionibus, & potestatibus Ecclesiasticis. Itaque meritò Ecclesia est, diciturque Apostolica, habens eandem auctoritatem finiendi controuersias, & dubia circa scripturam seu regulam fidei, quā habuerunt olim Apostoli: adeò vt Apostolus audeat dicere quòd Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis. Et Christus: Si Ecclesiam non audierit, scilicet in decretis suis circa credenda, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. De hoc satis. At nunc dicamus vlterius de quinta proprietate.

De quinta proprietate Ecclesiæ, qua dicitur in ea esse sanctorum communio.

CAP. VIII.



Vinta proprietas Ecclesię est, quòd in ipsa sit sanctorum communio. M.
D. Putabam ego hanc clausulā facere articulum per se. M. Sic sentiunt multi, nec argui possunt mali iudicij. Rectiùs tamen iungitur præcedenti articulo, vt explicet nobis quintam Ecclesię proprietatem. D. At qualis est ista communio, & quorum sanctorum communio? M. Est quædam communio rerum temporaliū, de qua habes Act. 2. & 4. Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Est communio membrorum vnius corporis, quam prolixè explicat Apostolus 1. ad Corint. 12. Est præterea communio sanctorum ad quam videtur respexisse Psal. dicens: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua, Psalm. 118. Est denique communio impiorum, de qua iterum Psalmista. Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum nō stetit, & in chatedra pestilentiæ nō sedit. Alibi: Non veniat anima mea in consilium eorum. In articulo autem vox, sanctorum, referri potest, vel ad personas Deo deuotas, vel ad res sanctas, quales sunt pretiosa illa dona Dei, quibus efficimur consortes diuinæ naturæ, sanguis insuper redemptionis Christi, mysteria seu sacramenta fidei, verbum Dei, promissa Euangelica, merita iustorum, deinde & templa, sacerdotia, sacrificia, ministrantium stipendia, & id genus alia Deo sacra. Si referatur ad res sanctas, tunc quidē eo modo est sanctorum communio in Ecclesia, quomodo erat cōmunio rerū temporaliū, olim inter Apo. & Apostolicos viros, post acceptū Spiritum sanctum, nunc verò inter monasticas personas. Nam sicut illis omnia erant communia, nec quisquam aliquid eorū quæ possidebat suum esse dicebat, neque quisquā

Multiplex est cōmunio, rerum & personarum.

Psal. 1.

Sanctorū in articulo vel ad res vel ad personas referi potest.

Quis sensus articuli si sanctorū referatur ad res.

inter illos egens erat, diuidebatur enim singulis prout cuique opus erat, sic in Ecclesia omnia sancta Dei quæ ad salutem animarum cælitus donata habemus, prorsus omnibus sunt communia: nec quisquam credentium de illis dicere debet, aliquid suum solius esse, sed vniuersa esse omnium, adeoque communia, ac communicanda cunctis, vt nullus inter Christianos, nisi prorsus velit, egens spiritualium bonorum esse possit. Non enim personarum acceptio est apud deū, sed vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, dicens: Aperi os tuum & imple bo illud. Hanc autem communionem pulcerrimè explicat Apostolus, Ephes. 4. dicens: Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, addens pro ratione, vnum corpus, in quo scilicet participamus omnes, alij velut membra homogenia, alij tanquam membra heterogenia: vnus spiritus, viuificans & sanctificans suis chrismatibus vniuersos, diuidendo singulis prout vult, vna fides, per quam habemus omnes accessum in gratiam istam in qua stamus & gloriamur. Sicut vocati estis, omnes, in vna spe vocationis vestræ, ad bona superna. Non enim aliud sperant diuites, aliud pauperes, aut aliud principes, aliud plebæi, vnum baptisma, ne quis glorietur aduersus alterum propter diuersitatem baptizantium vt fecerunt Corinthij, primo Corinth. primo, vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Sic vna Eucharistia porrigitur cunctis, quia tantùm accipit vnus quantum mille, tantum iste, quantum illi. Vna eademque Absolutio impenditur omnibus pœnitentibus, vnum Euangelium prædicatur coram omnibus, vna Confirmatio, vna Vnctio extrema datur singulis. Denique per ministerium Ecclesiæ, eisdem gratijs saluantur vniuersi quotquot saluantur, absque omni distinctione substantiæ rei quæ datur. Tametsi aliquando in modo tradendi posset esse quædam diuersitas solennitatum, idque ex caussa. Verùm vt olim in communione temporalium non rapiebat quisque sibi de communibus, quod & quantum volebat, sed diuidebatur singulis prout cuique opus erat, in hoc constitutis præpositis, seu diaconibus, sicut habetur Act. secundo, quarto, & sexto: Sic non debet quisque sibi rapere de bonis communibus Ecclesiæ quod, & quantum vult, sed illa dispensanda sunt singulis prout cuique opus est, & quantum conuenit in ædificationem Ecclesiæ, constitutis in hoc ministris, & dispensatoribus, prout habes 1. ad Corinth. 4. dicente Apostolo: Sic nos existimet homo

Communia nō debent rapi, sed dispēsari prout cuique opus est.

vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et alibi: Dei ministri sumus, Dei adiutores sumus, fungentes legatione pro Christo in terris. D. Addit, si bene memini Apostolus, dicens: Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. M. Hoc addit. Est autem fidelis dispensator, qui non quod suum est quærit, sed quod Iesu Christi committentis, quodq; cedit in ædificationem Ecclesiæ, in cuius gratiam sibi omnia commissa sunt. Etenim qui dispensando bona domini sui, aut se spectat, aut aurē quærit popularem, seu iudicium hominum, is ferè iniquus est dispensator. Hinc Apostolus: Mihi autem pro minimo est, si à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico. Aequus dispensator semper præ oculis habet instructionem committentis. At Christus committens ministerium, mandat hoc modo: Nolite sanctum dare canibus, Neque margaritas mittatis ante porcos, super addit Apostolus dicens: Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris alienis peccatis. Rursum: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Ecce sancta Dei, licet communia sint omnibus, non tamen passim, neque omnibus cōmunicanda sunt, sed prout cuiq; opus est, & conuenit iuxta instructionem cō mittentis. Similiter dicendum est de Sacramentis, Ordinis, & Matrimonij, de potestate Episcopali, & potestate Euangelizandi, quæ sunt res sanctæ, in communem vtilitatem Ecclesiæ constitutæ à Deo. Non tamen passim, neque omnibus dispensantur. Papa enim primus & supremus dispensator mysteriorum Dei sacerdotium non impendit coniugatis, neque nuptias permittit Sacerdotibus. Quia instructio committentis sic habet: Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotijs, 2. ad Tim. 2. Iterum: Qui cū vxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est, 1. ad Cor. 7. Neq; functionem Apostolicam cōmittit muliéri aut rerum diuinarum imperito. Quoniam Petrus surrogaturus vnū in locū Iudæ proditoris dixit. Oportet ex his viris qui nobiscū sunt congregari in omni tēpore quo intrauit, & exiuit nobiscum, vnum, testem nobiscum fieri, in locū scilicet Iudę. Nota verba, quod dicit, Oportet: secundò, ex his viris, & hoc in præsentia Mariæ, & aliarum mulierum sanctarum: tertiò, qui nobiscum sunt omni tempore, &c. Est ergo necesse vt non fungatur ministerio Episcopali in Eccle-

Quis sit fidelis dispensator bonorum communium.

Sācta Dei nō passim aut omnibus cōmunicanda sunt.

Ad Tim. 5

sia nisi is qui vir est,& vir peritus eorum quę egit & docuit Christus. Quoniam nec Christus commisit omnibus viris functiones Apostolicas, sed ex multis discipulis elegit sibi duodecim,quos & Apostolos vocauit. Verùm de his in Sacramento Ordinis dicemus latiùs. Sic potestas euangelizandi non committitur mulieribus: quia Apostolus dicit: Mulierem in Ecclesia loqui non permitto. Non enim vir seductus est,sed mulier. Ex his facilè intelligis, quomodo sit in Ecclesia sanctorum communio, si vox sanctorum referatur ad res sanctas. Si verò referatur ad personas Deo deuotas,tunc communio sanctorum eo modo intelligenda est, quomodo fit communio membrorum in vno corpore, quam communionem pulcerrimè explicat Apostolus 1. ad Corin. 12. Quod enim quęrit membrum vnum non sibi,sed omnibus quęrit,quod facit,omnibus facit,quod valet,omnibus valet,quod patitur omnium incommodo patitur. Quia in idipsum pro inuicem solicita sunt sibi membra. Sic sancti velut membra vnius corporis quod est Ecclesia in idipsum pro inuicem solicita sunt. Dum orant omnibus orant dicentes: Panem nostrum, non meum,da nobis hodie,non mihi: dimitte nobis debita nostra,non mihi debita mea, &cet. Dum laborant in via virtutum,omnibus laborant,non quæ sua sunt quærentes, sed quæ Iesu Christi,& quæ multorum, Persuasi quòd seipsos omnibus debeant secundum quod Paulus dicit,Græcis, & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, ad Romanos 1. Omnium insuper incommoda velut sua ita sibi cordi habent. Quis infirmatur,inquit Paulus,& ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? In hoc præscribens regulam hanc: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Hanc fili sanctorum hominum communionem,qua se totos omnibus impendunt, animaduertens Psalmista dixit constanter in fiducia cordis sui: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Porrò quàm sit exoptanda ista sanctorum communio, seu participatio, etiam ijs qui alioqui longè sunt à Deo, patet euidenter ex eo,quod scriptum est, Genesis 18. Si inuenero Sodomis, inquit Dominus, quinquaginta iustos in medio ciuitatis,dimittam omni loco propter eos. Respondens autem Abraham ait, Quia semel cœpi,loquar ad Dominum meum,cùm sim puluis,& cinis. Quid si minus quinquaginta iustis, quinque ibi fuerint? Et ait Dominus: Non delebo locum, si inuenero ibi quadraginta quinque iustos. Descendit verò Abraham interrogando ad decem vsque. Et ait Dominus: Propter decem non delebo locum, sed parcam vniuersis malis & sceleratis Sodomitis & circumiacentibus locis,propter decem bonos repertos inter eos. Ecce non solùm prodest bonis habere communionem cum sanctis,sed & sceleratis. Quod plus est,contingit malis nunc tutela à plagis, nunc benedictio in bonis suis temporalibus ex conuictu,& societate sanctorum. Nônne Dominus benedixit domui Laban propter pręsentiã Iacob? Et domui Putiphàris Aegyptij propter cõuictũ Ioseph? Ad Moysen insuper orantem pro populo Israelitico nônne dicit? Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos? quasi Moyse viro sancto orante pro populo, cui associatus erat, non potuisset irasci furor Domini contra eundem populum?

Quis sit sensus articuli si vox sanctorũ referatur ad personas.

1. Cor. 12.

Psal. 118.

Quàm sit sanctorũ cõmunio exoptãda etiam impijs.

D. Deus bone,si tantum valet apud Deum communicatio sanctorum,immo solus conuictus & societas iustorum hominum, profecto iungam me deinceps sanctis Dei hominibus,& corpore, & affectu,& morum similitudine, quantum potero. M. Hoc fac, & tutissimum animæ tuæ inuenies præsidium. Res magna est & efficacissima in Ecclesia Dei sanctorum communio, sine qua nec consistere quidẽ posset Ecclesia,sicut & corpus nostrum subsistere nequit, sine membrorum officiorumque communione. Verùm quemadmodum in officio membrorũ aliter participat membrum viuum,aliter mẽbrum aridum, Sic longè fructuosiùs participant in meritis aliorum sanctorum, piè viuentes eodem spiritu quo illi,quàm mali virtute vacui. Pius itaque esto, & indubiè particeps eris omnium quæ sanctorum sunt in Ecclesia dei, omnium quæ sunt capitis Christi, omniumque quæ superaddunt alia Deo deuota membra eius. Iuxta illud Apostoli: Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia ad Coloss. 1.

Aliter sũt participes sanctorũ iusti,aliter iniusti.

An hoc nostro sæculo Ecclesia hæreticorum haberi ac credi poterit vera Christi Ecclesia.

CAP. IX



M. FActio Lutherana contendit se esse Ecclesiam Christi, nosque respuit vt extorres & transfugas ad Ecclesiã Sathanæ. Contra nos qui sequimur antiquam colendi formam, gloriamur nos foueri in gremio illius Ecclesiæ, quæ est prælecta Christi sponsa. Instant illi, refellimus

Contẽtio inter Lutheranos & Catholicos de Ecclesia Christi.

mus nos, fitque pugna aeris, & secundum spe ciem quasi dubia, hoc nostro tempore. D. Et quis dirimet nobis litem? M. Definitio à proprijs sumpta, quia nunquã fallit ea quæ sumitur ex proprietatibus rei notitia. Itaque neque veriùs neque certiùs cognosci potest, quæ sit hoc nostro sæculo Dei ac Christi Ecclesia, quàm ex proprietatibus quas ipsi tribuit sacrosancta scriptura, quas paulò ante demonstrauimus. In quocunque igitur populo credentium inueneris dictarum proprietatum collectionem, illum habe, illumque asse re veram Christi esse Ecclesiam: in quacunq; verò natione, gente, aut secta hominum non inueneris dictas proprietates, illam iudica adulterinã, sperne insuper ac fuge tãquam malignantium Ecclesiam, Christo Domino prorsus aduersariam. Exempli gratia: Ecclesia nũc collecta in populo sectario Germaniæ per Lutherum, Zuinglium, Bucerum, Caluinum, & id genus alios, nullo modo est aut dici potest Dei ac Christi Ecclesia. D. Hoc tamen constanter asserunt. M. Sed falsò. Quandoquidẽ in illa, ne vna quidem reperitur dictarũ proprietatum. Vt autem à prima incipiam. Neq; vna est, & indiuisa in se. Neque item vna, ac eadem cum antecedentibus Ecclesijs, extendens genealogiam suam vsque in matricem Ecclesiam sub Christo collectam. Non quidẽ vna in se. Quoniam tempore viuentis adhuc Lutheri inuenitur multifariam diuisa in sexcentas, credo, formas & sectas: nempe Lutheranam, Zuinglianam, Memnonisticam, Dauidisticam, Georgisticam, Adamiticam, nec nõ & Dæmoniacam, eorum qui decies in die adorãt Diabolum. Quarum tamen nulla conspirat cum alia, neque in doctrina fidei, neque in Symbolis seu Sacramentis religionis. Alij nullam recipiunt scripturam, vt Dauidistæ, & Dæmoniaci. Alij semiplenam vt Lutherani, & Anabaptistæ, reijcientes à Canone libros Machabæorum, eò quòd in illis probentur suffragia viuorum pro defunctis, opitulationes item sanctorum in cælis pro viuentibus super terram, epistolam quoque Iacobi propter commendationem bonorum operum. Alij nullum sensum scripturarum admittunt nisi mysticum, ac spiritualem vt Georgistæ. Rursum alij nolunt nisi duo esse Sacramenta, Baptismum scilicet & cenam Domini, & illa longè diuersa faciunt ab his quæ tradita fuerunt ab initio, vt protestantes. Alij non admittunt pædobaptismum, id est, baptisma infantum, vt Memnonistæ. Alij detrahunt sanctis inuocationem, & cultum, interim permittentes eis cælũ, vt plurimi protestantium: nam multi inter eos, ne cælum quidem eis permittunt, sed inter dormientes collocatos volunt, vsque ad extremum iudicium. Alij tollunt purgatorium. Alij nec infernum quidem, aut cælum concedunt, opinantes nihil esse expectandum post mortem, sed animam simul interire cum corpore, vt Dæmoniaci. Alij nihil discriminis ponunt inter pudenda & honestiora mẽbra corporis, omnia omnium oculis nudantes, vt Adamitæ. Alij plus æquo tribuentes matrimonio, etiã incestuosa venerantur connubia sacerdotũ, monialium, affiniumque vt protestantes. Alij omnem feminam omni viro communem esse volunt, vt Dauidistæ. Alij Deum adorant non tamen Christum filium Mariæ, vt multi in Anglia. Alij neque Deum, neque Christum adorant, sed Diabolum, vt dæmoniaci, colentes instantius pro virtute quidquid magis placere putant dæmonio. Neque omnino nõ potuit de se non generare varias seditiones in populo hæc tanta varietas sectarum. Primum quidem cœpit vilipendi auctoritas maiorũ, & traditio patrum: mox ventum est ad audaciã temerè opinandi quiduis circa fidem: ex opinionibus verò ad hæreses, ex hæresibus denique ad arma; et cœptum est iam non tã linguis, aut calamo certari, quàm robore brachiorũ, hastis, gladijs, bombardis: nõnunquã per insidias, aliquando aperto Marte: adeò vt ab anno decimo octauo vsque nunc perierint seditiosè ac tumultuariè propter sectas, longè plures quàm sexcenta millia Germanorũ. Nolo mihi credas, sed fidem adhibe fidis rerum nostri temporis historijs, maximè illi quam scripsit illustris doctor Ioannes Cochlęus de actis & scriptis Lutheri ab anno decimo octauo, supra millesimũ quingentesimum vsque ad annum quadragesimum sextum. Crede insuper viuis harum tragœdiarum exẽplis quę ipsi nostris inspeximus oculis. Quod fuit hæresis dum inciperet Lutherus, hoc posteà factũ est audacia prędandi, miscendiq; omnia luxurijs, dissidijs, direptionibus, sanguine. Et in hac tanta varietate sectarũ tantisq; seditionum dissidijs, vbi precor illud Apostoli? Vnũ corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium? Vbi & illud, Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in vno sensu & vna sententia? cùm sit inuenire inter eos tot hæresiarchas, quot pręclara ingenia: tot sectas, quot oppida, immo plures, quia vnum oppidum Emdense, vti fama est, claudit intra portas suas plures septem numero sectas. Quod autem factio Sectariorum huius temporis nequaquã vna sit cum

Marginal notes:
- Medium cognoscẽdi quæ sit hoc nostro seculo Ecclesia Christi.
- Ecclesia populi sectarij Germaniæ non potest esse christi Ecclesia.
- Ecclesia Sectariorum non est vna.
- Ad Eph. 4.
- 1. Cor. 1.
- Ecclesia protestantium non est eadem cum præcedentibus Ecclesijs

cum Ecclesijs antecedentibus ex eo conuincitur, quia non recipit confessionem peccatorum, qua homo homini confitetur peccata sua, quam Christus tradidit, Ioann. 20. Ioannes autem Baptista velut incoepit tanquam praecursor Domini, Matthaei. 3. Ecclesia verò sub Apostolis vsurpauit, Iacobi vltimo. Act. 19. & succedentes Ecclesiae immobiliter retinuerunt vsque ad tempora nostra. Iterum ex eo, quia temporibus Christi & Apostolorum thema totius praedicationis Euangelicae erat: Poenitentiam agite, appropinquauit enim regnum caelorum, Et dignos facite fructus poenitentiae. At sectarij nostri temporis ne nomen quidem ferunt poenitentiae, mutantes vocem, poenitentia, in resipiscentiam, rem quoque in id, quod est de cetero non facere. Tertiò ex eo, quia Christus caput Ecclesiae tam vita quàm verbo docuit virginitatem praeferendam coniugio. Quod idem testati sunt exemplo, Praecursor Domini, & Mater eius virgo Maria. Idemque docuit Apostolus bonis rationibus, 1. ad Corint. 7. extendẽs hoc ipsum ad caelibatum & viduitatem: quã denique eandem doctrinam firmiter retinuerunt succedentes Ecclesiae, vti constat ex fidis historijs, in infinitis personis quae maluerunt interimi quàm virginitatem matrimonio cõmutare. At nunc temporis sectariorum alij aequant virginitatem matrimonio, alij prohibitam esse contendunt illo verbo scripturae: Crescite, & multiplicamini, alij in lupanar meretricum conuertunt, docẽtes promiscuũ vsum Veneris bestiarum more. Sic sacrificium altaris, institutum à Domino, religiosè insuper custoditum per omnem antecedentẽ Ecclesiã prorsus ecõmutant, alij in cenam Dominicam, alij in nudum signum rememoratiuũ passionis Domini: multi autem penitus abijciunt, pedibusque conculcant. Similia schismata istorum sectariorum à praecedentibus Ecclesijs penè infinita tibi demonstrari possunt, per quae fit luce clarius: Primò eorum Ecclesiam non esse eandem cum antecedentibus Ecclesijs. Secundò indesinenter illos peccare contra mandatũ Apostoli praecipientis hoc modo: State et tenete traditiones quas accepistis. Iterum: Si quis euangelizauerit praeter id quod euẽgelizatum est, anathema sit. D. Nunc quantum ad alias proprietates Ecclesiae Dei quibus dicitur Catholica & Apostolica, an conueniant sectariorum nostri temporis Ecclesiae. M. Nullo modo. Illa enim tantummodo angularis est atque temporanea: Non quidem nascens ex praecedentibus, vti partim constat ex praemissis, partim verò ex mox dicendis audies, sed surgens per malitiam in nouissimis diebus, de quibus diebus loquuntur Apostoli, 1. ad Timotheum 4. 2. ad Timoth. 3. Iud. 1. docentes quòd in illis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Daemoniorum. Necdum etiam exiuit angulum orbis Christiani nouissimum, qui est versus Aquilonem, à quo panditur omne malum. Plus dico, necdum recepta est ne à media quidem parte Germaniae. Qua igitur ratione posset Catholica dici, id est, versãs circa totum tempus, in quo Christus praedicatur, & omnem locum vbi colitur? D. Nonne & hic inter nostrates? Item in Francia, & Italia sunt sectatores nouarum doctrinarum? M. Sunt quidem, sed vnus ac alter, & furtim, non in manifesto, neque impunè, quod non est magni aestimandum, quamdiu Respublicae manent integrae, studiosè exequẽtes, id quod orabat Apostolus Romanos, dicens: Rogo autem vos, fratres, vt obseruetis eos qui dissensionem, & offendicula praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis: huiusmodi enim Christo Iesu nõ seruiũt. Illud quoque: Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, hoc est, praeter ordinem & legem, inlicentia agendi quiduis, quam mali vocant libertatẽ Euangelicam, & non secundum traditionem quam accepistis à nobis. Et illud Saluatoris: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Ecclesia sancta olim sub Christo, erat quidem pusillus grex, conclusus finibus populi Israelitici, dicente Domino ad Apostolos: In fines Gentium ne abieritis: sed mox post datum Spiritum sanctum, fecunditate mirabili, creuit intra 30. annos in vniuersum mundum vsque ad vltimũ terrae, vt Catholica esset Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Protestantium verò Ecclesia habẽs nunc triginta annos aetatis suae, necdum fines Germaniae egressa est, neeedũ vllis signis nouitatem doctrinae suae probare potuit, immo vix nata cadere coepit. Nequaquam igitur est dicendã Catholica. Sed neque Apostolica appellari potest. Quia nihil possidet eorum quę Christus posuit in Ecclesia Apostolorum, neque praesidentiam, neque sacerdotium, neque iurisdictionem: Non verbum Dei, non debitam ministerij distributionem: sed quos libet volunt esse Euangelistas, pastores, & doctores. Cùm Christus dederit quosdam quidem esse Euangelistas, pastores, & doctores, non omnes, 1. ad Corinthios 13. ad Ephesios 4. Et sicut sacrificium altaris, ita & sacerdotium

Matt. 3. 4. Marc. 1. Luc. 3.

Ecclesiae Sectariorum non cõueniũt voces istę Catholica & Apostolica.

Roman. 16.

Marc. vlt.

Ecclesia Sectariorum non est Apostolica.

tium contemnunt, tantum abest vt successio ne legitima reciperent ab ijs qui prius acceperunt à Christo. Porro auctoritatem iurisdictionis prorsus nullam admittunt, asserentes Ecclesiasticos non posse habere nisi potestatem docendi ministrandique Sacramenta. D. Habent tamen verbum Dei, nam vbique se Euangelicos vocant ab Euangelio Christi, quod indesinenter, & studio pertractant insatigabili. M. Habent quidem scripturã verbi Dei: verbum autem dei minimè. Quia in scripturis non verbum Dei, sed suum, suique sensus docent verbum, prout suprà abundè declarauimus. D. Memini. M. Illinc pete: quia quod semel accepisti, sæpius ruminandum venit.

Quod Ecclesia Romana cum appendicibus quaqua versus per orbem dispersis, sit ipsa Catholica & Apostolica Dei Ecclesia.

CAP. X.

D. Sit satis verisimile ex his quæ dicta sunt capite superiori, apud Sectarios non esse Ecclesiam Dei. M. Verisimile dicis? quin potius illud certo certius est, ex demonstrationibus iam factis. D. Et ego certissimum habeo. Ceterùm quis populus, aut quæ nunc temporis natio facit Ecclesiam Dei? M. Vniuersitas rectè credentium per orbem dispersa, cuius & nos pars sumus. Siue omnes Christifideles in quocunque fuerint loco, vnius spiritus glutino, vniusque obedientiæ vinculo coëuntes in illam traditionem, easque Sacramenta, quæ per successionem ab antecedentibus Ecclesijs accepta sunt, sub hierarchia Romanæ cathedræ vnam faciunt, vna sunt, & dicuntur Ecclesia Catholica. Nec quærenda est ista Ecclesia in populo vnius, aut alterius prouinciæ: sed per omnem mundum, in regno Romano, & vniuersis alijs regnis, prouincijs, insulis, nationibus quantum libet distantibus, in quibus retinentur traditiones, per successionem acceptæ, sub præsidentia vnius vniuersalis pastoris, qui vt Christi vicarius, ita & Petri est successor in terris, qualis pastor & Petri successor est Romanus Pontifex. Nam alij Pōtifices etsi vicarij Christi sunt, pro ipso fungentes legatione super terram, sicut olim fecerunt Paulus, aliique Apostoli: Nemo tamen illorum successor est Petri, qui præ alijs Apostolis plenitudinem acceperat potestatis à Christo dicente: Tibi dabo claues regni cælorum, pasce agnos meos, pasce oues meas: & inter omnes meos Apostolos tu vnus me sequere, præsidendo vniuersis sicut & ego hucusque præsedi, vt sit omnium pastor vnus, à cuius regimine pendeat vnitas totius Ecclesiæ. In hac, dico, vniuersitate credētium & in nulla alia inuenimus dictas proprietates Ecclesiæ Dei. Quoniam quidem ipsa vna est in se non habens nisi vnam hierarchiam, vnam vbique doctrinam, eademq; symbola, seu Sacramenta religionis, sub obediētia vnius Romani Pontificis præsidentis omnibus & singulis, vna item cum antecedentibus Ecclesijs, extendens suã genealogiam vsque in eam Ecclesiam, cui Christus personaliter præsidebat. D. Ceterùm qua ratione ista probantur? M. Oculari inspectione, hoc pacto. Quoniã qui lustrat Italiam, Gallias, Hispanias, Siciliam, Vngariam, Austriam, Bauariam, & reliquas partes, ac insulas orbis Christiani necdum corruptas, is suis intuetur oculis, quòd idem, & eodem modo creditur, eadē præterea & eodem modo tractantur Sacramēta vbique per omnes has regiones, quodque omnes concorditer exhibent obedientiã Romano Pontifici referentes ad illius iudicium quidquid arduum est, ac difficile. Nec reperitur in dictis regionibus vllum schisma, vllaúe dissensio, in his quæ pertinent ad substantiam fidei, & Sacramentorum, prout inter Sectarios, sicut paulò antè declarauimus. Posterius verò nempe quod sit vna cum antecedentibus Ecclesijs probatur hoc modo. Nam quod nunc docemus in Ecclesia per omnem eius ditionē, hoc doctum est ante annos 300. & 400. vti est videre in libris quos ediderunt D. Thomas Aquinas, D. Bonauentura, D. Bernardus, Hugo de sancto Victore, alijque eius temporis scriptores. Hoc idē doctum est ante ann. 800. Vti est videre in libris presbyteri Bedæ, & Greg. Papæ, & aliorum qui ipsis cōtemporanei fuerunt. Hoc insuper idem doctum est ante annos 1130. quando claruerunt D. Aug. Hier. Chrysost. Basil. Ambr. Athanasius, Origenes, Cyprianus, vt est videre in libris eorum. Denique idem hoc doctũ est, & sub Apostolis, & statim post tempora eorundē, sicuti licet videre in libris noui Testamenti, in libris quoque D. Dionysij Areopag. D. Ignatij qui Apostolos vidit, Tertull. qui & ipse Apostolorum temporibus vicinus fuit. Potest & idem demonstrari in œcumenicis Concilijs Ecclesiæ diuersis temporibus, ob varias diuersasque hæreses celebratis. Itaque genealogiam suam extendit per seriem successionis, vsque in matricem Ecclesiã sub Christo collectam, siue doctrinam spectes, siue sacerdotium, & functionem potestatis. Nemo enim in Ecclesia Catholica quæ & Romana dicitur, à qua velut à capite nomen habet vniuersa Ecclesia rectè credentium, est sa-

Probatur vnitas & concordis Ecclesiæ nostræ in omnibus suis partibus.

Probatur Ecclesiæ nostræ vnitatis cum præcedētibus Ecclesijs.

cerdos

cerdos, nemo Epiſcopus, nemo Euangeliſta, aut doctor, qui non ſit factus talis à Christo, & per Chriſtum, ſecundum lineam ſuccedentium ſibi Epiſcoporum, ſicut nullus eſt homo in mundo qui non acceperit vitam ſuam ab Adam, ſecundum lineam ſuccedentium ſibi patrum. Etenim ego ordinatus ſum Sacerdos à meo Epiſcopo, qui ordinatus erat à ſuo Epiſcopo, & ille vlterius ab alio Epiſcopo, ſicque aſcendendo in Apoſtolos quos ordinauerat Chriſtus, Luc. 6. transfundens in illos de ſuo ſacerdotio, Matth. 26. Idem dicendum eſt de Epiſcopis. Nam nullus nunc eſt Epiſcopus, qui non ſit conſecratus talis ab alijs Epiſcopis, qui & ipſi erant conſecrati ab alijs ſic aſcendendo ad Apoſtolos vſque, & Chriſtum Dominum. Idem quoque eſt videre in poteſtate prædicandi verbum, & abſoluendi peccata. Nam ſicut Pater miſit Chriſtum euangelizare & abſoluere: ita Chriſtus miſit Apoſtolos, Marci vltimo, Ioann. 20. Et Apoſtoli vlterius miſerunt alios. Act. 13. & ad Tit. 1. Et Epiſcopi vlterius dum ordinant Diaconum, dant poteſtatem annuntiandi Euangelium Chriſti. Dum ſacerdotes conſecrant, ſuperaddunt poteſtatem remittendi & retinendi peccata, quam ipſi acceperant ab alijs Epiſcopis. Qui alij vlterius ab Apoſtolis, Apoſtoli verò à Chriſto, Chriſtus autem à Deo. Eundem denique ordinem ſucceſſionis licet videre in Romanis Pontificibus. Nam qui nūc reſidet in cathedra Petri legitima ordinatione ſucceſſit Paulo III, qui ſucceſſerat in locum Clementis defuncti: Clemens verò in locum Adriani VI, ſic aſcendendo ad beatum Petrum qui inſtitutus fuerat à Chriſto Domino in hoc ordine præſidendi ſuper omnē Eccleſiam, Ioann. vltimo. Petrus verò ſuggerente Deo conſtituit hanc primam Eccleſiæ cathedram in vrbe Romana, quæ tunc temporis erat caput mundi, & in eodem loco firmauit eam ſanguine martyrij, quod ibidem conſummauit. Sicut autem prædicta, ſic omnia alia quæ Chriſtus poſuit in Eccleſia tempore Apoſtolorum hucuſque permanent in Eccleſia Romana, cum ſuis appendicibus, per orbem diſperſis, quare merito & Apoſtolica & Catholica dici debet. Nam de duabus poſtremis proprietatibus, quibus Eccleſia Dei dicitur ſancta, habens in ſe ſanctorum communionem, breuitatis cauſſa nihil aliud hic quàm præmiſſum eſt dicendum cenſeo.

In qua Eccleſia ſit permanendum inuiolabile firmitate ſecundum definitiones Patrum.

CAP. XI.

M. In qua Eccleſia ſit permanendum.

NVnc, fili, in qua Eccleſia, tu tibi manendum cenſes, ſectariorum ne an noſtra qui antiquam ſequimur traditionem? D. Certè in noſtra, hoc eſt, ea cuius Romana cathedra eſt caput, eò quòd illa legitimè & hereditario iure ſucceſſionis poſſideat vniuerſa quæ Chriſtus poſuit in Eccleſia temporibus Apoſtolorum. M. Quod equidem vt conſtantius facias, proferam tibi de hac controuerſia iudicium virorum illuſtrium, qui longè præceſſerunt, & noſtra & Sectariorum tempora, ne ſuſpicetur quis illos in hanc, aut illā partem plus æquo fuiſſe propenſiores. Docet Tertullianus libro de præſcriptionibus hæreticorum, in illa Eccleſia cuique manendum eſſe, quæ & fidei traducem, & ſemina doctrinæ ab Apoſtolis accepta, in traditione publica retinet, velut generoſa ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Cuius omnis doctrina conſpirat cum Eccleſijs matricibus, & originalibus fidei, docendo hoc ipſum quod priores Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit.

Iudicium Tertulliani de Eccleſia Chriſti.

Poſt hunc docet Lactantius libro 4. diuinarum inſtitutionum, in illa eſſe permanendum Eccleſia, in qua ſunt religio, confeſſio, pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus ſubiecta eſt humana imbecillitas, ſalubriter curant.

Iudicium Lactantij de Eccleſia Catholica.

Poſt Lactantium verò tradidit D. Auguſtinus illam eſſe Eccleſiam Dei, in eaque permanendum, quæ ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorum ſedibus vſque in hodiernum diem durans, & ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Quo certè argumento conuictus, tranſijt ipſemet Auguſtinus de ſecta Manichæorum ad Eccleſiam Catholicam cuius Romanus Pontifex paſtor eſt vniuerſalis.

Iudicium D. Aug. de Eccleſia Catholica.

Quod idem diligentiùs perpendens S. Hieronymus, ſic concludit ſuam diſputationem aduerſus Luciferanos. Breuem, inquiens, apertamque tibi animi mei ſententiam proferam, in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diē hanc perdurat.

Iudicium D. Hieronymi.

Quoniamquidem illa mater vna eſt, vt inquit Cyprianus, fecunditatis ſucceſſibus copioſa, illius fetu naſcimur, illius lacte nutrimur, hæc nos Deo ſeruat, hæc regno quos generauit aſſignat. Quiſquis ab hac ſegregatus alienæ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſegregatur, nec pertinet ad Chriſti præmia qui iam reliquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, hoſtis eſt, habere iam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam hanc non habet matrem. Hæc & ſimilia S. Cyprianus in tractatu de ſimplicitate prælatorum, demonſtrans ibidem multis rationibus vnitatem Eccleſiæ, non

Sententia Cypriani martyris.

non obstante numerositate particularium Ecclesiarum, quæ per omnem orbem extenduntur, velut numerosi vnius arboris rami, eò quòd vnitas firmatur in origine. Caput vnũ totius Ecclesiæ Christus. Pastor vnus totius Ecclesiæ successor Petri, origo vna successiõis ab Ierusalem vna vnius originis series siue successio indeficiens, vna mater fecunditatis incremento copiosa. Sicut Solis radij multi, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice firmatum: & fons vnus sed plurimos de se generans in omnem partem mundi riuulos. Hæc de Ecclesia sancta, ac proprietatibus eius. Nunc ad sequentia pergamus.

DE PECCATORVM REMISSIONIBVS, TRACTATVS NONVS.

Quid sit peccatum, & quæ peccatorum incommoda. Cap.I.

Non omnia peccata vnius generis esse, ac natura, illamq; vulgatam distinctionem peccatorum in originale, mortale, & veniale nequaquam leuē, aut fictã esse, sed de scripturis sumptam. Cap.II.

Peccata mortalia valde esse inæqualia: attamen prorsus nullũ esse penitus irremißibile. Ca.III.

Quomodo in nobis incipiat, & consummetur peccatum. Cap.IIII.

Non idem esse remißionem peccatorum, & iustificationem impij: tamen inseparabiliter sibi cohærere, ideoq; peccatorum remißionem nunquam fieri per solam non imputationem Dei. Cap.V.

A quibus, & quibus medijs fiat remißio peccatorum: an scilicet per solam fidem, vt quidam fingunt. Cap.VI.

Remißionem peccatorum, primámue iustificationem hominis non cadere sub merito nostrorum operum. Cap.VII.

Bona opera quæ fiunt ante remißionem peccatorum ex fide valdè vtilia esse, eò quòd peccatorem reddant minus indignum munificentia Dei, & subinde impetrent peccatorum remißionem. Cap.VIII.

Non à solo Deo fieri remißionem peccatorũ, sed etiam ab hominibus, non tamen ab omnibus, sed tantùm ab illis, qui in id genus legationis vocati sunt. Cap.IX.

Non posse vnum peccatum remitti sine alijs in eis qui simul plura habent. Cap.X.

Remißionem post peccatum, & peccatum post remißionem sæpius iterari posse: nullum tamē peccatum semel dimissum iterum imputari ad culpã reatum, vel pœnam. Cap.XI.

Quid sit peccatum, & quæ peccatorum incommoda. CAP. I.

M. NE post peccatum in quod proni sumus, & facilè labimur omnes, quēpiam illaquearet desperatio, voluerunt Apostoli symbolo communis fidei singulorum mentes erectas esse in spem remissionis obtinendæ, statuentes & hunc articulum fidei: Remissionem peccatorum, sub intellige, Credo, vt sit sensus: Credo remissionem peccatorum esse. Nec videtur hic aliud demonstrandũ quàm quid sit peccatum, quæ peccatorum incommoda, & effectus, & vnde surgat inæqualitas ipsorum, quomodo insuper & per quæ media, & à quibus fiat peccatorum remissio. D. Dicit Cicero peccatum esse quidquid fit contra officium. Quæ & culpa vocatur. M. Peccatum, fili, est delictũ, erratum, noxa, offensa, crimen, maleficium, prauus actus, animi labes, omne denique cui rectè factum opponitur. Aug. verò definit Peccatum esse dictum, factum, vel concupitũ cōtra legem æternam Dei. Et Ambr. sic definit: Peccatum est præuaricatio legis æternæ, & cælestium inobedientia mandatorum. D. Igitur, quæ committimus contra leges humanas secundùm Ambr. & Aug. non sunt peccata, quia non sunt contra legem Dei. M. Erras inferendo. Quoniamquidem lex Dei est audire Apostolos, eorumque successores Episcopos. Obedire item præpositis Ecclesiæ, & subiacere eis, ad Heb.13. Matth.10. Luc.10. Interim lex Dei est, non resistere potestati sæculari, ad Ro.13. Ergo eo ipso quo quis transgreditur legem, statutum, edictum vel mandatũ humanum, facit contra legem Dei. His adde quòd lex, edictum, institutum, siue mandatũ hominis, legitimè præsidentis, à Deo habet, quod stringat & obliget hominē. Homo enim præsidens, nequaquam sua, sed vicaria Dei auctoritate mandat quod præscribit: Dei enim minister est, in hoc præsidens vt Dei nomine & pro Deo gubernet, præcipiat, prohibeat, liget, soluat. Igitur qui contra legem hominis facit, dicit, vel concupiscit, peccat sibique dã nationem acquirit, eam ob caussam, quia Dei ordinationi resistit, eamque legem, quæ Dei nomine, eiusque auctoritate data est præuaricatur. At ista fusissimè demonstrabimus, lib.3 in quarto mandato de honorandis parentib. aduersus hæreticos qui contendunt, propositos Ecclesiæ nihil posse præcipere aut statuere, leges insuper humanas non ligare in foro conscientiæ, vt peccet peccatum qui contra fecerit. Interim tu, si placet, lege D. Bernardũ de hac re pulcerrimè disputantem in tractatu de præ-

Ambr. lib. de paradiso.

An sint peccata quæ committimus contra leges humanas.

de præcepto & diſpenſatione præcepti. D. D.Aug. Definiendo peccatum, quam ob cauſſam poſuit diſtinctim tria illa, dictum, factũ, concupitum? M. Cauſſa explicandi ſcripturas, quibus docemur quòd non ſolùm facto peccant homines, ſed & dicto, & concupiſcentia, citra factum. De malefactis quidem nullum eſt dubium, de concupiſcentia, verò cordis, quòd ſit peccatum clarè demonſtant nonum & decimum mandata decalogi. Illud quoque Apoſt: Concupiſcentiam neſciebam ſcilicet eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces. Quibus addit Saluator: Quicũque viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Verùm hæc latiùs explicabimus lib.3. in mandatis nono, & decimo. Quòd autem verbo peccamus, etiam hoc certum eſt ex 2. & 8. mandatis Decalogi, & ex doctrina Saluatoris dicentis Matth.5. Qui dixerit fratri ſuo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Ceterùm ne fallaris ex dicta definitione Auguſtini diligenter obſeruabis, nos non ſolùm peccare commiſſione eius quod vetitum eſt, ſed & negligentia, atque omiſſione eius quod præceptum erat. Peccauit omiſſione Moyſes ad petram, non credendo, & fidendo promiſſis Dei. Peccauit & Petrus omiſſione, ſimul et commiſſione illa quidem quia non confitebatur Dominum ſuum vbi & quando oportuit, iſta verò quia cœpit iurare & anathematizare, quoniam nõ nouiſſet hominem. Propriè itaque & ſecundum formalem peccati rationem. Peccare, eſt à lege deuiare: Peccatum verò deuiatio à rectitudine legis, ſiue commiſſione fiat, ſiue omiſſione, vel negligentia. D. In ſenſibilibus rebus, deuiare eſt a recta via declinare. M. Haud diſſimiliter in moralibus deuiat voluntas noſtra, dum ſecundum actionem aliquã, vel omiſſionem aut negligentiam ſeſe difformiter habet ad legem Dei: quibus fit, vt omne peccatum ſit auerſio, aut elõgatio quędam rationalis creaturæ voluntariè recedentis, & elongantis ſeſe à Deo ſuo. Hinc improperatur Iudæis, Hier.2. Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt. Rurſus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et infra: Scito, & vide, quàm malum & amarum eſt te reliquiſſe Dominum Deum tuum. Lex Domini & præceptum eius eſt via qua itur ad Deum. Iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Porrò quicunque deuiat à via, is deſerit & elongat ſe a fine eius. Sicut deſerit Antuuerpiam, & aberrat quicunque deuiat à via quæ ducit Antuuerpiam. Vnde peccata rectè vocantur in ſcripturis auerſiones, vt Hier.14. Multæ ſunt auerſiones noſtræ. Et 3. Sanabo auerſiones veſtras. Et peccare eſt auertere ſeſe à Deo vel lege Domini. Ideo dicit Zach. Et noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam recedentes, & cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem Domini. Et Propheta: A mandatis tuis non erraui. Item: Et dixi ſemper hi errant corde. Quapropter Auguſt. tractatu de libero arbitrio, conuenientiſſimè definit peccatum hoc modo: Peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio indebita ad bonum commutabile. Hoc autem ſcire debes, quòd auerſio iſta ſeu error aut elõgatio animæ peccantis, non ſemper fit per actum mentis præcogitantis, ſed interdum per nudam negligentiam, ſeu omiſſionem, veluti dum incraſſati, & immerſi rebus huius mundi, non habent Deum in cogitatione ſua, vbi & quando debent. Neque ceſſat auerſio iſta ceſſante actu peccati: ſed cõtinuò manet deuiatio, ſeu auerſio quædam habitualis, ſecũdum quam is qui peccauit dicitur eſſe deuius, ac alienatus, & à via ſalutis remotus, ſiue longè poſitus à Deo. Iuxta illud Eph.2. Qui eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti, qui veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem his qui propè. Ex quo patet quòd omnes Gentes, etiam quãdo dormiunt aut nihil agunt, manent habituali quadam auerſione longè à Deo, & peccatores non minùs quàm cùm actu peccãt. Sicut filius prodigus fugiẽs à patre, etiamſi iam non longiùs abiret ſed hęreret apud porcos, manſit tamẽ alienatus, ac deuius à patre ſuo donec in ſe reuerſus diceret: Surgam, & ibo ad patrem meum: Quapropter ex rerum corporaliũ ſimilitudinib. ſpiritualia declarantes, dicimus animam peccatricem, ſeu, vt Hierem. dicit, auerſatricem, ex peccato ſemel perpetrato manere auerſam, elongatam, & remotam à Deo: donec ipſa cælitus attracta rurſus pœnitendo, conuertatur, accedat, & properet ad Dominum Deũ ſuũ. D. Deus nuſquam abeſt dicens: Ego cælum & terram impleo. Qua igitur ratione poteſt homo peccãdo auertere, diſcedere, aut elongare ſe à Deo? item pœnitendo, cõuertere ſe, accedere, aut properare ad Deũ? M. Fiunt hæc nõ ſecundum locum, paſſib. corporeis, ſed ſecundum ſpiritum, affectibus mentis. Sicut affectu iungit ſe homo ac vnit amico: ſeiungit & elõgat ſe ab inimico, etiãſi in eodem loco immotus permaneat. D. Ex præmiſſis itaq; habeo, ꝙ peccatũ propriè eſt auerſio, receſſus, & elõgatio à lege Dei, & per cõſequẽs à Deo. M. Nõ ſolũ autẽ eſt auerſio, ſed & culpa, et offen-

Exodi.20. Deut.5.

Rom.7.

Peccant homines non ſolũ commiſſione, ſed & omiſſione & negligentia.

Quid ſit propriè peccare.

Omne peccatum eſt auerſio ſeu deuiatio à lege Dei.

Peccat homo aliquando abſque actu mentis. Non ſtatim ceſſat auerſio quando ceſſat actus peccati.

peccatum eſt auerſio non ſecundum motum corporalẽ, ſed ſecundum affectionem cordis.

offensa, insuper iniquitas quoque, & impietas. Vt propriè peccatum sit auersio, siue deuiatio à lege Dei offensiua, culpabilis, impia, & iniqua. Vnde dicitur de Daniele, quòd omnis culpa, id est, peccatum & suspicio non inueniebatur in eo. Deuiatio autem à lege dicitur culpa & offensa, eam ob caussam, quia scienter & sponte propria fit contra debitam obedientiæ. Adeò, quòd si fieret non contra debitum: vt puta si nescienter fieret, vel necessitate, aut violenta impulsione, iam non esset peccatum, quia sine culpa. Quapropter dixit sancta Lucia: Si me violari feceris contra voluntatem meam, iam mihi virginitas duplicabitur, tantùm abest vt commistio talis mihi in peccatum reputetur. Quòd autem omne peccatum est iniquitas, ex definitione constat Ioannis Euangelistæ dicentis: Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & est peccatum iniquitas. Ideo autem iniquitas, quia contra æquitatem, seu debitum quo omni iure obligatur creatura suo creatori, redemptus à morte suo redemptori, subditus suo Domino, dependens in esse & conseruari, illi à quo dependet. Ideo verò impietas, quia contra affectum honoris, & gratitudinis Deo vt numini & parēti debitum. Adeoque omne peccatum implicat in se impietatem & iniquitatem, vt in scripturis passim pro eodem habeantur, impius & peccator, peccatum & impietas, peccata item & iniquitates. D. Putabam ego duntaxat infideles appellandos esse impios. M. Sic aliquando strictum accipitur vocabulum impietatis, prout docet D. Gregorius 25. Mora. capite 13. dicens: Impios verò Scriptura sacra propriè infideles appellat. Hac namque distantia peccatores ab impijs discernuntur, quia cùm omnis impius sit peccator, non tamen omnis peccator est impius. Peccator enim dici, etiam qui in fide pius est, potest. Hæc Gregorius accipiendo vocabulum strictè, vt propriè dicatur impius, qui à religionis pietate separatur, de qualibus putat Gregorius Prophetam dixisse: Non resurgent impij in iudicio. Nos autem isto loco accipimus vocem impius, generaliter sicut Ezechiel 3.18.33. & infinitis alijs locis scripturæ: necnon & apud scriptores linguæ Latinæ plerumque accipitur. Sic iniquitas, & iniquus nonnunquam accipiuntur strictè vt propriè iniquus dicatur qui iniustus est, violās æquitatem seruandam in executione iustitiæ. Nos autem accipimus vocem generaliter sicut Ioannes Apostolus dicens: Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit. Porrò præter iam dictas qualitates peccati, quæ sunt ei quasi essentiales, sunt quidam effectus, siue incommoda quæ peccatum infallibiliter secum adfert in animam peccantem: vt profanatio qua communicat hominem, macula qua contaminat animam, tenebræ quibus obscurat eam, vulnera quibus illam sauciat in potentijs ac viribus, mors insuper spiritualis, quæ diuidit inter animam & gratiam viuificantē, denique reatus quo post actum peccati, homo manet reus, & obstrictus iustitiæ vindicatiuæ iudicantis Dei. Qui effectus adeò sunt proprij, & connaturales peccato, vt subinde ab ipsis appellationem suam accipiat. D. Vtinam adderes scripturas quibus hæc probātur. M. Addam. Propheta dicit: Beati immaculati in via. Rursum interrogans: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, respondet: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Ad hæc Sapiens: Beatus diues inquit qui inuentus est sine macula, id est sine peccato. Et Christus exhibebit, inquit Apostolus, Ecclesiam suam sine macula, & ruga. Quibus sibi adiungas illud: Purgationem faciens veterum delictorum. Et illud: Sed abluti estis, & cet. Non poteris dubitare, quin peccatum polluit, & contaminat peccantis animam.

D. Solet quidem maculatio fieri ex cōtactu rerum spurcarum, vt linteum nitens, ac candidum maculatur ex superposito sibi luto, aut fimo. At quomodo maculetur anima, quę est spiritus non tam peccans in sordidis, ac turpibus, quam nitidissimis ac pretiosis rebus mundi huius, nondum intelligo. M. Non quia res in qua peccatur turpis est, ideo maculatur anima: non enim possunt quæ foris sunt, sua naturali qualitate diffundere in animam vllas maculas. Verùm quod intus est maculat animam, videlicet hominis affectio, amor, & complacentia, quibus peccando delectatur in re vetita, bono incommutabili deserto. Equidē hoc indecens est & indecorum, faciēs in anima pollutionem siue dehonestamentum quoddam, non quidē nostris oculis visibile, sed Deo diuinisque spiritibus conspicuum. Fimus & stercora respersa per agrum, vtilia sunt, nec deturpant agrum, sed honestant & delectabilem faciunt in oculis videntium: Eadem respersa super faciem hominis, maculant, & despicabilem faciunt eam in oculis omnium videntium. Nec est alia ratio huius diuersitatis quàm quia conueniens est, & decorum secundum naturam, vt stercoretur ager, indecorū autem & abominabile, vt stercoretur facies hominis. Idem faciunt & candē rem contractant, maritus & adulter: sobrius & ebriosus. Verùm affectio mariti & sobrij hominis quia versatur circa rem sibi conuenien-

Daniel. 6. Omne peccatum est culpa & offensa.

Omne peccatum est iniquitas.

Hebræ. 1. 1. Cor. 6.

Quomodo fit maculatio animæ per peccatum

uenientem,secundum institutum naturæ, & eius qui dominium tenet omnium, & eo vsque,eoq; modo versatur circa illam,quo cõuenit ac licet,ideò non maculat animam, sed cohonestat coram Deo. Istorum autem affectio, nempe ebriosi & fornicarij quia deliera tur circa rem sibi pro eo tempore inconuenientem,iuxta naturæ ordinẽ,vel Dei institutũ, ideo maculat notamq; infamiæ ingerit corã Deo & Angelis eius. Hinc Saluator, Matt.15. Quę autem procedunt de ore,de corde exeũt & ea coinquinant hominem. De corde autem exeũt cogitationes malæ,homicia,adulteria, furta,falsa testimonia,blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Nõ lotis autem manib. manducare non coinquinat hominẽ. Vides q̃ cõformiter loquitur nobis Saluator? Sordes enim manuum,aut fœtor vel putredo ei⁹ꝙ foris est,& in ventrẽ mittitur,deinde per secessum eijcitur,nõ maculat animã,sed affectiones secundũ quas de corde procedũt opera quæ nõ cõueniunt secundum Dei vel naturæ institutum. Tantùm de maculis peccatorũ cui doctrinæ correspõdent scripturæ loquentes de purgatione,ablutione, mundatione,lauacro renouationis,aqua mũda, quã promittit Ezechiel,& similes vt est videre in varijs locis scripturarum. De profanatione verò quã peccatum cõmunicat seu profanum facit hominem,habes Marc.7,dicente Domino. Quę de homine exeunt illa communicãt hominẽ. Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes,homicidia,furta,auaritiæ,nequitiæ,&c. Omnia enim hæc abintus procedunt, & communicant hominem. D. Quid hoc est, cõmunicant hominem? M. Id est commune faciunt,vt iam non sit specialis Domino, electus de mundo in peculium sibi, aut in consortem,ac filium,regni sui heredem, vti ante peccatum erat, sed fit factus nunc quasi vnus de communi massa perditionis. D. Et peccatum,qua,precor,ratione facit profanum. Dicitur enim profanum quasi porrò seu procul à fano,id est,à templo Deo sacro. M. Apostolus docet Corinth hominem pium & immunem à peccatis, esse templum Dei dicens: Nescitis quoniam mẽbra vestra tẽplum sunt Spiritus S. qui in vobis est,quẽ habetis à Deo & non estis vestri? Empti enim estis precio magno. Rursum: Vos estis tẽplum Dei viui, sicut dicit Deus: Inambulabo in illis,& inambulabo inter illos,& ero illorum Dominus. Porrò per peccatum prostituitur mens hominis Diabolo,& Angelis eius,ꝙ est profanare,hoc est,procul facere à Deo,vt iam nõ sit sancta, Deoq; dedicata. Hactenus de profanatione seu

Probatur scripturis quòd peccatum profanat hominem.

Modus quo fit profanatio hominis per peccatum

cõmunicatione quam affert peccatũ. Quòd autẽ peccatum vltra hæc, quibusdã quasi vulneribus sauciet vires animæ, & languidas efficiat,patet ex his scripturis: Non est sanitas,inquit Proph. in carne mea: Infirmata sunt omnia ossa mea. Intelligens per ossa vires animæ, quales sunt appetitus,ratio,voluntas. Quam vulnerationem docuit Saluator, parabolicẽ, dicens: Homo descendens ab Ierusalẽ in Hiericho, incidit in latrones,& vulneratus semiuiuus est derelictus. Et Michææ 1. Infirmata est, inquit,in bonis,quę habitat in amaritudinib. Vbi Glosa: Infirmata est in virtutib suis anima quæ habitat in amaritudinibus peccatorum. Vnde Esa. loquens de spirituali languore & vulneribus animæ dicit: Omne caput lãguidum,& omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem,nõ est in eo sanitas. Vulnus & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine,nec fota oleo. Hæc Esaias,docens quòd à principibus, vsque ad extremam plebem: à doctoribus vsque ad imperitum vulgus, omnis anima sit ex peccatis vulnerata. D. Pulcra quidem hæc metaphora Esaiæ: Attamen necdum video modum quo vulnerant animam peccata nostra. M. Ex similibus accipe. Quemadmodum corpus dicitur ægrum & vulneratum, dum vires eius vel morbo,vel inflictione plagæ ita destituuntur sua potentia naturali, vt non valeant sicuti integritati naturæ conuenit,suis fungi officijs,in bonum ipsius corporis: Ita est & de anima. Peccando enim, adeò obtenebrantur acies mentis,& sensus hominis, eò quòd peccata sunt tenebræ quædam, Ioann. primo,vt homo velut cæcutiens & lippiens nesciat cernere verum. Adeoque inuertitur voluntas,& quasi febrili igne inflammatur pars concupiscitiua, vt homo tanquam sui impotens,& incontinens ruat quacunque speciẽ mali vel boni impulsus,quæ impotentia in tantum crescit peccando, vt scriptura manifestè pronuntiet in quosdam peccatores: cæci sunt & duces cæcorum. Alios appellat surdos,quia auertunt auditum ne audiant legem & præcepta,alios claudos,leprosos,obduratos,stupidos; semiuiuos,vt est videre in istis locis scripturarum, Matthæi 11. Ambulant vt cæci,quia Domino peccauerũt,Sop. 1. Hoc de vulneribus peccatorũ. Quòd vero vltra hęc vulnera naturalium virium mortem spiritualem inducat peccatum: docent expressẽ,Iacobus Apostolus dicens: Peccatum cùm consummatum fuerit,generat mortem. Et sapiens. Homo per malitiam occidit animam suã. Paulus verò insinuat eleganti phrasi dicẽs: Stimulus mortis peccatum. Quia dum transit

Probatur scripturis quòd peccatum vulnerat animam.

Esa.1.

Modus quo peccatum vulnerat animam.

Scripturis probatur quòd peccatum inducit mortem in animam.

sit

fit ad interiora, videlicet consensum voluntati, tunc diuidit gratiam Dei viuificantem ab anima. At istud alibi latiùs exposuimus. Postremo quòd peccatum reatum inducit, quo anima manet rea iustitiæ vindicatiuæ Dei, vt in pluribus locis, ita expressissimè testatur scriptura, Matth, 5. Ego autem dico vobis, Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit racha, reus erit consilio, qui verò dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Et quid, obsecro, posset dici expressius de reatu peccatorum? Vnde & sequenti capite docuit Saluator orandum esse: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debita inquit, hoc est, reatus relictos ex actibus peccatorum transeuntibus. Sicut enim transeunte opere bono, manet meritum præmij, ita transeunte opere malo, manet homo reus & obstrictus supplicio.

[illegible] quod peccatum reatum inducit mortis

Aliud est peccare, aliud habere peccatum.

Aliud itaque est peccare, aliud habere peccatum seu culpam: aliud item culpa seu malitia peccati, aliud peccati macula: aliud vulnus seu languor peccati, aliud mors peccati: aliud reatus pœnæ propter peccatum debitæ. Nã qui peccauit desistens ab actu peccati, manet culpabilis coram Deo, manet maculatus & vulneratus atque profanus in anima, manet denique in morte, & reatu dãnationis. Quorum omnium, fili, te meminisse oportet, alioqui nunquam prospectum habebis, quomodo fiat remissio peccatorum. Nam vt offensa, culpa, & reatus tolli possunt non imputatione, ita macula non potest tolli ab anima nisi gratia abluente, Nec profanatio nisi gratia sanctificante, nec vulnus aut languor nisi gratia sanante, nec iniquitas peccati, nisi gratia hominem iustificante, neque mors denique, nisi gratia viuificante, prout paulò inferiùs audies.

Non omnia peccata vnius generis esse ac naturæ, illamq; vulgatam distinctionem peccatorum in originale, mortale, & veniale, nequaquam leuem aut fictam esse, sed de scripturis sumptam. CAP. II.

M. HOc quoque debes animaduertere quòd alterius naturę est peccatum originale, & alterius peccatum actuale. Et inter actualia alterius naturæ est peccatum mortale, & alterius peccatũ veniale. D. Ista ergo sunt, vt apparet, tria genera peccatorum. M. Sunt, & quidquid peccati rationem habet ad aliquod illorũ generum est reducendum. Nec finxit quisquam huius distinctionis nomina, sed vt patres ex scripturis illa tradiderunt, ita à multis retro sæculis, religiosa obseruatione per omnẽ Ecclesiam custodimus. Originale quippe dicitur, quia origine siue natiuitate vel ipsa natura contrahitur, priusquàm homo actum propriũ habeat vel aliquid boni aut mali faciat. Tracta est autem appellatio simul & cognitio peccati istius principaliter ex tribus locis scripturę. Primò ex illo Apostoli ad Eph. 2. Et eramus natura filij irę, sicut & cæteri. Natura, inquit, non volũtate, quia origine antequam opus voluntatis propriæ accedat. Nec minus nos sic filij irę quàm ceteri hominum, sed nos eodem modo natura peccatores: quia sicut ceteri hominum, nullam nationem excludendo, ita & nos natura filij iræ. Siquidem nati inter Iudæos, nati inter Christianos, nati inter Gentes, Turcas, & Saracenos, omnes æqualiter & eodem modo sunt natura filij iræ, quia natura, & origine peccatores. Deinde ex illo ad Ro. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. In quo, scilicet, peccato, quod per vnum intrauit in mundum: siue in quo scilicet peccante, nam vtrouis modo intelligi potest, peccauerunt omnes, cuiuscunque gentis, vel nationis sint. Omnes enim fuerunt in visceribus Adę. Quapropter vt naturam accipiunt ab illo, ita & cum natura simul etiam peccatum contrahunt. Quòd autem cùm natura simul peccatum contrahant, adhuc in vteris maternis, priusquàm aliquid boni, vel mali facere possunt, patet tertio ex illo ad Romanos 9. Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri, scilicet gemellos, Esau & Iacob. Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, Iacob dilexi, inquit Deus, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? absit. Moysi enim dicit. Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Quid hoc est, Esau autem odio habui, Iacob verò dilexi, cùm adhuc in vtero materno essent? Alterius quidẽ misertus est, alteriùs verò non? nisi quia ambo in communi massa damnationis erant, ambo cum natura simul peccatum cõtraxerant. Vt autem secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est. Siquidem miseratione sua segregauit Deus Iacob à communi massa damnationis, liberans ipsum à peccato quod origine contraxerat. Esau non segregauit, inter eos namque qui peccatum habent, cui vult miseretur Deus, & quem vult indurat, siue in peccato suo relinquit. Quapropter peccatum originale, naturæ peccatum dicitur, non huius vel illius peccatum, simul cum natura

Quid sit peccatum originale.

Quid sit peccatum actuale.

per traducem transiens ad posteros. Actuale verò peccatum à re nomen habet, nempe ab actu propriæ voluntatis qua committitur. Nónne, inquit Deus ad Cain, si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim peccatum tuum in foribus erit? Tuum, inquit, peccatum si male egeris, hoc est peccatum tibi proprium, quia tua ipsius operatione commissum. Peccatū itaque actuale non est aliud, q̃ peccatum propriæ actionis. Porrò inter actualia peccata, aliud vulgò vocatur mortale, sumpta appellatione ex scripturis, Iacob.1. Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem, Br 1.ad Corinth.15. Stimulus verò mortis peccatum. Si namque peccatum est stimulus mortis feriens ad interiora animæ, vt separet gratiam viuificantem ab anima, ergo est mortale, hoc est mortiferum, faciens animam mori. Dicitur nihilominus etiam mortale, quia æterna morte dignum, ac punibile damnatione perpetua in stagno ignis, & sulfuris quæ est mors secunda, Apocalyp. 20.

Quid sit peccatum mortale.

Peccatum originis est peccatum mortale Genes.2, Roma.5.

D. An peccatum originale sit etiam mortale? M. Omnino, dicente Deo: In quocunque die commederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris. Et Apostolo: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum, mors: & ita mors in omnes pertransijt in quo omnes peccauerūt. In quo scilicet peccato, quod per vnum hominem intrauit in mundū, & per quod mors ingreditur ad omnes. Est igitur originis peccatum mortale & quo ad Adam in quo erat actuale, propria voluntate perpetratum, & quoad posteros, in quibus est originale per traducem naturæ contractum. Subdiuiditur autem peccatum mortale, in crimen & delictum. Crimen quidem secundum D. Aug. & iurisperitos, dicitur peccatum enorme publica accusatione & damnatione dignum, ob quod quis tribunalibus meritò sisti debeat. Vnde Apo. ad Tim. & Ti. Oportet, inquit, eligendum in Episcopum, vel Diaconū sine crimine esse. Non vtique sine peccato, sed sine crimine. Si enim dixerimus, inquit Ioannes, quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Certum est autem quòd quàm plurimi Christiani sine crimine viuant & sine scelere: nam & scelus & flagitium, ac facinus inter grauiora & insignia computantur peccata, quanquam facinus etiam de insigniter benefactis dici potest. Delictum verò de omnibus malefactis, cordis, oris, operis, etiam minimis dici potest. Alias autem diuisiones peccati mortalis differemus vsque in sextum lib. Istius verò diuisionis hoc loco memini eam ob caussam q̃

Diuiditur peccatum mortale in crimen & delictum. ad Tit.1. 1.Ioan.1.

alia requiritur pœnitentia in remissione Originalis, alia in remissione criminis, alia in remissione scelerum, alia in remissione delictorum, vti partim infra partim in libr.4. audies. Veniale autem peccatum sic vocarūt Patres, eò quòd venia dignum existat, propter exiguitatem offensæ, non enim prorsus auertit hominem à Deo, & lege eius, ponens inimicitiam inter Deum, & hominem: neque diuidit inter gratiam viuificantem & animam, vt mortem inducat: quare nec meretur exterminium aut damnationem perpetuam, quæ est pœna hostium ac rebellium Deo, sed temporalem correctionem quæ est filiorum. Hinc secūdum B. Aug. Peccatum veniale est quod licet pœnam mereatur, tamen hominem vsque ad reatum damnationis perpetuæ non grauat. Quale peccatum erat dubitatio Zachariæ non credentis verbis Angeli, Lucæ 1. Vnde audiuit ab Angelo: Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hęc fiāt, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo. Non enim factus est Zacharias inimicus Dei propter dictam incredulitatem, tamen deliquit, alioquin non fuisset ei dictum: pro eo quòd non credidisti verbis meis: Nec illa pœna Zachariæ, erat pœna exterminij, sed potiùs castigatio filialis. Similis naturæ erat peccatum Ioannis & Iacobi dicentium: Domine vis dicamus, vt ignis descendat de cælo & consumat illos? Et conuersus Dominus, increpauit illos dicens: Nescitis cuius spiritus sitis. Ecce increpauit illos, quia peccabant hoc dicendo. Et fuisset fortassis affectus ille vindictæ mortale peccatum, nisi extenuasset ipsum ignorantia vel impetus animi non satis deliberatus, vt venialis esset. Quam ignorantiam insinuans Saluator dixit: Nescitis cuius spiritus sitis, scilicet in hac vestra affectione, Lucæ nono. Similis, quoque naturæ erat scandalum Petri Apostoli, quo scandalo erat Saluatori increpando ipsum, ne iret Hierosolymam, vbi tam indigna passurus esset. Quapropter audiuit à Domino. Vade post me Sathana, scandalo es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum, Matthæi decimo sexto. Tale erat peccatum obstetricum Aegyptiacarum mentientium, pro conseruatione infantium filiorum Israël. Tale etiam credo fuisse peccatum Iob, inter multa verba tandem offendentis in duobus. Et peccatum Moysi, non vt oportuit Deum glorificantis ad lapidem contradictionis. Talia quoque peccata sunt, mendacia officiosa, dicta insuper factáque otiosa, risus superflui, & cetera huiusmodi. Præterea actus imper-

Quid sit peccatum veniale.

imperfecti peccatorum alioqui mortalium: imperfecti, dico, propter surreptionem, aut ignorantiam, aut aliam animi perturbationé, ne pleuè [illegible]um deliberet, priusquam in actũ exeat. Nullum enim peccatum est tam mortale, quin ex caussa veniale fieri potest, etiam odium Dei, vti ex præmissis alijsque scripturis facilè deduci potest. Hinc secundũ D. Thomam Aquinat[illegible] committitur peccatũ veniale, non tam contra legem agendo, quàm præter legem, prout in tertio libro circa præcepta Decalogi latius explicabimus. Plerumque autem in scripturis dum vox, peccata, per se ponitur, accipitur pro ijs quæ deliberato animo contra legem Dei fiũt, diuiduntque inter Deum & hominem, quæ propriè peccata appellantur. Vt ibi: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Ioan 20.

Peccata mortalia valdè esse inæqualia, attamen prorsus nullum esse penitus irremißibile. CAP. III.

D. LEgi nuper apud Stoicos, omnia peccata fuisse paria. M. Illi in multis non tam Stoici quàm stupidi fuerunt. Quòd autem Christianis peccata debeant iudicari inæqualia, hoc est, inæqualis malitiç, offensæ, & demeriti, fit euidens ex loco, Matth. 5. Vbi docet Saluator, diuersis peccatis, diuersas constitutas esse pœnas, easque multum inæquales. Item ex eo quod dicit: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctũ, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Itaque peior est damnabiliorque blasphemia contra Spiritũ sanctum, quàm blasphemia contra Filium hominis. Tertiò ex eo, quod dicit ad Pilatum: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet: Habes quidẽ tu Pilate peccatũ, sed maius qui me tradidit tibi. Quarto ex eo quod scribit Apost. 1. ad Cor. 5. Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes. Inter Gentes quidem inuenitur fornicatio: at non tanti sceleris, quàm est illa qua quidam inter vos habet vxorem patris sui. Quapropter eũ qui operatus est eiusmodi, tradidi Sathanæ præ alijs peccantibus inter vos. D. Secundum D. Aug. Omnia peccata committuntur contra Deũ. Deus autẽ vnus est, & eiusdem maiestatis in omnibus. Itẽ omne peccatum est deuiatio à rectitudine legis, vti dictum est. Vnde igitur ratio istius inæqualitatis? M. Ex modo quo contra Deum est, quia vnum magis repugnat beneplacito Dei q̃ aliud, quod testantur minæ grauissimæ quibusdam, non omnibus, mandatis superadditæ. Secundò ex natura deuiationis, quoniam licet omnis deuiatio à via est error, tamen vna est error multò maior quàm alia, eò quòd vna facit longiùs recedere à termino intento quàm alia. Ita omnis quidem auersio à lege, est peccatum, sed quia vna longè magis elongat à Deo quàm alia: ideo vnu[illegible] peccat[illegible]m grauius est alio. Sicut etiam omnis recessus à proportione quatuor humorum in corpore humano est infirmitas, verùm quia vnus recessus maior est alio, disturbans magis dictam proportionem magisque vitians noxijs materijs natura, ne regressus fiat ad debitam proportionem, ideo vnus morbus [illegible]ior est, & periculosior ac diuturnior alio. Sic est de peccatis, quoniam vnum alio plus inuertit affectum magisque obscurat, ac vulnerat vires animę, quò minùs posset se conformiter habere ad legẽ Dei. Tertiò ex qualitate eius in quo peccatur, quia agibilium vnum est sacratius alio, vnum alio magis aut minùs necessarium vsibus humanis, vnum denique magis contra naturam, & omnẽ eius honestatem quàm aliud. Hinc sacrilegium grauius peccatũ est quàm furtum, & Simonia detestabilior quàm vsura, Sodomia quoque multò abominabilior quàm fornicatio. Quartò ex diuersa dispositione peccantium, quia alij peccant ex destinata malitia, alij ex infirmitate. Eundem vtique actum peccati fecerunt Pilatus & Iudæi condemnantes Christum iniustè. Attamen Saluator respondendo Pilato, pronuntiat: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Quia illi certa scientia & destinata malitia faciunt, tu verò infirmitate. Alij insuper per ignorantiam, alij ex certa sciẽtia. Quorum hoc criminosius est quàm illud, iuxta sententiam Saluatoris dicentis: Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & facit digna plagis, vapulabit paucis. De hoc, precor, audi D. Greg. ex scripturis disputantem, lib. 25. Moralium cap. 16. Vbi sic habet: Sciendum quippe est, quòd peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et grauius quidem infirmitate quàm ignorantia, sed multò grauiùs studio quàm infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccauerat quando dicebat: Qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans

Marginal notes: Peccata hominũ sunt inæqualia. — Math. 12. — Marc. 3. — De tribus modis quibus committitur peccatum secũdum B. Grego. — 1. Tim. 1.

rans feci in incredulitate. Petrus verò infirmitate peccauit, quando in eo omne robur fidei quod Domino perhibuit, vna vox puellæ concussit, & Deum quem corde tenuit, voce denegauit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ, eò facilius tegitur, quòd non studio perpetratur: Paulus quæ ignorauit, sciendo correxit, & Petrus mortuam & quasi arescentem iam fidei radicem, lacrymis rigãdo solidauit. Ex industria verò peccauerunt ij de quibus ipse per se magister dicebat: Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatũ non haberent, nunc autem excusationem nõ habent de peccato suo. Et viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Aliud enim est bona non facere, aliud bonorum doctorem odisse. Sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpè enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamẽ cõsilio & deliberatione damnatur. Hucusque D. Grego. D. Si quàm minimum est peccatum, quod ignorantia committitur, ergo expedit multa de mandatis Dei ignorare.

M. Longè aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est: scire autem noluisse superbia est. Iuxta illud: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Itaque vt pura inscitia culpam penitus excludit, & ignorantia non affectata eorum quæ sciri debent culpam extenuat: ita ignorantia quò fuerit crassior, magisque supina, eò minùs alleuiat peccatum. Porrò ignorantia affectata, seu quæsita de qua loquũtur scripturæ: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus: Item: Loquimini nobis placentia. Et illud: A veritate auditum auertent, ad falsitatem autem cõuertentur coaceruantes sibi magistros prurientes auribus: talis, dico, ignorantia sic malo studio affectata, non excusat peccatum, sed aggrauat & damnabilius reddit. Quartò surgit peccatorum inæqualitas ex diuersitate nocumenti quod peccando inferimus, quod euidenter demonstrat sententia Saluatoris dicentis: Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio: qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit consilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Grauius itaque peccatum est postremum quàm duo priora. Vnde grauissima peccata sunt, hæresis & schisma, quia summè nocent in his, sine quibus salus esse non potest. Quòd autem ceteris peccatis grauius sit scandalizatio pusillorum, seu seductio innocentis, testatur Saluator dicens: Qui scandalizauerit vnũ de pusillis his, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et sicut diuersa æstimatio eius in quo fit nocumentum auget vel minuit iniquitatem peccati: ita & diuersa quantitas nocumenti, alia quoque & alia dignitas personæ cui infertur nocumentum. Vnde criminum maximum peccatum erat traditio qua Iudas tradidit Christum, vti benè explicatur Ioan. 18. Et grauius est crimẽ læsæ maiestatis, quàm contumelia in plebeum. Porrò omnium grauissimum est rebellare Deo, vt Deus est, aut blasphemare Spiritum sanctum, vt sanctus est, & sanctificator hominum. Verùm non ita enormis censetur blasphemia contra Filium hominis in humana natura apparentẽ, prout patet ex dicto Saluatoris, Matth. 12. quia procedit ex infirmitate humani iudicij, cui difficillimè persuaderi potest, vnam eandemque personam Deum esse & hominem. Traditio patrum multa aduigilantia assignauit nobis ex scripturis quatuor peccata, quæ propter peculiarẽ enormitatem delicti, dicuntur peccata clamantia in cælum, siue ad Dominum. Primum est fratricidium, de quo Genes. 4. Cain vbi est Abel frater tuus, scilicet quem interemisti. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Similis est malitiæ ferè omne homicidium, si fiat ex odio fraterno aut destinata malitia, quia omnis homo omni homini frater est. In primis autem trucidatio martyrum, iuxta illud Apocal. 6. Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Secundum est peccatum Sodomiticum. De quibus peccatis loquitur Apost. ad Rom. 1. nam de illis dicitur Gene. 18. & 19. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatũ est nimis. Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non. Huius generis sunt & peccata bestialitatis. Tertium est oppressio viduarum & pupillorum. De quo dicitur Exod. 22. Viduæ & pupillis non nocebitis. Si læseritis eos vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum. Et huius generis sunt oppressio pauperum, vexatio subditorum, persecutio Ecclesiæ & sanctorum eius, quia vt illa vidua est, ita isti pupilli, quoniam neque Ecclesia maritum habet in terris, neque sancti patrem. Vnde ad sanctos Christus: Non relinquam vos orphanos, inquit, sed mittam vobis spiritum veritatis. Vos dico Apostolos meos orphanos in terris, quia sine patre, vt tales, non deseram aut relinquam, licet vadam ad Patrem, sed mittam vobis Spiritũ sanctum &c. Quartum est detenta merces laborum. De quo Iacobus Apost. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis.

Ignorãtia affectata.

Iob 12.
Esa. 3.
2. ad Ti. 4.

Quatuor peccata clamantia in cælum.

Fratricidium.

Peccatũ Sodomiticum.

Oppressio viduarum.

Detenta merces laborum.

à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. D. Miror quomodo merces detenta, sanguis iniustè effusus aut oppressio clamet ad Dominum. M. Phrasis est, qua exprimimus enormitatem rei, quasi diceret scriptura: Tanta est talium scelerum iniquitas, vt licet taceant vniuersa, tamen res ipsa sceleris enormitate loquatur, clamans vindictam ad Dominum. Nec sinit Deus talia multo tempore esse inulta, nisi citò digna pœnitentia emendentur. Sed de eiusmodi dicemus plura in libro 6. Vbi demonstrabimus virtutum, vitiorumque naturam. Nequaquam itaque paria sunt omnia peccata mortalia, sed inæqualis malitiæ, demeriti & offensæ. Quapropter non eadem est remissio, sive vnus remittendi modus omnium peccatorum, vti mox audies. Omnium tamen peccatorum, quantumcúque grauia existant, enormia, scelerata, ac numerosa quæcunque etiá malitia, obstinatione, diuturnitate, scandalo, dispendio, aut iniuria fratrum commissa fuerint: omnium, dico, ne vno quidem excepto, est remissio. D. At quomodo probabimus, quòd sit remissio simpliciter omnium peccatorum absque vllius exceptione? M. Primò, quia articulus Apostolica traditione præscriptus, dicit simpliciter, ac indefinitè, & citra exceptionem: Peccatorum remissionem. Ergo est omnium & singulorum peccatorum remissio apud Deú, quod credere, verissimum est symbolum seu indicium tectæ fidei. Secundò, quia scriptura testatur, quòd Deus est diues, in misericordia & miserationibus, ad Ephes. 2. quodque misericordia eius superexaltat vniuersa. Nam proprio filio suo non pepercit, sed tradidit illum pro omnibus nobis, quo ipse fieret propitiatio pro peccatis nostris, non nostris tantùm, sed & pro totius mundi peccatis, Ioan. 2. Tertiò, ex eo quia repugnat infinitati bonitatis diuinæ vinci aliqua malitia vel aliquo peccato hominis. Quartò ex eo quia Saluator perspectam habens hanc diuinæ miserationis infinitatem, dixit Apostolis suis, Primùm Petro: Amen dico tibi, quodcunq; solueris super terram erit solutum & in cælis, Matth. 16. Deinde reliquis Apostolis: Amen amen dico vobis, quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cælis. Dicés quodcunq; prorsus nihil excepit. Nullú ergo peccatú maius misericordia Dei, nullú etiá pro quo non sit factus propitiator Christus. Nullú denique cuius nó habeat potestatem Episcopus aut Pontifex. Cain fratricida dicebat ad Dñm: Maior est iniquitas mea, q̃ vt veniam merear. At grauiter eá ob caussam reprehenditur in scriptura, Gen. 4. D. Quid ergo respondebimus asserentibus peccatum in Spiritum sanctum esse irremissibile? M. Quòd hæresim struant nocentissimá, si per irremissibile intelligat, quod remitti non possit. Nec sanè vsquam reperitur vox irremissibilis in scriptura sacra. Dixit quidé Saluator de blasphemia in Spiritum sanctú. Non remittetur neq; in hoc seculo, neq; in futuro, vt præmoneat nos eius, quod plerumque contingit, non vt asserat talem blasphemiam non posse remitti. Aliud est dicere non fiet, aliud, non potest fieri. Multa possunt summus Pontifex & Imperator de plenitudine potestatis suæ, quæ non faciunt, quia non conuenit vt faciant. Sicut Apost. dixit: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Sic Deus potest ignoscere blasphemia in Spiritum sanctú, sed obfirmata malitia animi malignantis, contra gratiam qua fit remissio peccatorum, meretur ne vnquam fiat. Etsi quando fiat, adeò hoc rarum est vt iure debeat ab arte submoueri & regula. Hæc autem intelliges de his quæ communiter dicuntur peccata in Spiritum sanctum, qualia sunt desperatio, præsumptio de bonitate Dei, obstinatio in malo, inuidentia fraternæ gratiæ, oppugnatio veritatis agnitæ, blasphemia in Deum, & Spiritum sanctum, quoniam quodlibet istorum est remissibile. Verùm si finalis impœnitentia annumeretur peccatis in Spiritum sanctum, certè iam aliquod peccatum est irremissibile: nó propter malitiam peccati, quasi superet misericordiá Dei, sed propter qualitatem adiunctam, videlicet perseuerantiam ad morté vsque. Quanquam autem prorsus nullum peccatum sit irremissibile, requirit tamen vnum alio plura ad remissionem, nó quidem ex parte Dei cui æquè facilis est omnis remissio peccati, sed ex parte naturæ, hoc est ex parte hominis iustificandi, quorum vnus magis occalluit in peccatis quàm alius: sicut forma artis faciliùs introducitur in vnum lutú quàm in aliud, quia vnum magis est idoneum quàm aliud ad suscipiendam formá quá præcepit artifex, eò q̃ mollius sit & tractabilius manibus figuli.

Quaratione dicatur peccatú clamare in cælum.

Omnium peccatorú quantumcúq. grauia sunt & numerosa est remissio.

Obiectio.

Solutio.

Quomodo in nobis incipiat & consummetur peccatum. CAP. IIII.



Dde hic, precor, aliquid de modo quo incipit consummaturque peccatú in nobis. M. Faciá, nam & hoc necessariú est, si velimus rectè intelligere modú, quo fit peccatorú remissio. B. Gre. 4. moral. cap. 27. Quatuor inquit, modis perpetratur peccatú in corde, quatuor ité consum-

D.

Quatuor modis perpetra-

consummatur in opere. In corde nãq; suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit suggestio per aduersariũ, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, & deijciendo eleuat, sed grauius eleuãdo supplantat. Vnde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis, his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Heua delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus cõfiteri culpã per audaciã noluit. Hoc verò in humano genere quotidiè agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suadet, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Heua delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectatione substernit. Consensum verò Adam mulieri præpositus præbuit, quia dum caro in delectatione rapitur, etiam à sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpã noluit, quia videlicet spiritus, quo peccando à veritate disiungitur, eo in ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Eisdem etiã quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latẽs culpa agitur: postmodum verò etiam ante oculos hominũ sui confusione reatus aperitur: dehinc verò vel falsæ spes seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Hus itaque modos qui vel latenter in corde fiunt, vel patenter opere perpetrantur, beatus Iob considerat, & humanũ genus in quot peccatorũ gradibus lapsum sit deplorat dicens: Quare nõ in vulua mortuus sum, egressus de vtero non statim perij? &c. hucusque Greg. Eidem ferè gradus colligi possunt ex illo D. Iacobi. Deus intentator malorum est, ipse enim neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur, á concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit parit peccatum, per hoc quòd attrahit mentem in consensum. Peccatum verò cùm consummatum fuerit, videlicet per consensum mentis, generat mortem. Primò enim suggestio, siue præsentatio delectabilis, deinde oblectatio in affectu, tertiò consensus in mẽte. In suggestione nihil mali, sed periculum: in oblectatione parturitio peccati: in consensu consummatio: in vsu denique, siue peccandi consuetudine contemptus, iuxta illud Sapientis: Impius cùm in profundum malorum venerit, contemnit. Sicut autem quibusdam gradibus consummatur in nobis peccatum: ita vicissim quibusdam gradibus actionum sibi succedẽtium liberamur à peccato per remissionem Dei. Primum est verbum Dei suggerens bonum: deinde fides, qua creditur verbo, & fiducia in id quod verbo promittitur. His verò velut concepto semine verbi mens parturit pœnitudinem cõmissi peccati, regressum insuper ad misericordem Deum per mediatorem Christum, supplicationem, dilectionẽ, &c. quibus rursum restituimur in pristinum gradum, ac iusti efficimur per gratiã Dei infundentis illud bonum in nobis quod peccãdo perdideramus, vt infra audies. Quoniam autem minus elongat, & subuertit hominem peccatum quod adhuc intus manet in occulto cordis, q̃ quod per audaciã prodit in opus aut publicum. Maximè autem inuertit, excæcat, & obfirmat, quod iam per vsum, & consuetudinem inueteratũ hominẽ, quasi sepultum tenet in profundo malorũ, quia quot vicibus prauæ frequentationis mens astringitur, tot quasi vinculis obligatur. Vnde B. Gregorius lib. præallegato cap. 29. loquens de quatuor illis prænominatis modis dicit. Sciendum quoque est, quòd tres illi modi peccantium iuxta dissensus sui ordinem faciliùs corriguntur, quartus verò difficillimè emendatur. Vnde & redemptor noster puellam in domo, iuuenem extra portam, in sepulcro autem Lazarum suscitauit. Adhuc quippe quasi mortuus iacet in domo, qui latet in peccato: iam quasi extra portam educitur, cuius iniquitas vsque ad inuerecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ, etiã vsu consuetudinis pressus grauatur. Hęc Grego. Puellam sola manus porrectione suscitauit Dominus adolescentem verò, tacto loculo vt sisterent progredientes, imperio reuocauit dicens: Adolescens tibi dico, surge. At Lazarum quatriduanum nõ nisi lapide amoto, & fusis lacrymis, turbatus quoque spiritu, ingemiscendo, & exclamãdo reuocauit à sepulcro, significando in remittendis peccatis opus esse, nunc paucioribus, nunc pluribus medijs, secundum diuersam quantitatem peccati, diuersam etiam peccantium qualitatẽ. Neq; sunt hæc fabulosa, sed à Christo reuera sic gesta, à Patribus autem, probè intelligentibus omnem Christi actionem, nostrã esse instructionem, ad doctrinam delinquentiũ religiosè hoc pacto accommodata.

Non idem esse remißionem peccatorum & iustificationem impij, tamen inseparabiliter sibi cohærere, adeoq; peccatorum remißionem nunquam fieri per solam non imputationem Dei. CAP. V.

[Margin notes: tur in nobis peccatum ex Greg. — Quatuor modis cõsummatur peccatũ in opere. — Iob. 3. — Ex dicto Iacobi 1. colliguntur grad' consummãdi peccatum. — Vnus peccator difficilius redit ad viã salutis q̃ alius. — Greg. 29. moral. — Quid significent tres mortui quos Christus suscitauit.]

Remis-

M. *Quid significet vox remissio.* REmissio peccatorum de qua articulus, non fit eo modo quo dona remittũtur minora vel maiora datis, aut quo remittimus animum post actos labores, vel quo rursum quippiã mittimus eo, vnde acceptum erat. Sed quo cõdonamus offendentibus, quod in nos peccatum erat, vt remissio peccati sit non imputatio, peccati condonatio, seu veniæ impartitio.

Psal. 31. Iuxta illud: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. D. Scio quidem apud auctores Latinæ linguę verbũ, remitto, subinde significare, idem quod concedo, nõ imputo, condono, ignosco, verùm an vnum, & idem sint peccatorum remissio, & iustificatio impij?

An idem sint peccatorũ remissio & impij iustificatio. M. Non, sed inseparabiliter sibi cohærent, quia nulla est iustificatio impij sine remissione peccatorũ, neque item vlla Euangelica remissio peccati, sine iustificatione, vt quemadmodum regnauit peccatũ in morte, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum.

Roma. 5. Docet Apostolus quod peccatũ Adæ regnauit in mortem, gratia autem redemptionis per Christum in vitam æternam. At in vitam æternam non potest regnare gratia Christi per nudam non imputationẽ peccati. Regnum Dei, vitaque æterna, non sunt nisi pro filijs, vel per naturam vt Christus erat, vel per gratiam, quomodo sancti & diui, siue deificati homines sunt filij Dei, facti iam per dona, quod non erant per naturam, videlicet cõformes imaginis Filij Dei, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. *Roma. 8.*

At sicut nemo est frater hominis secundum naturam, nisi viuat vita humana: ita nemo est frater Christi filij dilecti in quo sibi bene complacuit pater, nisi viuat vita gratiæ in Deo, qua viuebat ipsemet Christus plenus gratia secundum quod homo.

1. Ioan. 5. Qui autẽ non habet, vt docet Ioã. Apost. Filium Dei, vitam non habet, scilicet qua bene & iustè viuitur secundum Deũ. Habet autem Filium Dei, qui habet spiritum eius. Nã qui non habet spiritũ Christi, hic non est eius. Spiritus verò Christi, est viuificator spiritus. Porrò viuificatio non fit per non imputatione peccati, sed per dona spiritualia, quę Apostolus Petrus vocat maxima & pretiosa dona Dei, quibus natura eleuatur supra se, in ordinem rerum ęternarum vt sit noua creatura in Christo. Nam eiusmodi dona, vt sunt à viuẽte, & æterno Deo, ita faciunt & in Deo, & in æternum viuere. Hinc Apost. Rom. 5. adiecit. Ita & gratia per iustitiam, non per nudam nõ imputationem, regnet in vitam æternam. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiã gratiæ, & donationis, & iustitiæ, obserua tria illa, accipientes in vita regnabũt per vnũ Iesum Christum, vt sit verum: Vbi abundauit delictũ, superabundauit & gratia. Vnde ad Iudæos dixit Christus: Si Filius vos liberauit (remittẽdo scilicet seruitutẽ peccati donata ea abũdantia, de qua Paulus dicebat, gratię donationis, & iustitię, quã ipse attulit in mũdũ) verè liberi eritis, scilicet à peccatis vestris. Quapropterea ad Cor. 6. sic habetur: Et hæc fuistis aliquãdo scilicet idololatræ, fornicatores, adulteri &c. sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu, & in spiritu Dei nostri. Exprimuntur hìc ab Apostolo tria, nempe ablutio, sanctificatio, iustificatio, quæ concurrũt simul in Euangelica remissione peccatorum.

Homo remittit per solam nõ imputatiõẽ, nõ autẽ Deus. Itaque & si homo aliquando remittit proximo suo per solam nõ imputationẽ: tamẽ in Christo Iesu nõ remittitur peccatũ per non imputationẽ, nisi cõcurrẽtibus istis trib⁹, vt simul sit ablutio hominis, sanctificatio hominis, iustificatio hominis. Ablutio macularũ ac sordiũ, quas inuexit peccatũ. Sanctificatio per dona pretiosa desuper infusa, quibus tollitur profanatio qua hominem cõmunicat peccatum, efficiturq; cõsors diuinæ naturæ. Iustificatio, qua peccator totus fit rectus, dispositus sub Deo vt oportet, ad proximum sicut oportet, in seipso, & in viribus suis sicut oportet, ad futurum regnum & gloriam eius prout conuenit, secundũ intentum primę creationis rerũ. Nemo enim iustus, vti demonstrauimus tractatu 2. primi libri, nisi qui cõstitutus est eo loco & gradu vnde peruenire possit ad finem creationis suæ, cuius hoc loco meminisse oportet. Vbi autem hęc concurrunt, ibi demũ est Euãgelica remissio peccatorum, quam in fide per sanguinem redemptionis Christi expectamus. Et de illa remissione peccatorũ loquitur articulus, nõ de quacunque condonatione, siue non imputatione peccati. D. Dicit tamen Propheta, hominem beatum cui non imputauit Dominus peccatũ.

Qua ratione beatus cui Deus non imputat peccatũ. M. Et reuera talis beatus est, quia cuicunq; non imputat Deus peccatum, illum simul mundat, sanctificat, & iustificat, restituens eum in gradum pristinum vnde exciderat per peccatum, quo si non restitueret eum, certè adhuc aliquo vsque imputaret illi peccatũ. Citat verò Apost. illud Prophetæ, vt etiã hac via excludat opinionẽ meriti, dicentium se merito obseruationis legis venisse in gratiã Euangelicã, qua remittuntur peccata, quia Deus nõ vendit remissionem peccatorũ operibus, aut meritis, sed gratuitò remittit non imputando, donaq; gratiarũ impendendo, vt ex alijs eiusdẽ Apostoli verbis constat,

A quia

A quibus, & quibus medijs fiat remißio peccatorum, an scilicet per solam fidem vt quidam fingunt. CAP. VI.

M. Summariè reperitur quid sit peccatũ & quæ iucũ moda ei'.



Diximus supra, quòd peccatũ est auersio, & elongatio à rectitudine legis. Item culpa & offensa, iniquitas insuper, & impietas in Deum, faciẽs animam non solum ream vindicatiuæ iustitię Dei, sed & profanam, atque obscuram, ac maculatam, necnon & vulneribus sauciam, denique sine vita qua secundum Deum viuebat, vt post peccatum verè sit mortua, sicut corpus sine spiritu mortuum dicitur. Quæ omnia si adfert secum peccatum vt adferre demonstrauimus, haud dubiè non potest intelligi peccatum penitus esse dimissum, nisi illis omnibus reuera ablatis. D. Sic apparet. Ceterùm quis tollit hæc, & quibus auferuntur

A diuersis remittuntur peccata per diuersa media.

medijs? M. Misericors & miserator Dominus, Superbenedicta trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Insuper Christus Dominus Filius Marię virginis. Tertiò homo sacerdos fungens legatione pro Christo in terris. Verùm ne vnum quidem prædictorum quæ secum adfert peccatum tolli potest, nisi peccator ipse, de adultis loquimur, seipsum conuertat fide, & pœnitentia, redditurus Deo quod contra debitum subtraxerat. Insunt enim peccatis omnia hæc propter voluntatẽ spontaneè se auertẽtem contra ordinem, ius, & æquitatem, à bono incommutabili, ad bonum commutabile: qua voluntate non mutata per conuersionem ad Deũ, non possunt non inesse quę secum adfert peccatum. Facta autem voluntatis conuersione, iam tollũtur, quædam quidem per non imputationem, siue condonationem miserentis Dei, vt offensa peccati, culpa, iniquitas, reatus damnationis æternæ. Quædam verò, vt maculæ, profanationes, tenebræ, vulnera, mors spiritualis, per dona gratiarum Spiritus sancti desuper infusa in animam pœnitẽtis per sacramentũ, vel etiam sine sacramento. Non quod separatim, vel illa sine istis, vel ista tollũtur sine illis, sed quòd illa intelligi possunt remitti per solam non imputationem, prout homo remittit offensam in se commissam, ista verò non possunt intelligi sublata sine contrariæ qualitatis infusione. Non enim potest in rebus corporalibus intelligi vita, sine forma viuificante, aut illuminatio sine lumine, aut ablutio sine eo quod proprietate quadam diluit, & emaculat sordes, sic non est curatio languoris vel morbi, sine restitutione sanitatis. Verumtamen neque illa, neque ista tolluntur sine sanguine redemptionis Christi, & merito eius, in quem vnum respicit Deus remissurus nobis peccata nostra. Neque etiam tolluntur sine verbo Dei. Scimus enim verbo Dei mundari, & curari peccatricem animam spiritualiter, dicente Saluatore ad Apostolos: Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. D. Videntur ergo plura simul cooperari in remissionem peccati, nẽpe Deus, Christus, Sacerdos, sanguis redemptionis, gratia Spiritus sancti, verbum Dei, sacramentum. M. Adde insuper quòd ex parte peccatoris cooperantur, fides, & fiducia in Deum & Christum, dilectio, oratio supplex, pœnitentia, satisfactio: omnia, dico, hæc simul cooperantur in remissione peccatorum. D. An modo eodem? M. Non. Neque in eodem etiam caussarum genere. Nam superbenedicta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tollit peccatum, & incõmoda eius effectiuè, misericorditer condonando, simul & creando in anima charismata gratiarum, quibus euanescunt pereuntq; peccata, haud secus atque Sole oriente, & diffundente in aëra lumen suũ, mox euanescunt & pereũt tenebræ, quæ sunt in regione aëris. Et quemadmodum Sol non solùm tenebras tollit, verùm etiam per lumen suum diffusum destruit in aëre, atque absorbet omnem fetidam nebulam, caliginosúmque vaporem, reddens aërem perspicuum atque salubrem, terram insuper velut viuificam & fecundam: sic & Deus per lumen gratiæ celitus diffusum in animam, purificat corda nostra à maculis, sanctificat à profanitate, illummat à caligine errorum, sanat, viuificat, fecũdat, procul eliminatis peccatorum incommodis. Christus verò secundum humanam naturam tollit peccata, eorumque maculas, & incommoda: nõ quidem creando in anima quidquam, non enim creator est secũdum formam serui: sed iudicialiter absoluendo, siquidem Dominus est & iudex omnium, omni iudicio ei tradito à Patre: item agendo apud diuinitatem vt tollantur condonatione, & gratia Dei, tanquam mediator, & reconciliator atque redemptor merito benedictæ passionis suæ: cuius officiũ est non offensam remittere, sed remissionem apud Deum qui offensus erat procurare, interpellãdo, promerẽdo, satisfaciendo. Quoniam autem officium reconciliationis peregit in carne sua, & sanguine suo: ideo & caro Christi & sanguis eius velut instrumẽta quædã, quibus est vsus reconcilians nos Deo Patri suo, quodam modo dicuntur diluere, & tollere peccatum nostrum atque incommoda eius, prout suprà latè tibi explicauimus. Porrò gratia Dei diffusa in cordibus nostris, est ip-

De' quomodo tollit peccata nostra.

Christus homo quomodo tollit peccata.

Caro & sanguis Christi, quomodo tollunt peccata.

Gratia quomodo

Cooperatur ad peccati remissionem. Verbũ Dei quomodo cooperetur. Sacramenta quomodo cooperentur.

est ipsa forma, iustificans hominem, sanctificans, & viuificans in genere caussæ formalis. Verbum autem Dei est velut magisterium erudiens peccatorẽ, vnde & quo prolapsus sit, qua via, quibusq; redire posset medijs, operans in remissione peccatorum, sicut sermo magistri operatur in institutione discipuli. Sacramenta verò sunt velut vasa seu instrumenta, quibus nobis reuera, & infallibiliter applicatur gratia Dei, qua fit remissio peccatorũ: Vnde & ipsa cooperantur in genere caussæ instrumentalis. Nec mireris ista, sed intuere simile quod dabo, sicut enim à diuersis, in diuerso genere caussæ tolluntur tenebræ aëris:

Aptum simile.

Nam tollit illas Sol oriens, tollit quoque eas lumen diffusum per aëra, tollit & ille qui Solem inuehit super horizontem nostrum, tollit denique is qui remouet obstaculum, vtputa fenestram quo lumen Solis intret. Sic quoque à diuersis, in alio tamen & alio genere caussæ tolluntur peccata nostra. Neque hic opus est vllis scripturis, quia de Deo quòd tollit peccatum effectiuè operando remissionem peccatorum, certum est dicête scriptura: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. De Christo & sacerdote declarabimus infrà, de sanguine redemptionis ostendimus suprà. De sacramentis denique probabimus lib. 4. Præter hæc autem dicta etiam cooperatur ad remissionem peccatorũ, actio ipsius peccatoris diuina miseratione & gratia præuenti & adiuti. Cooperatur, dico, non quidem per modum efficientis, aut promerentis, sed per modum præparantis materiã in quam infundenda venit gratia Dei remittens peccatum, aptando sese quo idoneus fiat ad recipiendum eam. Præparat autem se peccator suscepto semine verbi Dei per fidem, amore fiduciaque in Deum & Christum mediatorem. Adhæc pœnitentia, quæ non est sine detestatione peccati, bonoque motu mentis humiliter deprecantis pro venia, confessione insuper delicti perpetrati, voto deniq; sine proposito deinceps faciendi fructus dignos pœnitentiæ. D. Quid audio? omnia ne hæc requiruntur ad remissionem peccatorum ex parte nostra? Vbi ergo illud quod passim est in ore multorum: Sola fides sufficit. Sola fides iustificat. M. Vt multi hoc dicant, tamen bonis Christianis quibus scriptura sancta est regula fidei, hoc in ore esse nõ potest, quia alienissimum est à doctrina sancta, repugnans infinitis locis scripturæ, tantũ abest vt in libris vel veteris testamẽti vel noui inueniri possit. Habet quidem Hymnus, qui canitur de venerabili Sacramento hoc

Quæ requirãtur in remissione peccatorũ ex parte hominis.

Opera pœnitentiæ nõ cooperantur efficiẽdo aut promerendo.

Sola fides iustificat, nõ reperitur in scripturis.

modo: Et si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit. Hoc est, & si non possent sensus humani in intelligentia comprehendi mysteria sacramenti altaris, tamen sufficit credidisse seu captiuasse intellectum in obsequium fidei. Neque vlla in toto illo hymno fit mentio remissionis peccati, vel iustificationis impij, vt hinc possit trahi error ille: sola fides sufficit ad remissionem peccatorum. Manifestè autem docemur scripturis, remissionem peccatorum fieri verbo Dei, fide, dilectione, pœnitentia, sacramento, sanguine redemptionis, gratia intus operante: Sed non verbo sine fide. Quia dictũ est: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, non qui solùm audierit, saluus erit. Nec fit verbo etiam adiuncta fide sine pœnitentia, & dilectione. Quoniam, teste Saluatore, nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Iterum: Si peccauit in te frater tuus increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Obserua coniunctionem, si, quia si non egerit pœnitentiam non dimittes illi, Et teste Apostolo eius Ioanne: Qui non diligit, manet in morte. Neque etiam fit verbo, fide, dilectione, pœnitentia simul iunctis, nisi accedat & sacramentum à Christo in purificationem, & reconciliationem peccatoris institutum, modò sacramentum non excludat vlla necessitas. Quoniã qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Item nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Iterum: Quorũ retinueritis peccata, retenta sunt, id est, non remissa. Et hæc denique omnia simul iuncta frustratoria sunt sine sanguine redemptionis Christi operãte in omnibus ante dictis, & gratia Dei diffusa in cordibus nostris. Sicut quidquid egeris non illuminatur aër, nisi diffusis radijs solaribus per medium eius. Non itaq; sola fides iustificat impium, sed concurrunt simul omnia quæ dicta sunt, quodque in suo ordine. Primum est verbum Dei terrefaciens peccatorem ira ventura super impœnitentes, leniens quoque, & in spem erigens, magnificis Dei promissis super reuertentes. Secundũ est fides, qua accedimus ad Deum, & fit Deus quasi præsens in nobis, non solùm per modum quo cognitum est in cognoscente, sed etiam quo is cui omnem tribuimus auctoritatem, est in assensu mentis. Tertium est pœnitentia qua reuertentes ad Dominum detestamur peccatum, vt iniquum quid & impium planè offensiuum diuinæ maiestatis. Quartum est dilectio, quæ facit mentem suaui quodam amore flagrantem in Deũ. Quintum est gratia gratum faciens, qua diffusa

Quo ordine cooperentur actiones pœnitentis.

Luc. 13.

1. Ioan. 3.

Ioan. 3.

Ioan. 20.

per Spiritum sanctum in cordibus nostris, non possunt non solui in nobis opera Diaboli, hoc est, peccata eorumque affectus, neque possumus non fieri conformes diuinæ naturæ, hoc est, filij lucis. Sextom est sacramentũ velut efficax ac infallibile symbolũ remissionis accipiendæ. Sanguinem autē remissionis non ponimus in certo aliquo ordine, quoniã in omnibus & per omnia prædicta operatur. Quemadmodum enim tempore legis omnia penè in sanguine secundum legem mundabantur, & sine sanguinis effusione non fiebat remissio, ad Heb. 9. Ita nũc nihil potest mundari à peccatis sine sanguine eius, quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius, ad Roman. 3. D. De fide nihil dubito, quin cooperetur, affirmante Paulo: Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Et Petro: Fide purificans corda eorum. Ceterùm de alijs, quibus, oro, demonstratur scripturis quòd cooperentur ad remissionem peccatorum? M. De verbo Dei constat Ioan. 13. dicēte Domino: Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Si mundi erant Apost. propter sermonem Domini, ergo verbum Dei purificat à peccatis. De dilectione verò est certum testimonium Christi prorunciantis: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit. Si ideo dimissa sunt multa peccata, quoniam dilexit multum: Insuper si minùs dimittitur ei, qui minùs diligit, ergo dilectio cooperatur ad remissionem peccatorum, & maior dilectio magis ac plus cooperatur quàm minor. De pœnitentia autem non potest esse dubium legenti scripturas, Sap. 11. Dissimulat, inquit, peccata hominum propter pœnitentiam eorum. Insuper Matth. 3. Lucæ 13. & 17. Act. 2. ac alijs locis: intuenti præterea viua illa exempla Magdalenæ, publicani, & filij perditionis obtinentium remissionem peccatorum per pœnitentiam, dicente Domino: Descendit hic iustificatus præ illo, scilicet propter supplicem pœnitentiam ipsius ibidem prænarratam. Sed de his sicuti de sacramentis, & confessione ac satisfactione peccatoris faciemus exactam demonstrationem lib. 4. Inter omnia autē hæc requisita ex parte pœnitētis, fides in primis necessaria est, fides, inquã, per dilectionē operans, siue fides ad cor trāsiens, adeò, vt immutetur affectus in amorē eius quod per fidē cœpit esse in cogitatione. Per hanc enim est proximus accessus & vltima dispositio, extremaq; præparatio, quam statuit Deus reputare homini, ad iustitiã, siue remissionē peccatorũ. Nam fides sine charitate nihil prodest, 1. ad Cor. 13. Et sicut propter dilectionē qualis erat in Magdalena procedēs ex fide, dimissa sunt ei peccata multa: ita quãtacunq; sit dilectio nō procedēs ex fide, nihil prodest. Quoniã sine fide impossibile est placere Deo, ad Heb. 11. D. Si hæc prænarrata cooperērur ex parte peccatoris ad remissionem peccatorum: an nō igitur iustitia nostra ex nobis est? M. Nequaquã, ignorãtes enim iustitiam Dei & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei nō sunt subiecti. Quemadmodũ lutũ se habet ad figulũ in formatione vasis, ita se habet impius ad iustificatorē Deũ in opere iustificationis. Lutũ quantũlibet præparatũ, formam artis quam recipit, non ex se accipit, nō etiam ex necessitate caussæ materialiter operantis, sed ex voluntate figuli. Ita & peccator quantũlibet se ad gratiam remittentē præparauerit adiutorio Dei credendo, sperãdo, pœnitendo, diligēdo, & c. aut ab alio præparatus fuerit, nō accipit illã neque ex se, aut propria virtute, neq; ex necessitate vllius alterius agētis, sed ex virtute & operatione Dei intus abluentis, sanctificantis, & iustificantis animam, per gratiam desuper infusam, quam homo nō magis efficit, aut creat in anima sua vllis suis operibus, q̃ laborator inscius artis figulinæ molliens & præparans lutũ, inducit formã artis, qui tamen quoniã aptat materiã vasis formandis, ideo suo modo cooperari dicitur in opere artis. Sic homo quia verbo Dei, fide, pœnitentia, & dilectione præparat sese, atque idoneum facit ad recipiendum in anima suam formam iustificationis, seu iustitiæ, quæ ex Deo est: ideo dicitur cooperari in remissione suorum peccatorum, sed in genere caussæ materialis. Quod vtique intelligendũ tibi est de homine præuēto & adiuto beneficijs Dei. Quia nec in præparatorijs istis actionibus quidq̃ valet humana infirmitas sine adiutorio miserentis Dei, dicente Apost. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi à nobis. Quapropter neque ex nobis est iustitia nostra, qua iusti sumus coram Deo, neq; tribui debet vllis operibus nostris, tanquam efficientibus illam sicut opus vasis huius vel illius formæ, nullo modo tribuitur laboratori aptanti lutũ, sed figulo introducenti formam artis. Aptũ simile habes, 1. ad Cor. 3. Ego plantaui inquit Paulus, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit, non Paulus plantans, non Apollo rigans dedit vobis incrementum iustitiæ, sed Deus. Simili sanè modo dicere debemus, ꝙ peccator quidem se fide, & spe conuertit ad Deum, diligit, pœnitet, supplicat: sed Deus est qui incremētum dat remissionis, & salutis, qui & efficit vt pec-

Rom. 3.

Ioan. 13. Scripturæ quib' præmissa probantur.

Quę sit vltima dispositio ad remissionem peccatorum.

An iustitia nostra posset dici esse ex nobis.

vt peccator inciperet credere, sperare, seq; ipsum conuertere ad Deú &c. Itaqué neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, neq; etiá qui pœnitet, sed qui incrementum dat Deus. Proinde & hoc longè abest à vero, vt remissio peccatorú cadat sub merito actionis nostræ, prout iam demonstrabimus. D. Prius tamẽ hoc, oro, expone an in remissione cuiuslibet peccati, opus sit prorsus omnibus istis medijs, verbo, fide, dilectione, pœnitentia, sacramento. M. Diuersis morbis, diuersa solent aptari remedia, non omnia autem peccata sunt eiusdem generis, vti diximus suprà. Nam peccatum originale, est peccatum naturæ, nõ propriæ operationis, origine cõtractum, nõ voluntate perpetratum. Ideoq; ad sui remissionem per se & directè non requirit quid personale, puta instructionẽ per verbum Dei, fidem, pœnitentiam, aut dilectionẽ, sed tantummodo requirit naturæ infeliciter natæ ex Adam salutarem regenerationem in Christo, ex aqua & Spiritu sancto. Qua renascentia facta, deletum est peccatum ex priori natiuitate contractum. Quapropter peccatú originale solo baptismo remittitur, nisi in adultis, qui ad originale peccatum etiam personalia adiecerunt. Ná ad hos inquit Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum. Et de eisdem dicit Christus. Qui crediderit, scilicet verbo prædicato, & baptizatus fuerit, saluus erit. Ceterùm de hoc plura dicemus lib. 4. in demonstratione sacramenti baptismi. Peccatum verò actuale est peccatum non naturæ, sed propriç voluntatis, sua sponte committẽtis vel omittentis contra legem Dei, vti fusiùs exposuimus suprà. Vt igitur finiam. Peccatú quatenus est originale, id est, corruptio & infectio naturæ, trãsiẽs ad posteros generatione, non eget nisi lauacro regenerationis & renouationis, vti habes Ioan. 3. ad Tit. 3. 1. Pet. 3. Peccatú verò vt est actuale animç auersatricis motu proprio auertentis sese à Deo & lege eius, non remittitur, nisi homo sua sponte se rursum conuertat ad Deum. Iuxta illud: Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos. Prçtereà actuale peccatum, quatenus est macula coinquinans animam, congrua ratione dicitur remitti per viá lotionis, seu purgationis. Iuxta illud: Purgationem faciẽs veterum delictorum. Et illud: Sed abluti estis. Quatenus autem profanat animam, rectè dicitur remitti sanctificatione. Iuxta illud: Sed sanctificati estis. Quatenus verò peruertit hominem & iniquum facit, merito dicitur remitti per iustificationem. Iuxta illud: Sed iustificati estis: Et illud, Qui enim mortuus est, iustificatus

Ad remissionẽ peccati originalis, non requiritur nisi baptismus.

Act. 2.

Heb. 1.
1. Cor. 6.

est à peccato, Roman. 6. Quatenus autem est morbus spiritualis, infirmans, ac vulnerans animam, dicitur tolli sanatione. Hinc Propheta: Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi. Sana animam meam, quia infirmata sunt omnia ossa mea, scilicet per peccatum. Quatenus verò peccatú est mors animæ, remittitur viuificatione. Hinc Esai. Corripies me, & viuificabis me. In quantum deniq; peccatum dicitur tenebræ, remittitur per illuminationem. Iuxta illud: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas, id est, peccata mea tolle illuminatione vultus tui. Hæc de peccatis originali & mortalibus, nam de venialibus dicemus infrà.

Esa 38.

Remissionem peccatorum, prim imue iustificationem hominis non cadere sub merito nostrorum operum. CAP. VII.

IN exordio nascentis Ecclesiæ erediderunt multi Romç Euangelio, partim ex Gentibus, partim ex Iudæis. Orto autem velut schismate inter eos (Nam gloriabantur Iudæi se legis obseruatione meruisse hanc Euangelij gratiam, qua peccata remittuntur, & regnú promittitur. Ideoque debere Gentes primò confugere ad legem Mosaicam, sicque transire ad Euangelium Christi: contra, Gentes gloriabantur se quoque dignos hac gratia, q ductu luminis naturalis bene obseruassent legẽ naturæ) instruit illos Apost. ostendẽs vtriusque partis gloriationem non bonam esse. Quandoquidem non potuerunt neque gentes per legem naturalem, neq; Iudæi per legem Mosaicam mereri hanc gratiam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Demonstrat autẽ intentum suum Apostolus ex eo, Quoniam omnes tam Iudæi q̃. Gentes peccatores erát. Quod de Gentibus grauissima enarratione ostendit dicens: eas per legẽ naturæ fuisse idololatras, infectos insuper crimine pessimo & omni genere maliciæ cõtra honestatem, & æquitatem naturalem, subiungens circa finem capitis: Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniá qui talia agunt digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Quam postremam partem, non solùm &c. addit propter gubernatores, & philosophos, qui licet immunes erant ab enarratis, tamen quoniam tacitè cõsentiebant nõ redarguendo, ac puniẽdo, vti oportuit, ideò & ipsi digni erant morte magis q̃ Euágelio vitç, seu gratia remissionis peccatorum. Hçc 1. cap. ad Rom.

M. Schisma Romanorú super merito quo putabát se peruenire ad remissionẽ peccatorum. Gratiam Euangelicá nemo potest mereri.

Rom. De Iudæis verò q̄ fuerint peccatores ostendit 2.cap.dicens:Si autem tu Iudæus cognominaris,& requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducē cæcorū, lumen eorum qui in tenebris sunt,eruditorem insipientium, magistrum infantium,habentem formam scientiæ & veritatis in lege.Qui ergo alium doces, teipsum non doces.Qui prædicas non furandum,furaris.Qui dicis non mœchandū,mœcharis. Qui in lege gloriaris,per præuaricationem legis Deum inhonoras.Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. His addens 3.cap. Caussati enim sumus Iudæos & Græcos,omnes sub peccato esse,sicut scriptū est:Omnes declinauerunt,simul inutiles facti sunt,non est qui facit bonum, non est vsque ad vnum.Ex qua doctrina Pauli demonstratissimum tibi habebis, neminem mortalium posse sibi mereri remissionem peccatorum, aut eam iustificationem,qua ex impio fiat iustus.Ex eo ipso enim quo peccator est, non habet vnde mereatur,filius iræ existens,mortis item & damnationis, vtque persona eius ita & omnia quæ habet,omnia etiā quæ corpore præstare potest sunt obærata diuinę iustitiæ in damnationem mortis.Qui ob maleficium incidit in manus principis, si ministerium pro redemptione offert, nihil offert. Iā enim princeps habet & corporis eius & omnium quę corpore prę̄stare valet,potestatem. Si offert bona sua, iterū nihil offert, quoniā & illa demerito maleficij iam venerunt in cōfiscationem. Sic est de peccatore comparatione Dei. Quoniam propter peccati demeritum prorsus nihil habet,neque in persona, neque in viribus,neque in rebus,quod nō sit obnoxium iustitiæ vindicatiuę,& damnationi.Nihil, dico, cui aliud debeatur q̄ mors & perditio secundum formam iustitiæ vindicatiuæ. Reddet, inquit Apost. vnicuique iuxta opera sua. (Reddere est iustitiæ: reddimus enim quæ debita sunt) ijs autem qui sunt ex contentione,& qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum,Iudæi primū & Græci. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicunque enim sine lege peccauerunt,sine lege peribunt: & quicunque in lege peccarunt, per legem iudicabūtur. Vides,fili, q̄ ex doctrina Apost. peccantibus quamdiu sunt in peccato nihil debetur, nisi ira & indignatio, mors atque condemnatio. Quapropter quamdiu tales sunt,nullo modo possunt mereri, sibique debitam facere remissionem

Ratio physica ob quā peccator mereri non potest remissioné peccatorum.

Quòd peccatori non aliud debetur q̄ mors & perditio, probatur ex Apostolo. Rom.2.

peccatorum suorum. Quòd enim morti obnoxius,nō moriatur, gratiæ est:quodque aliquod opus illius,qui demeruit vniuersa, acceptetur velut gratum, illique reputetur ad veniam peccatorum,etiam hoc nō fit nisi secundum propositum,siue beneplacitum volentis misereri: Ergo gratiæ est. Nam si quid est in peccatoris potestate,quo se posset eximere à peccato,Deoque carum facere,Christus gratis,id est,sine caussa & citra necessitatem mortuus est. Quid enim opus erat Filiū Dei mori pro peccatis nostris,quādo nosipsi nostris operibus ac meritis potuim⁹ nos eximere à peccatis nostris?Nihil ergo inuenitur in persona peccatoris, nihil in operibus eius, nihil denique in lege vel Moysi vel naturæ,vnde mereatur remissionem peccator. Si enim per legem, inquit Apost. iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.Iterum : Non enim ex operibus legis iustificatur omnis caro coram illo. D. Tamen tempore legis inueniebant Iudæi remissionem peccatorum suorum.

M. Et tempore legis naturæ,& sub lege Mosaica,& post legē Moysi, prædicato iam Euāgelio,inuenerunt pœnitentes gratiam remissionis,sed non per legem naturæ,aut per legē Moysi, vel per scriptum Euangelium. Ratio est in promptu. Quoniam per legem cognitio peccati,inquit Apost. Hoc vnum est proprium legi, mandato suo præscribere quid vitandum, quidue sequendum, vltra nihil potest lex,vt lex est.Porrò legē Moysi nō iustificare hominem à peccatis suis, apertè docet Apost.ad Rom.3.& ad Galat.2.Vnde optimo argumento à maiori consequitur,nec legem naturæ posse iustificare hominem à peccatis. Siquidem lex Moysi legi naturali cælitus est superaddita,vt præter bonam dispositionem naturæ, quæ est à lege naturali, etiam in Deum formaret hominem.Si ergo ea lex quæ superaddita est, non potest iustum facere corā Deo, igitur multo minus illa cui superaddita est.Nam quid dicit scriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Non quia legem Moysi obseruauit,quoniam illa plusquam sexcentis annis postea data est. Non etiam quia bona fecerat opera,sed quia credidit, ideo reputatum est illi ad iustitiam. Remissio enim peccati, & iustificatio impij, non ex alio sunt, quàm ex reputante Deo. Credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Non quidem secundum debitum, sed secundum propositum, inquit, gratiæ Dei, hoc est, secundum beneplacitum quo proposuit misereri omnibus piè credentibus in Deum.Nec dicit Apostolus, credentis in eum qui iustificat

Si peccator potest mereri remissioné peccatorum, ergo Christus gratis mortuus est.

Ad Gal. 2.

Ad Ro. 3.

Tépore legis fuerat iustificatio, sed nō per legé.

Lex Moysi nō iustificat à peccato.

Lex naturæ nō iustificat à peccatis.

Genes. 15.

Remissio peccati & iustificatio sunt ex reputatione Dei miserétis.

Rom.4.

stificat impium, fides meretur iustitiam, sed credenti fides eius reputatur ad iustitiam, ne quis falsò opinetur vel ipsam fidem, siue ipsum credere, posse mereri remissionem peccatorum. D. Firmiter credo remissionem peccatorum non cadere sub vllo pœnitentis merito, verum an omnino sic gratis detur, vt sub nullo prorsus cadat meritô? M. Dicit scriptura. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, id est, iustitia. Iterū: Iustitia & pax osculatæ sunt. Igitur ne remissio quidem peccatorum fit à Domino, sine ostensione iustitiæ. Verùm ostensio hæc iustitiæ non est in opere eius, cui fit remissio peccatorum, sed in redemptione vnigeniti Filij Dei, tradentis semetipsum in sanguine mortis, hostiam dignā pro peccatis nostris. Quod pulcerrimè depingit nobis Apost. ad Rom. 3. dicens: Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Ergo in singulis est necessitas habendi remissionem peccatorū, quia dicitur: Et egent gratia Dei. Et in nullis est meritum, quo habeant, quia peccauerunt. Iustificati gratis, comparatione ad ipsos, per gratiam non ob debitum, ipsius scilicet Dei, per redemptionē quæ est in Christo Iesu (Est autem redimere, soluto pretio quod captum erat, seu obæratum recuperare, duo itaque concurrunt in iustificatione impij, scilicet gratia Dei miserentis, & pretium Christi redimentis) quem proposuit Deus, antequā vellet misereri, propitiatorem per fidē in sanguine ipsius, vt scilicet peccator obnoxius morti nō sine sanguine mortis redimeretur, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei. Ecce pretium redemptionis debebat esse sanguis innocentis Christi, idque eam ob caussam vt palàm fieret mundo, Deū non remittere, ne præcedentia quidē peccata, hoc est, ea peccata quæ præcedunt baptismum, absq; vindicatione secundum aliquē rigorem iustitiæ, ad ostensionem iustitiæ in hoc tempore, scilicet euangelij, quod est tēpus renatorum. Ideo enim voluit præcedentia peccata nō posse redimi, nisi pretioso sanguine agni immaculati, vt demonstret hominibus huius temporis, hoc est, Christianis, iustitiam suam, quam in remittendis peccatis vult illæsam esse vt sit iustus, non solùm misericors in remittendis peccatis, sed & iustus. Et iustificans eum, non quemcunq;, quia non incredulos, non etiam eum, qui in bonis operibus legis Mosaicæ aut naturę gloriatur: sed eum qui ex fide est Iesu Christi. Hucusq; Apostolus. Quòd autē Christus nobis datus est, qui ipse qui peccatum non fecerat, peccata nostra portauit super lignum, effundens sangui-

In remissione peccatorū inuenitur iustitia & meritū ex parte Christi.

Quomodo fiat iustificatio à peccatis, optimè descri bit Apostolus. Rom 3.

Redēptionē quę est in Christo

nem suum in redemptionē pro nobis, quòd disciplinam pacis nostræ posuerit Deus super dorsum eius, totum gratiæ est & misera tionis. Nemò mortalium hoc meruerat, sed nec mereri potuit. Remissio itaque peccatorum fit quidem gratis, hoc est, absque meritis nostris, per gratiam Dei miserentis, & reputantis nobis ad iustitiam, fidem qua credimus in vnigenito Filio eius. Verùm non simpliciter gratis & absque omni merito, quia non sine meritò Christi, & pretio redemptionis, qua ipse redemit nos in cruce vti suprà declarauimus in articulo quinto Symboli.

nobis datū esse, solius est gratiæ nō meriti.

Bona opera quæ fiunt ante remissionem peccatorum ex fide, valdè vtilia esse, eò quòd peccatorem reddant minus indignum munificentia Dei, & subinde impetrent peccatorum remissionem. CAP. VIII.



Vnc autem est interrogandum mihi: Bona opera peccatoris, si non merentur ne remissionem quidem peccatorum, qui est primus gradus ad salutem, quæ igitur vtilitas in illis? D.

M. Certè magna & multiplex. Prima etenim vtilitas est, sed perexigua, quia minus indignos nos gratia, & miseratione efficiunt. Minùs enim indignus est gratia, qui cum paucis peccatis simul multa bona habet, quàm is qui per omnia malus existit. Sed & bona temporalia nobis à Deo conciliāt, vti patet in remuneratione obstetricum, quòd pietate cōmotæ non interfecissent infantes Hebræorum, Exod. 1. Secunda, quia plagas Dei à nobis auertunt, modò adsit studium placandi Deum cum voluntate recedendi à malo. Cuius exemplum habes euidentissimum in Niniuitarum facto, Ionæ 2. & 3. vt alia taceam. Tertia vtilitas est, quia disponunt & præparant ad remissionem peccatorum, eamque impetrant, si fiant ex fide in Deum & redemptorem nostrum Iesum cū pœnitudine cordis, aut saltem ex præuia quadam fidei illuminatione. Exemplum habes vnum Act. 10. in Cornelio Centurione cohortis Italicæ, qui licet gentilis foret, tamen quoniam ex præuia quadam fidei illuminatione cœpit esse religiosus, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper: Ideo missus est ad eum Angelus Dei, & accersito B. Petro consecutus est remissionem peccatorū, & gratiā baptismi. Aliud Lucæ 18. in Publicano qui quoniam humiliabat se Deo, adeò vt nec oculos auderet attollere in cælum, sed stans à lōgè tundensq; pectus suum, supplici oratione

Quę vtilitas sit in bonis operibus hominis peccatoris.

mpetrauit remiſſionē peccatorum, dicente Dominn: Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus prę illo. Tertium exemplū habes in Zachęo principe Publicanorum, Luc.19. Qui quoniā dimidium bonorū ſuorum dare pauperibus ſtatuerat & defraudata reddere quadruplum, atque feſtinans deſcenderat vt reciperet Dominum in domum ſuam: Ideo dixit ad eum Ieſus: Quia hodie ſalus huic domui facta eſt, eò ꝙ & ipſe Filius ſit Abrahæ. Quartū habes in Magdalena, Luc.7. Quæ propter opera bona, qualia fide affectuq; pœnitentis conſtanter implebat, audiuit à Domino: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Item: Remittuntur tibi peccata tua. Itaque iſtas ob cauſſas omni diligentia adhortandi ſunt peccatores, vt ſemper contineant ſe in exercitio bonorum operum cum pœnitudine veteris vitę. In primis vt largas faciant eleemoſynas, & ſubinde cum oratione lacrymas fundant, quoniā non erit inanis eiuſmodi labor apud Dominum, ſi ex fide procedat & fiducia in Chriſtum mediatorē, ſed dabit fructum ſuum in tempore oportuno. Porrò de fide quæ incipit ad cor tranſire, incitando hominem in bona opera veramq; pœnitudinem, quòd ipſa impetret remiſſionem peccatorum demonſtrat ex varijs ſcripturis B. Auguſtinus in Epiſtolis ad Xiſtum, & Paulinū, & in multis alijs locis. Et nos abundè ſatis idipſum ſuprà demonſtrauimus ex ſcripturis, lib.1. tractatu ſecundo de fide & iuſtificatione, & patet luce clariùs in verbo Chriſti ad Magdalenam: Fides tua te ſaluam fecit; id eſt, fides ſic tranſiens ad cor, ſicque commouens affectum in lacrymas, ac pœnitudinem, ſicut facit in te, ſaluam te facit, impetrando remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem, necnon & bene operandi gratiam.

Omnes peccatores ſunt exhortādi vt cōtineant ſeſe in exercitio bonorū operū.

Non à ſolo Deo fieri remißionem peccatorum, ſed etiam ab hominibus, non tamen ab omnibus, ſed tantum ab illis, qui in id genus legationis vocati ſunt.

CAP. IX.

D. T lego, & audio à multis, quòd ſolus Deus remittit peccata, & ex parte credo, quia excedere videtur poteſtatem humanam, remittere, quod in Deum commiſſum eſt. M. Excedit quidē, eſſetq; prorſus temerarium, remittere, quod in Deum commiſſum eſt, ſi fieret citra Dei voluntatem, & cōmmiſſionē. Nequaq̃ tamen verum eſt, ꝙ ſolus Deus remittit peccata, vt fingunt Iudæi, & poſt eos hæretici noſtri temporis. Neque tu idipſum vnquam legiſti in ſcripturis Catholicis, quin potiùs ex verbo Dei prorſus contrarium tibi demonſtrabo. Chriſtus docēs in terris inter cetera dixit, primò ad paraliticum, Matth. 9. Luc.5. Deinde ad Magdalenā, Luc.7. Remittūtur tibi peccata tua. Quod audiētes Iudæi dixerunt, hic blaſphemat, quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Hæc Scribæ & Pharisæi. Tu autem magis auſculta ad reſpōſum Domini, qui reprehendēs illos dixit eis: Quid cogitatis malum in cordibus veſtris. Atque obſerua voculam, malum, quoniam Dominus iudicat malum eſſe, & impium cogitare, ꝙ nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus, aut dicere blaſphemiam eſſe, ſi quis nō exiſtens Deus dicat, remittuntur tibi per me peccata tua. Si enim Deus non poteſt cōmunicare alijs poteſtatem remittendi peccata in ſe commiſſa: ergo nō eſt omnipotens. Quinimmo impotentior eſt quàm homo, quia homo poteſt per alium remittere offenſam in ſe commiſſam, vt faciunt plerunque reges, & principes huius mundi. Adhæc poteſtas reſuſcitandi mortuos, illuminandi cæcos, curandi paralyticos ſolo imperio, tam excedit omnem vim, & facultatem humanam, q̃ remittere peccata. Attamen illā cōmunicauit Deus non ſolùm Chriſto Filio Mariæ, ſed & Apoſtolis & infinitis ſanctis Dei hominibus, nequaquam igitur blaſphemia eſt, quòd homo habeat poteſtatem remittendi peccata. Quo quidē argumento cōuincit Chriſtus Phariſęos dicens: Quid eſt faciliùs dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula? Vt autem cognoſcatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico ſurge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, quod & fecit confeſtim. Nec potuerūt vltra vel hiſcere cōtra hoc tā efficax, & quaſi palpabile argumentū Phariſæi. D. Aliud erat de Saluatore, aliud eſt de ſacerdotibus noſtris. Ille Deus erat & homo, iſti nō niſi homines ſunt. M. Ideoq; dixit, vt autē cognoſcatis, quia Filius hominis habet poteſtatem &c. id eſt, Ego ſecundū eā naturā qua homo ſum nat⁹ de homine. Porrò habet allatum argumentū æquè locū in Apoſt. atq; in Chriſto. Quia & Apoſtoli habebāt cōmunicatā ſibi à Deo poteſtatē ſuſcitādi mortuos, curādi omnē languorē, adeò, vt Petrus vmbra corporis ſui: Paulus verò ſudario, ac ſemicinctijs ſuis curauerint infirmos, quod nuſq̃ legimus feciſſe Saluatorē. Quid igitur mirū ſi habeāt ſibi cōmunicatā facultate remittēdi peccata? Quid enim faciliùs eſt dicere: Dimittūtur tibi peccata tua, an ſur-

Demōſtratio qua Chriſtus oſtendit quod non ſolus Deus remittit peccata. Matth.9.

Chriſtus ſecundum humanā naturā remittit peccata.

Ioan.20.

an surge & esto viuus? Apostolos autem habuisse à Christo potestatē remittēdi peccata, clarè testatur scriptura dicēs: Accipite Spiritū Sanctum quorum remiseritis (vos mei Apostoli non obstante quòd puri homines estis, peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt. Quæ potestas hæreditaria successione transit ad omnes sacerdotes legitimè consecratos, prout luce clariùs demōstrabimus in Sacramento pœnitentiæ, libro quarto. Verùm hoc tibi obseruandum est, quòd aliter Deus remittit peccata, aliter Christus, aliter homo. Deus enim remittit peccata per omnipotentiam sibi connaturalem, & coæternam, Christus verò secundum eam naturam quam habet ex virgine Maria remittit peccata, potestate sibi tradita à Patre: Quia Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, Ioann. 5. Si omne iudicium, ergo & iudicium peccati, Et mihi, inquit, data est omnis potestas, quæ in cælo, & quæ in terra. Si omnis potestas, quæ in cælo, & quæ in terra, ergo & potestas remittendi peccata, quoniam illa haud dubiè potestas quædam cæli est. At homo, Apostolus, Episcopus, vel Sacerdos, non remittit peccata, nisi potestate sibi subdelegata per Christum, Ioann. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: adeò vt non sit nisi vna, ac eadem potestas remittendi peccata, quæ in Deo est per omnipotentiam: in Christo donatione Dei patris: in Sacerdote subdelegatione Christi. Quapropter vt nemo potest remittere quæ in me commissa sunt, nisi accepta à me potestate id faciendi, qua accepta reuera dimittit. Sic nemo potest remittere peccata in Deum commissa, nisi accepta in hoc potestate à Deo: qua accepta, quis audebit dicere: Non potest? Quapropter non omnis homo remittit peccata, sed solus sacerdos, quia ipse solus inter homines accepit à Christo remittendi potestatem: prout latiùs demonstrabimus in Sacramento pœnitentiæ. Illud autem præceptum Euangelij. Dimittite & dimittetur vobis. Si enim nō dimiseritis hominib. peccata sua, non remittet vobis pater vester qui in cælis est peccata vestra, datum non solis sacerdotibus, sed omnibus vtriusque sexus personis, nihil te moueat quasi omnes homines habeant à Deo facultatem remittendi peccata. D. Sic tamen quidam dicunt, asserentes quòd æquè mulier absoluit atque sacerdos. M. Sit malè & peruersissimè, sicut demonstrabimus in materia pœnitentiæ. Locus autem nunc citatus loquitur de quodam humano modo remittendi peccata, non quæcunque, sed peccata in nos commissa, nec remittendi simpliciter, sed solùm in quantum nos lædūt. Offensam enim & iniuriam in quantum in nos commissa sunt, non vltra, iubemur remittere, & ex animo remittere, Matth. 6. & 18. adeò vt remoueamus penitus ex animo prorsus omnem vindicandi appetitum. Non autem iubemur remittere illam offensam, qua peccans in nos, etiam Deum offendit, sed nec possumus illam remittere, quia remittendi ius, siue commissionem non accipimus à Deo, quare si tentauero, mitto falcem in messem alienam, mihi præsumendo ea, quæ diuinæ sunt potestatis, quod indubiè crimen est læsæ diuinitatis, nedum maiestatis. Deus autem, & Christus, & Sacerdos, diuino modo remittunt omnia, & singula peccata, in quoscunque commissa, salua tamen ordinatione qua primis præpositis reseruantur quædam enormia, quo singuli caueant magis: etiam saluo iure cuiuslibet. Quia sicut in omni iudicio, ita & in iudicio peccati, sic pœnitenti debet fieri gratia, vt alteri non fiat iniuria. Quapropter si quis furatus est, sic remittitur ei peccatum furti, vt tamen restituat ablatum, & persona furis maneat Reipublicæ obligata ad punitionem in exemplum aliorum. Eodem modo cùm præcipitur nobis remittere proximo peccatum in nos commissum: iubemur id facere, saluo eo cuius nostra interest, et damno quod perpessi eramus. Quæ via iuris recuperare nobis integrū manet si velimus.

Aliter remittit Deus peccata aliter christus, aliter sacerdos.

Vna ac eadem est potestas qua Deus remittit peccata & homo remittit. Aptum simile.

Iubetur omnis homo remittere offensam in se cōmissam in quantū se concernit, non in quantum Deum cōcernit.

Neque Deus neque homo remittit peccatum cū præiudicio tertij.

Non posse vnum peccatum remitti sine alijs in eis qui simul plura habent. CAP. X.

D. Prorsus obstinati in vno peccato, vt concubinatu, aut simili, videntur nonnunquam pœnitere de alijs peccatis, an igitur fieri potest remissio vnius peccati, sine alijs, in eo qui simul plura habet? M. Qui probè examinat naturā peccati, & simul modū Euangelicæ remissionis, is facillimè perspicit includere repugnantiam, si dicatur vnum peccatum remitti, absque alijs, in eo qui plura simul habet. Quia vnumquodque de mortalibus loquor, soluit obedientiam, habet auersionem, induit maculā, turbat ordinem caritatis, seruū facit iniquitatis, nec patitur esse filiū Dei. Est insuper omne peccatum stimulus mortis, habēs reatum ad damnationem. Porrò Euangelica remissio peccatorum non est nuda non imputatio, vt suprà probauimus, sed amicitiæ inter Deum & peccatorem redintegratio, ablutio, sanctificatio, iustificatio, cum adoptione in societatem vnigeniti Filij Dei, vt sit & ipse filius Dei, hæres regni, cohæres Christi. Quamdiu autē manet vel vnū solum peccatū, radix

Includit repugnantiam, dicere vnum peccatum posse remitti sine alijs.

manet inobedientia, manet auersio, manet macula, manet seruitus peccati, manet mors, manet inextricabilis obligatio ad damnationem. Quod perpendens Iacobus Apostolus Iaco.2. dixit constanter: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omniũ reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit & non occides. Quòd si non mœchaberis, occidis autem, factus es transgressor legis, hæc ille. At prædicta incommoda peccati quamdiu manent, dubio procul, non potest esse amicitiæ, & amoris redintegratio inter Deum & hominem, neque ablutio, neque sanctificatio, neque iustificatio. Quod enim manet coinquinatum ex parte vnius peccati, hoc non potest dici ablutum, quod vna ex parte manet obliquum siue iniquum, non potest dici iustificatum, neque sanctificatum, quod aliqua ratione manet profanũ, siue commune Diabolo & operibus eius. Sic Ioh.8. quicunque facit peccatum (obserua quoniã dicit numero singulari, peccatum, ergo quicunque facit vel vnum peccatum) seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum. At remissio Euangelica, non est sine donatione libertatis quæ est per Christum, vt scilicet liberatus à peccato, seruiat Matth.6. Deo in iustitia & sanctitate. Contraria sunt, peccatum & iustitia, et vtrumq; velut dominus seruum sibi facit quẽ possidet. Cæterùm nemo potest simul duobus dominis seruire, datur autem in remissione peccatorum iustitia: ergo qui habet adhuc vel vnum peccatũ, is liber est siue vacuus à iustitia: non igitur habet remissionem peccatorum: quẽadmodum qui seruit iustitiæ, liberatus est ab omni peccato, alioqui non seruit iustitiæ, sed peccato. Quod pulcerrimè deducit Apost. ad Rom. 6 dicens: An nescitis cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam. Gratias autem Deo quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eã formam doctrinæ in quam traditi estis: Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatẽ: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitię, &c. Præterea Sap.16. dicit Sapiens: Homo per malitiam occidit animam suam. Et Apostolus: Stimulus mortis, 1Cor.15. id est, pugio inducens mortem, peccatum, vel vnum, omnib. alijs deletis: at remissione Euãgelica datur vita æterna. Hæc autem vita, inquit Ioannes, est in Filio Dei, qui ergo habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet: at qui delectatur vel in vno adhuc peccato, non habet Filium, venit enim Filius Dei vt tollat peccatum, & dissoluat opera Diaboli: igitur non habet redemptionem quæ est in sanguine eius, quare nec remissionem peccati, nec vitam. Dicit quidam & bene, impium esse, à Deo dimidiam sperare salutem. Sperat autem dimidiam à Deo salutem, qui cùm velit adhuc deliciari in vno aut altero peccato, aliorum expectat aut petit remissionem. Possem hic adferre multas physicas aut logicas rationes: verùm hæc quæ diximus sic meditata, ac docta magis penetrant ad cor hominis benè Christiani. D.

Dicis, quoties fit remissio peccati, simul remittuntur vniuersa peccata quæ insunt. M. Nõ dixi solùm, sed solidis scripturis & rationibus demonstraui. D. Est verum. Nunc igitur quæro an similiter quoties fit remissio peccati, simul ac semel remittantur vniuersa incommoda, ac mala quę secum adfert peccatum? M. Non, sed remittuntur, ac delentur vniuersa quæ subsistere non possunt cum gratia gratum faciente, & adoptante peccatore in societatem Filiorum Dei, qualia sunt, auersio, coinquinatio, seruitus peccati, mors animæ, reatus damnationis perpetuæ. Debitam verò punitionem, quàm scriptura vocat castigationem seu disciplinam, nonnunquam vindictam, ex toto non remittit. iuxta illud: Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et illud: Quòd si extra disciplinam estis, ergo adulteri, non filij. Item callos, vulnera, seu prauas habituationes ex peccato relictas, non statim eo ipso tollit Deus quo remittit peccata, sed exercitijs pœnitentiæ, & sedulitate virtutum hæc, assistente nobis Dei gratia, paulatim expurganda relinquit. Cæterùm istorum faciemus demonstrationem planè Euangelicam libro 4. in tertia parte pœnitentiæ, quàm satisfactionem vocamus. Tetigimus etiam pauca huius materiæ suprà in articulo symboli: Descendit ad inferna, in materia de Purgatorio post hanc vitam. Verùm & id notatu dignum est hoc loco, quòd magna fides pœnitentis & multa dilectio, pleniorem faciunt remissionẽ peccatorum, quàm fides modica, aut parua dilectio. D. Ergo suscipit remissio peccatorũ magis ac minus, incrementum & decrementum. M. Prorsus, sicut & iustificatio, secundum illud: Qui iustus est iustificetur adhuc. Quòd autem quibusdam minùs, quibusdam magis dimittitur peccatum, probatur ex eo quod diximus, quædam eorum quæ affert peccatum, paulatim remitti, & expurgari disciplinis & satisfactione. Deinde ex eo quòd dixit

An remissio peccato simul sublata sunt omnia quæ secum adfert peccatum.

Ad He.12.

Magna fides magna dilectio multum remittunt de peccato, minus parua.

Remissio peccatorum suscepit incrementum. Apoca.22.

dixit Saluator ad Simonem pharisæum, de Magdalena: Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm, id est, valde ac fortiter: Ex eo etiam quod dixit Apostolus. Fides quæ per dilectionem operatur, valet, scilicet ad remissionem peccatorum, & salutem consequitur quòd magna fides, multum operans per dilectionem, multùm valet ad remissionem peccatorum: nonnunquam adeò, vt simul ac semel deleat vniuersa incommoda quæ secum adfert peccatum. Planè dicendū idem est de pœnitentia, quia vera pœnitentia, est opus fidei operantis per caritatem, prout factum est in Magdalena, in Publicano, in Petro post negationem, de quo plura in libro quarto.

Ad Gala. 5

Remißionem post peccatum, & peccatum post remißionem sæpiùs iterari posse, nullū tamen peccatum semel dimissum iterum imputari ad culpam, reatum, vel pœnam.

CAP. II.

M. Reliqua sunt tria ad hanc materiā pertinentia, videlicet an homo per remissionem præcedentium delictorū, fiat deinceps gratia fidei impeccabilis? Si nō: An igitur remissio peccati sæpius iterari posset in eadem persona? Tertiò an peccatum semel remissum secundò redeat, per ingratitudinem citra sui iterationem? D. Primum quidem gratum foret multis, sed metuo ne longè absit à vero. M. Certum, & indubitatum habe ex Scripturis sanctis, neminem in hoc mundo fieri prorsus impeccabilem, neque per gratiam remissionis prout somniarunt Iouinianus & alij, neque per vllum studium perfectionis obtinendæ, vti iactitarunt Beguardi & Beguinæ. Quoniam quidem duces fidei nostræ aliud docuerunt. Paulus 1. ad Cor. 10. dicens: Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Inferens hoc ex viuis quibusdam exemplis, quæ contigere in populo legis. Nam Patres nostri, inquit, omnes fuerunt sub nube, omnes in mari rubro baptizati sunt, omnes eandem escam mā ducauerunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto, alij propter obmurmurationem, alij ob idololatriam, alij cōcupiscentijs suis. Subiungit: Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta autem sunt ad correptionē nostram, in quos fines sæculorum deuenerūt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Nam illi priùs stantes in fide & obedientia vnius Dei, posteà ceciderunt. Viua insuper huius rei exempla sunt in nouo Testamento. Etenim ad Gal. scribit dicens: currebatis bene, quis vos fascinauit non obedire veritati? Nā insensati Galatæ priùs incipientes spiritu, posteà carne voluerunt consummari, & quærentes ex circuncisione iustificari, à gratia, quam semel acceperant, exciderunt: Alexander quoque & Hymenæus repellentes bonam conscientiam, quam priùs per remissionem peccatorum acceperant circa fidem naufragauerunt. Adhæc Apostolus verò Ioannes 1. sua Canonica capite 1. scribens credentibus, ponit necessariæ illationis propositionem dicens: Si dixerimus quoniam, vltra, non peccamus, mendacem eum facimus, & verbū eius non est in nobis. Igitur si Iouinianus dixerit: semel purificatus sum à peccatis meis, vltra non pecco: aut iactitent Beguardi, ad perfectionem virtutum iam peruenimus, exinde nō peccamus: aut quispiam alius simile quid dixerit mendacem Deum facit, & verbū Dei non est in eo, sed verbum seductionis. Adhęc, lex Domini est ad hominem pro tempore peregrinationis huius. Ante te aqua & ignis, bonum & malum, ad quod volueris extendes manum tuam. D. Tamen Deiparæ virgini concessum creditur quòd nunquàm peccauerit. M. Aliud est post acceptam gratiam deinceps non peccare: aliud exinde non posse peccare. Illud concessum fuisse primò Diuæ virgini à principio conceptionis suæ, ne vllo omnino genere peccati offenderet vnquam: posteà Apostolis à die Pentecostes, quo die fuerunt induti virtute ex alto, quoad peccata mortalia, certum habet omnis Ecclesia. Ceterùm asseuerare communem hominē eò aliquando proficere vt vltra peccare non posset in hoc mundo, nam idipsum nobis loco præmij seruatur in futuro sæculo, hæresis est manifesta, non solùm prædictis scripturis, sed etiam vniuersalis concilij Viennens. authoritate condemnata. Et quidem iure. Si enim post primam gratiam remissionis, non potest homo ampliùs peccare: cur orandum docuit Saluator: Et ne nos inducas in tentationem? Cur docuit Petrus: Fratres sobrij estote, & vigilate, quia circuit aduersarius vester tanquam leo rugiens, quærens, quem deuoret? Cur dixit Paulus: Timeo ne sicut serpens decepit Heuam astutia sua, ita corrumpantur & sensus vestri à simplicitate quæ est in Christo? Cur & hoc: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus efficiar? Sed & Ioannes scribit Christifidelibus dicens: Filioli mei, hæc scribo vobis vt non peccetis: Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, & ipse est pro-

Tres difficultates proponūtur discutiendæ.

Nemo fit impeccabilis in hoc mundo.

Probatur ex Paulo.

Gala. 5.

1. Tim. 1

Probatur ex verbis Iohannis.

Aliud nō peccare, aliud non posse peccare.

Matth. 16

1. Cor. 11

1. Cor. 9.

1. Ioan. 2.

est propitiatio pro peccatis nostris. Hæc sanè luce clariora sunt. D. Nunc quæro, an sicut contingit iterari peccatum post remissionem factam: ita quoque contingat iterari remissionem post peccatum rursus perpetratum? M. Hoc manifestè consequitur ex illatione, quam facit Ioann. dicit enim: Sed & si peccauerimus, aduocatum habemus, &c. Ergo toties, quoties contingit nos peccare, est spes propitiationis, per Iesum Christum quem habemus aduocatum apud Patrem. Interrogauit Petrus: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? septies? Respondit Dominus: Non dico tibi septies, sed septuagies septies, hoc est, toties quoties pœnituerit, numero finito posito pro infinito, vt frequens est scriptoribus. Alio loco dicit ad eundem Petrum: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiã egerit, dimitte illi, & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens: pœnitet me, dimitte illi. Alibi faciens hanc illationem: Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Quapropter si post primam remissionem, aut secundam, aut tertiam, aut quartam, aut centesimam peccatum exinde contractum vltra non remittit Deus, iubetur autem homo remittere septuagies septies: igitur maior est propitiatio hominis propitiatione Dei, & vincitur aliqua iniquitate Deus, quæ est mera blasphemia, & legitima soboles desperationis. Nunc ad tertium, videlicet, an peccatum semel dimissum redeat per ingratitudinem, citra sui iterationem. D. Habet hoc non modicam apparentiam ex parabola Euangelica Matth. 18. Nam à seruo ingrato, & crudeli iubetur exigi totum debitum prius dimissum. M. Totum quidem debitum exigitur ab eo, sed non ratione peccati priùs commissi, verum ratione ingratitudinis subsequentis. Neque voluit Saluator hac parabola docere, peccatum prius dimissum denuo redire actu, aut culpa, aut reatu in genere, vel specie, vt Deus semel dimissum peccatum rursum incipiat imputare ad damnationem, propter subsequentem ingratitudinem. Dicit enim Apostolus: Sine pœnitentia sunt dona Dei. Et illud: Non consurgat duplex tribulatio, scilicet super eodem malo. Neque Dominus iudicat bis in idipsum. Quapropter Gelasius Papa dixit: Diuina clementia, dimissa peccata in vltionem redire non patitur. Intellige, nisi & ipsa peccata redeant in operatione. D. Quid igitur voluit docere hac sua parabola Saluator? M. Quàm grauiter sit animaduersurus Deus in ingratos, præcipuè eos qui

Remissio peccatorũ sæpiùs iterari potest

Matth. 18.

Lucæ 17. Matth. 6.

Rom. 11.

De pœnitẽtia dist. 4. cap. vlt.

accepta munifica misericordia à Domino, mox in conseruos immisericordes existunt. Ideoque arbitraria sententia iussit rigorosè exigi ab ingrato seruo præcisè tantum, quantum priùs misericorditer dimissum erat. Nõ quòd priora peccata iteratò imputaret, sed vt constaret illam tam citò subsequentem ingratitudinem cum tanta crudelitate in conseruum tanti esse demeriti, quantum erat totum debitum prius dimissum. Nam cum ob finem introducta est parabola illa, ut bene inculcaret hoc quod alibi dicit. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. Si quando igitur incideris in aliquem doctorẽ qui dicere videatur, quòd peccata semel dimissa redeant, hoc ipsum intelliges secundum debitum siue reatum ob subsequentem ingratitudinem cum crudelitate vel duritia erga proximos nostros. Vt cum Gre. dicit: Si quod in nos delinquitur, ex corde nõ dimittimus, & hoc rursum exigitur quod iam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Hoc est, idem debitum damnationis quod iã dimissum gaudebamus rursum exigitur, non quasi priora peccata redeant, sed quia subsequens ingratitudo ita meretur, & adeò nonnunquam reum cõstituit vt antea fuerat. Nũc pergamus ad subsequentem articulum. D. Nihil adhuc dixisti de remissione venialium peccatorum. M. De hac dicemus in 4. libro vbi tractandum erit an opus sit confessione, & absolutione sacerdotis ad remissionem venialium, sicut ad remissionem mortaliũ. Peccatum enim veniale, vt leui momento cõtrahitur, ita etiam modica resipiscentia tollitur, vtpote gemitu cordis, aut affectu mardescente in Deum, aut oratione Dominica, aut tunsione pectoris, aut simili aliquo, vel citra pœnitentiam Sacramentalem, vt ibidem demõstrabimus.

DE RESVRRECTIONE MORTVORVM, TRACTATVS DECIMVS.

De qua carne sit intelligendus articulus vndecimus symboli Apostolici. Cap. I.
Ex scripturis vtriusque Testamenti facilè ostendi resurrectionem futuram. Cap. II.
Quibus modis conuincat Apostolus eos erroris qui negãt resurrectionem, & quibus rationibus probet eandem. Cap. III.
Resurrectionem electorum fore simillimam resurrectioni Christi. Cap. IIII.
Modum resurrectionis futuræ posse demonstrari ex scriptis Apost. 1. ad Corinth. 15. Cap. V.
De modo quo resurgent nobiscũ impij. Cap. VI.
Quo tempore fiet resurrectio mortuorum, & quæ signa

signa, etiam qui actus præcedent illa. Cap. VII.
Quod omnes homines morientur ante sonum tubæ vltimæ omnesq; simul resurgent. Cap. VIII.

De qua carne intelligendus sit articulus vndecimus Symboli Apostolici. CAP. I.

M. Genes. 3. Lim tulit Deus in primum parentem Adam propter peccatum ipsius hanc sententiā: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrā de qua sumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris. Quam sententiam videmus infallibilem sortiri effectum in omnibus hominibus, moriūtur enim vniuersi & eorum corpora in terræ puluerem redeūt. Ne igitur contristemur sicut & cæteræ Gentes, quæ spem non habent, statuerunt duces nostri Apostoli in Symbolo sanæ fidei hunc articulum: Carnis resurrectionē. In quo subintelligitur verbum, Credo. Verùm de qua carne istud intelligendum putas? D. De carne nostra, hoc est, de corpore nostro quod Deus carne & ossibus, ac neruis compegit, pelle vestiuit, sanguine insuper, alijsque humoribus succulentum reddidit. M. Bene intelligis, ac conformiter quibusdam scripturis sanctis. Nam in Biblijs per carnem subinde intelligimus mortalem hominem, vt ibi: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Item: Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Sæpè etiam accipitur vox, caro, pro solo corpore, exclusa anima, vt ibi: Insuper & caro mea requiescet in spe. Iterum: Neque caro eius vidit corruptionem. Aliquando verò accipitur pro parte hominis sensuali cui inhabitat peccatū, siue fomes, aut lex membrorum, perpetuò repugnans legi mentis, vt ibi: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnē: Dicitur etiam de carne in hac significatione ad Ro. 8. Prudentia carnis, mors est: prudentia autē spiritus, vita & pax, quoniā sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei nō est subiecta, neque enim potest. Propter quod, viuere aut ambulare secundum carnem sic intellectam, malum est, ac damnabile iudicio Apost. Nihil tamē dānationis est eis, qui sunt in Christo Iesu, qui carnem talem habeāt modò non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritū, ibidem. Quartò accipitur caro omnino in malam partē, Gen. 6. & 10. Nō permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, id est, quia carnalis est, nō quærens, nō sapiēs, nisi quæ carnis sunt. Vide si placet Aug. in Ench. ad Laurent. cap. 34. Porro, ad propositum redeundo, cōstat homo ex duabus partibus, anima scilicet & corpore. Anima est principium vitæ, auriga, directrix, & viuifica forma corporis. Corpus verò est pars hominis crassa & sensibilis, organa sensuū, figuram quantitatem, membra, & artus habēs. Hæc autem posterior pars hominis in symbolo nomine carnis intelligitur: quæ mox vbi homo expirauit, alget, stupet, mortua est, sine sensu, sine motu, sine operatione: desinit vegetatio, transit sanguis, & color eius, sed & tota caro vertitur in pus, atque putredinem intra dies paucissimos, adeò vt eodi debeat sub terram, aut capsulis, siue sarcophagis solicitè concludi ne fœtore suo superstites & ipsum denique aërem inficiat. D. Vidi istud nō rarò, & obseruando cogitabam, sic tandem fiet, & de te. M. Tandē? quid inquis fili tandem? fortassis cras, fortassis hac nocte vel etiam ducante hac fiet hora. Quod Saluator clarè intuens, Vigilate, inquit, quia nescitis neque diem, neque horam. At pergamus. Hæc pars hominis, nomine carnis intelligitur. Credimus autem ex isto articulo fidei Apostol. omnia corpora omnium hominum, vbicunque mortua fuerint, & quamlibet putrefacta, aut incinerata, ac velut in nihil redacta, denique à vermibus ac bestijs terræ, vel auibus cæli deuorata, nihilominus in sua propria substātia, qua semel vixerunt tandem resurrectura, eadem anima eandē corporis substātiam viuificante. Adeò vt prorsus sit idē, secūdū indiuiduū, homo post resurrectionem, qui fuit ante resurrectionē.

[Margin notes: Ioan. 1. Ioan 3. Psal. 15. Acta. Gala. 5. Rom. 8. — De qua carne loquatur Symboli. — Matt. 24. & 25. Marci 13. — Quid docemur credere ex hoc articulo.]

Ex scripturis vtriusque Testamenti facilè ostendi resurrectionem futurā. CAP. II.

D. Em quæ à mille annis, & vltra non fuit, estque fortassis sexcenties in aliam atque aliam transmutata substantiam: eandem numero redire, & denuo ex eadem forma ac materia in eundem secūdum indiuiduum reuiuiscere hominem, quis comprehendet? M. Videri nō potest, ratione naturali persuaderi nequit, credi debet, ideoque ponitur inter articulos fidei. Debet autem credi eam ob caussam, quia sic tradunt scripturæ, sic docuerunt Christus & Apost. atque omnis hucusque Ecclesia. Iob 19: Quis mihi tribuat, inquit, vt scribantur sermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circūdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea, in sinu meo. Hunc locum tractans beatus Gregorius pulcerrimè philosophatur de resurrectio-

[Margin note: Articulus iste ratione doceri nō potest, credi debet.]

cob, qui à centenis annis mortui fuerant: nõ est autem Deus mortuorum, sed viuentium: igitur viuunt illi, quoad autem secundũ corpus, quia mortui sunt corpore, ergo secundũ animam siue spiritum. Est ergo aliqua vita post istam vitam corporalem, & superest spiritus hominis etiã corpore destructo. Multùm itaque erratis vos Sadducæi, dicendo nõ esse resurrectionem mortuorum, ex eo principio, quia nõ est spiritus, aut Angelus, aut vita alia, post istam vitam. Quod principium vestrũ, quoniam scriptura demõstrat falsum esse: igitur & erronea esse debet doctrina, quam illinc infertis. An non planè victus est princeps cui detracta sunt omnia arma, omnesq; munitiones quibus se defendebat? D. Non posset vinci magis, quàm hoc pacto. M. Sic Saluator non potuisset apertiùs conuincere erroris Sadducæos, quàm destruendo propriũ illorum principium, quo & se, & alios in errore resurrectionis detinebant, Idque ex proprijs eorum, quas recipiebant scripturis.

Quibus medijs conuincat Apostolus erroris eos qui negant resurrectionem, & quibus rationibus probet eandem. CAP. III.

M. Apostolus redarguit velut hæreticos negantes resurrectionem. 2. ad Timoth. 2. 1. Cor. 15. Apostolus Paulus 2. ad Thim. 2. abijcit velut hæreticos, & subuersores hominum, Hymenæum & Philetum, eò quòd negarent carnis resurrectionem futuram, asserentes promissam resurrectionem iam factam esse, dicens: Profana & vaniloquia deuita, multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo illorum vt cãcer serpit. Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse iam factã, & subuerterunt quorundam fidem. Quosdam autem Corinthiorum vacillantium potiùs quàm errantiũ circa resurrectionem mortuorum instruit Apostol. multis bonis & solidis rationibus, quarum primam sumit ex eo quòd Christus resurrexit, secundam ex eo quòd homines baptizantur pro mortuis, tertiã ex eo quòd omnes qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patiantur in hoc mundo, cõsequitur

Rationes quibus vtitur Apostolus pro resurrectione. Prima ratio Pauli ex 1. Corinth. 15. ergo resurrectionẽ esse mortuorum. Primã rationem sic prosequitur: Siue ego, siue illi, hoc est alij Apost. sic prædicamus, & sic credidistis, scilicet Christum resurrexisse secũdum scripturas, & quo modo visus est post resurrectionem multis fratribus, idque diuersis vicibus prout in nono articulo symboli latè tractauimus. Si autem Christus prædicatur quia surrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum nõ est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra, inuenimur autẽ & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deũ, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo perierunt. Si in hac vita tantũ in Christo sperãtes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nũc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus. Deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt: Deinde finis. Itaque si valet illud argumentum Pauli, vt valet: Christus resurrexit à mortuis, ergo est resurrectio mortuorum, etiam valet argumentum istud: Christus sic resurrexit, nempe, in eodem corpore, in ijsdem membris, ac neruis, quibus vixit prius, ergo talis erit resurrectio mortuorum, qualem futuram eam pronuntiauerat B. Iob, In carne eadem, sub pelle eadem, oculis ac membris ijsdem, vt prorsus idem sit homo resurgens à morte, qui erat ante mortem. Secundam suã rationem ita prosequitur Apostolus. Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt quid baptizantur pro illis? D. An tunc viui baptizabantur pro defunctis in spem resurrectionis eorum? M. Videtur sentire Tertullianus talem fuisse morem apud Corinth olim, quem sanè non probat Apostolus, sed hactenus eo exemplo vtitur, quatenus suo instituto seruire videtur. Vide Epiphanium contra hæreses, 2. lib. cap. 28. Verùm expeditiùs ac veriùs dices, verba ista Apostoli debere intelligi hoc pacto, baptizantur pro mortuis, id est, tanquam mortui, perinde enim est ac si diceret, vt quid sub baptismo agunt mortuos, & ex morte resurgentes. Actione siquidem baptismi agunt priùs morientium, deinde resurgentium personas. Morientium per immersionem sub aquas: resurgentium per emersionem ex aquis, velut purgati ac mundi. Quam significationem valde exactè prosequitor Apostolus, ad Romanos 6. dicens: An ignoratis fratres, quia quicuoque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem, vt quomodo

Secunda ratio Pauli 1. Cor. 5

Christus surrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster, simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo, scientes quòd Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominatur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu. Itaque secundum Paulum in lauacro fontis baptizamur pro mortuis, id est, tanquam mortui ac velut Christo commorientes, consepulti cum illo per baptisma, in mortem, vt in nouitatem vitæ resurgamus de aquis: Sic agentes sub sacramento, priùs personas morientium, deinde & resurgentium personas. Qui ritus ad quid, obsecro, cælitus institui debuit, si omnino mortui non resurgunt? Nā quorsum personas agimus morientium, ac deinde resurgentium sub ritu sacro, si omnino nulla est mortuorum resurrectio? Tertiam rationem sic inducit; Vt quid periclitamur omni hora? scilicet si mortui non resurgunt. Quotidie morior propter (pro per, vt sit iurantis) vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Nam si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Omnes enim qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patiuntur in hoc mūdo. Est ergo per fidem quasi ingenita, certa spes resurrectionis omnibus qui in hac vita patiuntur persecutionem, propter vitam futuram. Prout & beatus Iob pulcrè testatur sub afflictionibus suis, dicens: De terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Nec fieri potest, salua iustitia, quin homo qui cōtinuo patitur afflictionē, & opprobria in corpore suo propter Deū & propter virtutē, accipiat præmiū virtutis, gloriā scilicet, & felicitatē à Deo in eodē suo corpore, si verum est, vt est, quod Deus reddet vnicuiq; prout gessit in corpore suo: Maximè si & hoc verum est, Christum ea de caussa exaltatum esse dextera excelsi, quia passiones mortis sustinuit in corpore suo super ligno.

Tertia ratio. 1. Corinth. 15.

Cap. 19.

2. Cor. 5.

Resurrectionem electorum fore simillimam resurrectioni Christi. CAP. IIII.



Ertissimum habeo ex his scripturis futuram esse carnis resurrectionē, at quomodo resurgent mortui? quali autem corpore venient? M. Vis respondeam apertè? D. Hoc precor. M. Eodem resurgent modo, quo ipse Christus surrexit à mortuis, si tamē in Christo dormierunt, id est, Christianè mortui sunt, cum pietate dormitionem accipientes. Dicit enim Apostolus: Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. Ille principium & primogenitus ex mortuis: qui autē sunt eius, & in ipso dormierūt, erunt secundogeniti ex mortuis. At secundogeniti haud dubiè eodem generantur modo, quo primogenitus. Igitur boni Christiani Christo resurgenti proximi erunt, & in modo resurgendi, & in natura, ad quam regenerabūtur ex mortuis. D. Christus resurrexit virtute propria, an sic resurgent, quotquot cum pietate moriuntur. M. Non omnino sic sua virtute. Quia Christus erat Deus, & homo, & sua diuinitate, qua Deus erat, suscitauit humanum corpus suum, quod mortuum iacebat in sepulcro. Nos autem qui in Christum credimus quamuis puri homines sumus, nihilominus proximè accedimus etiam ad hunc modum quo surrexit Christus: Animæ enim sanctorum in Deo sunt, & Deus in ipsis. Itaque sancti Dei homines resurgēt quodam modo, etiam sua virtute, quoniam animæ eorum iā velut deificatæ & deiformes effectę ad primū statim contactum rediuiua facient sua corpora, virtute diuinitatis inhabitantis in ipsis. Et quia bene cōplacuit Deò patri in ipsis, propter Christū & obedientiam qua imitati sunt Christum ad mortem vsque: ideo donabit animab. eorum, vt corpus reassumptum faciant quam simillimum sibi, spiritale, immortale, incorruptibile plenum gloria, & virtute: vt non sit sibi vltra inquietæ habitationis ergastulū, sed iucunditatis habitaculum, particeps gloriæ, ac maiestatis, sicut prius fuerat sociū passionis, & obediētiæ. Siquidē anima deificata, atque glorificata, primo contactu suę carnis, mox transfundit in illam virtute operationis diuinæ, præter vitam naturæ, qua priùs viuebat, præter vitam quoque æternam, quæ anteà per gratiam Christi inerat, etiam dotes spiritualium creaturarum, efficiens corpus spiritale, quod animale fuerat, gloriæ quoque & immortalitatis plenum. Eodem ferè modo, sicut anima Christi, triumphans in gloria, dum rediret ad corpus suum quod iacebat in sepulcro, mox simul cum anima trans-

D.

Omnes pii resurgent eodē modo quo Christus. 1. Cor. 15.

Quæ sit diuersitas inter resurrectionē Christi & aliorum.

transfuderunt sese in corpus Christi omnia quæ dicta sunt, & exiuit rediuiuum de sepulcro clauso, suaque non aliena virtute transtulit se quocunque & per quodcunque corpus solidum pro sua voluntate. Necaliter, sed modo eodem, corpora sanctorum contactu animæ glorificatæ exibunt rediuiua de sepulcris, sua sibi nunc per gloriam inexistente virtute. Insuper transferent se quocunque velint, etiam obuiam Christo in aëra, & id quoque sua virtute sibi nunc intus inhabitate per gloriam: Alioqui violenta essent, quæ sequuntur resurrectionem. Nullum autem violentum est perpetuum. Status verò resurgentiũ non potest non esse perpetuus. Non igitur opus erit vt Angeli corpora sanctorum post resurrectionem, aut portent, aut adiuuent. Virtus enim Dei facta vnum, cum virtute ipsorum, iamque inhabitans in illis, faciet hæc omnia suauissimè, proprijssimèque secũdum naturam ipsorum, non quidem simpliciter dictam, sed secundum naturam ipsorum deificatam. D. Nónne sicut per vnum hominẽ Adam mors est, ita per vnum Christum resurrectio mortuorum? M. Sic manifestè habetur, 1. ad Cor. 15. Nam Christus sua diuinitate, qua idem est cũ Patre, & Spiritu sancto operabitur resurrectionẽ mortuorũ, sua quoque humanitate, qua sustinuit mortis passionem pro nobis, meruit, vt sibi daretur omnis potestas, & quæ in cælo, & quæ in terra. Si omnis, igitur & potestas resuscitandi, vt sicut ipse, ita & sui resurgerent per eum à mortuis. Hinc ad Philippens. 3. inquit Apostolus: Nostra autem conuersatio est in cęlis: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suę non solùm eius quam habet vt Deus, sed & illius quam habet vt homo, qua etiam possit subijcere sibi omnia. Itaque dubio procul à Deo per Christum Dominum, est resurrectio mortuorum, [illegible]mo Christus est resurrectio, & vita, quia ipse est principium, auctor, ratio, forma denique, & exemplar resurrectionis electorum. Quoniam sicut Christus, ita & electi resurgent ad vitam immortalem. Et sicut iam non moritur Christus: ita nec illi morientur, post resurrectionem. Insuper, sicut Christo mors vltra non dominabitur, ita nec illis. Adhæc, sicut Christus quod mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo: Ita & illi, quod mortui sunt peccato mortui sunt semel, quod autem viuunt, viuunt Deo. Denique quali corpore venit de sepulcro Christus: tali & illi venient de sepulcris suis, nempe, glorificato, spiritali, immortali, incorruptibili. D. Vnde hæc demonstras? M. Ex scripturis. Primò, ex ijs quæ dicunt Christum esse primogenitum ex mortuis siue mortuorum, ad Colossenses 1. Apocalyp. 1. 1. Corinth. 15. Si enim Christus est primogenitus, & electi secundogeniti ex mortuis, ergo electi Christo similes erunt secundum naturam, quæ accipitur regeneratione ex mortuis, vti diximus suprà. Secundò, ex scriptura 1. ad Tessalonicenses 4. capite, quæ dicit quòd ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Si ita adducet de sepulcris, ergo simili modo resurgent. Tertiò ex scriptura ad Philip. 3. quæ dicit Christum reformaturum corpus humilitatis nostræ cõfiguratum corpori claritatis suæ. Nam si sic, ergo tali veniemus corpore, quali venit ipse de sepulcro. Quartò, ex ea quæ dicit, qualis cælestis, scilicet Christus resurgens, tales & cælestes. Et sicut portauimus imaginem terreni, ita portabimus & imaginem cælestis. Quintò, ex eo Apostoli, si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, ad Romanos 6. Scimus, inquit Ioannes, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus 1. Ioann 3. Fili aliquid audiuisti de modo resurrectionis futuræ. D. Certè multum per omnia, & id ita subnixum testimonio scripturarum, vt non possit magis.

Quomodo per Christum sit resurrectio mortuorum.

Demonstrantur prædicta ex scripturis.

1. Tess. 4.

1. Cor. 15.

Rom. 6.

Modum resurrectionis futuræ posse demonstrari ex scriptis Apostoli, 1. ad Corinth. 15.

CAP. V.



AT nunc vlterius audiamus Paulũ Apostolum, qui mouet sibi eandem quam tu mouisti quæstionem, atque respondet hoc modo: Sed dicet aliquis, quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient? Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vtputa tritici, aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus. Quasi diceret: Quod in seminibus, quæ tu in terram iacis, per annos singulos fieri vides, hoc in tua carne, quæ lege Dei seminatur in terra, futurum esse non credis? nõnne quum diuersa semina quis in vnum permiscet, hæcque in discreta seminat, vel passim spargit in terram, vniusuiusque seminis satio, quocunque loco fuerit, competenti corpore, secundum naturæ suæ speciem germen producit & culmum, ac tandem suæ formæ, suique corporis

M.

Aperiuntur similitudines quibus vtitur Paulus ad probandum modum resurrectionis.

habitum reparat? Quid ergo mirum, si Deus vniuscuiusque carnis substantiam, quamuis variè dispersam, mutatis qualitatibus reparet & refingat, eo modo, vt vnicuique animæ nō confusum, aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat reparetur. Vt idem corpus cum propria sua anima, vel pudica coronari, vel impudica puniri possit? Hoc ex Cypriano. Addit Apostolus: Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum alia autem volucrum, alia piscium. D. Quorsum hoc? M. Vt ex his quæ vides, discas posse fieri ea quæ non vides. Distat caro hominum, à carne pecorum ac piscium, natura, qualitate, induiduo. Et tamen videmus passim vnam transubstantiari in aliam, virtute naturali. Valdè igitur credibile est, posse carnem eandem numero transmutari de statu in statum, de corruptibilitate in corruptibilitatem, de ignobilitate in gloriam, idque virtute diuina. Nam, vt videmus, caro piscium, aut pecorum, mutatur subinde in carnem hominum virtute naturali. Vlterius dicit Apostolus: Corpora cęlestia, et corpora terrestria, sed alia quædam cælestium gloria, alia autem terrestriū. D. Et hoc quorsum? M. Rursum eò, vt ex his quę vides, discas posse fieri ea quę non vides. Si enim est hęc tanta diuersitas inter cælestia & terrestria corpora. Deo conditore sic volente: Cur non poterit ex nostris terrenis corporibus facere corpora cælestia, tanto abundatiori gloria circundata, quanto distat maiestas cælestium corporum à terrestribus. Prosequitur Apostolus dicens: Alia claritas Solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim differt à stella in claritate. D. Et quid per hoc? M. Quod terrena nostra corpora surgentia ad statum cælestium corporum, non omnino eandem gloriam, aut eundem habebunt maiestatis decorem, sed differentem, pro virtutum ac meritorum diuersitate. Ideo subiungit Apostolus: Sic & resurrectio mortuorum. Quod sanè referendum venit ad omnia præcedentia. Sic, dico, sicut quando ex visceribus terræ, & putrefactione eius quod mortuum erat & sepultum in terram, aut arbor, aut culmus surgit, de grano proiecto in terram, & putrefacto: Non quicunque culmus, sed proprius, eius scilicet naturæ, cuius granum erat, puta culmus tritici, sicut granum tritici erat. Sic inquā corpus resurgens, alium quidem statum habebit, sed idem in substantia erit, cum eo quod putrefactum fuit in terra, reformabitur enim in corpus claritatis. Et sicut hic aliquando caro piscium transsubstantiatur in carnem hominis: & sicut à principio Deus fecit tam corpora cælestia quàm terrestria: sic in resurrectione iterum de terrenis corporibus faciet cælestia corpora. Denique sicut ab initio dedit illis cælestibus differentem gloriam, sic & corporibus nostris, dabit differentem gloriam in resurrectione, omnibus tamē mirabilem, atque prius inauditam dabit gloriam, ne quis pusillo sit animo. Quod prosequitur Apostolus dicens: Seminatur, scilicet corpus nostrum, in corruptione, surget in incorruptione. D. Et quomodo seminantur corpora nostra? M. Sicut semen seminantis reconditur sub terram, vt surgat cum fructu, sic & corpus hominis postquam expirauerit animam, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. D. An seminātur corpora? M. Granum tritici, granum hordei, corpora quædam sunt, & seminantur, dū spargūtur super terram, & deinde sepeliuntur sulcis sub terram, vt fructificent. Sic corpora nostra seminantur, quia generatione spargūtur super terram, per omnem vbique regionem. Deinde post expiratam animam, condiuntur, & fodiuntur sub terram. Seminantur autem in corruptione, ita vt corrumpantur & putrefiant, sicut & alia semina proiecta in terram. Deinde in ignobilitate, adeo vt quantumcunque nobilia, generosa, aut illustria fuerint priùs, tamen post mortem fiant prorsus ignobilia, ad abominationem vsque, & fœtorem intolerabilem. Tertiò in infirmitate, adeò vt nulli prorsus actioni resistere valeant, sed cedunt omni contrario ad incinerationem vsque. Denique seminantur corpora animalia, id est, qualificata vt corpora reliquorum animalium: verùm surgent eadem corpora nostra, modo iam dicto seminata in terram, surgent, dico, de terra. Primò, in incorruptione, hoc est, integra & incorrupta, immo incorruptibilia. Secundò in gloria, ita quòd planè illustria, ac gloriosa erunt, intus, foris, in oculis aliorum, in propria substantia, in qualitatibus, in actione. Tertiò surgent in virtute, quidquid enim in eis erit, quasi virtus erit, virtus autem vinci non potest, alioqui virtus non esset, quoniam si vincitur, impotentia siue infirmitas potiùs est quàm virtus. Erunt itaque corpora sanctorum à resurrectione, tantæ potentiæ, vt à nulla re mundi lædi possint aut debilitari, arctari, aut vinci. Sicuti corpus Christi resurgentis, nec saxo, nec sigillis concludi potuit in sepulcro, exciso de petra, nec ostijs excludi à domo in qua Apostoli erant. Proinde oportet nos vsque

ad aduen-

ad aduentum Domini patientes esse, bonoque animo, & non contristari sicut Gentes quæ spem non habent, dum defunctorum corpora humani videmus, exemplum capientes ab agricolis. Ecce, inquit D. Iacob. agricola expectat pretiosum fructum terræ, ex his scilicet seminibus suis, quæ videt putrefieri sub terra, patienter ferens donec accipiat fructum temporaneum & serotinum. Denique surget corpus spirituale. Non dicit, surget spiritus, ne erres, putans corpus verti in spiritum per resurrectionem, at surget enim corpus, & idem corpus quod prius fuit: sed iam spiritale, non amplius animale. D. Quare, obsecro tunc magis spirituale, quàm ante resurrectionem, cum corpus permanebit? M. Ideo non amplius animale, quia alimentis officijsque vegetantis animæ vltra non indigebit, ne illis quidem quibus indigebat homo etiam ante peccatum, nec vltra seruiet passionibus illis affectuum animalium. Ideo spirituale, quia prorsus subditum erit spiritui, illi per omnia consentiens, vt non amplius sit rebellio illa, de qua ad Romanos 7. ad Galatas 5. vt aliorsum lex mentis, aliorsum trahat lex quæ est in membris: sed quocunque præcesserit spiritus affectu suo, eò sequantur è vestigio omnes omnium virium corporalium affectiones, neque in vllo retardabit motiones corporis affectiones glorificati spiritus. Quod certè retardare miseriarum erat & imperfectionis. Ad hæc, dabit illi Deus dotes, siue qualitates spirituum cælestium. Sine pondere aggrauante erit vt spiritus, agile erit vt spiritus, quocunque voluerit, perget citra moram, vt spiritus. Cælestes spiritus vbicunque fuerint affectu, ibi mox & absque mora præsentes esse possunt substantia, si velint: sic corpus glorificatum tam facilè poterit præsens esse cuicunque loco, quàm facilè eò potest præcedere affectus. Adhæc subtile erit vt spiritus, adeo vt nihil ei inuium, nihil non peruium, quantumcunque durum sit, aut solidum. Tamen corpus manebit, non spiritus erit, dicente Saluatore post resurrectionem suam ad Apostolos. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere. D. Si quis quærat, qua virtute hæc fient? M. Respondet Apostolus docens Philippenses: Nempe quòd fient virtute Christi, qua potens est subijcere sibi vniuersa: virtute quoque diuinitatis, iam inhabitantis per gloriam in ipsis. D. Vtinam sic facti fuissemus ab initio. M. Non côueniebat. Quoniam, vt inquit Apost. non priùs quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo Adam de terra terrenus: secundus homo Christus de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni, qualis cælestis scilicet Christus, tales & cælestes. Naturam libero arbitrio decoratam sic institutam oportebat, vt sua voluntate posset proficere, & in ea quidem esset laus meritumque bonæ actionis in Creatore verò beneficij, munificentiæque exercendæ occasio: totum ad illustrationem maiestatis diuinæ. De terreno procreati, illi similes essent. A cælesti reformati, illi quoque similes fierent: prius in actione virtutis, deinde in qualitate gloriæ. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Alij legunt sic: Sicut portauimus imaginem terreni, ita & portabimus imaginem cælestis, quod magis esse videtur secundum mentem Apostoli. Portamus quidem, per natiuitatem carnis imaginem terreni Adam, similes illi, in modo vitæ, & naturæ qualitate, quoad affectiones, passionesque, ductus, impulsus, officia, inclinationes, figuram, staturam, incrementa denique & decrementa ætatum: portabimus autem per resurrectionem eiusdem carnis, imaginem cælestis, Christi scilicet resurgentis, habentes tunc corpus configuratum corpori claritatis suæ, spiritale, immortale, sine affectionibus, passionibus, officijsque carnis & sanguinis, animalibus & inordinatis, si modo hic portauimus in eadem carne imaginem Christi præuntis secundum virtutem. Ideo subdit Apostolus: Hoc autem dico fratres, quòd caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. D. Nunquid Christus post resurrectionem suam, præbuit se tangendum Apostolis dicens: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Quomodo igitur dicit Apostolus, quod caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt? M. Hoc loco, caro & sanguis non sunt nomina substantiarum, sed magis officiorum, quasi diceret, officia, affectiones, & ex qualitates quæ nunc sunt carnis, & sanguinis non possidebunt regnum Dei. Quoniam in regno Dei non nubent neque ducent vxores, sed erunt sicut Angeli Dei. Officia itaque generationis, non erunt post resurrectionem, quæ intelliguntur in nomine sanguinis, non enim aliud genitale semen est quàm sanguis perfectè concoctus, vt Philosophi tradunt. Et indicatur Ioannis primo dicentis de filijs Dei, quod non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Similiter non erunt officia nutritionis, ac vegetationis, nempe ingerendi, egerendi, digerendi, quæ carnis nomine intelli-

Qua rati one magis spirituale erit corpus post resurrectionē quā ante.

Lucæ.24.

Philipp.3

Cur non fecerit Deus homines tales ab initio, quales erunt post resurrectionem.

1. Cor. 15.

Quomodo intelligendum Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.

Lucæ.24.

Quid 1. Cor 15. intelligatur per carnē & sanguinem.

Matth.22.

Ioan.1.

telliguntur, quòd in carne hæc maxime vigeant, & manifestentur. Sed erunt tum spiritales, sicut Angeli. Si comedant, aut bibant, prout Christus fecit post resurrectionem, erit hoc ad probationem veritatis, non ex necessitate. Superaddit Apostolus: Neque corruptio incorruptelam possidebit. Corruptio scilicet, quæ fit in corpore animali, alterationibus, & defluxu humidi interni, vti perpetuò contingit in nobis. Inquit igitur Apostolus: Corruptio non possidebit incorruptelam, id est, incorruptibilitatem, siue statum puritatis & perfectionis. Substantia autem carnis, & sanguinis, sicut & totius corporis, erit post resurrectionem, sed depurata, atque immutata prout in Christo mansit. Vt autem finiam, ex verbis Apostoli quibus nos docet corpus hominis prius seminatum in terram, postea surrecturum in incorruptione, in gloria, in virtute spirituali, configuratum corpori claritatis Christi, portans imaginem eius resurgentis de sepulcro. Tamen manebit idem & idipsum corpus, quod portauerat imaginem terreni, & seminatum fuerat in corruptione, in ignobilitate, in infirmitate, atque animale, sed nunc immutatum, vt sit iam non quidem caro & sanguis, secundum imaginem terreni, sed veraciter caro, & sanguis secundum imaginem Christi resurgentis. Ex his, dico, & eiusmodi, facilè deduces, quæcunque longa disputatione tradunt Scholastici doctores, de dotibus & statu corporum sanctorum post resurrectionem. Itaque pergamus ad sequentem articulum.

De modo quo resurgent nobiscum impij.

CAP. VI.

D. At nihil adhuc dictū est de resurrectione damnatorum. M. Est verum; quoniam hucusque locuti sumus de resurrectione eorum, qui dormierunt in Christo, siue dormitionem acceperunt cum pietate, hoc est, sanctorum. Quorsum enim fatigabimus nos, tractando de reiectamentis, quæ proijciet Deus, velut purgamenta mundi, procul in profundum inferni? Nam de his & Apostolus non loquitur, nisi perfunctoriè, verbo vno dicens 1. ad Corinth. 15. Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus tàm boni, quàm mali, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Vides quàm luculenter, tamen paucis, Apostolus pronunciat de resurrectione damnatorum, quia propositione vniuersali asserit de omnibus, tam bonis, quàm malis, nemine excepto quòd resurgent, dicēs: Omnes quidem resurgemus. Rursum: Canet tuba & mortui resurgent. Ergo omnes cuiuscunque status aut conditionis, malitiæ, aut sanctimoniæ fuerunt, si mortui sunt, resurgēt quoniam loquitur Apost. indefinitè, citra restrictionem & exceptionem, qualis propositio, in tradendis disciplinis intelligitur vniuersaliter: Dicens autem: Mortui resurgent incorrupti: exprimit modum quo resurgent, tam boni, quàm mali. Quia surgent incorrupti, hoc est, toti, integri, non mutili, aut deficientes in vlla parte membrorum, quę habuerunt in hoc mundo, aut secundum naturæ cursum habere potuerint. D. Quorsum hoc addis? M. Quoniā si fuissent casu, vel infortunio truncati membris suis in hoc mundo, omnia quæ ad integritatem naturæ pertinent, restituētur in resurrectione singulis. Verùm quæ ad gloriam pertinent, non dabuntur nisi electis. Vnde addit. Et nos, scilicet qui viuimus & morimur in Christo nos dico, immutabimur, ad statum gloriæ, non illi. D. An Apostolus intelligat de tali immutatione? M. Omnino, quia subiungit dicēs: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, id est, incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatē. Dicit mortale hoc, demonstrando corpus, quod nunc viuit. Insuper dicit: Induere, vt intelligamus, nō substantiam transire in substantiam, sed manente substantia corporis prorsus eadem, superinduendam esse accidētalem formam incorruptibilitatis, & immortalitatis. D. Nónne & damnatorum corpora immortalia erūt? M. Prorsus, & immortalia, & incorrupta, & incorruptibilia. Immortalia quidem, quia non morientur vltrà: neque enim mori poterunt per separationē animæ à corpore. D. Quare mori non poterunt hoc pacto? M. Quia tūc finis omnium mutationum, eruntque vniuersa in statu æternitatis. Itaq; & damnati viuēt in æternum vitam naturæ, sed miseram, ac miserabilem, in supplicijs damnationis, & quærent indesinenter mortem ob pœnarū magnitudinem, sed nō inuenient, iuxta quòd scriptū est in Apoc. In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Incorrupta quoque & incorruptibilia erunt eorum corpora, quoniam nihil eis vltra excidere poterit de suis membris, per apostemata vel carbunculos, aliáue accidentia mala, adeo vt etiam tūc perierit eis magna illa quæ inter magnos latè dominatur morbillorum nobilitas. Pus quoque, putredo, aut paralysis, ibi nulla erit, statu æternitatis in quem finietur mundus con-

firmante

Omnes homines resurgent sed non omnes immutabuntur.

Quomodo resurgent impij.

Quoniā damnati non morientur vltrà.

1. Cor. 15.

Apoc. 9.

firmante vniuersa. D. Si corrumpi non possunt, ergo nec pati, quoniam corruptionis initium est passio. M. Rectè quidem, si ordinem spectes naturę. Nam & eorum qui saluantur, & eorum qui damnantur corpora, in se quidem & in suis principijs internis, temporanea sunt, passibilia, & corruptibilia. Verùm si attendas rationē iustitiæ diuinæ, reddentis vnicuique iuxta merita sua, clarè videbis corpora sanctorum, & incorruptibilia & impassibilia fieri, & plena gloriæ, non sua natura, sed gratia Dei coronantis nos, nostraq; benefacta, propter Christum Saluatorem, iuxta illud: Et ibunt hi in vitam æternam (Vbi vita ęterna, ibi passio nulla, vt in ipsis reluceat æternaliter diuitiæ gloriæ & bonitatis eius) corpora verò damnatorum fieri incorruptibilia & simul passibilia, insuper & immortalia, sub summa tamen continuaque mortis afflictione, iuxta id quod sequitur in eodem dicto Saluatoris: illi autem in supplicium æternum. Vbi suppliciū, ibi passio & afflictio, aliòqui non esset supplicium: vbi æternum supplicium, ibi afflictio continua cum incorruptibilitate, iusto Dei iudicio vindicantis in eos qui peccauerunt & non egerunt pœnitentiam, iuxta Euangelium Filij sui. Dispositione itaque Dei corpora damnatorum passibilia erunt, vt sentiant quod meruerunt, tamen incorruptibilia, immortaliaque, vt sentiant semper, ad ostensionem iustitiæ diuinæ, quæ æterna est, & in æternum relucere debet in puniendis malefactis, sicut sempiterna illius bonitas, in æternum relucebit in remunerandis iustorum benefactis. Vt sit, quod iurauit Angelus per viuentem in sæcula. Quia tempus non erit ampliùs, sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, cōsummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas. In resurrectione itaque soli boni immutabuntur ad gloriam, & felicitatem vti diximus. Mali autem non immutabuntur, sed manebūt quod erāt, mali vt priùs, miseri vt priùs, desolati vt priùs, in afflictione mortis vt priùs, corporibus ponderosis, obscuris, passibilibus vt priùs, carne & mente sibi inuicem aduersantibus vt prius. Omniaque hæc consummabuntur in eis, Iuxta quod euangelizatum est ab initio: quapropter & immortalitas, & incorruptibilitas ipsis erunt in augmentum damnationis suæ. Cùm autem in electis mortale hoc induerit immortalitatem, simul cum ceteris ornamentis gloriæ supra enarratis, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria, verùm pro eis duntaxat qui sunt in Christo Iesu. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis (nota nobis, qui scilicet sequimur Christum) victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Hæc Apostolus: Diuersitatem autem resurgentium quam hoc loco ponit Apostolus etiam Saluator clarissimis verbis explicat, Ioan. 5. dicens: Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitā in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Eadem docet & Daniel Propheta his verbis: Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Obserua illud: Vt videant semper, quia fient hæc ad æternam æternæ iustitiæ Dei manifestationem. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Quomodo corpora dānatorum sunt incorruptibilia, tamen passibilia.

Apoc. 10.

1. Cor. 15. Oseæ 13. Hebr. 2.

Ioan. 5.

Daniel. 12

Quo tempore fiet resurrectio mortuorum, & quæ signa, qui etiam actus præcedent illam. CAP. VII.



AT quando erit resurrectio mortuorum? quæ verò præparatoria erunt ad illam? M. Dicit Martha ad Christum: Scio Domine, quia resurget frater meus, in resurrectione, in nouissimo die. Sic & sanctus Iob: Scio, inquit, quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die, de terra surrecturus sum. Igitur resurrectio mortuorum erit in nouissimo die. D. At quā longè abest à nobis ille nouissimus dies? M. Hoc nemo scit, neq; Angeli qui in cælis sunt, inquit scriptura. Interim certū habemus nōn posse omnino longè abesse, quoniam Saluator noster totum tempus medium inter incarnationem suam & extremum iudicium, vocat horam. Ioannes verò Apost. nouissimam horā. Sic pronunciat Saluator: Amē amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filij hominis, & qui audierint, viuent. Nolite mirari hoc,

D.

In nouissimo die erit resurrectio mortuorum.

Matth. 24 Mar. 13. Nō lōgiùs hora abest à nobis resurrectio mortuorum. Ioan. 5.

hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt &c. hac igitur hora nunc currente, fiet resurrectio omnium mortuorum iuxta assertionē Saluatoris: Dicit enim: nunc est illa hora in qua mortui resurgent. D. Attamen à tempore quo dixit istud Saluator, intercesserunt iam dies, anni insuper & sæcula. M. Et intercedent fortassis adhuc anni plurimi. Nihilominus sapientia Dei Patris Christus, vtens pereleganti phrasi, dixit sub nomine, hora. Primò quia totum tempus illud intermedium breuissimum est, & vix hora, comparatione æternitatis. Secundo: Ne veluti glires securi dormiremus in vtranque aurem, quasi longè posita esset à nobis resurrectio instans: prout vulgò dicimus citò, citò, hora est fugiendi, volentes significare nihil cunctandum, quia omni momento imminet tibi captiuitas. Hinc Matth. 25. media nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Quia tempore in opinato, cū minimè speratur aut cogitatur aduentus eius, tunc veniet sicut fur in nocte. D. Nullum ne præcedet signum? M. Plurima, vti habes Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Act. 2 quæ latè declarauimus suprà articulo 8, tractatu 6. cap. 9.

Cur Saluator vocet horam tēp' mediū inter redēptionē generis humani & extremū iudicium.

D. Certè res erit difficillima, ex omni parte mundi colligere putrefacta, quod plus est, sæpius in alia transmutata elementa, & quasi in nihilum redacta, membra omnium mortuorum. M. Minimè difficilis. Quàm enim sit facile Deo ossa arida mortuorum congregare, efficereque vt ossa ad ossa accedant, vnumquodque ad iuncturam suam, vtque nerui, caro ac pellis desuper extendatur, spiritus denique infundatur & reuiuiscant, pulcerrimè exprimitur in visione Ezechielis Prophetæ capite Prophetiæ suæ 37. Quod autem resurrectio mortuorum breuissimo fiet tempore & citra omnem difficultatem pereleganter aptissimisque phrasibus describit Apostolus dicens: In momento, ictu oculi, in nouissima tuba resurgent omnes mortui, canet enim tuba, & mortui resurgent. Momentum est minima pars temporis. Et quod nutu fit, siue ictu oculi, nullum facessit negotium imperanti. Fiet igitur resurrectio mortuorum, & citra moram, scilicet in breuissimo tempore, & citra negotium, quia ictu oculi, non oculorū, quia vel vnius oculi nutu fiet. Siquidem tantum erit imperium Christi, vt vniuersa creatura non solùm dicto, sed & nutui, & vnius oculi ictui, obtemperare necesse habeat. D. Quid hoc, in nouissima tuba? M. Hoc est, in vltima conuocatione hominum. Elegās profectò phrasis sermonis, sumpta à re militari, quando dux non vnum aut alterum, conuocatū vult, sed promiscuè vniuersos, tunc sonat tuba. Hoc modo inquit Apostolus, canet enim tuba, id est, vniuersalis omniū fiet conuocatio: non electorum, non etiam reproborum duntaxat, neque huius vel illius personæ, sed omnium qui hominis nomine censeri possunt. Omnes enim Deo viuunt, omnes sub illius sunt imperio. Cecinit olim tuba Dei per organum Moysi, & Prophetarum, ad conuocationē filiorum Israël. Cecinit deinde per angelum magni consilij, hoc est, per Christum & Apostolos eius, ad conuocationem omnium hominum totius vniuersi in salutem Euangelicam. Vnde & Ecclesia dicitur à conuocando. Siquidē in omnem terram exiuit sonus eorum, ad conuocationem eorum qui hereditatem accipient salutis, per Christum Dominum. Canet denique adhuc semel, & erit illa nouissima ac generalissima conuocatio omnium ad iudiciū Christi, vt referat vnusquisque prout gessit corpore suo. Hinc inquit Apostolus: In nouissima tuba, hoc est, in nouissima conuocatione hominum, quæ fiet. D. Qualis verò res, & cuius materiæ erit tuba ista? M. Tropicè dictū est. Non quòd erit ibi instrumentum musicum ex ligno, cornu, aut ductili materia, sed per vocem Filij Dei, vt dicitur Ioan. 5: per vocem Archangeli, vt 1. ad Tessa. 4: per clamorem qui factus est media nocte, vt dicitur Matth. 25: denique per nouissimam tubā quæ canet, vt inquit Apostolus 1. ad Corint. 15. vnum & idem intelligitur; nempè vox aliqua magna, quæ fiet de cælo, vel iussu Christi, vel ab ipso Christo, quā audient omnes qui in monumentis sunt, & viuet. Dabit enim voci suę vocem virtutis: sicut cùm exclamaret: Lazare veni foras, statim prodijt qui mortuus fuerat. Quoniā Deus vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quę sunt. Qui potuit verbo creare ex nihilo cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, dixit enim & facta sunt, ille haud dubiè potest magis & colligere dispersa & viuificare mortua. Siquidem minus est destructa reficere, quàm facere ex nihilo. Et quid dicam vltra de resurrectione mortuorum?

Non erit difficilis resurrectio mortuorum.

1. Cor. 15.

Qualis res sit tuba quę canet ad iudicium.

Ioan. 11.

Quòd omnes homines morientur ante sonum tubæ vltimæ, omnesq; simul resurgent. CAP. VIII.



D. Pauca adhuc me torquēt & remorantur circa Apostoli verba, dicentis quòd mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus, obuiam Domino in

1. Tessa. 4.

no in aëra: Ex quibus verbis apparet primò, quòd in tempore nouissimo, quorundam resurrectio fiet prius, aliorum posterius. Secundò, quòd non omnes homines morientur, sed quidam viui rapientur ad iudicium. Et per consequens videtur non esse verum, primò illud: Omnes moriuntur in Adam, deinde hoc: Omnes quidem resurgemus &c. M. Quantum ad priorem difficultatem, certo certius demonstratur ex Paulo ad Cor. quòd resurrectio omnium, tam illorū qui mortui sunt, quàm eorum qui nondum gustauerunt mortem, fiet simul, & eodem tempore, quia in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: Canet enim tuba, & mortui resurgent. Si in momento, si in eadem conuocatione omnes, ergo simul resurgent, non quidā priùs, alij posterius. D. Ceterùm ad verba Apostoli vtentis his voculis primò, deinde quę ordinē significant. M. His vocibus vtuntur sæpè, tā eruditi q̄ idiotæ, non quidem vt ordinem rerū significent quas narrant, sed vt ipsam narrationem claram ac distinctam efficiant. Sicut interroganti, quinam milites adfuerunt Imperatori militanti bonā illam militiā pro fide per Germaniam? si respondeat quis, primò Hispani, deinde Bauari, tertiò Itali, quartò nostrates: is nō vtitur his vocibus, primò, deinde, tertiò, quartò, vt distinctionem vllam rerum significet, aut in tempore accessus, aut in dignitate, aut militandi peritia, sed vt articulatim respondendo, distinctā faciat narrationē. Sic Apostolus responsurus tacitæ quęstioni Tessalonicentium, qua interrogare potuissent, quid futurum foret de viuentibus, qui nondum gustassent mortē: vtitur his voculis, primò, deinde, non vt ordinem in rebus aut tēporis, aut dignitatis exprimat, sed vt suam responsionē distinctam efficiat, narrando priùs de vno genere, nempè mortuorum, deinde de altero, videlicet adhuc viuentium. Nam sensus verborum Pauli est, mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur vsque nunc, etiam resurgentes simul rapiemur cum illis. Non illi, quamuis nunc mortui sunt ante nos, rapientur etiam ante nos, sed nos simul cum illis. Ex quo consequitur quòd simul etiam resurgemus, quoniam raptus in aëra præsupponit resurrectionem. Quantum ad secundam difficultatem dices, Paulum non respexisse ad eos, qui in ipso momento resurrectionis viui reperientur, sed respondisse de his qui tum temporis cùm scriberet & deinceps viuerēt, quòd quamuis relinquerentur post alios in vita corporali, non tamen forent relinquendi in resurrectione

1. Cor. 15. Resurrectio fiet simul & eodē tempore.

1. Tess. 4.

His vocib' primò, deinde, vtimur sæpè solùm ad hoc, vt distinctā faciamus narrationem.

Euacuatur difficultas de viuis ante iudiciū. 1. ad Tessal. 4.

aut in raptu, siue processu quo procedēt omnes obuiam Christo Domino ad iudicium. Vnde subiungit: Et sic, scilicet per resurrectionem, semper cum domino erimus. Itaque consolamini vos inuicem, qui relicti videmini, in verbis istis. Quærant alij nodos quot velint in scirpo loc... tu fili rem ipsam audisti. In fine sæculi cùm fient horrenda illa de quibus habetur Matth. 24. & Act. 2. cumque præcedet ante faciem eius ignis, quē conflagrationis vocant, qui circumuallabit vniuersam superficiem terræ, vsque ad mediā regionem aëris, prout olim fecerunt aquę diluuij vniuersalis: tunc indubiè quicunque reliqui erunt, morientur. Euangelica parabola clarè ostendit, quòd morā faciente sponso dormitauerunt omnes, & dormierunt, tā boni quàm mali. Et postquam dormierunt omnes, media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Igitur ante tubam morientur omnes: ante seminabuntur omnes in terram, de qua sumpti sunt, quàm surgent in glōria: ante portabunt imaginem & pœnitentiam Adæ peccantis, quā superinduent imaginem & decorem Christi viuificantis: vt sint conformes Christo primū morienti, deinde resurgenti, conformes sanctis, conformes denique vniuersis patribus, à quibus descenderunt, sintq; veræ scripturæ quæ dicunt: Omnes in Adam moriuntur. Item: Statutum est omnibus hominibus semel mori. Item: Insipiens tu, quod seminas non priùs viuificatur, nisi moriatur. Et illud: Omnes quidem resurgemus. Canet enim tuba, & resurgent mortui. Quæ vt vniuersaliter loquūtur, ita nullæ aliæ inueniuntur eis contrariæ, nisi quòd quidam opinantur potiùs, quàm probant de Pauli verbis ad Tessal. Circa quæ Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, varia commentantur, quisque pro dexteritate ingenij sui. Quibus omnes meritò venerabilē tribuimus in docendo auctoritatem. Quia tamen ne inter se quidem consentiunt in hac materia, ideo aliud ab ipsis quod certius ac conformius est scripturis, inoffensè sequi possumus. Nunc ad articulum sequentem.

Omnes morientur ante iudicium.

1. Cor. 15. Heb. 9.

1. Cor. 15.

DE VITA AETERNA. TRACTATVS VNDECIMVS.

Præter hanc vitam mortalem, esse aliam quandam vitam reuera immortalem, & æternam. Cap. 1.

Quid propriè sit vita æterna. Cap. 11.

Vita sancta quam homo viuit in hoc mundo, qua ratione dicatur æterna? Et quod homo plures debeat viuere vitas priùs quàm finem creationis suæ attingat. Cap. III.

De argumentis quæ præmissis obijci solent, & solutionibus eorundem. Cap. IIII.

Quòd vita æterna alio modo, alioq́; gradu sit in Deo & Christo eius, alio autem modo alioq́; gradu in sanctis Dei hominibus. Cap. V.

A quibus sic habeatur Filius Dei Christus, vt simul habeant vitam æternam: & quòd vita æterna aliter hîc, aliter sit disposita in futura felicitate. Cap. VI.

Quòd vita æterna accipiatur aliquando pro felicitate æterna in scripturis. Et quibus perueniatur ad illam. Cap. VII.

Quòd vita æterna cadat sub merito bonorū operum. Cap. VIII.

Num & alia credenda sint, preter ea quæ duodecim dictis articulis continentur. Cap. IX.

Præter hanc vitam mortalem, esse aliam quandam vitam reuera immortalē & æternam. Cap. I.

M. Vita homi nis naturalis breuis est & caduca. Iacob. 4.

M. VIta nostra quam hîc viuimus corporaliter, misera est, mortalis, atque caduca, mox interitura: immo reuera non est nisi vapor ad modicum apparens, aut lanugo, quæ à vento dispergitur, aut bulla quam leuis motio tollit. D. Vnde credo exortū vetus illud prouerbium. Homo bulla. M. Et hoc clarè demonstrare licet. Dicit enim D. Iacobus: Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum apparens, & deinceps exterminabitur. Et S. Iob: Ventus inquit est vita mea: addens, Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Simile est Esa. 40. Et primæ Pet. 1. & Ecclesiast. 14. D. Facilè credimus istud vel absque scripturis, experimur enim quotidie sic sese rem habere. M. Itaque expresse Apostoli vltimo articulo symboli sui, videlicet, & vitam æternam amen, tradiderunt spei nostræ superesse aliam quandam vitam æternam, quam non videmus sed credimus. Et quidem sic docuerunt, ne quotidiana exempla passim morientium ansam nobis desperationis, aut vllius pusillanimitatis præbeant. Neque id sanè leuiter aut citra Scripturam: passim enim tam in veteri, q̄ in nouo testamento loquuntur Scripturæ de vita æterna. Tobias ait: Eleemosina à morte liberat, & ipsa est quę purgat peccata & facit inuenire vitā ęternā. Et Sapientia Dei: Qui elucidant me, inquit, vitā æternā habebunt. Daniel quoque: Et euigilabunt, scilicet à morte, alij in vitam æternam, alij in obprobriū. Sic Saluator: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorē, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Rursus: Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Item: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et Apostolus: Vt iustificati, inquit, gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ. Hæc & similia nusquam non obuia sunt in Scripturis: adeò vt infideli deterior sit, qui nolit credere homini mortali superesse vitam æternam. Siquidem omnis Ecclesia sanctorū ab initio conditi mundi, semper credidit esse animā hominis immortalē, esse resurrectionem mortuorum, esse & vitam æternam post istā. D. Credo Scripturis & traditioni Apostolicæ. Ceterùm quid est vita æterna? & quibus medijs eandem obtinemus?

Iob. 7. Iob. 14. Præter vitā naturalē superesse nobis aliam vitā æternam scripturis demonstratur. Thob. 12. Eccle. 24. Danie. 12. Matth. 19. Ioan. 17. Ioan. 6. Ad Tit. 3.

Quid propriè sit vita æterna. CAP. II.

M. Quid sit vita.

M. INuestigaturi quid propriè sit vita æterna primùm definire oportet, quid sit vita. D. Principium vitę, anima inquit Aristoteles, hinc dicimus. Vitam hominis aut animam esse, aut ipsam animæ actionem, quam habet, siue in corpore, siue extra corpus. M. Rectè & cōformiter veritati. Nam Scriptura sacra, non distinguit inter vitam & animā actu animantem, vt patet Ioan. 10. 12. 13. 15. Matth. 2. Eò q̄ tota vita fluat ex anima, velut ex proprio suo principio, quodque anima migrante à corpore mox simul cū anima recedat omnis vitalis actio, quæ fuerat in corpore humano. Nunc dicas mihi quid sit vita humana? D. Officium siue functio hominis, vt homo est. M. Vel ipsa anima rationalis, actu animans siue dirigens hominem in actionibus, quas facit vt homo, iudicio scilicet & ratione. Nam quod in actionibus nostris contra rationem gerimus, aut præter rationem, non propriè vita humana, sed defectus vitæ siue vitiū eius dici debet, sicut otium, somnus, cessatio, simulacra potiùs mortis sunt, q̄ functiones vitæ humanæ. Iuxta illud: Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago? Vt vita hominis quatenus homo est, propriè sit functio vel exercitatio virium animæ iuxta dictamen rectæ rationis. Quod probè intellexisse videtur Terentius, cùm diceret. Vixit dum vixit bene, scitè simul ac falsè notans Phaniā quendā quasi

Quid vita humana. Terēt. in Hecyra. Act 3. Sce. 5.

quasi modicum temporis vixisset, quia rarò aut nunquam vixerat bene: Homo scilicet dum viueret voluptatibus obsequens. D. Ceterùm quid vita æterna? Hoc in primis audire desidero. M. Non vtique vita hominis, vt homo est, aut functio communiũ virtutum, quas morales, siue philosophicas dicimus, sed vita hominis beatificati in gloria cælesti, vita quoque hominis in hoc mundo regenerati in nouam creaturam, quæ secundum Deum est. Qualis homo iam non tam suo quàm Dei Spiritu agitur, dirigiturque in functionibus suis per verã virtutem, nempe fidem, spem, & caritatem. Veram autem virtutem voco, quæ reuera vim habet perducendi hominem ad finem propter quem factus est, commutando totum statum hominis in melius. Iuxta illud: Virtus est quæ bonum facit habentem. Non quidem bonum ex parte, aut secundum quid, vel in oculis solummodo hominum, sed bonũ simpliciter, etiam coram Deo, & cælestibus spiritibus, quod faciunt fides, spes, caritas, & ex ipsis natæ functiones honestarũ actionum. Non potuit autem id efficere virtus moralis, vt in philosophis disposita erat. Manebant enim mali, iniusti, reprobi, ingrati Deo, & cælesti curiæ. Quæ igitur vis aut virtus erat in eorum moribus ratione regulatis? Vis igitur paucis dicam quid sit vita æterna? D. Obsecro. M. Profectò non aliud quàm vita sancta, vereque Christiana, functio Euangelica, veræ virtutis executio, vita salutis inuentæ per Christum, vita diuina ac cælestis, vita denique beata: qua sanè hîc in terris, sumus initiũ aliquod creaturæ Dei, vt inquit Iacobus. Per quam & semen Dei manet in nobis secundũ Ioannem: qua denique non solùm nominamur, sed etiam reuera sumus filij Dei, & nondum apparuit, vt idem Ioannes habet in sua eadem Canonica, quid erimus. Scimus, autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et tunc quidem habebit hæc vita æterna suum consummatæ perfectionis statum. Vocatur autem vita æterna prædictis nominibus: nẽpe sancta, quoniam eleuata est & depurata à sordibus peccatorum carnis, & à mundi coinquinamentis, per Spiritum sanctum intus viuificantem spiritum nostrum: deinde verè Christiana, quoniam Christi merito illã obtinemus, & per eam sumus conformes imaginis Filij Dei Christi, vt Paulus docet: Et consortes diuinæ naturæ, vti Petrus loquitur. Quam etiam ob caussam rectè vocatur vita diuina. Tertiò vocatur functio Euangelica, eò quòd Euangelium sit regula ipsius & lucerna, iuxta illud: Hæc est vita æterna vt cognoscant te solũ verũ Deũ, & quẽ misisti Iesum Christũ. Et illud: Mandatũ eius vita æterna. In hoc enim consistit vita æterna, quòd omnes omniũ viriũ nostrarũ functiones regulatæ sint secundũ formã mandatorũ Dei, & eam notitiã, quàm ex Euangelio habemus de Deo & Christo eius. Quartò dicitur cælestis, quia ex cælis nascens, in cælesti denuo gloria consummatur. Denique beata siue beatitudinis vita, quoniã ipsa existens in Deo & fluens ex Deo, non potest non habere secũ multã beatitudinẽ. Et quidẽ in hoc mundo tantũ de beatitudine quantũ de vera virtute: Vti est videre Matth. 5. vbi Saluator ascribit singulis virtutibus singulas beatitudines. In regno autẽ cęlesti habebit tantũ de beatitudine, quantũ anima cũ corpore de dotibus cęlestibus, & magna Dei gloria capere potest. Iuxta illud: Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Vt vita ęterna quę hîc habetur donatione Dei, sit virtus vera secundũ Euãgeliũ Christi, vita verò æterna, quæ possidebitur in futuro sæculo, sit virtus cõsummata cũ plena beatitudine, cui nihil deest, neq; deesse potest.

Quid vita æterna.

Vitã ęternã multis nominib' exprimere licet.

Iacob. 1.

Ioan. 3.

Rom. 8.

2. Pet. 1.

Ioan. 12.

Psal. 16.

Vita sancta quam homo viuit in hoc mundo, quaratione dicatur æterna. Et quòd homo plures debeat viuere vitas priùs quàm finem creationis suæ attingat. CAP. III.

D.



AN hîc, in hoc instabili mundo, sub agonibus mortis quibus opprimimur omnes, contingat habere in se vitã æternam? M. Prorsus. Nec de illo dubitare licet, propter scripturas partim nunc citatas, partim infra citandas. Nam vti certum est, contingit hîc viuere sanctè secundũ Deum, & secundum fidem, quæ est in Christo. Sic autem viuere, est habere in se vitam æternam. D. At qua tandem ratione eiusmodi vita appellatur æterna? M. Hac, quia scilicet ex Deo nata est, nosque deiformes efficit. Quæ autem sunt eiusmodi, ea æterna esse oportet. Deinde quia Spiritus sanctus inhabitans cor nostrum, est principium eius. Tertiò quia prima ipsius proprietas est virtus. Porrò virtutis natura est insuperabilem esse. Si enim vincitur, aut tempore, aut accidente, virtus non est, sed infirmitas. Quẽadmodum homo quã diu viuit, non potest non esse risibilis, sic & anima quàm diu viuit sanctè in Deo, non potest non habere coniunctam insuperabilis efficaciæ virtutem. Exempla luce clariora habemus in sufferentia martyrum, & perseuerantia confessorum, vt est videre ad Hebr. vndecimo cap. Et in historia Eccle-

Vita hominis sancta qua ratione vocetur æterna.

Ecclesiastica, alijsque probatis auctoribus, qui nobis vitas & agones sanctorum fideliter tradiderunt. Et hæc quidem ratio est æternitatis vitæ, qua in hoc mundo secundũ Deũ, hoc est, iustè ac sanctè viuimus. Accedunt autem ei in cælis, & aliæ rationes æternitatis, nempe lumen gloriæ, visio diuinitatis, consummatio virtutis, perfecta vnio cum Deo, beatitudo, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, impassibilitas, incorruptibilitas, immutabilitas, & cetera eiusmodi, quibus accidentibus iam est simpliciter omnique modo vita ęterna, vt mox latius exponam.

Vita beata qua ratione sit ęterna.

Vita ergo quam viuit iustus homo diuiditur rectè in vitam temporalem, & in vitam æternam. Illam accipit à progenitoribus carnis suæ, ista verò de sursum est, à Patre luminum. Per illam est filius hominum, per istã est & nominatur filius Dei altissimi, adoptatus in societatem Filij eius primogeniti Christi. Illam physica ratione cognoscimus, hanc non nisi fide credimus, ex doctrina Euangelica.

Vita hominis diuiditur in vitã temporalem & æternam.

Subdiuiditur autem vita æterna in vitam gratiæ, & vitam gloriæ, quarum ista in cælo, illa verò obtinetur in hoc mundo. Non quòd vita gloriæ non sit vita gratiæ: Vtraque enim est ex gratia miserentis Dei, per fidé & Christi meritum, vti infrà demonstrabimus: sed ꝙ vita gratiæ quàm & Euangelicam vocamus, sic sit gratiæ, vt non sit simul vita gloriæ.

Vita æterna subdiuiditur in vitã gratiæ & vitã gloriæ.

Triplicẽ itaque vitam viuit homo priùs ꝙ perueniat ad finem creationis suæ: nempe vitam naturæ, vitam gratiæ, vitam gloriæ, quibus velut gradatim ascendit de imperfecto, ad perfectius donec consummetur in gloria. Prima viuunt omnes homines cuiuscunque gentis, sectæ, vel conditionis fuerint: at secunda, viuunt soli iusti: tertia verò, viuunt omnes & soli sancti existentes cum Christo in cælis. Ad primam generamur ex vtero matris, ad secundam regeneramur ex sacro fonte: ad tertiam saluamur de hoc mundo: secundum animam quidem per mortem: secundum animam verò & corpus, per resurrectionem ex mortuis. Primam mirum in modum viciauit peccatum originale, sed rursum reformatur & perficitur superueniente secũda, iuxta quod dici solet: gratia perficit naturam. Porrò tertia accedens consummat vtramque, quemadmodum perfectũ solet consummare id quod ex parte geritur. Qui primam vitam habent mori debent, quia statutũ est hominibus semel mori, ad Heb. 9. Qui verò secundam obtinent, viuere possunt æternum, & non mori vnquam, iuxta has scripturas: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Et illud: Ego viuo propter Patrem, & qui manducat me & ipse viuet propter me: vtque in æternum, sicut & ego ęternum viuo propter Patrem. Qui denique tertiam vitam assecuti sunt, nullo prorsus modo ampliùs mori possunt, secundum quod scriptura restatur Apocal. 21. dicens: Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Primam vitam vocat Scriptura carnem dicens: Quod natum est ex carne, caro est. Secundam vocat spiritum, addens. Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Tertiam autem licet vocare beatam, siue ipsam beatitudinem. Iuxta illud. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Et sedentibus ad fontes aquarum vitæ, nihil deerit eis aut deesse poterit vnquam ad viuendum feliciter.

Triplex vita hominis. *August.* *Heb. 9.* *Ioan. 5.* *Apoc. 21.* *Ioan. 3.* *Psalm. 83.*

De argumentis quæ præmissis obijci solent, et solutionibus eorundem. CAP. IIII.

D. Profectò suggerit mihi hoc loco cogitatio animi, quæ præmissis ex diametro repugnare vidétur. M. Obijce illa, vt te scrupulo liberem. D. Vita hominis hic peregrinantis nunquam est libera à pugnis qualitatum cõtrarium, à morbis item & miserijs, non potest igitur immortalis dici aut æterna. M. Rectè infers, si sermo est de homine extra gratiam Dei constituto. Nam quæ dixisti habẽt certissimã in se significationem venturæ mortis. D. Immo nec vita hominis spiritualis, potest hic esse immortalis, aut æterna, eò ꝙ secum habeat pugnam actionum contrariarum. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque velimus illa faciamus. M. Sic docet Apostolus ad Rom. 7. Et ad Galat. 5. D. Præterea, nullum violẽtum potest esse perpetuum, debet autem homo vt sanctè viuat, sibi suæque naturæ vim facere. M. Et hoc docet Saluator Matth. 11. dicens: A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiũt illud. D. Dicit & S. Iob: Militia est vita hominis super terram. Omnis autem militia plena est pugnis, miserijs, incõmodis, discriminibus, & cadũt in ea passim multi. Qua ergo ratione vita hominis militantis hic Deo, potest dici aut immortalis aut æterna? Potissimùm, eùm contingat hic excidere à fide, à gratia, à caritate, sine quibus non est vita secundũ Deum. Itaque mortalis est vita spiritualis hominis, haud secus atque vita eius corporalis. Nec verè dici potest, ꝙ quispiam

Prima obiectio. *Ad Gal. 5.* *secunda obiectio.* *Iob. 7.* *Tertia obiectio.*

Ratio dissoluendi præmissas obiectiones.

Vox, immortalis, bifariam interpretatur.

quispiam mortalium habeat hic in se vitam æternam. M. Hunc nodum ipse facilè dissolues, si bene perpendas, quòd sicut vox, immortalis, ita & vox, æterna, bifariam accipitur: Vno modo, pro potens non mori, alio modo, pro non potens mori. Priori modo, immortalis erat Adam tempore innocentiæ secundum vtramque vitam, gratiæ scilicet, & naturæ. Poterat enim non perdere iustitiam originalem, in qua erat vita gratiæ, & illam non perdendo, poterat non mori secundum corpus. Si enim non peccasset, neque animæ neque corporis mortē sensisset in æternum. Posteriori modo sunt immortales quicunque resurrexerunt cum Christo, viuuntq; cum eo in cælis. Quia iam non possunt vltra mori, neque secundū animam, neq; secundum corpus, secundum quod legimus de Christo, quòd ipse resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sic & æternum vno modo interpretatur, potens non deficere, alio modo, non potens deficere. Posteriori quidem modo æterna est vita sanctorum triumphantium cū Christo in cælis. Priori verò modo, æterna est vita iustorum adhuc agentium in hoc mundo, quia possunt per gratiam adoptionis, qua viuunt secundum Deum, nunquam deficere propter caussas suprà memoratas. D. Vincitur tamen, heu nimium sæpè ac facilè in nobis, moriturq; ea vita, qua sanctè viuebamus in Deo. M. At non contingit hoc, ex parte ipsius vitæ æternæ, quasi illa in se mortalis sit, sed aliunde, velut ex obliquo, nempe ex parte voluntatis humanæ, needum in bono confirmatæ. Quod hac similitudine manifestum faciam. Quēadmodum enim homo est duarum partium cōpositio, puta animæ & corporis, quarum anima, possidet in se essentialiter vitam, corpus verò non nisi accidentaliter, participatione scilicet animæ. Est autem dicta compositio separabilis, quamdiu manet corpus suapte natura corruptibile, varijsque defectibus & cōtrarijs actionibus subiectum, quibus dum adeò indisponitur, vt non ampliùs præstet idoneum domiciliū animæ, migrat illa. Atque ita hac vtique ex parte cōtingit hominem mori, non obstante, quòd anima illiusque vita, sint in se æternę & immortales. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, vti Apostolus loquitur, fueritque corpus humilitatis nostrę configuratum corpori claritatis Christi: tune demum non poterit ampliùs cōtingere separatio animæ à corpore, & per consequens nec mors. Eodē ferè modo, homo iustus viuens vitam spiritualem in Deo, vt talis, velut conficitur ex duobus: nempe donis gratiarum, quas diffundit in nobis Spiritus sanctus, & mente nostra fide illuminata, affectuque bene spontaneo ad obtemperandum. Et in illis quidem est vita æterna, per se & essentialiter, in istis verò, non nisi accidentaliter. Eò quòd voluntas humana habeat libertatem arbitrij, libereq; & neutiquam necessario præstat obedientiam Deo. Qua sanè obediętia sublata, non manet vltrà cor hominis aptum domicilium viuificantis Spiritus sancti, tollitque se Spiritus Domini ab homine, cum omnibus suis viuificantis gratiæ muneribus. Et hac sanè ex parte contingit hominem sanctum mori, non obstante, quòd vita gratiæ qua viuebat erat immortalis, æterna, insuperabilis. Cùm autem per lumen gloriæ, & visionem beatificam Dei, fuerit voluntas hominis in bono prorsus confirmata, tunc demum fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Eritque tunc omnis vita hominis, tam corporalis, quàm spiritualis penitus immortalis & æterna, ac prorsus insuperabilis, inseparabilisque ab homine, cui continget hæc tanta cum Christo societas. Quanquam igitur nunc sit rebellio in carne, continua quoque militia cum hostibus salutis nostræ, debeatque homo suis affectibus indesinenter vim facere, vt sanctè viuat, sicuti argumenta tua assumpserunt, mors denique accidat in corpore: Est tamen in potestate hominis iusti viuere in ęternum, & nunquam mori secundum animam. Non quidem ex viribus naturæ suæ, sed per adiutorium Christi assistentis. Iuxta illud Apostoli: Omnia possum in eo qui me confortat. Insuper per fidem gratiamque adoptionis. Iuxta illud Ioannis. Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra. Permittit autem Deus homini iustificato, hic accedere militiam, rebellionem, sudores, discrimina, mortem denique corporis, vt tanto gloriosior sit victoria eius. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, de quo suo loco dicemus fusius. Omnia autem quæ hic patimur, nihil sunt, comparatione eorum, quæ expectantur in cælis, sicut Apostolus expressè docet dicens: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Mora insuper qua hic relinquimur sub pressuris mundi, non nisi vna hora appellatur in scripturis, comparatione æternitatis venturæ. Propter quod, inquit Apo-

Ad Ro. 6.

Vox æternū bifariā interpretatur.

Vnde proueniat q̄ habentes vitā æternam moriantur.

1. Cor. 15.
Ad Phil. 3.

1. Cor. 15.

Solutio præmissarū obiectionum.

Ad Phil. 4.
1. Ioan. 5.

2. Tim. 2.

Ad Ro. 8.

2. Cor. 4.

Apostolus, non deficimus, sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supple, comparatione eius quod futurum expectamus, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, têporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Hæc Apostolus: Et si bene perpendas phrasim Scripturæ sacræ, videbis homines iustos in hoc mundo, ita viuere vitam æternam, vt licet corpore deficiant, non tamen mortuos eos, sed viuos pronunciet Scriptura, eorumque mortem corporalem magis, familiariusque dormitionem appellet, quàm mortem. Vt cùm dicit: Non est mortua puella, sed dormit. Itê: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Et Stephanus lapidatus à Iudæis dicitur obdormiuisse in Domino. Sic Dauid, Salomõ, Abias, Ezechias, Ioathan morientes, dicuntur in Scripturis dormiuisse cum patribus suis. Et Iudas Machabæus bene considerans futuram iustorum resurrectionem, de illis suæ gentis, qui fortiter certando pro aris & focis occubuerant, non dixit, mortui sunt, sed cum pietate dormitionem acceperunt. Eò quòd mors talis dormitioni similior sit, quàm morti, tum propter breuitatem temporis, quia hotaria est comparatione æternitatis, tum propter certitudinem resurrectionis venturæ, qua velut à somno excitabit eos Dominus, tum etiam propterea quòd tota illorum vita, vna cum anima, sit in manu Dei, & requie bona. Iuxta illud Sapient. 4. Iustorũ animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Hine Christus coram Sadducæis testabatur ipsum Abraham viuere, non obstante eius morte corporali dicens: Nonne legistis quod dictũ est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abrahã, Deus Isaac, Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Hinc Ecclesia alloquitur sanctos, tanquã adhuc viuant & audiant, licet corpora eorum sint apud nos sepulta, dicẽs: Sancte Petre, ora pro nobis. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumque salute. Hinc quoque locum sepulturæ, non vocat locum mortuorum, sed cœmeterium, hoc est, dormitorium siue locum requiescentium in pace. Hinc & diem obitus sanctorum, appellat natalem siue natalitium diem ipsorum, eò quòd verius nasci videntur quàm mori, cum soluuntur à corpore mortis huius. Hinc denique & Scriptura connumerat insipientibus, illos qui iustos homines mori asserunt, dicens de iustis: Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Sed de his coëgit nos sæpius demonstrationem facere exigentia materiarũ. Hoc igitur loco quæ dicta sunt sufficiant.

Hominesiusti non moriũtur, sed obdormiunt in Domino secundum scripturã. Marc. 5. Lucæ 8. Ioan. 11. Act. 7. 2. Mac. 12. Sapien. 4. Scriptura & Ecclesia loquũtur de sanctis tanq̃ viuẽtibus quasi mortui nõ essent. Matth. 22. Sapient. 3.

Quòd vita æterna alio modo, alioq; gradu sit in Deo & Christo eius, alio autem modo alioq; gradu in sanctis Dei hominibus. CAP. V.



Non est autem quòd nunc quæras, vbi & in quibus sit vita æterna. Quoniam est in cælis, est in terra, est in Deo, est in Christo Domino, est in sanctis Angelis, est denique in sanctis Dei hominibus, siue cum Christo regnent in cælis, siue hic nobiscũ agant, in terris. In omnibus siquidem istis est veraciter vita æterna, sed non modo eodem, neque gradu æquali, prout certum est ex scripturis: In Deo nanque & Filio eius vnigenito, est vita ęterna per naturam, &, vt Theologi loquuntur, essentialiter. Dicit enim Christus: Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est. Et sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat, Ioan. 5. In sanctis verò & iustis hominibus est vita æterna, non quidem per naturam neque ex semetipsis, sed per donationem, atque ex gratia ac benignitate miserentis Dei per Christum Dominum. Christus enim transfundit in omnes suos vitam æternam, quæ erat apud Patrem ab initio quam & annuntiatunt Apostoli, dicente Ioan. Et annuntiamus vobis vitam æternã, quæ erat apud Patrẽ, & apparuit nobis, prout habes 1. Ioan. 1. Certissima etenim regula est quam tradit Paulus dicens: Gratia Dei vita æterna. Quibuscunque enim hominibus inest, illis inest non ex natura, aut ex principijs ingenitis, sed ex gratia donantis Dei per Christum, vt viuentes hac vita dicere oporteat cum Apostolo: Gratia Dei sum id quod sum. Rursum: Viuo iam non ego, verùm viuit in me Christus. Possunt etiam dicere: Viuo iam non ego, verùm viuit in me Spiritus sanctus. Tertiò: Viuo iam non ex memetipso, aut per facultates duntaxat naturales, sed in Deo, & secundum Deum, per dona quæ sunt de sursum à Patre luminum, quibus consorres efficimur diuinæ naturæ. Iniusti itaq; ac reprobi homines nihil habent, nihil etiam sperare possunt de vita æterna, sic

M. Vita æterna aliter est in Deo & Christo, & aliter in sanctis. Ioan. 5. 1. Ioan. 1. Regula Pauli. Roma. 6. 1. Cor. 15. ad Gal. 2.

sic qualificati. Sed quò diutiùs vixerunt hanc vitam naturalē, eò propius accedunt mortē primā, mortē secundam, mortē deniq; æternam. Regula Apostolica est. Qui non habet Christum, nō habet vitā æternam. Quam regulā ponit Ioannes in sua Canonica, dicens: Hoc est testimoniū, scilicet veritatis, quia vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita, scilicet æterna, est in Filio eius. Qui habet Filium Dei, habet vitam, scilicet æternam, quę in ipso est: qui non habet Filium Dei vitā nō habet, scilicet æternam. Ideoque à Prophetis vocatur Christ᷑, pater futuri sęculi, quoniam ipsius est generare, in omnibus qui salui fiēt, vitam longè alterius generis, & ex alijs pendentem principijs quàm sit vita à corporalibus parentibus accepta, nempe æternam. Morituri homines nō nisi morituram vitam dare possunt, ęternus verò Filius Dei ęternam donare vitam potest. Et quemadmodum nemo habet vitam humanam, nisi genitus ab homine: ita nemo habet vitam ęternam, nisi regeneratus à Christo domino, qui habet vitam æternam in semetipso. Vita itaque naturali filij hominū sumus, vita verò æterna sumus filij Christi vt Deus est, fratres verò eius vt homo, heredes insuper Dei, coheredes autem Christi. Alia est regula Apostolica videlicet: Qui non diligit, manet in morte. Peccatores itaque qui agunt contra caritatem, nō habent in se vitam æternam, sed potiùs mortem æternam. Denique & Paulus ponit loco regulæ dicens, Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Spiritus autem est qui viuificat. Nihilominus impij quamdiu hic viuunt, natura capaces sunt vitæ æternæ, quia ad imaginem Dei facti, & sunt in potentia habendi eandem, tum quia necdum definito iudicio Dei damnati existunt, tum quia Christus omnibus natus est, omnibus vixit, omnibus sanguinem redemptionis effudit, suaque morte eis meruit hanc vitam æternā, viamque eis præparauit ad eādem factus: Factus propitiatio apud deūm Patrem, pro peccatis non nostris tantùm, sed etiā totius mundi peccatis. Vt autem distinguunt philosophi ihter potentiam propinquam, remotam, & remotissimam. Propinquam potentiam appellando, cui solùm deest vltima dispositio formę introducendę. Remotam, cui plures dispositiones desunt. Remotissimam, cui nec vna quidem dispositio prętequisita adest, nec quidquam secum habet præter naturę capacitatem: ita potentia hæc perueniendi ad vitā æternā in iis impijs, qui & infideles sunt, & Christū eiusq; doctrinā contēnunt, vt Iudæi & Mahumetistę, est prorsus remotissima.

Regula Ioannis. 1. Ioan. 5.

Esa. 9.

Rom. 8.

Alia regula Apostolica. 1. Ioan. 5.

Alia regula Pauli. Rom. 8.

Omnes homines ante mortem sunt in potētia habendi vitā æternam, sed diuersimo dè.

Est potentia propinqua, remota, remotissima.

A quibus sic habeatur Filius Dei Christus, vt simul habeant vitam æternam. Et quòd vita æterna aliter hic, aliter sit dispositasin futura felicitate. CAP. VI.



Am, fili, qui inter nos homines habent vitam æternam? D. Quicunque habent Filium Dei. M. Præterea, qui sunt in spe siue in potentia habendi eandem? D. In potentia propinqua habendi, sunt mali Christiani, quamdiu retinent rectam fidem, qua se possunt conuertere ad Deum. In potentia verò remota sunt heretici & infideles, quia nec fidē habent qua possent conuolare ad Christum. Remotissima autem Iudæi & Mahumetistę, qui pręter hoc quod fidem non habent, etiam ex professo contemnunt & blasphemant Christum donatorem vitę æternę. Porrò in damnatis prorsus non manet vlla potentia, aut spes obtinendi vitam æternam, eò quòd iam sententia definitiua condemnati sunt ad mortem perpetuam. At nunc interrogare debeo, qui sunt ij à quibus sic habetur Filius Dei, vt simul habeant vitam ęternam cum ipso? M. Huius rei certas regulas quasdam pronuntiat ipse Christus Filius Dei. Prima: Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam ęternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam, Ioan. 5. Rursum: Qui credit in Filium, habet vitam ęternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ioan. Deinde: Hęc scribo vobis fratres vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij eius.

D. Igitur & mali Christiani si credant, habent vitam æternam. M. Respondet Paulus: Et si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest. Iterum: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Vides itaque ex Apostolo Paulo prædictam regulam intelligendam de fide viua, operante per dilectionem caritatis, alioqui per eam nihil sumus, quantominus viui vita æterna. Secunda regula, qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, Ioan. 12. Sed & in ipsis scripturis sanctis dicitur esse vita æterna, Ioan. 5. Scrutamini igitur scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Igitur, qui viuit vitam bene regulatam secundum voluntatem Dei, dobis in Scripturis & mandatis eius expressam, habet vitam æternam. Tertia regula. Qui manducat

M.

Regulæ Euāgelicę quib' cognoscitur, in quibus sit vita æterna. Ioan. 5. Ioan. 3.

An mali Christiani per fidem habeant vitā æternam. 1. Cor. 13. Ad Gal. 5.

2. regula. Ioan. 12.

3. regula. Ioan. 6.

ducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, Ioan. 6. cap. D. Deus bone, quàm ego hucusque erraui putans vitam æternam tantummodo inueniri super æthera in regno cælesti. M. Certo certius est, ex præmissis rationibus & Scripturis, etiam hic in pijs hominibus esse vitam æternam. Veruntamen aliter hic, aliter est disposita in futura felicitate, sicut alia est qualitas infantis, alia viri, alia dispositio seminis, alia arboris nascentis ex ea, alia gratiæ, alia gloriæ. Est hic in nobis, velut semen quoddam futuræ immortalitatis, & tanquam recens natus infantulus, siue noua creatura in Christo, fouenda atque nutrienda fide, verbo Dei, Sacramento, actione virtutis, roræ gratiæ influentis desuper, donec transeat in virum perfectum, hoc est eam plenitudinem perfectionis, quam nunc habet Iesus Christus in cælis, & sancti eius cum eo. In cælis verò est in consummato gradu perfectionis, habens virtutem perfectam, cũ dotibus cælestis beatitudinis summè libera, summè viuax, in summis delicijs gloriæ magni Dei, non potens vllo modo deficere, propter qualitates gloriæ superadditas. Hic quidem velut in castris, sudat, pugnat, discrimina patitur à carne, mundo, Diabolo, ministris mortis: ibi verò triumphos agit morte iam penitus absorpta in victoria, & cantat canticum illud triumphale: Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominũ nostrum Iesum Christum. D. Apparet autem ex præmissis, quòd vnus ac idem homo iustus, sit simul mortalis & immortalis, temporaneus & æternus, felix ac miser. M. Et reuerà ita est, vt etiam suprà declarauimus. Nec pro inconuenienti haberi debet, quòd contraria fiunt in eodem subiecto, modò nõ sint in illo, secundum eandem partem. Idem enim homo friget pedibus & calet manibus, videt oculis, & non videt cruribus: sic & homo iustus mortalis quidem est corpore, immortalis verò anima, habens simul vitam naturalem morti obnoxiam, vitam quoque gratuitam omni morte potentiorem. Sicuti est irrationalis carne: anima verò rationalis. Rursum, idem homo felix est, in eò quòd vocatus sit in societatẽ Filij Dei, & tali loco collocatus, vnde posset emergere, ac proficere ad absolutam immortalitatem, absolutam æternitatem, absolutam denique felicitatem. Miser nihilominus & infelix, in eò quòd debeat adhuc multa pati, in corpore mortis huius, vt debeat dicere cum Paulo: Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Debeatque cum timore & tremore salutem suam operari. Quapropter valde conducit in eiusmodi materijs pręoculis habere notabile illud dictum Ioannis, videlicet: Sicut Christus est, & nos sumus in hoc mundo, 1. Ioan. 4. Sicut ille erat, non solùm Filius hominis, sed & Filius Dei, ita & nos sumus per illum. Sicut ille mortalis erat ratione carnis, immortalis verò ratione coniunctionis animæ cum diuinitate: ita & nos mortales sumus ratione corporis, immortales verò ratione adoptionis, qua in filios Dei adoptamur. Sicut ille multis miserijs & incommodis subiectus erat secundum hominem qui foris est, multis interim gaudens consolationibus diuinis secundum hominem qui intus est: ita & in nobis, licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Semper enim mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circũferimus, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Reliqua tecum perpende.

Vita æterna aliter est hic disposita, aliter in futura felicitate.

1. cor. 15. Oseæ 13.

Vnus ac idem homo simul est mortalis & immortalis.

2. Cor. 4.

Quòd vita æterna accipiatur aliquando in scripturis pro felicitate æterna: & quibus medijs perueniatur ad illam.

CAP. VII.



CEterùm quid dicemus ad didagma istud Euangelicum, quo ijs, qui relinquũt hîc omnia propter Christum & Euangeliũ eius, reprõmittitur, quòd centuplum accipient nunc in tẽpore hoc, & in futuro sæculo vitam æternã? Siquidem ex illo videtur inferri posse, quòd vita æterna tantum obtinetur in futuro sæculo, non autem in hoc mundo. M. In scripturis subinde accipitur vita æterna pro significato notiori ac principaliori, hoc est, pro statu beatitudinis, & felicitatis, in qua sic viuitur æternaliter, vt nulla adsit oppugnatio, nulla tristitia, nullus metus, nec vlla mortis aut mortalitatis expectatio, sed omnium bonorum perfectio. Quomodo accipitur Matth. 19. & 25. ibi dicitur. Et ibunt hi in vitam æternam, illi autem in supplicium æternum. Vt sancti qui priùs habebant vitam æternam in se, demum ingrediantur in consummatam illam vitam æternã, quæ coniunctum habet cælestis beatitudinis statum: vbi adeò est explicata vita æterna intus & foris, circũ atque circa te, vt nihil ibi appareat neq; in te neq; circa te, nisi vera, felix, & ęterna æternæ vitæ viuacitas. Quod vt faciliùs aduerteremus, seruauit Scriptura aliũ modũ loquẽdi de illis, quibus hic contingit vita æterna, alium

D. Obiectio. Mat. 10.

Solutio.

Hic habemus vitã æternam in nobis, posteà verò intrabimus in illam.

alium de illis, quibus contingit post transitū ab hoc mundo. Nam de illis dicit: Habent vitam æternam in se: de istis verò dicit: Ibunt in vitam æternam, eò quòd ibi sit futura omni capacitate hominis multo maior. Et sanè vita æterna in hac qualitate cœlesti est velut præmium, finis, ac consummatio eius vitæ æternæ, quę hic inest per gratiam Dei. Vnde ad Rom. 6. dicitur: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructū vestrum in sanctificationem, finem vero, vitam æternam. D. O optabilem finem, quàm felix ille qui tali potitur & consummatur fine. M. Tantum stude habere hic in te vitam æternam, per media iam dicta & omni dubietate procul consummaberis in illam. Opera saluationis nostrę procedunt ordinate, ab imperfecto, ad perfectum. Primò oportet esse in te semen futuræ vitæ æternæ, deinde subsequetur quod perfectū est. Hinc Saluator: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, hoc est, qui biberit de fluminibus Euangelij vitam veram, siue vitam virtutum, quæ est quasi semen futuræ vitæ beatæ, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et ibi: Si vis ad vitam, scilicet ęternam, nam de illa erat quæstio, ingredi, serua mandata, Matth. 19. Simile est Luc. 10. Hoc fac, inquit Saluator, & viues. Fac hoc, nempe dilige Dominum Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum, & viues, scilicet vitam æternam, de qua interrogasti, possidendo eam. Rursum: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Rursum: Qui reliquerit domū, patrem, &c. propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et Paulus: Qui seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam ęternam, ad Gal. 6. Ii ergo quibus viuit Euangelium sub pectore, qui currunt viam mandatorum Dei, qui defraudant præsentem vitam, mortificando carnem suam, qui propter Christum relinquunt sua, seminantes in spiritu semina virtutum, ij, dico, pertingent ad æternam illam cœlestis gloriæ vitam.

Vita æterna prout in cœlis est consopita, est finis vitæ æternæ quæ hic habetur. Rom. 6.

Nemo ingreditur in vitam æternam, nisi qui prius habuerit hic vitā æternā in se. Ioan. 4.

Matth. 19. Luc. 10.

Ioan. 12. Matth. 19.

Galat. 6.

Quòd vita æterna cadat sub merito bonorum operum. CAP. VIII.

M. Is dicā verbo vno? fide viua ac merito virtutis Euangelicæ, acquiritur vita æterna. D. Meritò? Vbi ergo illud, quod suprà allegatum est ex Apostolo. Gratia Dei vita æterna? Si enim ex merito, ergo non ex gratia. M. Dicit Apostolus: Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Vtetis sane coniunctione aduersatiua, vt signi... ...ntiam inter modum ... & modum quo vitam attingi... æternam. Q... mors merum ...pendi... peccati est. Si enim mortem inuenimus, ... Dei iudicio inueni... sti, propter opus peccati t..., malumque meritum, quod pr... Ceterùm gratia Dei vita æterna per Christum. Quia vita æterna significatur gratiæ Dei, vt omnino dici non possit merum stipendium operis boni, secundum rationem puræ iustitiæ. Nam di... primò seminatur in nobis vita æterna per ... ficationem, qua ex impijs efficimur iusti, nullius meriti nostri, nullius ue bonæ actionis caussa datur, sed purè gratis mereque liberaliter, propter Christum Dominum nostrū. Hinc Paulus: Gratia Dei saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Item: Gratia iustificati estis & nō ex operibus vestris. Si enim ex operibus, ergo non ex gratia, & si ex gratia, ergo non ex operibus. Dum verò incrementa sumit in nobis eadem vita æterna, & proficit vsque ad consummationem, etiam hoc gratiæ Dei esse cognoscimus, quæ nobiscum operatur. Iuxta illud Apost. Non ego, sed gratia Dei mecum. Non quidem gratia Dei sine me, quia mecū, neque rursum ego sine gratia, quia non ego, sed gratia Dei mecum. Itaque bonus vsus gratiarum Dei, & studium virtutis, secundum inclinationem caritatis diffusæ in cordibus nostris, fouet, educat, ac promouet vitam æternam seminata in nobis, mereturque consummationem eiusdem. Iuxta illud: Omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo autem qui non habet, auferetur & id quod videtur habere. Omni habenti, scilicet bonu vsum gratiarum ac naturalium quæ accepit, dabitur eo vsque dum abundabit. Itaque & quando seminat in nobis Deus vitam æterna, merè gratuitum est, & quando perficit eandem in nobis per coronam gloriæ, magis tunc sua coronat dona, quàm remunerat merita nostra. Gratiæ igitur Dei est, quòd incipit in nobis vita æterna. Iterum gratiæ Dei est, quod proficit in nobis. Denique gratiæ Dei est, quòd consummatur in nobis. D. Ergo in vita æterna obtinenda nullus est respectus ad merita nostra. M. Vtique initium eius nullo modo datur nobis propter merita nostra, verùm incrementa ipsius & consummatio obtinentur, tum ex donis Dei, tum ex bonis operibus nostris, per debitum v... gratiarum, quas accepimus. Ideoque in lit... vocatur aliquando gratia, aliquando stipendium,

ad Ro. 6.

ad Ro. 6.

Vita æterna nō est stipendiū nostrę virtutis, secūdū rationem merę iustitiæ. ad Eph. 2.

1. Cor. 15.

Mat 13. 25. Marc. 4. Luc. 5. 9.

Initiū vitæ æternę pure est

ex gratia, cõsumma tio tamen eius ex ea pro meritis datur.

dium, aliquando merces, aliquando corona iustitiæ, quandocunque brauiũ supernæ vocationis. Licet enim initium vitæ æternæ merè gratuitò detur, tamen incrementa eius & consummatio, etiam nostræ bonæ actionis studio obtinentur, non tamen sine gratia, quoniã & nostra merita, dona Dei sunt: adeò vt etiã hac consideratione rectè dicatur gratia Dei vita æterna. Sed de his latiùs suo loco. Vnum dũtaxat dicito mihi. Vitam humanam quam viuis, hanc vt inciperes habere, quomodo meruisti, aut quibus actibus effecisti? D. Prius quàm haberẽ, non eram, quomodo igitur vel effecissem ego vel meruissem, vt inciperem viuere vita humana, sine qua homo dici non potui? M. Et nato, vt incrementa caperet vita tua, & grandesceres in virum quomodo factum est? D.

Aptum simile.

Partim virtutibus inhabitantis animę, partim labore & diligentia membrorum meorum. M. Quid si cessassent manus tuæ, pedes, dentes, & reliqua corporis organa? D. Iam non solùm non fuissem factus maior, sed & interijssem. M. Quod autem laborarent membra tua, ad perficiendam vitã acceptam, vnde habuerunt? nõnne ex virtutibus animæ sic incitantis & dirigentis? D. Omnino. M. Eodẽ modo, qui needum est regeneratus in nouã vitam, sed manet adhuc in morte, prorsus fugitiuus à Deo, is profectò nihil habet quo mereatur renasci in filium Dei. Renatus verò quòd iam crescat & proficiat in vita accepta, hoc partim fit virtutibus gratiæ renascentis, partim viribus liberi arbitrij, quibus bene vtitur donis à Deo acceptis. Quòd autem donis acceptis bene vtatur, hoc rursum est à vigore gratiæ intus sic excitantis, sicq; dirigentis vires nostras. Totum igitur gratiæ magis quàm viribus nostris ascribendum, tamen & viribus nostris, quia gratia nõn facit sine viribus nostris, sed nec vires nostræ faciunt, nisi per gratiam Dei cooperantis. Illa excitante, illa dirigente ac adiuuante fiunt à nobis opera Euangelicæ functionis, grata Deo, & meritoria vitæ. Iuxta conclusionem Apostoli dicentis: Itaque fratres mei dilecti stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quoniam labor vester non erit inanis in Domino, 1. Corinth. 15. Quod autẽ vita æterna cadat sub merito bonorum operum, expressè ac irrefragabili argumento demonstratur ex verbis Pauli ad Roman, 2. cap. vbi sic habet: Secundum autẽ duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera eius. Ijs qui-

1. Cor. 15.

Ex Paulo demõstratur quod vita æterna cadat sub merito. Rom. 2.

dem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honore & incorruptione quærunt, vitam æternam: ijs autẽ qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credũt autẽ iniquitati, ira & indignatio. Obserua hic diligenter voces, & deductionẽ, quibus vtitur Apost. Dicit enim: Reddet, quod est refundentis præmiũ, siue mercedẽ pro meritis. Et dicit, primo quidẽ generatim: Reddet vnicuiq; secundũ opera sua. Deinde verò speciatim: Reddet, inquit vitam ęternam ijs qui secundũ patientiã boni operis quęrunt gloriã, ergo reddet vitã æternã pro patientia siue sufferentia, quã habent in bonis operibus prosequendis. Nec secus reddet ijs vitã ęternam, q̃ alijs qui ex contentione sunt & operantur malũ, reddet damnationẽ & mortẽ. Quia reddet vnicuiq; secundum opera sua: bonis quidẽ pro benefactis vitam æternam, honorẽ, & pacẽ, malis verò pro malefactis iram & indignationẽ, tribulationẽ, & angustia, vti deductio textus manifestè ostendit. Et hæc quidẽ dicta sufficiant, de his quæ speciatim credere oportet, secundũ ordinẽ 12. articulorum, traditione Apostolica nobis relictorum, in symbolum siue signũ rectę fidei, cui subiecerunt particulam, amen, Quæ est vox sermonẽ cõfirmantis, & ratum posse esse precantis. Quẽadmodum latiùs declarabimus in fine precationis Dominicę, eò q̃ Saluator ipse vtatur ibi, multisque alijs in locis hac voce, amen.

Num & alia credẽda sint, præter ea quæ duodecim dictis articulis cõtinẽtur. CAP. IX.



D. SVnt'ne & alia credenda, præter ea quæ continentur his duodecim articulis fidei? M. Sunt, & quidem multa, de mandatis Dei, de sacramentis Ecclesiæ, de sacrificijs, & orationibus, de ceremonijs, quę per omnẽ semper floruere Ecclesiam. Verùm quoniam horum singula suum proprium tractatum habebunt, in quo demonstrabitur quatenus vnumquodq; fide sit recipiendum, ideo speciatim de fide talium hoc loco pertractare superuacaneum foret. Has autẽ, fili, quas fecimus tibi de credendis demõstrationes debes more quorundam animalium velut ruminare, hoc est, sæpius ad mentẽ reuocare. Cùm verò tẽpus erit & otium, incipiemus demõstratione de mandatis, & consilijs, ac promissionibus. Intereà autẽ mei memor esto in deuotis tuis orationibus, quia homo peccator ego sum, & non nisi magna miseratione Dei saluari potero.

FINIS.

DEMONSTRATIONVM RELIGIONIS CHRISTIANÆ EX VERBO DEI LIBER TERTIVS.

MODERATORI ET ALVMNIS PONTIFICII COLLEGII APVD LOVANIENSES, FRANCISCVS SONNIVS SALVTEM PRECATVR ET FELICITATEM.



RISCIS oraculis proditum est, doctißime Præses domus Pontificiæ & alumni, sponsionis comitem esse noxam. Spopondi autem in secundo nostrarum Demonstrationum libro, quòd propediem & reliquos exhiberem. Ne igitur omnino non bonæ fidei sponsor deprehendar, nactus paululum otij à negotiosis istis functionibus, quibus Religionis tuendæ caussa implicor, en tertium exhibeo. Quem, vt alios, differentem feci Dialogismi formæ, de ijs quibus Deus nostrum hominum genus gubernandum duxit. Vtinam bonis, quod aiunt, auibus, & ad vberem aliquam Ecclesiæ vtilitatem. Certè id in primis, id & vnicè mihi curæ fuit, vt vim naturamq; omnem mandatorum Dei, consiliorum item & permißionem dilucide ob oculos ponerem, eo demonstrandi genere, ijsq; formis ac phrasib. quæ & luculenta forent, & populari institutioni, primario harum lucubrationum scopo, quam maximè aptæ. Quibus etiamsi Rhetorum numerus, & ornatæ dictionis opulentia desint: tamen neque deesse eis veritatis astruendæ, modo quo oportet, neq; falsitatis diluendæ energiam, vti confido, ita quorundam censura persuasum habeo. At penes Ecclesiam Dei, cui me in omnibus meis dictis ac scriptis perlibenter submitto, vestramq; omniũ circumspectionem, iudiciũ esto. Quoniam autem fœda res est ἀχαριστία, placuit hoc opusculo, qualecunq; illud est, velut specimine quodam, animi nostri gratitudinem erga insigne illud vereq; Pontificium collegiũ beatißimi patris ac domini nostri Hadriani sexti testatam relinquere. In quo vnà tecum, domine Præses, alumnus fui, vnà tecũ diuinarum institutionum fluenta hausi, vnà disputationes sacras indagandæ veritatis studio pertractaui: idq; sub moderatione præstantißimi viri Tilmanni Clerici, cuius pectus niue candidius, oculi, lingua, mores deniq; omnes nihil præter pietatem, nihil quàm hortamenta ad Euangelicam disciplinam probè inbibendam spirabant: te quidem id genus studij incipiẽte, me verò inter emãcipãdos annumerato. Mirũ sane quantopere tũ certatim & Præses cũ alumnis, & alumni cum suo Præside discendi beneq; viuendi studio flagrabant, vel vnius Hadriani fundatoris beneficentia simul & exẽplo accensi. Qui præter id quod ædes, prouẽtus, mensam & impẽsas eius omnia sumptu perenni magnifica, omnia ad otium negotiumq; Theologicum, accommodatißima donaret, etiam raræ cuiusdam & admirandæ virtutis limpidißimũ nobis speculum reliquit, viuis ac varijs sanctarum functionũ imaginibus oppidò quàm refertũ. Nam Louanij & gemma sacerdotum fuerat & decus Theologorũ, & insigniũ operum suæ professionis auctor eximius. Cur enim quòd cunctis prælucere debet, reticebo? Aut quod boni est clientis non præstabo. Hinc verò accitus in aulam Caroli quinti, illiusq; adolescentiæ formandæ delectus, tanta moderatione vixit, sicq; insidentia naturæ cupiditatẽ, ambitionem, philautiã, & id genus alios rectæ actionis hostes prostrauit, vt inter aulica auocamenta, quod phœnice rarius est, sui imperator strenuus, immo planè inuictus permaneret, rei exitũ testem interpono. Exinde autem in Hispanias destinatus, pacandi gratia quæ in tantis regnis cõturbata nuntiabãtur, sua animi fortitudine ac prudentia, oris insuper suauiloquentia adeò feliciter eam legationẽ peregit, vt non potuisset alius aut accuratiùs, aut in rẽ Cæsaris fortunatiùs. Porrò donatus infula Darthusensis Ecclesiæ, mox viscera Euãgelica patefaciens ad omnes, & præibat ante gregẽ Dominicũ vt pastor, & pascebat vt pater, cùm exemplo tũ doctrina, quinimmo iuxta vtrisq;. Singulisq; ordinibus Ecclesiæ sedulo intendens singulos purgabat, singulos ad officiũ cogebat, curã gerens omniũ haud secus atq; sui. Dici enim Antistes, vel Præsul, aut ἐπίσκοπος omnino nolebat, nisi & rei exhibitione talis esset. Iuxta illud vetustæ sophiæ prouerbium, Ne quod eße differs, dici gaudeas. Quibus virtutib. rapuit in amorẽ sui ac venerationẽ non solum Hispaniarum proceres, verũetiam Leonem decimum singularis prudentiæ virũ, a quo & in purpuratũ Cardinalitij muneris ordinẽ coaptatus est penè inuitus, ac deinde in locũ eiusdẽ Leonis defuncti Pontifex maximus omniũ calculis designatus. Ad quod rerum fastigiũ dũ eßet sublimatus, & magna magno, & ardua summo pertractabat animo, nullam non adhibens curam, quò laboranti Ecclesiæ illico suppetias ferret in resarciendis quæ abusibus hæresibúsue discissa; in stabiliẽdis quæ lapsui proxima erat: dũ hæc in recõciliandis Principũ animis, in Oecumenico concilio Ecclesiæ parando, in [illegible] b. de [illegible], quibus exurgeret spes læta, pijs, impijs verò pudor & resipiscẽtia. Nec inter hæc tãta, destitit ad hanc regunculam

gunculam

giunculam consuetæ suæ beneficentiæ obtutu respicere donec nouo collegio Theologicæ institutionis, eoq; amplo & per celebri Academiam [illegible] Louaniensem au[illegible]em reddid[illegible], fecundiorem illustriorem. Magna profecto viri p[illegible]tas, quæ nec angustijs premi, nec prosperitatis successibus vnquã solui potuit. Felix item eruditio, quæ pla[illegible]do sub pectore paulatim in eã excreuit sapientiam, qua quod esset consecutus vllis aut naturæ aut gratiæ dotibus, non sibi, sed Deo, sed Ecclesiæ, omniumq; necessitati seruire voluit. V[illegible]q; tanti Mæcenatis alumni, alioris ve[illegible] vestigijs firmis progressibus insistite, & vni virtuti ac studijs sacris sedulò incumbentes, quod Dei atque illius beneficio aut estis nunc, aut eritis postea, eius quoque exemplo totum Christo, totum Ecclesiæ, totum patriæ impendite, modis omnibus, potissimùm autẽ in rectæ fidei d[illegible]trina stabilienda. Nam is finis est Theologicæ vestræ, qua fruimini, educationis. Eam quoq; ob causam [illegible]as lucubrationes vobis nuncupandas duxi, quo promptiũ sit & ex illis discere qualia populum Christi populari modo, & rudi quadam Minerua docere conuenit, argumentis non aliunde, quam ex verbo Dei petitis, cuius solius tribunal nemo hoc seculo non appellat: studione pietatis inueniendæ, an potius libidine nouandi omnia, haud obscurum existimo. Hæc itaq; nostra vobis omnibusq; in lucem prodeunt, vt excitatis circa fidem dissidijs obuiam eatur vel hoc pacto quantũ fieri potest. Quæ si munusculi rationem non attingant, saltem symbolum gratitudinis nostræ erga Collegium, propensionis verò erga vos omnes sunto. Valete, & Sonnium obsequio, amore, beneuolentia vobis deditissimum vicissim deuotis vestris precibus adiuuate. Vltraecti Nonis Iunij 1557.

Franciscus Sonnius.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS PRIMI.

Cvr Deus duxerit hominum genus gubernandũ præceptis, consilijs, exemplis & permissionibus. Cap. I.
De illo Saluatoris, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Cap. II.
De illo Ecclesiastæ, Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Cap. III.
Quantam amicitiam cõciliet cum Deo & Christo domino, obseruatio mandatorũ Dei Cap. IIII.
Qua ratione obseruatio mandatorum Dei sit consummatio incorruptionis. Cap. V.
In obseruatione mandatorum esse scholam veræ scientiæ veræq; pietatis. Cap. VI.
De maledictionibus quæ superuenient in præuaricatores mandatorum Dei. Cap. VII.
Meritò ac iustè hæc præcedentia infligi etiam pro vna vnius mandati trãsgressione Cap. VIII.
Non est mirum pro momentaneo actu peccati infligi pœnam perpetuam. Cap. IX.
Mandata Dei non esse grauia, tantum abesse vt sint impossibilia. Cap. X.
Regnũ Dei non posse cõstare sine mandato. Ca. XI.
De certo modo quo oportet seruare mandatum ad fructum salutis æternæ. Cap. XII.
Qua ratione tractabitur de præceptis Decalogi, & quid sit Decalogus. Cap. XIII.
Quomodo data sunt decem præcepta tempore legis. Cap. XIIII.
Cur decẽ præcepta vocentur decẽ verba. Ca. XV.

TRACTATVS PRIMVS.

Cur Deus duxerit hominum genus gubernandum præceptis, consilijs, exemplis, & permissionibus. CAP. I.



Ropensa in nos diuinæ bonitatis M.
miseratio, ne hominem, quem mẽte & arbitrio liberum condiderat, iam lapsum, iam læsum, iamque sensu & cogitatione procliuem in malũ, omnino perderet, operæpretium duxit, eundem præceptis, consilijs, exemplis, permissionibus, velut freno quodam, nunc stricto, nũc laxo dirigendum, ac in officio continendum. Dedit itaque ei mandata agendi, mandata insuper vitandi, quæ agere, quæque vitare oportuit, varia quidem pro varia nascentis senescẽtisque mundi qualitate, quò sic ab ijs quæ exitium, ad ea quæ felicitatem adferunt, pertraheret. Mandatis etenim non præscribitur, sed nec præscribi potest, nisi virtutis operatio. Nec his contentus Deus superaddidit saluberrima consilia non pauca, quò dilucidè cõstaret de medijs expeditè peragendi, quod mandato iniunctum erat. Adhæc voluit semper, et ab ipso mũdi exordio inter homines esse viua quædam specula, eorum, qui inoffensè cucurrerunt viam mandatorum Dei sui: ne quis diceret, Ego quomodo pertransire poterotã arctam, tamq; arduã viam? Homo sum, puluis sum, & cinis terræ, rebus egens, virib. impotens, ingenio tenui. Nã & illi fuère homines sicut tu, carne & infirmitate circundati, haud secus atque tu, [illegible]cum vitam degentes in eadem hac lacry[illegible]ũ valle, & eadem regione vmbræ mor[illegible] [illegible]er pensis autem nostris lapsæ naturæ [illegible]tu[illegible]is incli nationibus, vt est misericordiarum dominus, seue[illegible]tatem etiam su[illegible] [illegible]erauit permittendo nonnulla [illegible]nibus, siue indulgendo, alia ad duritiã co[illegible], alia vero alia de caussa: ne videretur voluisse magis conquassare fragilia nostra

ſtra vaſcula, q̃ cõſolidare. De quib. omnibus ſtatui nunc Demõſtrationem exordiri, ad Dei omnipotentis gloriam, tuam verò inſtructionẽ, ac aliorum, qui forte poſteà hunc noſtrum Dialogiſmum legent, progredientem ſimplici quidem ſermone, ſed firmo, ſed pio, ſed virib. veritatis inuicto. Principiò autem faciemus demonſtrationem de mandatis, deinde de cõſilijs, potiſſimùm Euangelicis, tertiò de exemplis & permiſſionibus. Tu fili, in omnib. ſicuti hactenus fuiſti, diligens & attentus eſto. D. Quin potiùs priorem diligentiam duplicabo neruoſque omnes, & meipſum, quantus quantus ſum, attentiſſimè intendam.

De illo Saluatoris. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. CAP. II.

M. Vita quid amabilius? Morte quid horribilius? D. Nihil. at quid cõſilij, vt vitam, ſuperata morte retineam? M. Scripturis ſacris clarè demõſtratur: nec mortẽ ſuperari nec vitã poſſe haberi ſine obſeruatione mandatorum Dei: Si vis, inquit, Saluator, ad vitam ingredi, ſerua mandata. Quod cõſilium, vt eſt breue in verbis, ita ſtringit fortiter neceſſitate illationis. Quia ſi nõ obſeruas mandata dñi Dei tui, vitam non attingis. Scio, inquit Chriſtus, quia mandatum eius vita æterna eſt. A cõtrario igitur ſenſu, vbi præuaricatio mandati, ibi non eſt vita æterna. Porrò vbi non eſt vita æterna, ibi nec vera vita: quare nec vita, ſed potiùs mors quædam q̃ vita. Vnde ſtudioſè aduertendum eſt, non dici à Saluatore. Si vis ad vitam æternam ingredi: ſed, Si vis ingredi ad vitam, ſine addito, ſerua mandata: quaſi nemo viuat, aut vitam habeat ſine obſeruatione mandatorum Dei. D. At puto ego Saluatorẽ intelligere iſtud de vita æterna, quam repoſitam habemus in cælis. Nam adoleſcens quærebat de illa, dicẽs: Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? M. Quærit ille de vita æterna: reſpondet tamen Chriſtus de vita ſimpliciter, & ſine addito, ſuo more eleuando quæſtionem, vt inſinuet vnum ac idem eſſe in ſubſtantia vitam abſolutè, vitam veram, vitam ſecundum virtutem, vitam diuinã, vitam ęternam. Sicut enim verum, & ens, conuertibiliter idem ſunt, ſi enim verum non eſt, ens eſſe non poteſt: ſic vita, & vera vita non ſeparantur: Si enim non eſt vera vita, ſed ſimulata, ſed fluxa, & ad modicum parens, non vtiq; vita; ſed vapor, ſeu defectio in mortem dici debet. Vera autem eſſe non poteſt, niſi ſit diſpoſita ſecundum virtutem: ſecundum virtutem, inquam, quæ procedit ex fide per dilectionem operante. Virtus autem & veritas actionis verſantur circa idem. Quod verò ſecundum virtutem eſt, hoc, modo quodam, & diuinũ eſſe debet. Deus enim virtus eſt, induens & præcingens hominem virtute ex alto. Quod autem Dei eſt, & diuinum, hoc indubiè & æternum eſt. Quia æternus Deus, & omnia quę illius ſunt, æterna ſunt. De quo aliàs latiùs. Ergo ex hac ſubtili reſponſione Saluatoris diſce fili, te non habere vitam, niſi ſis probè ordinatus ſecundum virtutem, hoc eſt, iuſtè, & ſanctè viuas. Virtus autem prima & præcipua eſt debita obedientia iuxta ſententiam Samuelis dictis ad Saulem: Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quàm victimæ: & auſcultare, magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Et ſi bene obſerues dictam ſententiam Saluatoris, videbis obedientiam in ſeruandis mandaris Dei, eſſe vnicam, veriſſimamq́ue viam ad vitam veram vitamq́ue ſanctam: vt habeant eam, & abundantius habeant, ad vitam inſuper diuinam, vitam æternam, vitam denique cæleſtem: adeò vt niſi obſerues mandata, non pateat tibi ingreſſus, ne ad eam quidem, quam meritò appellare vitam licet, quia non ad vitam veram quæ ſecundum virtutem eſt. D. Iſtud incredibile apparet. Nunquid enim ſtatim qui præuaricatur mandatum, cadauer eſt, & pabulum mortis? M. Immo veriſſimè pabulum mortis: quia mors depaſcit eum, vt inquit Pſalmiſta. Statim enim poſt præuaricationem, incipit mors depaſcere paulatim quidquid eſt veræ viuacitatis & vitutis in te. Si non mihi, ſaltem Scripturis crede, quæ ſic habent, Peccatũ cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Homo per malitiam occidit animam ſuam. In quocunque die comederis de ligno ſcientiæ boni & mali, morte morieris. Vnde Apoſtolus breui ſententia concludit, dicens: Stimulus autem mortis peccatum eſt. Et quid quæſo aliud peccatum, quàm mandati præuaricatio? Igitur præuaricatio legis aculeus eſt, ſiue ſtimulus mortis, ſua plaga animam interimens, ſicut cuſpis hoſtilis feriens ad interiora hominis, occidit. D. Scripturis iſtis non poſſum non credere. Verùm qua tandem ratione mortuus dicitur, qui pręuaricatur mandatum, cùm interim ſpiret & reſpiret, ac ſingula officia vitæ exerceat? M. Sicut anima eſt vita corporis, ſic vita animę eſt ſpiritus Dei dãs ei eſſe quoddã diuinũ, ſuoq; vigore int'in generãs vitã verè æternã, diuinæ naturæ conſortem, De quo latiùs diximus ſuprà. Verùm anima non animat corpus, niſi quamdiu in ipſo manet debita humorum & qualitatũ pro-

Obſeruatio mandatorũ Dei eſt via ad vitam.
Ioann. 12.
Quid vita hoc loco.
Matth. 19.
Vita vera, vita virtutis, vita æterna, quo modo vnũ ſunt, & idẽ in ſubſtantia.
1. Cor. 1.
Luc. 24.
Pſalm. 17.
1. Reg. 15.
Pſalm. 48.
Iacob. 1.
Ezech. 18.
Geneſ. 2.
1. Cor. 15.
Sicut anima eſt vita corporis, ita ſpiritus Dei eſt vita animæ.
2. Petr. 1.

proportio. Similiter & Spiritus sanctus non viuificat spiritum hominis, nisi quãdiu consistit in ordine ad legem æternam, eum quadã proportione virium inferiorũ ad rationem. Tolle tẽperaturam corporis per vulnus, aut morbum, statim animam migrare cogis cum omni sua viuacitatis operatione. Tolle per in obedientiam subiectionẽ hominis ad legem Dei, mox se recipit in suum principium spiritus Christi, cũ omnib. charismatibus viuificantis gratiæ: nec manet vltrà in te nisi corporea quædam vita, sine ordine confusa, lethali vulnere saucia, iusto Dei iudicio subiecta legi mortis, quæ iam operatur in te quasi exordiũ imperij sui, depascens quid quid est boni meriti & gratiæ, qua viuebas in Deo, & secundũ Deũ.
Rom. 5. Statim enim vbi prǽuaricatus fueris mandatũ Dei tui, properat in te magnum satellitium mortis, error, caligo mentis, opinionum illu-
1. Ioan. 3. sio, falsa tui de te existimatio, pruriens in malum affectus, praua cupiditas, defectus virtutum, passionum pugnǽ, iniquitas, instabilitas, & certa diuisio inter Deum tuum, & te, seruitus iniquitatis ad iniquitatẽ, & totius esse an-
Hebr. 8. tiquatio: quod autẽ antiquatur, teste Apost. prope interitum est. Et hæc vbi adsunt, nonne ibi vmbra potiùs, falsáq; imago viuẽtis, quàm vera vita? Et pabulum mortis potiùs, quàm viuendi subsistẽtia? Qualia indubiè te captiuant etiam si nescias, suisq; funibus trahunt in interitum, donec absorpta fuerit in damnationẽ
Psalm. 48. omnis naturæ tuæ viuacitas, virtus & perfectio. Iuxta illud Psalm. Mors depascet eos. Si nunc quæris quæ mors depascet eos. Mors, dico, animæ, mors corporis, mors prima, mors secunda, mors in mente per caliginẽ, mors in affectu per malitiam, mors in omnib. viribus, mors in omnib. circunstantijs, vt tandem fit mors intus, mors foris, mors ante, mors retro, & nusquam appareat neq; circa te, neque in te, nisi inextricabilis dominatio mortis. Viuunt quidẽ damnati apud inferos secundum subsistentiam naturalem, sed sub pleno dominio mortis & miseriarum. Nec omnino dissimiliter in hoc mundo prǽuaricator mandati viuit quidẽ vitam naturǽ: attamẽ sub lege peccati ac mortis, & funibus iniquitatum, quib. paulatim trahitur captiuus ad interitum dam-
Matth. 25. nationis. Hoc tantùm interest. In hoc mundo
2. Thess. 1. quamdiu spiramus & respiramus, spes est resuscitationis per Christum, eiusq; Sacramenta. In inferno autem nulla est redemptio, sed abyssus quædam damnationis, in flamma ignis dantis vindictam & ijs qui non nouerunt Deum, & ijs qui nõ obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas. D. Horrendum ꝙ dicis. M. Horrendum magis ꝙ fiet, nisi sequaris breue hoc, & expeditum cõsilium Saluatoris, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Est autẽ seruare, custodire rem ne perdatur, aut in se pereat. Non igitur audias solùm mandatum Dei, neq; discas tantùm, sed serua, hoc est, custodi in scrinio memoriæ tuæ, in meditatione cordis, in exercitio operis. Serua, inquam, nõ quidem notitiam tantùm, siue scripturam mandatorum, sed ipsa mandata, hoc est, ea, quæ tibi per imperium domini Dei tui præcepta sunt: Vt ꝙ prǽscriptũ est mandato, & eo sanè modo quo prǽscriptum est, opere cõpleas. — *Mandati seruandi interpretationis epilogus.*

De illo Ecclesiastæ. Deum time & mandata eius obserua, hoc est, omnis homo. CAP. III. — *Ecclesiast. 12.*

NOnne valdè decorũ est, & pulcrũ, M. Digito mõstrari, & dicier, hic est, in quo cumulant sese quæcunq; in hominẹ meritò desiderari possunt? D. Non solùm decorum hoc, sed & eligibile supér omnia. At quid obtinebit? M. Posse id obtineri vel sola obseruatione mandatorum Dei, sacra eloquia clarè demõstrant. Nam Eccles. cõcludens suum librum sic inquit: finem loquendi pariter omnes audiamus. Deũ time & mandata eius obserua: hoc est omnis homo. D. Ceterùm quid hoc obseruatio mandatorum Dei, est omnis homo? Phrasim hanc nõ intelligo. M. Sẽsus est: in hoc vno cõsistit esse, & bene esse, virt' & officium vniuscuiusq; qui verè hominẽ agit, per hoc initium, in hoc finis traditionis Euangelicæ: hinc enim incipiunt, hucq; recurrunt oĩa tam cõsilia Christi, ꝙ sanctorum, vt sit in nobis spontanea & exacta obseruatio mandatorum Dei nostri. Finis consiliorum præceptum: finis verò præcepti caritas. Qui autem manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo: quia Deus est caritas. Quem scopum qui attingit, is habet quæcunque ad hominis dignitatem pertinẽt, hoc est, cuncta quæ in homine coram Deo & Angelis eius, alijsque cordatis viris meritò desiderari possunt, in quocunq; agat genere vitæ, & quã libet obscurus sit, miser aut abiectus. Sicut enim Paul. dicit, Circuncisio nihil est, & prǽputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. Sic dici potest de titulis honorum, & iactantia diuitiarum, & ceteris eiusmodi, quod nihil sunt. Porrò Deum timere, & mandata eius obseruare, hoc est omnis homo. Quod alius interpres reddit paulò lucidiùs dicens: Deum timeto, & mandata eius obseruato: nam in hoc cõsistit omnium hominum perfectio. Quasi diceret, Quæcunque libris scripta sunt, alijsque innumeris libris scribi possunt, comprehenduntur sub vno illo, nempe Dei timore, & eius mãdatorũ obseruatione. — *Persius. / Eccles. vl. / Finis consiliorum præceptũ, finis præcepti caritas. / 1. Timo. 1. / 1. Ioan. 4. / 1. Cor. 7. / Omnia nihil si non adsit obseruatio mandatorum Dei. / Eccles. 12.*

Quantam amicitiam conciliet cum Deo & Christo Domino obseruatio mãdatorũ Dei. CAP. IIII.

M. ADhæ, iuncta cum Christo Domino amicitia, nónne res est permagni momenti? D. Maximi. Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominib. in quo oporteat nos saluos fieri. M. Rectè. Ipse enim factus est nobis sapiētia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Ipse Alpha & O, principium & finis. Audi igitur quid dicat ad Apost. suos, quos sibi de mūdo elegerat. Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis quę præcipio vobis. Nō quidem in hoc amici, si sciueritis aut credideritis quæ præcipio vobis, sed si feceritis. De mandatis virtutibusq; loqui minimum est: at mandatum implere, virtutibusque vti, hoc fœdera iungit æternitatis cū eo, qui super omnes est. Magna res, diadema regium, maior sacerdotij dignitas, & ingens pondus habet maiestas imperialis, porrò ter maxima Apostolicæ sublimitatis functio. Attamen, inquit Saluator, Vos Apostoli, vos dico, amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. q.d. alioqui minimè. Igitur ego, tuque ô fili, quid de nobis præsumere audebimus, si illi post tantam cum Christo consuetudinem, post mundi contemptū, post miracula, post Apostol. functionem audiunt, Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, aliàs minime? Certè igitur demonstratione constat non conciliari cum Christo amicitiam sine obseruatione mandatorū Dei.

Act. 4.

1. Cor. 1.

Ioann. 15.

Errant qui omnia referunt ad nudam credulitatem

D. Quàm errant igitur, qui cuncta referunt ad nudam credulitatem, dicentes, Tātum crede, & saluus eris. M. Errant sanè isti toto, ꝙ aiunt, cælo, non intelligentes neque scripturam, neque vim aut ordinem diuinę operationis: sed de his satis superque disseruimus lib. I. D. Memini. Hoc tamen cupio audire, quàm specialem quamque arctam conciliet cū Christo amicitiam, vera & ex corde spontanea obseruatio mandatorū Dei. M. Respondet Christus, dicens, Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cęlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Quasi diceret, Tam mihi carus est, q̃ si germanus esset frater, congenitaque soror, & quod his maius est, quàm fide suis me viscerib. genuisset, essetque mater: eodē vtique honore sublimandus quo illi, & eadem ditandus gloria qua illi. Ipse mecum in Deo, & Deus mecum in illo: nō minus quàm si esset soror, aut frater secundum carnem, immo magis: quia etiam quidam de fratrib. Christi nō crediderūt in eum. Qui autem incredulus est filio vitam non videbit: tantum abest vt possideat. Iterum quàm iungat arctam amicitiam, patet in Exodo, vbi dicitur, Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea enim est omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Adde quod multo mirabilius est. Si quis diligit me, inquit Saluator, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Veniemus sanè ego, Pater, & Spiritus sanctus. Nec veniemus solùm, sed & manebimus apud eum, facientes mansionem in eo. Qui autem habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Quibus adiungit Ioannes Apost. dicens, Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, scilicet alicuius præuaricationis, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. D. Deus bone, tantámne conciliat amicitiam, cum Deo, custoditio mandatorum eius?

Matth. 12.

Ioann. 7.

Ioann. 3.

Exod. 19.

Ioann 14.

1. Ioan. 3.

Qua ratione obseruatio mandatorum Dei, sit consummatio incorruptionis CAP. V.

M. Vt ipse nosti nihil esse perpetuū sub Sole. Habet enim vnaquæque res suas tineas, atque inest cunctis semen quoddam corruptionis, & in deficiēs miseriarum vicissitudo, neque vnquā in eodem statu permanet homo. Immo quot momentis viuimus, tot passibus ad interitum properamus. D. At quis euitabit? M. Modum euitandi clarè nobis demōstrat verbum Dei, Spiritus sanctus per os Sapientis pronunciat hoc pacto, Custoditio legum, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit proximum Deo. Ecce non solùm incorruptio acquiritur per custodiam mandatorum, sed & incorruptionis consummatio, quæ est ipsa incorruptibilitas, cum dono plenitudinis gloriæ. Nam transit quidem mundus, & omnis concupiscentia eius: qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum. D. Quid ergo dicemus de sanctis Dei hominibus, nostris quoque progenitoribus, qui post bonā, exactamque obseruationem mandatorum, multa passione consumpti sunt, & eorum caro patitur corruptionem? M. Hoc ipsum quod dicit Apostolus, Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momētaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantib. nobis quæ videntur, sed quæ nō videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Hæc ille. Vt autem penetres mysterium, scito ꝙ homo sit duarum partium cōpositio, corporeæ scilicet molis, & viuificantis animæ: illa est terrenę mistionis sensibilis massa, & vocatur a Paulo noster homo qui foris est. Hęc autem

Iob 14.

Ratio corruptionū effugiēdi. Sap. 6.

1. Ioan. 2.

2. Cor. 4.

autem mente habet, & imaginē in se gerit viuentis dei, vocaturq́; ab Apost. homo qui intus est. Ceterùm homo qui foris est, vti videmus, corrumpitur per morbum, vertiturque in putredinem per mortē. Homo verò qui intus est renouatur de die in diem, donec quod perfectū est attingat, tantum abest, vt corrumpatur. D. Nō bene intelligo. Nā si tā homo qui foris est, quàm is qui intus, pars est hominis custodientis legē Dei, & custoditio legis est cōsummatio incorruptionis, quomodo igitur pars altera videt corruptionē, altera verò renouatur de die in diem? M. Iā audies ex Paul. rationem diuersitatis, Ego ipse, inquit, mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati. Cōdelector enim legi Dei secundū interiorem hominem. Video autem aliā legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mēbris meis. Ex quib. verbis Apost. inferre licet, ꝙ iustus mente seruit legi Dei, & eidem eōdem sectatur secundū interiorem hominē, adeoq́; adhæret Dño, vt vnus fiat spiritus cum Deo, vti ad Cor. habetur. Ideoq́; insundunt sese in spiritum eius deiformis vita, fortitudo triūphans de mundo, virtus & incorruptio: ut tātum vt neque mors, neque tribulatio, neq́; angustia, neque principatus, neque sexcenta malorum millia possent perdere ea quæ in interiori sunt homine incorruptibilitatis semina nisi forte ipsemet sua spōte se subtraxerit ab obedientia mandatorū Dei. Quemadmodū pulcerrimè ostendit Apost. ad Rom. cap. 8. ac alijs multis in locis. In carnem autem hæc eadem sese nō infundūt neq́; infundere possunt. Quia indesinenter resistit caro spiritui, & seruit cōtinuò legi peccati, eiusq́; sapientia inimica est Deo: legi enim Dei nō est subiecta, neq́; enim potest. Hinc est ꝙ mirabili dispensatione Dei, dominentur in corpora electorū, quàuis sanctè viuant, fames, ægritudo, elementa, gladius, & omnis deniq́; mortalitatis passio: in spiritū autem nihil dāni inferūt, neq́; inferre possunt. Immoquò plus oppugnant illa, eò magis roborātur purganturque spiritalis hominis affectiones, vt vbiq́; testatur scriptura: maximè ad Rom. 8. dicens, Scimus quoniam diligentib. Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundū propositum vocati sunt sancti. Hinc rursum est, ꝙ quidquid procedit de vilectib. carnis, etiā in sanctis Dei hominib. fœtor est, & corruptionis putredo. Quidquid autem paric de se spiritus sanctificatus per organa operationū, spiracula sunt vitæ, veræq́; virtutis odoramenta. Quia autem ad finem vsque perdurat hæc rebellio carnis aduersus spiritum, & legem Dei, ideo etiā post mortē relinquitur sibi caro suo malo studio reuoluenda in natiuum, vnde desumpta erat principiū, cinerem scilicet terræ nascentis. Ex quo tamen principio iteratò colligenda erit in illa die, virtute Christi, qua potens est subijcere sibi omnia, vt inquit Apost. vt sit salus ex Deo, & nō glorietur cōtra Deum omnis caro. Atque tunc demum corpus quod seminatū fuerat in corruptione, surget in incorruptione: quod seminatū fuerat in ignobilitate, surget in gloria: quod seminatum fuerat in infirmitate, surget in virtute: quod seminatum fuerat corpus animale, surget spirituale. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria. Et erit ꝙ diximus, Custoditio legum, cōsummatio est incorruptionis: incorruptio autē proximū facit Deo. D. Iā intelligo.

Sapien. 6. Rom. 7. 1. Cor. 6. Rom. 8. Galat. 5. Rom. 8. Roma. 8. Genes. 18. Iob. 7. Iob. 19. Philip. 3. 1. Cor. 15. Ozeæ 13.

In obseruatione mandatorum esse scholam veræ scientiæ, veræq́; pietatis. CAP. VI.

Omnis homo scire desiderat, nec te puto alienum esse à communi lege nascentium. D. Alienus essem? Bone Deus quantum insumpsi olei, quot verso libros, quot noctes duco insomnes, tantùm vt sciam, & intelligam. M. Ecce Psalm. tibi demōstrat certissimam veræ scientiæ scholam, dicens: Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua, meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua exquisiui. Hanc dico ob caussam, quia studui in volumine legis diuinæ, sedulò meditando in mādatis Dei, & perquirendo quæ sit voluntas eius bona, beneplacens, & perfecta, datus est mihi intellectus veritatis, & scientia vitæ, super inimicos meos, super senes venerandos, quod amplius est, super erudita magisteria eorum qui me docuerant, nedum super coætaneos meos. Nolo hic tibi aliud citare pro argumento demonstrationis, quàm Psalmum Dauidis qui incipit: Beati immaculati in via. Illum lege, & relege vel decies, & tum videbis, quantum, quamque magnifica tribuat Psalm. obseruationi mandatorum Dei, tumque incipies per Dei gratiam facere, & dicere cum Dauide: Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia ipsis viuificasti me, in ipsis vera sapientia, in ipsis æquitas, & iustitia: in ipsis denique retributio multa. Quapropter sicut in argento viuo omnia supernatant, solo auro in fundum subsidente: ita merito in pectore hominis Christiani cuncta deberent supernatare: sola autem meditatio legis diuinæ, eaque iugis ad imum fundum descendere.

Psal. 118.

De maledictionibus quæ superuenient in præuaricatores mandatorum Dei. CAP. VII.

Si im-

M. I improperent maleuoli,& subsannent dicentes: Manda, remanda, manda, remanda, præceptum hic, præceptum ibi, Quid semper de mandatis? Respondebis tu exprobrantibus tibi verbū hoc, Quoniam maledicti qui declinant à mandatis tuis Dñe. Contritio & infelicitas in vijs eorum. Et spes eorum tanquā lanugo est, quæ à vēto tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur. Audi, precor, quantas congerat Moyses maledictiones in eos qui præuaricatores sunt mandatorum Dei. Quòd si audire nolueris inquit vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mādata eius, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledict' eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. D. Hæc legi aliquādo. Verùm quid propriè sit maledictio needum intelligo. M. Maledicere est malū in aliquem dicere, aliquando enuntiatiuè, aliquando cum imprecatione. Maledicuntur à Deo, qui male audiunt à Deo siue in quos malum dicit Deus, vel per semetipsum, suoque proprio ore, vel per Proph. suos, Episcopos, aliosq; electos veritatis concionatores. Vnde quidquid mali nunciatum est contra præuaricatores legis Dei, per omnem totius Scripturæ traditionem: quidquid item per viuam voce imprecatum est ab ijs, qui locū tenent Dei in terris, totum pertinet ad maledictionē Dei. D. Verbalem scilicet: At verba in aërem volant, quem vbi loquentem fecerūt, vim suam perdunt, abeuntq; in nihil. M. Sic esse potest in nostra hominū maledicentia. Ceterùm vox Dñi in virtute, vox Domini in magnificētia, inquit Psal. Certum itaq; habe ꝙ quemadmodum dicere Dei, & facere q̄ minime distant, Dixit enim & facta sunt: ita & maledicere Dei semper efficax est, & fecundum, desese producens pondus malorum, & plagarum vndas. Quòd si non statim, & eodem quidē momento post demeritū euenerit, exclamemus: Misericordiæ Domini, misericordiæ Domini quòd nō sumus cōsumpti in iniquitate nostra. Porrò si quis contemnit, vt inquit Paul. diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis, aut ignorat, quoniā benignitas Dei ad pœnitentiam adducit, is secundum duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: quoniam ira, & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, hoc est, præuaricantis mandatum Domini Dei sui. vtque solet opprimere exundans rempestas maris, cùm procellarum montib. rapit insulas, nullum relinquēs earū vestigiū, sic tandem veniēdo veniet vis maledictionis diuinę, rapietq; præuaricatores mandatorum suorum, atque in puncto ad inferna transmittit. Ne quis autem paruifaciat maledictiones Dei pronuntiatas per Moysen famulum suum, addit Proph. dicens: Quoniam qui malignantur exterminabuntur. Sustinentes autem Dñm ipsi hæreditabunt terram. Si autem quæras, per quem exterminabuntur? Indubiè per Christum. Dicit enim Ioannes: Quoniam accepisti Dñe virtutem magnam exterminandi eos qui corruperūt terram. D. Scio quòd exterminare, sit extra terminos protrudere, sicut eliminare est extra limites ponere. Verùm, qui sint termini isti, extra quos per Christum protrudentur præuaricatores mandatorum, prorsus non intelligo. M. Sunt extrema siue fines diuinę maiestatis diuinæ gloriæ, diuinæ dulcedinis, consolationis, propitiationis, diuinæ denique bonitatis, ac influentiæ, extra quæ protrudentur malignantes & præuaricatores mandatorū, quantum existentia naturæ patitur, quam vtique naturam Deus in eis conseruabit: magis sanè ad suæ iustitiæ manifestationem, quàm ad solatiū illorum, adeò quòd non attingent vltrà, ne extrema quidem diuinæ maiestatis, aut gloriæ, aut dulcedinis, aut consolationis, aut propitiationis, sed clausæ eis erunt, portæ vitæ, mœniaque cælestis Hierusalem inaccessa. Quia exterminator Angelus gladio flammeo custodit ea. Et tunc erit quod suprà diximus, Mors depascet eos. Tunc quoque accipiet armaturam zelus altissimi, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum suorum. Nam pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos, positos iam extra terminos gloriæ suæ, propitiationis suæ, ac saluationis suæ. Vt autem summatim dicam: pars illorum, qui nō obediunt mandatis Dei, erit maledictio, plaga, anathema, exterminiū, mors prima, mors secunda, supplicium æternum, desolatio extrema, supplantatio sub vniuersam creaturā. Si quæris quo in loco? Respondet Ioan. Apos. In stagno ignis & sulfuris. Respondet insuper Iob: In terra tenebrosa, & operta mortis caligine, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Respondet denique Euangelium: In gehenna ignis, in igne inextinguibili, in igne æterno, in tenebris exterioribus, vbi erit fletus, & stridor dentium. Vbi vermis eorum non moritur, addit Propheta, vbi nulla est redemptio. His enim epithetis explicat Scriptura magnitudinem damnationis venturæ, in

Psal. 18. Psalm. 118. Psalm. 13. Sapien. 5. Deut. 28. Vnde icti ones legis transgressores mandatorum Dei. Maledicere quid sit. Quam sit efficax maledictio Dei. Psalm. 28. Dicere Dei est simul facere. Maledicere Dei sem per est efficax. Roma. 2. Iob. 21. Psalm. 36. Apoc. 11. Quid exterminare Quomodo exterminabuntur præuaricatores mandatorum. Sapien. 5. Epilogus. Apoca. 9. Iob. 10. Matth. 3. 25. 18. Esa. 66.

omnem animam præuaricantis mandatum omnipotentis Dei.

Meritò ac iustè hæc præcedentia infligi, etiā pro vna vnius mādati trāsgreßione.

CAP. VIII.

D. Haeccine tam horrēda infliget misericors Deus pro vna vnius mandati transgressione? M. Nihil verius, nisi per pœnitentiam diluas culpam. Certissima enim est sententia Iac. dicentis: Qui offenderit in vno, factus est omnium reus, hoc est, quo reatu obligatur, & ad quam damnationē mortis ille qui plura, & sæpius transgressus est, eodem reatu, & ad eadem mortis damnationem obligatur is qui offendit in vno solo, & tantùm semel. Grauius tamen suppliciū porrabit qui in pluribus, aut sæpius offenderit, iuxta quantitatē delictorum suorum & munerum: vt vnusquisque recipiat prout gessit in corpore suo. Omnes tamen & qui offenderunt in vno, & qui in multis, & qui semel tantùm, omnes dico, maledicti sunt: quia declinant à mandatis tuis Domine, omnes exterminabuntur, mors depascet omnes per supplicium ignis inextinguibilis. Quod tamen intelliges, nisi condignam in hac vita egerint pœnitentiam. Secundò intelliges de perfecta, & bene deliberata transgressione. Nam vnusquisque quidem tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus: cæterùm non ibi adhuc transgressio legis, sed tentatio, vt est videre in Canonica Diui Iacobi. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum. Dicit, parit, quia necdum ibi plena transgressio, sed in malum præuaricationis præuia delectatio. Peccatum verò cùm consummatum fuerit, scilicet per voluntatem deliberatam, ac plenè resolutam, tunc demum generat mortem. Qui autem offenderit in vno mandato per voluntatem deliberatam, is factus est omnium reus, hoc est, is filius est iræ, & mortis, exheredationis & damnationis, non minus quàm si omnia transgressus esset. D. Si quod in momēto commissum est, & semel tantùm, & modica fortassis cum delectatione, puniat Deus æternaliter, tam horrendo mortis supplicio, vbi æqui ponderatio? vbi, quod dici solet, Misericordia Dñi plena est terra? Et illud: Secundū quantitatem delicti erit & plagarum modus? Nam secundum præcedentem declarationem, delictum vnū, at plagæ multæ: delictum momentaneum, punitio autem delicti æterna: delictum cū modica delectatione, stipendium verò delicti damnatio mortis citra modum ac finem. M. Fili si bene perpendas tria: Nempe quis est, & cuius sit potestatis, qui mandatum tulit. Secundò qualis, & quàm necessaria sit dependentia naturæ nostræ ad legislatorem Deū, miseriæ nostræ ad diuitias misericordiæ illius. Tertiò quàm innumeris obligationib. homo sit obligatus Deo suo, omni ex parte: nō solum pro se, sed & pro toto mundo. Hæc, dico, si bene perpendas, facillimè intelliges, quàm iustè puniat Deus æterna mortis damnatione, etia vnam vnius duntaxat mandati transgressionem. Quantū ad primū. Qui imposuit tibi mandatum Deus tuus est & Dñs, & omnipotens nomē eius. Qui vtique omnia est, omnia implet, omnia habet in sua potestate: immo ad nutum suum, plus dico, ad votum suum, cui nihil impossibile est, nihil arduū, nihil est difficile: Tenēs imperiū mortis & vitæ, & vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, dans denique mandatis suis, omnibusq; dictis suis, addo, omnibus literis, & syllabis legis suæ, tantum robur, talemq; auctoritatem, vt dicat Scriptura: Cælū & terra transibunt, verba autem mea nō præteribunt. Immo nec iota vnum, aut vnus apex præteribit à lege Domini, donec omnia fiant: vti pleniùs infrà explicabimus cùm tractabimus de voce hac, Dominus. Qualis nunc tibi videtur hæc mandantis auctoritas? D. Certe talis, vt dignior, vt augustior, ac irrefragabilior cogitari non possit. M. Audi igitur. Quē habet mandatū Deus, est bonum immensum, immensaq; eius maiestas, habens in nos infinitam potestatem. Omnis itaq; contemptus, omnisq; rebellio, quam committimus contra ipsum, reuera est infinitæ malitiæ, & iniquitatis, ratione illius in quem committitur. At malitia infinita iustissimè punitur supplicio infinitæ durationis. Quantum verò ad secundū, & tertiū sufficiunt duo dicta Apost. Prius est, Quoniam ex ipso, Deo scilicet, per ipsum, & in ipso sunt omnia: quare & homo, & quidquid est hominis. Posterius, Quid enim habes, quod non accepisti? Quasi diceret: Prorsus nihil. Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Vis nunc demonstrem tibi ad oculū, quot modis debeas Deo tuo nōn solùm obedientiam tuam, sed etiam teipsum, quantus quantus es, omniaque quæ habes, & habere posses? D. Obsecro. M. Tot dico modis, quot habes in te subsistendi facultates. Nulla enim tibi ex te inest, sed quæcunq; habes, ex bonitate donantis Dei habes, nec diutius in te esse potest, quam ille dederit. D. Ego, sicut omnes alij homines, subsisto per corpus & animam. M. Bis ergo teipsum totum debes Deo quia vtrumq; est à Deo. Formauit Deus, inquit Scriptura, hominem de limo terræ: hoc quantū ad corpus. Et inspirauit in faciem eius spiraculū vitæ: hoc quoad animam. Præterea postquàm gratis, & sine argento venundata esset natura humana in damna-

Quomodo qui offendit in vno fit omnium reus. Iacob. 2.

Deut. 25. 2. Cor. 5.

Psal. 118.

De qua transgressione loquitur.

An sit cū immensa misericordia Dei peccatum æternaliter puniri. Psalm. 32. Deute. 25.

Tria bene perpendēda ad æqualitatē peccati & supplicij intelligenda.

Cuius potestatis sit legislator. Apoc. 1. Exod. 3. Ephes. 1. Rom. 4.

Matth. 24. Matth. 5.

Quòd innumeris obligationibus homo sit obstrictus. 1. Cor. 4.

Sapien. 1.

Genes. 2.

Rom. 3.

damnationem mortis, quis te sine te, totáq; humanam naturam redemit? Nónne Deus per Christũ Dñm nostrum? dicente Apost. Petro, Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argẽto redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. D. Sic persuasissimum habemus ex fide. M. Iterum ergo debes teipsum Deo, ratione huius emptionis & redẽptionis Christianę. Quòd porrò cœperis esse noua creatura in Deo, nactus spiritum eius, & sapiẽtiã, & iustitiã, & libertatẽ, quæ ex ipso sunt. Hoc vnde tibi? An ex te, aut tuis viribus? Minimè. Quis enim potest mundũ facere, de immũdo cõceptũ semine? Nónne tu qui solus es? inquit Iob. Quod elegantiùs explicat Apost. dicens: Ex ipso, scilicet Deo, vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Vt quẽadmodum scriptũ est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Oportet enim quemlibet nostrum ex corde dicere cum Paulo, Gratia Dei sum id quod sum: gratia Dei habeo, si quã habeo, sapiẽtiam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem. Debes ergo tertiò teipsum totum Deo, & Christo filio eius propter regenerationẽ, quæ est in sanguine ipsius. Ad hæc quòd non solum pacem inueneris cũ Deo, verumetiam factus sis hæres omniũ bonorũ Dei, & coheres cum Christo. Vnde quæso? Nónne ex ipso per Christũ, vt pulcrè deducit Petr. in 1. sua Canon. cap. 1. Debes igitur teipsum quartò etiã pro hac re Deo patri, & Christo Dño. D. Et quid retribuemus Domino pro omnib. quę tribuit nobis sine meritis nostris? M. Prõptam obedientiam cũ gratitudine. At pergat inductio. Quoties perpendis tibi aliquid esse necessarium, quo subsistat vel proficiat in melius corpus tuum, aut anima tua, aut datum tibi munus viuificantis gratiæ, toties recogita quòd etiã hac de caussa teipsum totũ debes Deo. Porrò sine cælo & Sole, sine igne & aqua, sine cibo & potu, sine domo & vestimento nõ cõsistit corpus nostrum. Et horũ quæ dixi, ne vnum quidẽ esse potest tibi in vsum, non cooperante vniuersa mũdi substantia. D. Maneo igitur obstrictus Deo, vt apparet, pro cælo, terra, igne, aqua, cibo, potu, lana, lino, ligno, et lapide, & vniuersa deniq; mũdi fabrica. M. Nihil verius. Omnib. enim his opus habem⁹, & hęc omnia facta sunt propter hominẽ: homo autẽ propter Deũ: Nunc supputa quot modis teipsum debeas Deo solùm ratione naturę tuę corporeæ. D. Quid supputarem? Sunt innumera sine quibus viuere nõ possumus. M. Ergo innumeris obligationibus Deo obstricti sumus, etiam ratione solius corporis. Verùm corpus sine anima quid est? D. Minus quàm brutum. Quia brutum sentit & mouetur: homo autẽ vbi animam expirauerit, neq; sentit, neq; motum facit: immo mox putredo efficitur, & fœtor, haud secus atq; bruti cadauer, adeo vt ne triduum quidẽ seruari possit, cùm interim inanimata corpora in annos subsistãt & sæcula. M. Dictum bene. Soli igitur animę rationali debemus, quòd brutis præstamus cæterisq; reb. mundi. D. Sic est. M. Animam verò vnde habemus? D. A Deo, vti iam dictum est. M. Dicito audacter, à solo Deo. Nã qui contendunt animã ex traduce esse aliena pertractant à communi omnium Orthodoxorum sententia. Pro eo igitur quòd animam habes rationalem, & naturam sortitus es infinities meliorem quàm reliqua mundi corpora animata vel inanimata, debes arctissimè Deo teipsum totum, nedum obedientiam tuã. Et proptereà quotiescunque vides bestiarũ brutalitatem, ceterorumque inanimatorum impotentiam, debes meritò te huius tui debiti piè memorem facere, recogitando tot vicibus debere te Deo, quot illa antecedis proprietatib. Adhæc anima rationalis haud dubiè nõ eandem habet virium, virtutum, ac potentiarum supellectilem in singulis hominibus. D. Hoc benè notauit Terentianus ille dicens: Dij immortales, homini homo quid præstat? stulto intelligens quid interest? M. Igitur caussa exempli: quòd tu prudens es ac prouidus, multis existentib. fatuis, tu neque cæcus es, neq; mutus, neque elinguis: cùm tamen his facultatib. careant plurimi: tu probè institutus ad officium, probèque imbutus liberalibus disciplinis, vt inter homines hominem agere didiceris: alijs multis vel ad stiuã aratri, vel ad fodinas lapidum, aut bestiarum perpetuam consuetudinem quasi condemnatis, vbi nihil vnquam quod ingenuum sit, audiunt: rursum quòd tu pie operam nauas pijs disciplinis, alij operam ludunt, seu potiùs perdunt in vanis scientijs, quæ inflant, & non ædificant, tandemque cultores suos sine fructu derelinquunt: denique quòd tu sis diues opum, alius inops a plenus, tu nobilis, alius ignobilis: te ornant byssus & diadema gloriæ, alium vix vestiunt saccus & cilicium: an nõ propter hæc tu obstringeris Deo, multò magis quàm illi qui eisdem carent? D. Hoc fortunæ videtur tribuendũ, vices rerum sic dispẽsantis. Vnde benè aut male fortunati dicimur. M. Caue fili, quia Ethnicum est quod dicis, prorsus alienum ab Euangelio. Siquidem certissima regula fidei est, Ex ipso, scilicet Deo, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula seculorum. Ceterùm hic multa differere de donis ac gratijs Dei, superuacaneum apparet. Nam si dona sunt, aut gratiæ: igitur ex nobis non sunt.

Galat. 3. 1. Cor. 1. 1. Petr. 1.

2. Cor. 5.

1. Cor. 1.

Ierem. 9.

1. Cor. 15.

Senec. 1.

Eunuch. Act. 2. Scen. 2.

Rom. 11.

Si enim ex nobis nostrisue meritis sunt, dona siue donata aut gratuito impensa dici non possunt, vti Paul. ad Rom. & ad Galat. ostendit. Debes igitur Deo tuo pro fide & fidei Sacramentis, pro spe, & ea caritate Dei quæ diffusa est in cordib. nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis. Pro pulsu insuper & tactu, & inspiratione quib. ad cor transit Deus, pro singulis deinde muneribus quibus consortes efficimur diuinæ naturæ, pro verbo salutis, pro pastoribus animarũ, pro matre Ecclesia, quæ te de gremio suo peperit vitæ æternæ, fouet, lactat. Omnia enim hęc ad gratiam Dei spectant, omniaq; tibi, mihiq; necessaria sunt, vt morte superata felicitatem inueniamus. Vnde quoties tibi in mentem recurrit, vt recurrere debet frequenter, te non ethnicũ hominem esse, sed ad pedes Iesu in Euangelio salutis enutritum: te non longe positum, sed propè, veluti in sanguine Christi redemptum & in medio eorum collocatum, qui vocatur gens sancta, populus acquisitionis, regale sacerdotium: te habere Deum velut Patrem, Christum velut Saluatorẽ, & verbũ Dei tanq̃ pabulum vitæ, Sacramenta Ecclesiæ tanquam antidoton contra iacula inimici, gremium Ecclesiæ tanquam munitionem, aduersus quam non prǫualebunt, ne portę quidem inferi. Toties, dico, oportet te memorem esse, q̃ variè debes teipsum Deo. Ideoque si quando videris incontinentem, aut ebrium, aut rixosum, aut maledicum, te verò confidis vtcunque immunem esse ab eisdem malis, scito tunc & intellige te tantum debere Deo gratitudinis, & obedientiæ, quantum illi demeruerunt mali. Quoniam q̃ tu non malus, vti illi, immò nõ tu peior, quàm illi, nequaquam ex teipso, sed ex Dei habes beneficio. Quod amplius est, teipsum comparatione ad illos reprehendę. Quoniam si illi, quam tu habes, gratiam accepissent, multò forsan te meliores essent: quia gratia accepta diligẽtiùs, maiorique cum gratitudine vterentur, quàm tu facis. In quo genere meditationis mirum in modum exercebat se venerabilis pater B. Bernardinus. Intelligis quæ dico? D. Intelligo. Ceterùm vnde surgit hæc inæqualitas, tam in gratuitis donis quàm in naturæ ac fortunæ bonis? M. De hoc dicemus loco magis opportuno.

Rom. 11. Galat. 2. Rom. 5. 2. Pet. 1.

Non est mirum pro momentaneo actu peccati infligi pœnam perpetuam. CAP. IX.

M.



Nunc autem dicito mihi, qualis sit dependentia creaturę ad creatorẽ? D. Certè necessaria omnimoda, & ex omni parte. M. Et quot sunt obligationes quibus obstringimur Deo ad obedientiam? D. Plurimę, innumeræ, ne dicam, infinitæ: quia non est aliquid rerum pro quo non obligatur rationalis creatura Deo. M. Optimè. Scribens enim Apost. Corinth. Omnia, inquit, vestra sunt: siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei. Tertiò & illud responde, An sint multum arctę, vehementerque stringant nos einsmodi obligationes ad obediendum. D. Meo quidem iudicio, sine comparatione magis q̃ illa, qua filiusfamilias obligatur patri carnis suæ. M. Adde pro ratione, quoniam sicut omnis vis generandi à Deo est: ita omnis auctoritas patrum in filios à Deo est, immo ipse pater patrum est, ac solus pater: infundens quidquid est naturalis aut gratuitę vitæ in nobis. Vnde dicit Christus: Nolite vobis vocare patrem super terram: vnus est enim pater vester qui in cęlis est. D. Insuper magis quàm illa qua ciuis Senatui obligatur, aut Regi subditus, aut præposito Ecclesiæ Christianus. M. Pro ratione adiunge: Quoniã per me, inquit Altissimus, reges regnant, Et omnis horum potestas à Deo est, vt patet ad Rom. 13. atque alijs in locis. D. Rursum magis quàm illa, qua redemptus à captiuitate belli obstringitur suo redemptori, aut seruus suo domino. M. Ratio est. Quoniam iste redemit modica pecuniola, & non nisi à morte temporali, ad vitam quasi momentaneam, adeoq; dubiam, vt diem nesciat & horam: nec id tam in bonum redempti, quàm vt sibi mancipium inueniret. Deus autẽ per viscera animę suę te redemit, non corruptibilibus auro & argento: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, à morte sanè perpetua ad vitam felicitatis, quæ vt finem non habet, ita amarum nescit aut triste: idque non vt sibi bene esset per te, quia bonorum nostrorum nõ eget, sed pura benignitate: vt te nõ solùm sui, sed & suorũ gloriæ, & maiestatis participem faceret. Et quid dico participem? Quin potiùs vt te vnum faceret secum, prout liquido constat ex Ioanne Euang. Igitur quanto præstat Deus his quos induxisti, secundò quantò isti non per se, sed per illum habent quòd ipsis obligaris, tantò arctius est, tantoque inuiolabilius debitum quo Deo obligamur ad obediendum. Et quantò ipse puriori beneficẽtia præsidet nobis, quàm illi, tanto fœdior est nostra contra Deum inobedientia. Nunc te interrogo, qui aduersus paterna mandata rebellis existit, nõne iustè exheredatur? D. Prorsus: si modò enormis sit rebellio. M. Sic enim definit titulus de exheredandis filijs immorigeris.

1. Cor. 3. 1. Petr. 1. Psalm. 15. Ioan. 15.

A simili demonstratur pec catum tẽporaneũ rectè puniri æternaliter.

rigeris, sicq; iubet lex naturæ, vt qui patris auctoritatem ferre dedignatur, careat illius felicitate. Et qui semel exheres factus est, nónne in æternũ carẽdũ erit [illegible]i bonis paternis? D. Indubiè, nisi reconcilietur. M. Esto. Nam & Deo recõciliari potest peccator. Ciuis insuper nõ obtemperans Senatusconsul[illegible]is, nónne rectè extruditur à ciuitate, & extorris manet in perpetuum? Adeò si ciuitas subsisteret ad centies centena millia annorũ, ipseq; ęternum viueret, nihilominus perpetuò manerent sibi mœnia ciuitatis inaccessa: licet solùm semel et ad horulam deliquerit in Senatorias leges, paternásue constitutiones. D. Sic est, & omnes iustũ esse iudicant. M. Tamen horariũ est delictum, & sempiterna delicti punitio. Insuper qui Regis imperio nõ paret, nónne legitimè exilij damnatur, aut capitis? D. Etiã. Aut certè iniqua est omnis principum dominatio. M. In exercitu quoq; qui ducis mandatũ præuaricatur, nónne militũ iudicio, qui alioqui scelerati sunt, in furcam suspenditur, aut lanceis confossus à vita exterminatur? Et quidè hæc iusta habentur oĩm nationum iudicio, quamlibet Barbaræ sunt: sed & approbant eiusmodi, lex naturæ, lex humana, lex deniq; diuina, dicente Dño: Maleficos nõ patieris viuere. Et Apost. Non sine caussa gladium portat, iudex scilicet, Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit.

Exod. 22.

Roma. 13.

Quãtò igitur iustius, vt ad propositum redeam, cõdemnatur æterni exilij, æterniq; supplicij ille, qui nõ obstante infinita Dei nostri potestate in nos, omniaq; nostra, non etiam obstantibus innumeris obligationibus quib. eidem obstringimur, tamen contra debitum gratitudinis, contra legem charitatis, quod plus est, contra omnem æquitatem, denique contra naturalem dependentiam quam in reb. finxit immutabilis natura, contemnit, negligit, transgreditur sacrosanctas leges, sanctaq; mandata, quæ præcipiendo per semetipsum præcipit, ille cuius maiestate nihil augustius, nihil venerabilius, nihil potest esse terribilius. Rebus autem sic se habentib. an quæso transgressio fieri potest sine contemptu iniuriáue tantæ maiestatis? Tu ipse iudex esto. D. Certè non potest: nisi ex surreptione contingat factum, aut vehemẽti perturbatione. M. Loquimur de bene deliberata actione, qua quis sciens, beneq; aduertens delinquit. Et contẽptus boni infiniti, cui teipsum infinitis modis debes, nónne est infinitę malitiæ? D. Sic esse conuincit ratio. M. Nulla igitur est iniustitia, etiamsi punitio sit infinitæ durationis. Quinimmo certo certius apparet ex ordine rerũ, eum qui fontem deserit vitæ suæ, mox pabulum fieri mortis: mortis verò æternæ, si in æternũ existit desertor. Deserit autẽ omnis præuaricator legis. Necquidquã potest esse consinius rationi, quàm vt procul fiat ab omni misericordia, qui misericordiarum domino rebellem se facit. Est autem rebellis, qui suam volũtatẽ diuinę voluntati anteponit. Adhæc nihil æquius, quàm vt exulet tandem à curia cælesti, qui edicta cælestis curiæ sustinere nõ voluit, & extrudatur virtute omnipotentis in locum horroris, & mortis, qui dum viueret perturbator fuit legum, pacis, & vitę. Deniq; nihil iustius, quàm vt omnis creatura conuertat se in vindictam illius qui omnium creaturarum cõtempsit auctorem, prout futurum pronunciauit scriptura dicẽs: Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Addit, Et pugnabit cum illo orbis terrarum cõtra insensatos. Adhuc obsurdescit tibi auris? Intellige, quæso, quid dicant eloquia sacra. D. Et audio, & intelligo, & contremisco non parũ. M. Gaudeo. Quia ad quem, inquit os Domini, respiciam, nisi ad pauperculum & trementẽ sermones meos? Sed quæ caussa tremoris?

An transgressio fieri possit sine contemptu.

Rebellis quis dicatur.

Sap. 5.

Esa. 66.

Mandata Dei non esse grauia, tantum abesse vt sint impossibilia. CAP. X.



Video rem arduam esse, & plus quàm humanæ possibilitatis debitè obseruare mandatũ Dei. Scio insuper numerosam esse obseruandorum multitudinem. Et nihilominus qui offenderit in vno, fact[9] est omnium reus, vti probatum est, non igitur deest nobis caussa tremoris. Discedat procul hinc vaporosa hæc carnis diffidentia. Amanti nihil est difficile. Et nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Scripturis clarè ostenditur nõ solùm non superare vires nostras, sed & leue ac suaue esse onus mandatorũ Dei: omniaq; posse impleri in vno Dño nec scilicet vllum sua multitudine fastidium adferant. Definit veritas. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Addit Apost. Ioan: Mandata eius grauia non sunt. His coniungit Psalm. Mãdata tua desiderabilia super mel & fauum, super aurum & argentum, & omnem lapidem pretiosum. Moyses quoque cui familiare erat cum Dño colloquium sic testatur: Mandatũ hoc quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere cõpleamus? &c. Sed iuxta est sermo, valde in ore tuo, & in corde tuo vt facias illum. Blasphemus est, quisquis cõtẽdit Deum præcepisse, quod obseruatu est impossibile. Impius, qui existimat Christum humeris fideliũ imposuisse on[9] vel importabile, vel dura seruitute molestũ. Mandatum legis Euangelicæ in se leuissimum est. Quidquid

D.

Iacob. 2.

Mandata Dei nõ esse grauia.

Matth. 11.

1. Ioann. 5.

Psalm. 18.

Deute. 30.

enim præcipit in sola caritate solidatur. Et quid facilius dilectione? Si onerat aut molestum est, ex te surgit, & in tua est cupiditate, omnis hæc onusti ponderis ratio. Vnum vna cum Christo Dño iugum ducere (dicens enim iugum meum insinuat nos secum seque nobiscum cōiugatos esse) nō est seruorū, sed filiorum, nō ignobilitatis, sed summæ altissimæq; nobilitatis. Si sentis amaritudinē, nō est illa in præceptis, sed in crassis, qui de carne tua exhalant, passionum vaporib. Caro concupiscens aduersus spiritum, malum habitās in homine, corpus aggrauans animā, lex regnās in mēbris: his enim nominib. appellatur concupiscentia à Paul hæc, inquā, dum renituntur & recalcitrant, suisq; funibus malarum affectionum quasi cōstringunt organa virtutum, tædium ingerunt, & auersionē ac difficultatē pariunt in exequendis præceptis: nō vtique qualitas rei præceptę, quęquoniā virtutis materia est, bona in se, & suauis esse debet. Virt' enim nō nisi circa bonum versatur. At dicito mihi, Nonne vinum per se delectabile gustui, amarum videtur febricitanti: eò q noxius humor præoccupat organum sensus, atq; illinc amaritudo, nō ex vino? Et ambulare ad forū quid eò facilius? Infirmis tamen & infantilib. mebris valde est difficile: & quò morbus fuerit grauior, aut ætas minor, eò fit difficilius. Sic quandiu infantes manemus in Euangelica vita, & needum sensus exercitatos habemus: item quamdiu noxius humor concupiscentiæ præoccupat organa virtutum, tadiu manet difficile, quod alioqui in se facillimum esse cognoscitur. Videm' q vectores equi dum mittuntur in diuersum, aut nihil promouēt, aut admodum parum, etiamsi vacuum sit, & sine onere plaustrum, nō quia pōdus plaustri excedit, sed quia nō eodē trahunt equi. Sic quamdiu in affectib. luis secum dissidet homo, & aliò rapit concupiscentia carnis, alio impetus iræ, aliò ambitio, aliò ratio & spiritus, tādiu onus sentit & iugum quasi molestæ seruitutis, & quò maior fuerit turba passionum, eò insuauius apparet iugum legis Euāgelicę. Nequaquam tamen in illo, sed in affectu hominis est grauaminis ratio. Non igitur dicas amplius, esse plus quàm humanę possibilitatis, seruare mandata Dei. D. Saltē depressis sub onere peccatorum pene est impossibile, M. Cui dubium? Quid enim non est impossibile cadauerosis hominib. insensatis, aut destitutis auxilio necessario? De terra terrenus, & onere peccatorum depressus, an exequi poterit quod diuinitus mandatum est, diuinūque facit, sine ope diuina? An vnquam implumis bestia volatu scindet aëra? Et qui sine viribus est, quomodo faciet virtutis siue virium opus? Executio autem mandati opus est virtutis: adeo vt nihil cadat sub mandato, nisi se eundem quod rationem habet virtutis. Nihil etiam implet mandatum, nisi opus virtutis, hoc est, nisi quod factum est iudicio, vbi quando, & sicut oportet. Qui igitur totus malus est, penitus destitutus omni exercitio & adiumento virtutis, certè huic tam est difficile obseruare mandata Dei citra transgressionē, quàm est difficile claudo currere citra offensionem. Certum est cæcos, claudos, impotentes, morbidos multa non posse, quæ his incōmodis depositis vtique possunt. Cùm autem promptum sit homini Christiano se ab eiusmodi incōmodis cōuolando liberare ad fidē, meritis suę lumen, gratiamq; Dei sanantē & cooperantem, non debet ei mandatum dici impossibile. Id enim possumus, teste Christo: quod per amicos possumus. Sicuti & Apostolus dicit, Omnia possum eo qui me confortat. Item, Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Quod autem omnia mandata compleantur in vno, docet idem Apostolus expressè dicens: Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non cōcupisces, & siquod aliud mādatum est in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Nemo igitur meritò offendi potest mandatorum multitudine. Modum autem quo omnia implentur in vno mandato caritatis exactiùs enucleabimus posteà in tractatu de præceptis caritatis.

Mandata esse difficilia peccatoribus

Executio mandati Dei quid.

Impossibile mandatū sancte exequi sine gratia. Hebr. 11. Galat. 5.

Regnum Dei non posse constare sine mandato. CAP. XI.

D. Eus bone, quàm liberi, quamque felices essemus, si nullū foret mandatum M. Quare hoc? D. Quia datum mandatum multis est occasio ad interitum mortis. Vbi enim non est lex, ibi nec præuaricatio. M. Rectè. Virtus enim peccati lex. D. Vbi autem non est præuaricatio, ibi nec vlla potest esse condemnatio ad mortem. Tolle igitur mandatum, & sublata erit omnis illaqueatio mortis. M. At contra tolle mandatum, & Deum quoque sustulisti à nobis, & regnum eius. Per mandatum enim ac legem constat regnum Dei, adeò vt nec cœlestes spiritus sine mandato beati esse possent: quia non sine mandato caritatis & obedientię. Rursus tolle mandatum, & sustulisti non solùm pædagogiam naturæ formandæ secundum virtutē, verumetiam notitiam ordinis & veritatis: vt ex subiectis patebit. Et quid obsecro his sublatis erim? Nonne [illegible] nonne irregulares? nonne bruta animantia magis

D.

Rom. 4.

1. Cor. 15.

Sine mandato nec cœleste quidē regnū constat. Sine mandato non est pædagogia virtutis, neq; ordinis cognitio.

magis quàm homines? Vbi natura deprauata, ibi citra legem nulla vitæ ordinatio: vbi autem non est continentia ordinis, ibi nec iustitia. Iniusti autem disperibunt, & omnis eorum gloria in confusione erit. Insuper per legem est cognitio peccati. Nam concupiscentiam nesciebam, inquit Paulus, nisi lex diceret: Non concupisces. Qui autem ignorat, ignorabitur, vt idem testatur Apostolus. Itaq; quoniam per legem testificatio diuinæ circa nos voluntatis, per legem cognitio peccati, per legē directio naturæ accrescentis in Deū, pædagogia quoque & disciplina inquietæ carnis ac passionum, denique per legem demonstratio ordinis, sine quo nihil firmum aut perpetuum: reuerà non posset aut bene esse homini, aut regnum Dei constare inter homines sine lege, & mandato. D. Et quomodo fit demonstratio ordinis per legem siue mandatum? M. Hoc modo. Lex lata siue mandatum suapte natura conuincit, & dominij potestatē esse in mandante, & obediēdi necessitatem in ijs qui mandatum acceperunt, illum maiorem, istos minores: illum dominum, istos subditos. Itaque aliquis ordo est inter Dominum & dominio subiectos. Quam solam ob caussam etiam in Paradiso, cùm natura esset adhuc incorrupta, bene per omnia consentiens, & in se, & cum suo conditore, opus erat legis mandato, & hoc sub pœna mortis. Sic enim habet Scriptura: Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocūque enim die comederis ex eo, morte morieris. An inuidebat illis Deus bonum scientiæ, aut fructum huius arboris? An vllam habebat repugnantiam gustare fructum visu pulcrum & ad vescendum suauem, & in eum alioqui vsum creatum? D. Quorsum igitur vetitum oportuit ne gustarent de fructu arboris illius? M. Non ob aliam caussam, quàm vt immobili decreto mandati euidenter constaret, plenitudinem dominij rerum omnium, etiam ad pomum vsque, idque in medio Paradisi, ne tantummodo pars angularis Paradisi Deo tribueretur, esse apud eum qui legem tulit: cunctaque etiā minima, qualc est pomum, venire in vsum hominis, sola solius Dei beneficentia, gratuitaque voluntate. Quis enim priùs dedit illi, & retribuetur ei? Secundò vt hinc constaret, hominem tanta necessitate subiectum esse legislatori Deo, vt in omnibus, ne pomo quidem excepto, oporteat illum pendere semper & vbique ex voluntate viuentis Dei, illiusque subseruire mandatis per omnia, etiam in re alioqui leuissima; quia in pomo vel gustando vel non gustando, & hoc sub interdicto mortis statim incurrēdæ. Dicit enim scriptura: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Vt scilicet intelligas, quia ego sum Dominus mortis & vitæ, qui viuifico & mortifico, deduco ad inferos & reduco, & nō est qui de manu mea possit eruere: Videsne quomodo lata lex conuincit dominij potestatem residere penes mandantem, obedientiæ verò necessitatē manere in eo cui fit mandatum? Vnde neque ibi frustrà fuit lex, vbi corruptio nulla: plus dico, ibi quoque erat lex necessaria: quia licet in Paradiso non esset caligo errorum, aut dissidentium opinionum fumi, vllaue carnis inquietudo, tamen ibi ex parte cognoscebant, ex parte prophetabant, & per ænigma videbant velut in speculo, non autem facie ad faciem. Quod postremum conuenit solùm glorificatis: à quibus tamen ne status quidem beatitudinis excludit omne mandatum, aut vinculū legis: quia etiam in cælis lex est caritatis. Caritas enim nunquam excidet. Absit ergo, absit quòd lex siue mandatum esset illaqueatio mortis. Inquit enim Apostolus Paulus: Lex sancta, & mādatum sanctū, & iustum, & bonum. Sumptaque occasione sic quærit, sibique respondet, Lex igitur peccatum est? Absit. Sed per legem cognitio peccati. Addo, cognitio ordinis, cognitio voluntatis diuinæ, cognitio dependentiæ explicatæ per scripturam hanc: Quoniam ex ipso, in ipso, & per ipsum sunt omnia. Directio quoque & pædagogia corruptæ fluidæque naturæ, quæ alioqui suis stimulis, & suarum cupiditatum tortionibus rueret cæca in interitum mortis. Lex quidem indubiè virtus peccati est: nemo enim negare potest, quod Apostolica definiuit auctoritas. Nam præuaricatio quòd peccatum sit, quòd Dei imaginem, mentem scilicet, commaculet, quòd spiritum extinguat, quòd mortis inducat reatum, & seruitutem pariat sub tyrannide Diaboli, quòd denique concupiscentiam augeat: totum hoc habet à mandato legis, sed occasione accepta per inobedientiam. Quia tua sponte transgrederis quod sacrosancto mandato Dei tui vetitum erat. Mandatum enim per se est demonstratio vitæ, virtutis obiectum, & lucerna lucens in hoc caliginoso mundo. Quod autem per se bonum est his qui obediunt de corde bono, & caritate non ficta, hoc tibi propter tuā malam & rebellem voluntatem fit virtus peccati, & illaqueatio mortis.

Psalm. 36. Rom. 7. 1. Cor. 14. Genes. 2. Quare Deus vetuit ne comederent de arbore scientiæ boni & mali. Rom. 11. Genes. 2. 1. Reg. 2. Iob. 10. Lex est penes mandantē, obediendi necessitas in subdito. 1. Cor. 13. 1. Cor. 13. Mandatū sanctū & iustum. Rom. 7. Lex affert multas vtilitates. Quomodo lex sit virtus peccati.

De certo modo quo oportet seruare mandatum ad fructū salutis æternæ. CAP. XII.

D. Vae hucusque dicta sunt sic satis intelligo: attamen vnum restat, nempe quonam modo oporteat obseruare mandatum, an scilicet fecisse opus praecepti sit satis? M. Satis quidem est adhoc vt culpam nouam non contrahas: sed interim manes seruus inutilis, neque promereris tibi quidquam eorum bonorum quae supra memorauimus. Siquidem certa est sententia Saluatoris, quam non solùm pronuntiat, sed & aptissima parabola demôstrat, Luc. 17. dicens: Quis autem vestrum habens seruum arantê, aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, & recumbe, & non dicit, Para quod cenem, & praecinge te, & ministra mihi donec manducem & bibã, & post haec tu manducabis, & bibes? Nunquid gratiã habet seruo illi, quia fecit quod ei imperauerat? Non puto. Sic & vos cùm feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Vides quàm exactè inculcat Saluator, solùm fecisse opus praecepti, prout serui faciunt, nullam mereri gratiam, nullàque adferre vtilitatem. Nam sermo est de seruis, qui id solum faciunt ad quod iure seruitutis obligati sunt, & de eximia aliqua gratia, qua quis reponitur in eminentiori statu quàm antea erat. Inquit enim: Dicite, serui inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus. Quid enim praestitistis super alia Dei mancipia? Nónne & animata omnia, & inanimata hoc faciunt? Sol obsequitur Deo suo, & eidem obtemperat Luna, bruta quoque animantia praestant imperatum seruitium. Quare vt eum illis Deus, ita sanè & tecum agit: si tantummodo opus praecepti feceris, vt serui faciunt, absque affectu dico filiali. Culpam nouam non imponit, vitam donatam non aufert, sustinet te in domo sua, hoc est, Ecclesia, vitae denique necessaria praebet: attamen ad tempus, quemadmodum cũ seruis agi solet: intereà autem temporis manes tu totus inutilis. D. Hoc est, nullam Deo adferens vtilitatem. M. Quin potiùs nullam tibi parans vtilitatem. Nam certum est quòd neque talis, neque alij qui sanctissimè viuunt Deo, vllam adferant vtilitatem. Dixi, inquit Dauid: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Itaq; dictum illud Saluatoris: Dicite serui inutiles sumus, debes intelligere de inutilitate qua sibi ipsis inutiles sunt, nullam sibi adferentes vtilitatem. Nam quae vtilitas est, aut qualis fructus declinasse nouã culpam, aut non incurrisse maiorem reatum mortis, quando interim manes quod eras, in eodê statu in quo eras, in eadem miseria, in eadem fortuna: peccator vt priùs, longè à Deo vt priùs, mortalis vt prius, legi mortis propter delicta inuolutus vt priùs: nihilo ditior, nihilo factus melior quàm priùs? An sit vtilitas, non fecisse iacturam rerum? An emolumentum, non accepisse incommodũ? Tam igitur inutiles sibi qui faciunt opus praecepti sicuti serui faciunt, vt nullo pacto proficiant in melius. Quod plus est, tam inutiles sibi, vt licet fecerint opus praecepti modo iam dicto, sint nihilominus tandem perdituri etiam id quod habent, & ipsi mittendi in tenebras exteriores. Non quidem proptereà quòd opus praecepti sic compleuerint, hoc enim non computatur eis ad culpam, sed quòd manserint animo seruili, & extra dilectionem caritatis. Qui autem non diligit, manet in morte, etiamsi fecerit quod praeceptum erat. D. Quid igitur agendum nobis, vt vtiliter obseruemus mandata Dei? M. Qui frugi esse volunt, non solùm faciunt opus praecepti, quia praeceptum est, idque more seruorum, qui solùm timore aguntur, nihil autem agũt ex amore, sed hoc in primis curant, vt fidel spiritu adoptentur in filios domus, atque sic in ipsis praeceptis facere voluntatem siue beneplacitum Dei patris, qui in caelis est, more filiorum, hoc est, ex affectu amoris. Quasi dicat Christus per parabolam inductam, Non sufficiat vobis esse sub paedagogia legis, & facere seruili animo quae praecepta sunt, more populi vestri Iudaici. Altius quid requiritur, nempe vt spiritu filij efficiamini filij Dei, & sic amore filiali faciatis praecepta eius tanquã patris vestri qui in caelis est. Siquidem hoc prodest, & vtilitatê adfert, dicente Saluatore, Non omnis qui dicit mihi domine domine intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est. D. Et quae est ista voluntas Dei patris? M. Respondet Apostolus, Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Addit Zacharias Luc. primo, Vt de manu inimicorum nostrorum (à quibus detinemur propter peccata nostra) liberati, seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Quapropter in primis curandum est, vt simus liberi à peccatis nostris. Quamdiu enim displicet persona, nullum eius obsequium gratum esse potest. Respexit enim Deus ad Abel, & ad munera eius: priùs ad Abel, deinde ad munera eius. Siquidem odibilis Deo est impius, & impietas eius. Secundò vt seruiamus ei in sanctitate, hoc est, spiritu sanctificato charismatibus illis pretiosis, quibus consortes efficimur diuinae naturae, induentes erga Deum affectum verè

[Margin notes: Obseruãs mandatũ vt seruus nõ peccat, tamẽ sibi inutilis manet. — Quomodo sibi maneat inutilis qui more seruorũ — facit omnia quae sibi praecepta sunt. — Quib' sit necessariũ vt fiat à nobis praeceptum vtiliter. — Matth. 7. — 1. Thessal. 4. — Luc. 1. — Genes. 4.]

verè filialē. Tertiò in iustitia, hoc est, in opere veræ virtutis. Dixi in opere veræ virtutis: quoniam est virtus quædam purè moralis, qualem docuerunt Philosophi, quæ nōnunquam cum suis cultoribus vadit ad infernū: & ideo reuera non est vera aut perfecta virtus, eò quod vim nullam habeat faciendi hominis conditionem meliorem. Quamlibet enim fuerit quis decoratus tali virtute, manet tamen longè à Deo filius iræ & perditionis: quomodo manserunt omnes Philosophi ignorantes Deum, & Christum eius. Est autem & alia virtus Christiana siue Euangelica, vim habens diuinā vniendi hominem cum Deo, cuiusmodi sunt fides, spes, caritas, & quæ ex illis nascuntur virtutes, officiaque honestatis. Qualem profectò licet dicere veram virtutem: eò quòd veraciter vim habeat faciendi hominis conditionem meliorem. Implere autem mandatum Dei opere eiusmodi virtutis, est reuera seruire Deo in iustitia: eò quòd tali virtute iusti sumus corā Domino. Quartò oportet facere præceptum læto ac obuio animo, & non quasi ex necessitate, iuxta prophetam dicentem: Seruite Domino in lætitia. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et vt succinctius dicam, Fide per dilectionem operante facimus voluntatem Dei Patris in mandatis ipsius. Quando ergo obedientia nostra in custodiendis mandatis Dei surgit non solùm de corde puro, ac libero à fumibus præcedentium delictorū: sed & sanctificato charismatibus Spiritus sancti, qui in nobis efficit affectus obuios, vereque filiales, & exinde facimus mandatum in iustitia, idque hilariter siue fide per dilectionem operante. Tunc demum fit gratum obsequiū nostrum Deo patri, & acceptum ad remunerationem vitæ, tunc quoque incipit nobis esse veraciter vtilis custoditio mandatorum: eò quòd tunc verè facimus voluntatem Dei patris in mandatis eius. Nam sicut voluntas legislatoris huius mundi, est facere ciuem bonum, hoc est, honestum ac idoneum tranquillitati publicę, & hic finis est legis latæ: ita voluntas Dei patris est, per legem suam & mandata facere homines vere ac prorsus bonos, hoc est, se dignos, & æterno illi consortio idoneos, vt sint & secum & inter se vnum in vinculo caritatis, qui est finis legis diuinæ. Hinc Apost. scribit ad Timotheum filium suum dicens: Finis præcepti caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Qui ergo sic facit opus mandati, vt finē mandati attingat, is verè facit beneplacitū siue voluntatē Dei Patris qui mādatū tulit: & ipse intrabit in regnū cęlorum.

Psalm. 99. 2. Cor. 9.

Voluntas legislatoris quæ sit.

1. Ioan. 4. 1. Tim. 1.

D. Verùm an planè sit necessariū, sic facere?

M. Non. Quia finis præcepti non cadit sub præcepto, quare nec modus ille qui coniungit eum fine. Vnde quando quis in peccato existens, & extra caritatem facit quod præceptum est, non peccat, imò benefacit, etiāsi non faciat de corde puro, aut ex caritate: attamen manet sibi inutilis, hoc est, sic faciendo nullam meretur gratiam, aut remunerationem vitæ apud Deum. Qui secūdum magnitudinem bonitatis suæ iam ab æterno cōstituit regnum cælorum, vitamque æternam pro præmio his qui faciunt voluntatem ipsius ex affectu amoris erga ipsum tanquam patrem suum. Nunc pergamus ad specialem vniuscuiusque mandati explicationem.

DE DECALOGO LEGIS.

Qua ratione tractabitur de Preceptis Decalogi, & quid sit Decalogus. CAP. XIII.



Principiò illud te præmonitū cupio, me in hac tecum conferentia nolle differere de pręceptis Decalogi legaliter aut philosophicè, sed Euāgelicè secundum veritatē & traditionē legis nouæ. Olim Israëlitę, licet dicti essent gens sancta, populus acquisitionis, & filius Dei primogenitus: tamen sub pædagogia duræ legis agebātur, eo modo quo hæres quanto tēpore paruulus est, sub tutoribus & actoribus custoditur, quasi nihil differens à seruo cùm sit Dominus omnium. Nos autem qui tempore plenitudinis nati sumus, & in Christi sanguine renati, in doctrina insuper reuelatæ veritatis educati, multoque quàm illi grandiores facti, non amplius in legis pædagogiam oculos intendimus, sed in Christi Euangeliū. Nam præterijt lex vetus, mortua est, immo mortifera omnibus obseruatoribus suis: vti luculentissimè docet Apostolus, præcipuè in epistola ad Galatas. D. Si lex mortua est, immo mortifera, auferens cultoribus suis mortem, cur adhuc laboramus in præceptis Decalogi? Nam Decalogus pars est legis veteris. M. Decalogus quidem pars est legis Mosaicæ, sed talis, quæ nihil continet præter præcepta moralia, vno duntaxat excepto, de quo in suo loco. Porrò præcepta moralia, quæ mores componunt secundum virtutem, ad ius pertinent naturæ. Ius autem naturale idem est apud omnes homines: quia natura eadem apud omnes. Christus autem venit, vt gratijs Euangelicis ditaret naturam, non vt immutaret, sicuti nec immutauit. Nam eadem natura est hominum qui nunc viuunt, & eorum qui fuerunt tam sub lege quàm

M.

Tractabitur de mādatis Euāgelicè nō legaliter quia lex mortua est. Gal. 4.

Qua ratione sint obseruāda præcepta Decalogi tēpore Euāgelij cū Decalogus pars sit veteris legis.

quàm ante legem. Naturam ergo reliquit Deus integram. tantùm ritum gentis extinxit, commutans veritate quidquid in figuram vel typum futuri mediatoris institutum erat. Et quoniam tota lex vetus significatiua erat Christi, nusquam non admittens ritum aliquem populo illi peculiarem, ideo totam legem interijsse per Christum certū est, quantum ad obligationem. Nam etiam nunc suis typis & figuris instruit, vti palàm constat ex scriptis Apostolicis. Verùm nihil in lege est quod nunc obliget hominem, in quantum est veteris legis, ne Decalogus quidem. Sed si quid nunc obligat eorum quæ in libris legis Mosaicæ inueniuntur, obligat id aut ratione iuris naturalis, ex cuius principijs profluit, aut quia in nouo testamento per Christum, vel Apostolos eius renouatum est, veluti pertinens ad populum nouæ legis. Sicuti dicendum est de præceptis caritatis, & de mandatis Decalogi. Circa Decalogum igitur laborabit nostra diligentia, non quia pars est veteris legis, sed quia mandata quæ continet, sunt meræ determinationes iuris naturalis. Secundò quoniam ea quæ in Decalogo præcipiuntur, expressè renouata sunt in Euangelijs, scriptisque Apostolicis, vt in progressu audies. Quas ob caussas in primis à nobis Christianis venerari debent. Nihilominus habet etiam Decalogus non parum maiestatis præter reliquam partem legis, ex eo quòd digito Dei inscriptus est tabulis lapideis sub forma decem verborum, vnde & Decalogi nomen sortitur.

Tota lex vetus interijt.

Quomodo data sunt decem Præcepta tempore legis. CAP. XIIII.

D. De modo autem quo data sunt decē præcepta, deque tabulis lapideis, quid cōtinet precor Scriptura sancta? M. Exodi 24. & Deut. 9. ac 10. cap. istud inuenies. Verba Exodi sunt ista: Ascenderunt, scilicet partem montis Sinai, Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël, & viderunt Deum Israël, sub pedib' eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est. Nec super illos qui procul recesserant de filijs Israël misit manū suā. Viderūtq; Deū, & comederunt ac biberunt: scilicet posteà, in argumētum ꝙ non essent occisi à Deo, cùm scriptū sit. Non videbit me homo, & viuet. Dixit autē Dominus ad Moysen: Ascēde ad me in montem, & esto ibi, daboq; tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, vt doceas filios Israël. Surrexerunt Moyses & Iosue ministeri eius, &c. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illū nube sex diebus. Septimo autem die vocauit eū de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Hæc in Exodo. Deuteron. verò 9. & 10. capitibus sic habetur: Nā & in Oreb prouocasti eum, & iratus Dominus delere te voluit, quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas pacti quod pepigit vobiscū Deus. Et perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens & aquā non bibens. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. Cumque transissent quadraginta dies & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, dixitque mihi: Surge & descende hinc citò: quia populus tuus quem eduxisti de Aegypto deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi cōflatile. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo, & constituam te super gentem quæ hac maior & fortior sit. Cumque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu, vidissemq; vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac velociter deseruisse viam eius, quam vobis ostenderat, prieci tabulas de manibus meis, confregiq; eas in cōspectu vestro. Et procidi ante Dominum sicut priùs quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominū, et eum ad iracūdia prouocastis. Timui enim indignationem & irā illius, qua aduersum me concitatus delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiā hac vice. Sequitur infrà: Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, vt fuerat comminatus, & orans dixi. Domine Deus ne disperdas populum tuum, & hereditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Aegypto in manu forti. Recordare seruorū tuorum Abrahā, Isaac, & Iacob. Ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum, ne fortè dicant habitatores terræ de qua

Exod. 33.

de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco reduxit, vt interficeret eos in solitudine: qui sunt populus tuus, & hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento. In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciesque arcam ligneam, & scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponesque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis Setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus: scripsitque in tabulis iuxta id quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte, de medio ignis, quando populus congregatus est, & dedit eas mihi. Reuersusque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt sicut mihi præcepit Dominus. Hucusque verba textus Deuteronomij. Decem autem verba hæc quæ dicitur Dominus digito suo hic inscripsisse tabulis lapideis, ipsemet proprio suo ore prius promulgauerat ad vniuersum populum de medio ignis, Exodi vigesimo cap. sic dicens: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem Sabbathum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & ancilla tua, iumentum tuũ, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & mare, & omnia quę in eis sunt: & requieuit die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis vxorem eius, nõ seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur. Et ait Moyses ad Populum: Nolite timere: vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis & nõ peccaretis. Stetitque populus de longè. Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus. Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israël: Vos vidistis quòd de cælo locut⁹ sim vobis. Hucusque rursum verba textus. Porro hæc Dei diligentia, quâ non solum promulgauit ista decem verba per modum edicti, sed & proprio digito inscripsit tabulis lapideis, & ipsas denique tabulas recludi fecit in arca fœderis ad perpetuam rei memoriam, merito nos diligentes efficere debet circa propositam materiam.

Cur decem Præcepta vocentur decem verba. CAP. XV.



D. On satis intelligo quorsum dicat textus de decem verbis. Sunt enim plura quàm quinquaginta, aut centum verba eorum quæ hic præcipit Dominus. M. Iuxta phrasim tam nostri sermonis quàm Hebræorum, per verbum intelligimus sententiam, siue dictum sententiosum: quod, licet voculis paucissimis, velut verbum vnum prolatum, diuitem nihilominus & copiosam habet sententiam. Qua phrasi hæc sententia, Plus vltra, dicitur verbum inuictissimi Imperatoris nostri Caroli quinti. Saluatoris verò Christi verbum erat, Beatius est dare quàm accipere. Verbum quoque tuum vel meum esse potest, Sine onere nihil, Mors ostium vitæ, Virtus ludibrium diaboli, In paruis quies, &c. Eademque phrasi & de suis sententijs dixit Salomon, Fili audi verba mea. Aeterna itaque Dei sapientia volens epitomen dare eorum quæ pertinent ad mores probè instituendos, fecit Decalogum, hoc est, sermonẽ breuem decẽ verborũ, id est, decẽ sententiarũ. Quæ adeò succinctè & voculis paucis tradũt capita, & fontes, immo ferè plenitudinẽ legis naturalis, vt iure verba vocari possint, debeatque merito vnusquisque pudere, nolle caussa salutis propriæ vel decẽ verba discere. Haud dissimiliter quidquid de fide sparsim in scripturis, aut aliàs per reuelatione Dei tradi-

traditú eſt, id diligẽtia Apoſtolorũ contractũ videmus in duodecim articulos, velut duodecim verba vnius Symboli. Sic quidquid rectè orando peti poteſt, id ſimiliter per Chriſtum redactum legimus in ſeptem breuiſſimas petitiones Prout etiam prudentiſſimi Iuriſconſulti ſummam iuris redigerunt ad tria capita, videlicet, Honeſtè viuere, Alterum nõ lædere, Ius ſuum cuique reddere. Tantum de tabulis lapideis, & decem verbis ſcriptis in eiſdem. Nunc verò reſtat difficultas ſed modica: quot ſint præcepta primæ tabulæ, & quot ſecundæ. Pro qua expedienda hæc accipe. Origenes, quem Hieronymus ſequitur, primæ tabulæ quatuor præcepta tribuit, ex primo duo faciens. In quorum primo ſpiritualem, in altero craſſam illam & externam idololatriam prohiberi dicit Vt primum ſit, Non habebis Deos alienos coram me: alterum, Non facies ſculptile. In ſecundam verò tabulam ſex retulit, duo vltima præcepta de non concupiſcendo vxorem, & non concupiſcendo res proximi, connectens. At D. Auguſtinus, & ferè quotquot Auguſtinum ſecuti ſunt primæ tabulæ tria præcepta, ſecundæ ſeptem tribuerunt. Qui primum mandatum de vitanda idololatria ſiue ſpirituali ſiue corporali vnum faciunt. Poſtrema verò præcepta, quę ſunt de non concupiſcendo vel vxorem, vel res proximi, in duo ſecant. Quorum ſententiam Eccleſiæ magis placuiſſe conſtat: vel ob id quòd magis ad myſterium ſanctæ Trinitatis reſpiciat: vt primum mandatum referatur ad Patrem, ſecundum ad Filium, cui proprium nomen eſt verbum Dei, non creatura, tertiũ ad Spiritum ſanctum: quò in nobis ſabbathizamus, id eſt, ab omnibus, quæ caro ſine Spiritu gignit, quieſcimus, nosque continemus.

Origenes Hieronymus.

Aug. lib. 2. quæſt. ſuper Exodum.

Auguſt. ibidem.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS SECVNDI.

De ſenſu & partibus primi mandati. Cap. I.
Quid importent tres iſtæ voces, Dominus, Deus, Tuus. Cap. II.
Cur addatur in præcepto vox Tuus, et qua ratione dicatur magis Deus noſter, & noſter Dominus, quàm omnium. Cap. III.
De non habendis Dijs alienis coram Domino. Cap. IIII.
Quòd non ſolùm Deus, ſed & Angeli & homo rectè adorentur ſecundũ Scripturam. Cap. V.
Quomodo aliter Deus ſit adorandus, aliter homo. Cap VI.
Quid ſeruire, & in quo ſit ſeruiendum Deo. Cap. VII.
Qua ratione præcipiatur ſoli Deo ſeruiendũ: cum tamen ſint multi Domini in hoc mundo, quibus etiam ſeruire debemus. Cap. VIII.
De Veneratione & Inuocatione Sanctorũ per modum præfatiunculæ. Cap. IX.
Sanctos, licet non ſint Dij, tamen Diuos eſſe et deificatos atque vnum effectos cum Deo. Cap. X.
Sanctos meritò colendos eſſe & venerandos. Cap. XI.
Qualem Venerationem Sanctorum docuerit Eccleſia ab initio, & quibus de cauſsis. Cap. XII.
Inuocationem Sanctorum vtilem eſſe ac ſalutarẽ. Cap. XIII.
Quomodo à Patribus ſecundum ſeriem temporũ ſemper obſeruata & docta fuerit, Inuocatio Sanctorum. Cap. XIIII.
Quomodo ſoluendæ ſint obiectiones, quæ obijci hoc loco ſolent. Cap. XV.
De imaginibus ac ſtatuis Sanctorum. Cap. XVI.
De vſu legitimo imaginum. Cap. XVII.
De comminatione Dei quam ſubiungit primo ſuo mandato. Cap. XVIII.

TRACTATVS SECVNDVS.

De ſenſu & partibus primi mandati. CAP. I.

M. HActenus generatim de mandatis pertractatio fuit: nunc porrò reſtat vt propriam ſingulorum demonſtrationem exordiamur. Tu itaque recita primum mandatum. D. Vnũ crede Deum. M. Rectè quidẽ, nec improbare poſſum. Nã rithmus ſiue hemiſtichion hoc conuenit ad iuuandam memoriam ſimplicium. Verùm vt progrediamur ex ſolidis. in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? D. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neq; coles. Ego enim ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, Deus æmulator, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, & faciens miſericordias in milibus, his qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea. M. Sic habet textus Exod. 20. & Deut. 5. quibus adde quod habetur Deut. 10. videlicet Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſerues. Et nunc Iſraël quid Dominus Deus tuus petit à te? niſi vt timeas Dominum Deum tuum,

& am-

& ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, & cęremonias eius quas ego hodie pręcipio tibi. Adde quoque ex nouo Testamento quod Saluator noster protulit dicēs: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Siquidem omnia hæc, & similia pertinēt ad explicationem primi præcepti. Quæ si bene perpendas, mox animaduertes, primum mandatum habere duas partes. Quarū prior est, Non habebis Deos alienos coram me: sed Dominum Deum tuum adorabis, coles, timebis, diliges, illique adhærebis, & soli seruies.

Primū mādatū habet duas partes.

Prior pars primi mādati.

D. At ista verba adorabis, coles, timebis, seruies, &c. in Decalogo non habentur: sed solùm, Ego Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. M. Esto. Habentur tamen in alijs locis Scripturæ sanctæ, & explicant vim primi huius mandati: nec vlli dubium esse debet, quin voluerit legislator Deus in hac negatiua, Non habebis Deos alienos coram me, cum præfatiūcula illa, Ego sum Dominus Deus tuus, intelligi affirmatiuam aliquam, nimirum istam aut similem: Me qui veraciter sum Dominus Deus tuus, quiq; eduxi te de Aegypto, habebis pro Deo tuo, & nequaquam habebis coram me Deos alienos. Nonne & Moyses accepit commissionem à Deo, Exodi 24. docendi populum hæc mandata, explicando latiùs vim & energiam verborum præcepti, quomodo nos in scholis docemus verba Scripturæ? Fecit autem idipsum Moyses Deut. 6. & 10. alijsque in locis dicens: Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est, Diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Item, Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te, scilicet in mādato suo, nisi vt timeas Dominum Deum tuum? & cet. vt suprà. Rursumque, Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies. Non ibitis post Deos alienos cūctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt. Et Saluator, quo nemo meliùs nouit sensum Domini, sic explicat: Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies. Posterior verò pars est ista, Non facies tibi sculptile, & omnem similitudinem, &c. non adorabis eá, neque coles. Quam posteriorem partem complectitur etiam pars posterior dicti Saluatoris; videlicet, Illi soli seruies, adeò vt in effectu veraciter comprehendat summam totius primi præcepti breuis illa sententia Saluatoris, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. D. Quorsum autē additur præfatiuncula illa, Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, & domo seruitutis?

In negatiua subintelligitur affirmatiua.

Moyses habuit cōmissionē huius explicandi mandata.

Explicat Saluator paucis primū præceptum.

Posterior pars primi mandati.

M. Eorsum, vt constet caussa, seu ratio mādati. Non enim quærenda est aliunde caussa, cur eum colere, & adorare, illique seruire oporteat, quàm quia Dominus Deus noster est. Hæc vna prægnās, hæc & sufficiens caussa est, prout intelliges postquam prædicta tria vocabula interpretati erimus. Addidit autē, Qui eduxi te de terra Aegypti, &c. Partim vt commemoratione beneficij inflammaret affectus eorum in obedientiam magis spontaneam, quàm eousque fuerat. Partim vt alíqualem sui notitiam daret. Siquidem Deum nemo vidit vnquam, quare necesse erat, vt adderet certum opus, seu testimonium, quo veluti à posteriori cognosci posset: ne quis hęsitaret quisnam is Deus esset, qui se mandatis istis colendū præcepisset, quasi diceret: Ego sum verissimè ille Deus, qui hoc spectatissimum opus peregi, quo nullum vnquam visum est mirabilius, idque tam stupendis prodigijs, vt nemo dubitare possit, quin is qui fecit ea verus Deus sit. Vnde licet Deum nemo viderit, scilicet per claram, & intuitiuam cognitionem, tamen, vt Apostolus inquit, Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Et simili sanè modo conciliantur Scripturæ, quæ videntur habere contrarietatem in sermone. Ex effectibus enim, et signis, & prodigijs cognoscitur Deus, quasi à posteriori, qui per essentiā videri nō potest. Quapropter ô homo, siue spectes originem tuam, & subsistentiam, ac finem, Ecce ego Dominus Deus tuus, siue spectes mirabile illud beneficium liberationis tuæ de domo seruitutis, Ecce ego ille benefactor tuus, qui te citra meritum tuum stupendis signis & prodigijs eduxi de terra Aegypti, per medium maris rubri submersis omnibus inimicis tuis. D. Mirum, huius particulę, Qui te eduxi de terra Aegypti, &c. nullam fieri mentionem in Euangelijs, cùm toties, tamque sollenniter, passim inculcetur in lege & Prophetis. M. Quādo cœpit Deus educere non solùm vnū vnius familiæ populum, sed vniuersam humanam naturam, adeoque omnem omnium nationum totius orbis populum, modò velint, non per mare rubrū, sed per pretiosum sanguinem vnigeniti filij sui: non de Aegypto ad Palæstinā tam breuem terrenæ inhabitatiōnis prouinciam, quàm ipsa est Aegyptus; sed ad supercælestia, & ad thronū vsque gloriæ Dei: non de domo seruitutis, qua homo homini seruit temporaliter: sed de seruitute peccati sub obligatione interitus, & dānatio-

Rom. 1.

Conciliātur Scripturæ.

Bb nis

autem mente habet, & imaginē in se gerit viventis dei, vocaturq; ab Apost. homo qui intus est. Ceterùm homo qui foris est, vti videmus, corrumpitur per morbum, vertiturque in putredinem per mortē. Homo verò qui intus est renouatur de die in diem, donec quod perfectū est attingat, tantum abest, vt eorrum patur. D. Nō bene intelligo. Nā si tā homo qui foris est, quàm is qui intus, pars est homi
Sapien.6. nis custodientis legē Dei, & custodirio legis est cōsummatio incorruptionis, quomodo igitur pars altera videt corruptionē, altera verò renouatur de die in diem? M. Iā audies ex
Rom.7. Paul. rationem diuersitatis, Ego ipse, inquit, mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati. Cōdelector enim legi Dei secundū interiorem hominem. Video autem aliā legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mēbris meis. Ex quib. verbis Apost. inferre licet, φ iustus mente seruit legi Dei, & eidem eōdē sectatur secundū interiorem hominē, adeoq; adhæret Dño, vt vnus fiat spiritus eum Deo,
1.Cor.6. vt ad Cor. habetur. Ideoq; infundunt sese in spiritum eius deiformis vita, fortitudo triū-
Rom.8. phans de mundo, virtus & incorruptio: in tātum vt neque mors, neque tribulatio, neq; angustia, neque principatus, neque sexcenta malorum millia possent perdere ea quæ in interiori sunt homine incorruptibilitatis semina nisi fortè ipsemet sua spōte se subtraxerit ab obedientia mandatorū Dei. Quemadmodū pulcerrimè ostendit Apost. ad Rom. cap. 8. ac alijs multis in locis. In carnem autem hæc eadem sese nō infundūt neq; infundere possunt. Quia indesinenter resistit caro spiritui, & ser-
Galat.5. uit cōtinuò legi peccati, eiusq; sapientia inimi-
Rom.8. ca est Deo: legi enim Dei nō est subiecta, neq; enim potest. Hinc est φ mirabili dispensatione Dei, dominentur in corpora electorū, quāuis sanctè viuant, fames, ægritudo, elementa,
Roma.8. gladius, & omnis deniq; mortalitatis passio: in spiritū autem nihil dāni inferūt, neq; inferre possunt. Immoquò plus oppugnant illa, eò magis roborātur purganturque spiritalis hominis affectiones, vt vbiq; testatur scriptura: maximè ad Rom. 8. dicens, Scimus quoniam diligentib. Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundū propositum vocati sunt sancti. Hinc rursum est, φ quidquid procedit de visceribus carnis, etiā in sanctis Dei hominib. fœtor est, & corruptionis putredo. Quidquid autem parit de se spiritus sanctificatus per orgaua operationū, spiracula sunt vitæ, veræq; virtutis odoramenta. Quia autem ad finem vsque perdurat hæc rebellio carnis aduersus spiritum, & legem Dei, ideo etia post mortē relinquitur sibi caro suo malo studio reuoluenda in natiuum, vnde desumpta erat princi piū, cinerem scilicet terræ nascentis. Ex quo tamen principio iteratò colligenda erit in illa Genes 18. die, virtute Christi, qui potens est subiicere Iob.7. sibi omnia, vt inquit Apost. vt sit salus ex Deo, Iob.19. & nō glorietur cōtra Deum omnis caro. At- Philip.3. que tunc demum corpus quod seminatū fue- 1.Cor.15. rat in corruptione, surget in incorruptione: quod seminatū fuerat in ignobilitate, surget in gloria: quod seminatum fuerat in infirmitate, surget in virtute: quod seminatum fuerat corpus animale, surget spirituale. Cùm autem Ose.13. mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria. Et erit φ diximus, Custoditio legum, cōsummatio est incorruptionis: incorruptio autē proximū facit Deo. D. Iā intelligo.

In obseruatione mandatorum esse scholam veræ scientiæ, veræq; pietatis. CAP. VI



Omnis homo scire desiderat, nec te puto alienum esse à communi lege nascentium. D. Alienus essem? Bone Deus quantum insumpsi olei, quot verso libros, quot noctes duco insomnes, tantùm vt sciam, & intelligam. M. Ecce Psalm. tibi demōstrat certissimam veræ scien- Psal.118. tiæ scholam, dicens: Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua, meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua exquisiui. Hanc dico ob caussam, quia studui in volumine legis diuinæ, sedulò meditando in mādatis Dei, & perquirendo quæ sit voluntas eius bona, beneplacens, & perfecta, datus est mihi intellectus veritatis, & scientia vitæ, super inimicos meos, super senes venerandos, quod amplius est, super erudita magisteria eorum qui me docuerant, nedum super coætaneos meos. Nolo hîc tibi aliud citare pro argumento demonstrationis, quàm Psalmum Dauidis qui incipit: Beati immaculati in via. Illum lege, & relege vel decies, & tum videbis, quantum, quamque magnifica tribuat Psalm. obseruationi mandatorum Dei, tumque incipies per Dei gratiam facere, & dicere cum Dauide: Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia ipsis viuificasti me, in ipsis vera sapientia, in ipsis æquitas, & iustitia: in ipsis denique retributio multa. Quapropter sicut in argento viuo omnia supernatant, solo auro in fundum subsidente: ita merito in pectore hominis Christiani cuncta deberent supernatare: sola autem meditatio legis diuinæ, eaque iugis ad imum fundum descendere.

De maledictionibus quæ superuenient in præuaricatores mandatorum Dei. CAP. VII.

M. Esa. 28. I improperent maleuoli, & subsannent dicentes: Manda, remanda, manda, remanda, præceptum hic, præceptum ibi, Quid semper de mandatis? Respondebis tu exprobrantibus tibi verbū hoc, Quoniam maledicti qui declinant à mandatis tuis Dñe. Contritio & infelicitas in vijs eorum. Et spes eorum tanquā lanugo est, quæ à vēto tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur. Audi, precor, quantas congerat Moyses maledictiones in eos qui præuaricatores sunt mandatorum Dei. Quòd si audire nolueris inquit vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mādata eius, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledict' eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. D. Hæc legi aliquādo. Verùm quid propriè sit maledictio needum intelligo. M. Maledicere est malū in aliquem dicere, aliquando enunciatiuè, aliquando cum imprecatione. Malediuntur à Deo, qui male audiunt à Deo siue in quos malum dicit Deus, vel per semetipsum, suoque proprio ore, vel per Proph. suos, Episcopos, aliosq; electos veritatis concionatores. Vnde quidquid mali nunciatum est contra præuaricatores legis Dei, per omnem totius Scripturæ traditionem: quidquid item per viuam vocē imprecatum est ab ijs, qui locū tenent Dei in terris, totum pertinet ad maledictionē Dei. D. Verbalem scilicet: At verba in aërem volant, quem vbi loquentem fecerūt, vim suam perdunt, abeuntq; in nihil. M. Sic esse potest in nostra humana maledicentia. Ceterùm vox Dñi in virtute, vox Domini in magnificētia, inquit Psal. Certum itaq; habe ꝙ quemadmodum dicere Dei, & facere q̄ minime distant, Dixit enim & facta sunt: ita & maledicere Dei semper efficax est, & fecundum, de se producens pondus malorum, & plagarumvndas. Quòd si non statim, & eodem quidē momento post demeritū euenerit, exclamemus: Misericordiæ Domini, misericordiæ Domini quòd nō sumus cōsumpti in iniquitate nostra. Porrò si quis contemnit, vt inquit Paul. diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis, aut ignorat, quoniā benignitas Dei ad pœnitentiam adducit, is secundum duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: quoniam ira, & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, hoc est, præuaricantis mandatum Domini Dei sui. vtque solet opprimere exundans tempestas maris, cùm procellarum montib. rapit insulas, nullum relinquēs earū vestigiū, sic tandem veniēdo veniet vis maledictionis diuinę, rapietq; præuaricatores mandatorum suorum, atque in puncto ad inferna transmittit. Ne quis autem paruifaciat maledictiones Dei pronunciatas per Moysen famulum suum, addit Proph. dicens: Quoniam qui malignantur exterminabuntur: sustinentes autem Dñm ipsi hæreditabunt terram. Si autem quæras, per quem exterminabuntur? Indubiè per Christum. Dicit enim Ioannes: Quoniam accepisti Dñe virtutem magnam exterminandi eos qui corruperūt terram. D. Scio quòd exterminare, sit extra terminos protrudere, sicut eliminare est extra limites ponere. Verùm, qui sint termini isti, extra quos per Christum protrudentur præuaricatores mandatorum, prorsus non intelligo. M. Sunt extrema siue fines diuinę maiestatis diuinæ gloriæ, diuinæ dulcedinis, consolationis, propitiationis, diuinæ denique bonitatis, ac influentiæ, extra quæ protrudentur malignantes & præuaricatores mandatorū, quantum existentia naturæ patitur, quam vtique naturam Deus in eis conseruabit: magis sanè ad suæ iustitiæ manifestationem, quàm ad solatiū illorum, adeò quòd non attingent vltrà, ne extrema quidem diuinæ maiestatis, aut gloriæ, aut dulcedinis, aut consolationis, aut propitiationis, sed clausæ eis erunt, portæ vitæ, mœniaque cælestis Hierusalem inaccessa. Quia exterminator Angelus gladio flammeo custodit ea. Et tunc erit quod suprà diximus, Mors depascet eos. Tunc quoque accipiet armaturam zelus altissimi, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum suorum. Nam pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos, positos iam extra terminos gloriæ suæ, propitiationis suæ, ac saluationis suæ. Vt autem summatim dicam: pars illorum, qui nō obediunt mandatis Dei, erit maledictio, plaga, anathema, exterminiū, mors prima, mors secunda, supplicium æternum, desolatio extrema, supplantatio sub vniuersam creaturā. Si quæris quo in loco? Respondet Ioan. Apos. In stagno ignis & sulfuris. Respondet insuper Iob: In terra tenebrosa, & operta mortis caligine, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Respondet denique Euangelium: In gehenna ignis, in igne inextinguibili, in igne æterno, in tenebris exterioribus, vbi erit fletus, & stridor dentium. Vbi vermis eorum non moritur, addit Propheta, vbi nulla est redemptio. His enim epithetis explicat Scriptura magnitudinem damnationis venturæ, in omnem

Margin notes (left): Psal. 118. Psalm. 15. Sapien. 5. — Deut. 22. Maledictiones in transgressores mandatorum Dei. — Maledicere quid sit. — Quam sit efficax maledictio Dei. Psalm. 28. — Dicere Dei est simul facere. — Maledicere Dei semper est efficax. — Roma. 2.

Margin notes (right): Iob. 21. — Psalm. 36. — Apoc. 11. Quid exterminare. Quomodo exterminabuntur præuaricatores mandatorum. — Sapien. 5. — Epilogus. Apoca. 9. Iob. 10. — Matth. 3. 25. 18. — Esa. 66.

omnem animam prævaricantis mandatum omnipotentis Dei.

Meritò ac iustè hæc præcedentia infligi,etiā pro vna vnius mādati trāsgreßione.

CAP. VIII.

D. Haeccine tam horrēda infliget misericors Deus pro vna vnius mandati transgressione? M. Nihil verius, nisi per pœnitentiam diluas culpam. Certissima enim est sententia Iac. dicentis: Qui offenderit in vno, factus est omnium reus, hoc est, quo reatu obligatur, & ad quam damnationē mortis ille qui plura, & sæpius transgressus est, eodem reatu, & ad eādem mortis damnationem obligatur is qui offendit in vno solo, & tantùm semel. Grauius tamen suppliciū portabit qui in pluribus, aut sæpius offenderit, iuxta quantitatē delictorum suorum & munerum; vt vnusquisque recipiat prout gessit in corpore suo. Omnes tamen & qui semel offenderunt in vno, & qui in multis, & qui semel tantùm, omnes dico, maledicti sunt: quia declinant à mandatis tuis Domine, omnes exterminabuntur, mors depascet omnes per supplicium ignis inextinguibilis. Quod tamen intelliges, nisi condignam in hac vita egerint pœnitentiam. Secundò intelliges de perfecta, & bene deliberata transgressione. Nam vnusquisque quidem tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus, ceterùm non ibi adhuc transgressio legis, sed tentatio, vt est videre in Canonica Diui Iacobi. Deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum. Dicit, parit, quia needum ibi plena transgressio, sed in malum prævaricationis præuia dispositio. Peccatum verò cùm consummatum fuerit, scilicet per voluntatem deliberatam, ac plenè resolutam; tunc demum generat mortem. Qui autem offenderit in vno mandato per voluntatem deliberatam, is factus est omnium reus, hoc est, is filius est iræ, & mortis, exheredationis & damnationis, non minus quàm si omnia transgressus esset. D. Si, quod in momēto commissum est, & semel tantùm, & modica fortassis cum delectatione, puniat Deus æternaliter, tam horrendo mortis supplicio, vbi æqui ponderatio? vbi, quod ... let, Misericordia Dni plena est terra? ... illud: Secundū quantitatem delicti erit & plagarum modus? Nam secundum præcedentem declarationem, delictum vnū, at plagæ multæ: delictum momentaneum, punitio autem delicti æterna: delictum cū modica delectatione, stipendium vero delicti damnatio mortis citra modum ac finem. M. Fili si bene perpendas tria: Nempe quis est, & cuius sit potestatis, qui mandatum tulit. Secūdò qualis, & quàm necessaria sit dependentia naturæ nostræ ad legislatorem Deū, miseriæ nostræ ad diuitias misericordiæ illius. Tertiò q̄ innumeris obligationib. homo sit obligatus Deo suo, omni ex parte: nō solùm pro se, sed & pro toto mundo. Hæc, dico, si bene perpendas, facillimè intelliges, q̄ iustè puniat Deus æterna mortis damnatione, etiā vnam vnius duntaxat mandati transgressionem. Quantū ad primū. Qui imposuit tibi mandatum Deus tuus est & Dns, & omnipotens nomē eius. Qui vtiq; omnia est, omnia implet, omnia habet in sua potestate: immo ad nutum suum, plus dico, ad votum suum, cui nihil impossibile est nihil arduū, nihil est difficile: Tenēs imperiū mortis & vitæ, & vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, dans denique mandatis suis, omnibusq; dictis suis, addo, omnibus literis, & syllabis legis suæ, tantum robur, talemq; auctoritatem, vt dicat Scriptura: Cælū & terra transibunt. verba autem mea nō præteribūt. Immo nec iota vnum, aut vnus apex præteribit à lege Domini, donec omnia fiant: vti pleniùs infrà explicabimus cùm tractabimus de voce hac Dominus. Qualis nunc tibi videtur hæc mandantis auctoritas? D. Certe talis, vt dignior, vt augustior, ac irrefragabilior cogitari non possit. M. Audi igitur. Qui edit mandatū Deus, est bonum immensum, immensaq; eius maiestas, habens in nos infinitam potestatem. Omnis itaq; contemptus, omnisq; rebellio, quam committimus contra ipsum, reuera est infinitæ malitiæ, & ... ratione illius in quem committitur. At malitia infinita iustissimè punitur supplicio infinitæ durationis. Quantum verò ad secundū, & tertiū sufficiunt duo dicta Apost. Prius est, Quoniam ex ipso, Deo scilicet, per ipsum, & in ipso sunt omnia: quare & homo, & quidquid est hominis. Posterius, Quid enim habes, quod non accepisti? Quasi diceret: Prorsus nihil. Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Vis nunc demonstrem tibi ad oculū, quot modis debeas Deo tuo nōn solùm obedientiam tuam, sed etiam teipsum, quantus quantus es, omniaque quæ habes, & habere posses? D. Obsecro. M. Tot dico modis, quot habes in te subsistendi facultates. Nulla enim tibi ex te inest, sed quā cunq; habes, ex bonitate donantis Dei habes, nec diutius in te ... est, quam ille dederit. D. Ergo, sicut omnes alij homines, subsisto per corpus & animam. M. Bis ergo teipsum totum debes Deo: quia vtrūq; est à Deo. Formauit Deus, inquit Scriptura, hominem de limo terræ: hoc quantū ad corpus. Et inspirauit in faciem eius spiraculū vitæ: hoc quoad animam. Præterea postquàm gratis, & sine argento venundata esset natura humana in damna-

Quomodo qui offendit in vno fit omniū reus. Iacob. 2.

Deut. 25. 2. Cor. 5.

Psal. 118.

De qua transgressione loquitur.

An stet cū immensa misericordia Dei peccatum æternaliter puniri. Psalm. 32. Deute. 25.

Tria bene perpendēda ad æqualitaté

peccati & supplicij intelligendam.

Cuius potestatis sit legislator. Apoc. 1. Exod. 15. Ephes. 1. Rom. 4.

Matth. 24. Matth. 5.

Quòd innumeris obligationibus homo sit obstrictus. 1. Cor. 4.

Sapien. 16

Genes. 2.

Rom. 5.

Galat. 3. 1.Cor. 1. 1.Petr.1. damnationem mortis, quis te sine te, totáq; humanam naturam redemit? Nónne Deus per Christũ Dñm nostrum? dicente Apost. Petro, Scientes quod non corruptibilibus auro vel argẽto redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. D. Sic persuasissimum habemus ex fide. M. Iterum ergo debes teipsum Deo, ratione huius emptionis 2.Cor. 1. & redẽptionis Christianę. Quòd porrò cœperis esse noua creatura in Deo, nactus spiritum eius, & sapiẽtiã, & iustitiã, & libertatẽ, quæ ex ipso sunt. Hoc vnde tibi? An ex te, aut tuis viribus? Minimè. Quis enim potest mundũ facere, de immũdo cõceptũ semine? Nónne tu qui solus es? inquit Iob. Quod elegantiùs expli- 1.Cor.1. cat Apost. dicens: Ex ipso, scilicet Deo, vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Vt quẽadmodum scriptũ est, Qui gloriatur, in Ierem.9. Domino glorietur. Oportet enim quemlibet 1.Cor. 15. nostrum ex corde dicere cum Paulo, Gratia Dei sum id quod sum: gratia Dei habeo, siquã habeo, sapiẽtiam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem. Debes ergo tertiò teipsum totum Deo, & Christo filio eius propter regenerationẽ, quæ est in sanguine ipsius. Ad hæc quod non solum pacem inueneris cũ Deo, verumetiam factus sis hæres omniũ bonorũ Dei, & coheres cum Christo. Vnde quæso? Nónne ex ipso per Christũ, vt pulcrè deducit Petr. in 1. sua Canon. cap. 1. Debes igitur teipsum quartò etiã pro hac re Deo patri, & Christo Dño. D. Et quid retribuemus Domino pro omnib. quę tribuit nobis sine meritis nostris? M. Promptam obedientiam cũ gratitudine. At pergat inductio. Quoties perpendis tibi aliquid esse necessarium, quo subsistat vel proficiat in melius corpus tuum, aut anima tua, aut datum tibi munus viuificantis gratiæ, toties recogita quod etiã hac de caussa teipsum totũ debes Deo. Porrò sine cælo & Sole, sine igne & aqua, sine cibo & potu, sine domo & vestimento nõ cõsistit corpus nostrum. Et horũ quæ dixi, ne vnum quidẽ esse potest tibi in vsum, non cooperante vniuersã mũdi substantia. D. Maneo igitur obstrictus Deo, vt apparet, pro cælo, Genes.1. terra, igne, aqua, cibo, potu, lana, lino, ligno, et lapide, & vniuersa deniq; mũdi fabrica. M. Nihil verius. Omnib. enim his opus habem', & hęc omnia facta sunt propter hominẽ: homo autẽ propter Deũ: Nunc supputa quot modis teipsum debeas Deo solùm ratione naturę tuę corporeæ. D. Quid supputarem? Sunt innumera sine quibus viuere nõ possumus. M. Ergo innumeris obligationibus Deo obstricti sumus, etiam ratione solius corporis. Verùm corpus sine anima quid est? D. Minus quàm brutum. Quia brutum sentit & mouetur: homo autẽ vbi animam expirauerit, neq; sentit, neq; motum facit: immo mox putredo efficitur, & fœtor, haud secus atq; bruti cadauer, adeo vt ne triduum quidẽ seruari possit, cùm interim inanimata corpora in annos subsistãt & sęcula. M. Dictum bene. Soli igitur animę rationali debemus, quod brutis præstamus cęterisq; reb. mundi. D. Sic est. M. Animam verò vnde habemus? D. A Deo, vti iam dictum est. M. Dicito audacter, à solo Deo. Nã qui contendunt animã ex traduce esse aliena pertractant à communi omnium Orthodoxorum sententia. Pro eo igitur quod animam habes rationalem, & naturam sortitus es infinities meliorem quàm reliqua mundi corpora animata vel inanimata, debes arctissimè Deo teipsum totum, nedum obedientiam tuã. Et propterea quotiescunque vides bestiarũ brutalitatem, ceterorumque inanimatorum impotentiam, debes meritò te huius tui debiti piè memorem facere, recogitando tot vicibus debere te Deo, quot illa anteecdis proprietatib. Adhæc anima rationalis haud dubiè nõ eandem habet virium, virtutum, ac potentiarum supellectilem in singulis hominibus. D. Hoc benè notauit Terentianus ille dicens: Dij immortales, homini homo quid præstat? stulto intelligens quid interest? M. Igitur caussa exempli: quod tu prudens es ac prouidus, multis existentib. fatuis, tu neque cæcus es, neq; mutus, neque elinguis: cùm tamen his facultatib. careant plurimi: tu probè institutus ad officium, probeque imbutus liberalibus disciplinis, vt inter homines hominem agere didiceris: alijs multis vel ad stiuã aratri, vel ad fodinas lapidum, aut bestiarum perpetuam consuetudinem quasi condemnatis, vbi nihil vnquam quod ingenuum sit, audiunt: rursum quod tu pie operam nauas pijs disciplinis, alij operam ludunt, seu potiùs perdunt in vanis scientijs, quæ inflant, & non ædificant, tandemque cultores suos sine fructu derelinquunt: denique quòd tu sis diues opum, alius inopia plenus, tu nobilis, alius ignobilis: te ornant byssus & diadema gloriæ, alium vix vestiunt saccus & cilicium: an nõ propter hæc tu obstringeris Deo, multò magis quàm illi qui eisdem carent? D. Hoc fortunæ videtur tribuendũ, vices rerum sic dispẽsantis. Vnde benè aut male fortunati dicimur. M. Caue fili, quia Ethnicum est quod dicis, prorsus alienum ab Euangelio. Siquidem certissima regula fidei est, Ex ipso, scilicet Deo, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula seculorum. Ceterùm hic multa disserere de donis ac gratijs Dei, superuacaneum apparet. Nam si dona sunt, aut gratiæ: igitur ex nobis non sunt.

Eunuch. Act. 1. Scena 1.

Rom. 11.

Si enim ex nobis nostrisue meritis sunt, dona siue donata aut gratuito impensa dici non possunt, vti Paul. ad Rom. & ad Galat. ostendit. Debes igitur Deo tuo pro fide & fidei Sacramentis, pro spe, & ea caritate Dei quæ diffusa est in cordib. nostris per Spiritum sanctū qui datus est nobis. Pro pulsu insuper & tactu, & inspiratione quib. ad cor transit Deus, pro singulis deinde muneribus quibus consortes efficimur diuinæ naturæ, pro verbo salutis, pro pastoribus animarū, pro matre Ecclesia, quæ te de gremio suo peperit vitæ æternæ, fouet, lactat. Omnia enim hęc ad gratiam Dei spectant, omniaq; tibi, mihiq; necessaria sunt, vt morte superata felicitatem inueniamus. Vnde quoties tibi In mentem recurrit, vt recurrere debet frequenter, te non ethnicū hominem esse, sed ad pedes Iesu in Euangelio salutis enutritum: te non longe positum, sed propè, veluti in sanguine Christi redemptum & in medio eorum collocatum, qui vocātur gens sancta, populus acquisitionis, regale sacerdotium: te habere Deum velut Patrem, Christum velut Saluatorē, & verbū Dei tanq̄ pabulum vitæ, Sacramenta Ecclesiæ tanquam antidoton contra iacula inimici, gremium Ecclesiæ tanquam munitionem, aduersus quam non pręualebunt, ne portę quidem inferi. Toties, dico, oportet te memorem esse, q̄ variè debes teipsum Deo. Ideoque si quando videris incontinentem, aut ebrium, aut rixosum, aut maledicum, te verò confidis vteunque immunem esse ab eisdem malis, scito tunc & intellige te tantum debere Deo gratitudinis, & obedientiæ, quantum illi demeruerunt mali. Quoniam q. tu non malus, vti illi, immò nō tu peior, quàm illi, nequaquam ex teipso, sed ex Dei habes beneficio. Quod amplius est, teipsum comparatione ad illos reprehende. Quoniam si illi, quam tu habes, gratiam accepissent, multò forsan te meliores essent: quia gratia accepta diligētiùs, maiorique cum gratitudine vterentur, quàm tu facis. In quo genere meditationis mirum in modum exercebat se venerabilis pater B. Bernardinus. Intelligis quæ dico? D. Intelligo. Ceterùm vnde surgit hæc inæqualitas, tam in gratuitis donis quàm in naturæ ac fortunæ bonis? M. De hoc dicemus loco magis opportuno.

Rom. 11. Galat. 2. Rom. 5. 2. Pet. 1.

Non est mirum pro momentaneo actu peccati infligi pœnam perpetuam. CAP. IX.

M. 
Nunc autem dicito mihi, qualis sit dependentia creaturę ad creatorē? D. Certè necessaria omnimoda, & ex omni parte. M. Et quot sunt obligationes quibus obstringimur Deo ad obedientiam? D. Plurimę, innumeræ, ne dicam, infinitæ: quia non est aliquid rerum pro quo non obligatur rationalis creatura Deo. M. Optimè. Scribens enim Apost. Corinth. Omnia, inquit, vestra sunt: siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei. Tertiò & illud responde, An sint multum arctę, vehementerque stringant nos eiusmodi obligationes ad obediendum. D. Meo quidem iudicio, sine comparatione magis q̄ illa, qua filiusfamilias obligatur patri carnis suæ. M. Adde pro ratione, quoniam sicut omnis vis generandi à Deo est: ita omnis auctoritas patrum in filios à Deo est, immo ipse pater patrum est, ac solus pater: infundens quidquid est naturalis aut gratuitę vitæ in nobis. Vnde dicit Christus: Nolite vobis vocare patrem super terram: vnus est enim pater vester qui in cęlis est. D. Insuper magis quàm illa qua ciuis Senatui obligatur, aut Regi subditus, aut præposito Ecclesiæ Christianus. M. Pro ratione adiunge: Quoniā per me, inquit Altissimus, reges regnant, Et omnis horum potestas à Deo est, vt patet ad Rom. 13. atque alijs in locis. D. Rursum magis quàm illa, qua redemptus à captiuitate belli obstringitur suo redemptori, aut seruus suo domino. M. Ratio est. Quoniam iste redemit modica pecuniola, & non nisi à morte temporali, ad vitam quasi momentaneam, adeoq; dubiam, vt diem nesciat & horam: nec id tam in bonum redempti, quàm vt sibi mancipium inueniret. Deus autē per viscera animę suę te redemit, non corruptibilibus auro & argento: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, à morte sanè perpetua ad vitam felicitatis, quæ vt finem non habet, ita amarum nescit aut triste: idque non vt sibi bene esset per te, quia bonorum nostrorum nō eget, sed pura benignitate: vt te nō solùm sui, sed & suorū gloriæ, & maiestatis participem faceret. Et quid dico participem? Quin potiùs vt te vnum faceret secum, prout liquido constat ex Ioanne Euang. Igitur quanto præstat Deus his quos induxisti, secundò quantò isti non per se, sed per illum habent quòd ipsis obligaris, tantò arctius est, tantoque inuiolabilius debitum quo Deo obligamur ad obediendum. Et quantò ipse puriori beneficētia præsidet nobis, quàm illi, tanto fœdior est nostra contra Deum inobedientia. Nunc te interrogo, qui aduersus paterna mandata rebellis existit, nōne iustè exheredatur? D. Prorsus: si modò enormis sit rebellio. M. Sic enim definit titulus de exheredandis filijs immorigeris.

1. Cor. 3. 1. Petr. 1. Psalm. 15. Ioan. 15. A simili demonstratur pęccatum tēporaneū rectè puniri æternaliter.

rigoris, sicq; iubet lex naturæ, vt qui patris au ctoritatem ferre dedignatur, careat illius feli citate. Et qui semel exheres factus est, nonne in æternú carédú erit illis bonis paternis? D. Indubiè, nisi reconcilietur. M. Esto. Nam & Deo recóciliari potest peccator. Ciuis insuper nó obtemperans Senatusconsultis, nónne rectè extruditur à ciuitate, & extorris manet in perpetuum? Adeò si ciuitas subsisteret ad centies centena millia annorú, ipseq; æternum viueret, nihilominus perpetuò manerent sibi mœnia ciuitatis inaccessa: licet solum semel et ad horulam deliquerit in Senatorias leges, paternásue constitutiones. D. Sic est, & omnes iustú esse iudicant. M. Tamen horariú est delictum, & sempiterna delicti punitio. Insuper qui Regis imperio nó paret, nónne legitimè iudicij damnatur, aut capitis? D. Etiá. Aut cer tè iniqua est omnis principum dominatio. M. In exercitu quoq; qui ducis mandatú præuaricatur, nónne militú iudicio, qui alioqui scelerati sunt, in furcam suspenditur, aut lanceis confossus à vita exterminatur? Et quidè hæc iusta habentur oím nationum iudicio, quamlibet Barbaræ sunt: sed & approbant eiusmo
Exod. 22. di, lex naturæ, lex humana, lex deniq; diuina, dicente Dño: Maleficos nó patieris viuere. Et
Roma. 13. Apost. Non sine caussa gladium portat, iudex scilicet, Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit. Quátò igitur iustius, vt ad propositum redeam, códemnatur æterni exilij, æterniq; supplicij ille, qui nó obstante infinita Dei nostri potestate in nos, omniaq; nostra, non etiam obstantibus innumeris obligationibus quib. eidem obstringimur, tamen contra debitum gratitudinis, contra legem ea ritatis, quod plus est, contra omnem æquitatem, denique contra naturalem dependentiam quam io reb. finxit immutabilis natura, contemnit, negligit, transgreditur sacrosanctas leges, sanctaq; mandata, quæ præcipiendo per semetipsum præcipit, ille cuius maiestate nihil augustius, nihil venerabilius, nihil potest esse terribilius. Rebus autem sic se habeotib. an quæso transgressio fieri potest sine contemptu iniuriáue tantæ maiestatis? Tu ipse iudex esto. D. Certè non potest: nisi ex surreptione contingat factum, aut vehemeti perturbatione. M. Loquimur de bene deliberata actione, qua quis sciens, beneq; aduerteos delinquit. Et contéptus boni infiniti, cui teipsum infinitis modis debes, nónne est infinitæ malitiæ? D. Sic esse conuincit ratio. M. Nulla igitur est iniustitia, etiamsi punitio sit infinitæ durationis. Quinimmo certo certius apparet ex ordine rerú, eum qui fontem deserit vitæ suæ, mox pabulum fieri mortis: mortis verò æternæ, si in æternú existit desertor. Deserit autè omnis præuaricator legis. Necquidq potest esse confinius rationi, quàm vt procul fiat ab omni misericordia, qui misericordiarum domino rebellem se facit. Est autem rebellis, qui suam volútaté diuinę voluntati anteponit. Adhæc nihil æquius, quàm vt exulet tandem à curia cœlesti, qui edicta cœlestis curiæ sustinere nó voluit, & extrudatur virtute omnipotentis in locum horroris, & mortis, qui dum viueret perturbator fuit legum, pacis, & vitę. Deniq; nihil iustius, quàm vt omnis creatura conuertat se in vindictam illius qui omnium creaturarum cótempsit auctorem, prout futurum pronunciauit scriptura dicés: Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Addit, Et pugnabit cum illo orbis terrarum cótra insensatos. Adhuc obsurdescit tibi auris? Intellige, quæso, quid dicant eloquia sacra. D. Et audio, & intelligo, & contremisco non parú. M. Gaudeo. Quia ad quem, inquit os Domini, respiciam, nisi ad pauperculum & trementé sermones meos? Sed quæ caussa tremoris?

(An transgressio fieri possit sine contemptu.)

(Rebellis quis dicatur.)

(Sap. 5.)

(Esa. 66.)

Mandata Dei non esse grauia, tantum abesse vt sint impossibilia. CAP. X.



Ideo rem arduam esse, & plus quàm humanæ possibilitatis debitè obser uare mandatú Dei. Scio insuper numerosam esse obseruandorum mul titudinem. Et nihilominus qui offenderit in vno, fact' est omnium reus, vti probatum est, non igitur deest nobis caussa tremoris. Discedat procul hinc vaporosa hæc carnis diffideo tia. Amanti nihil est difficile. Et nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Scripturis clarè ostenditur nó solùm non superare vires nostras, sed & leue ac suaue esse onus mandatorú Dei: omniaq; posse impleri in vno Dño ne scilicet vllum sua multitudine fastidium adferant. Definit veritas. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Addit Apost. Ioan: Mandata eius grauia non sunt. His coniungit Psalm. Mádata tua desiderabilia super mel & fauum, super aurum & argentum, & omnem lapidem pretiosum. Moyses quoque cui familiare erat cum Dño colloquium sic testatur: Mandatú hoc quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere có pleamus? &c. Sed iuxta est sermo, valde in ore tuo, & in corde tuo vt facias illum. Blasphemus est, quisquis cóté dit Deum præcepisse, quod obseruatu est impossibile. Impius, qui existimat Christum humeris fideliú imposuisse on' vel importabile, vel dura seruitute molestú. Mandatum legis Euangelicæ in se leuissimum est. Quidquid

(D.)

(Iacob. 2.)

(Mandata Dei nó esse grauia. Matth. 11. 1. Ioann. 5. Psalm. 18. Deute. 30.)

enim præcipit in sola caritate solidatur. Et quid facilius dilectione? Si onerat aut molestum est, ex te surgit, & in tua est cupiditate, omnis hæc onusti ponderis ratio. Vnum vna cum Christo Dño iugum ducere (dicens enim iugum meum insinuat nos secum seque nobiscum cõiugatos esse) nõ est seruorũ, sed filiorum, nõ ignobilitatis, sed summæ altissimæq; nobilitatis. Si sentis amaritudinẽ, nõ est illa in præceptis, sed in crassis, qui de carne tua exhalant, passionum vaporib. Caro concupiscens aduersus spiritum, malum habitãs in homine, corpus aggrauans animã, lex regnãs in mẽbris: his enim nominib. appellatur concupiscentia à Paul. hæc, inquã, dum renituntur & recalcitrant, suisq; funibus malarum affectionum quasi cõstringunt organa virtutum, tædium ingerunt, & auersionẽ ac difficultatẽ pariunt in exequendis præceptis: nõ vtique qualitas rei præceptę, quęquoniã virtutis materia est, bona in se, & suauis esse debet. Virt⁹ enim nõ nisi circa bonum versatur. At dicito mihi, Nonne vinum per se delectabile gustui, amarum videtur febricitanti: eò ꝙ noxius humor præoccupat organum sensus, atq; illinc amaritudo, nõ ex vino? Et ambulare ad forũ quid eò facilius? In firmis tamen & infantilib. mebris valde est difficile: & quò morbus fuerit grauior, aut ætas minor, eò fit difficilius. Sic quandiu infantes manemus in Euangelica vita, & needum sensus exercitatos habemus: item quamdiu noxius humor concupiscentiæ præoccupat organa virtutum, tædiu manet difficile, quod alioqui in se facillimum est cognoscitur. Videm⁹ ꝙ vectores equi dum mittuntur in diuersum, aut nihil promouẽt, aut admodum parum, etiamsi vacuum sit, & sine onere plaustrum, nõ quia põdus plaustri excedit, sed quia nõ eodẽ trahunt equi. Sic quamdiu in affectib. suis secum dissidet homo, & aliò rapit concupiscentia carnis, alio impetus iræ, aliò ambitio, aliò ratio & spiritus, tãdiu onus sentit & iugum quasi molestæ seruitutis, & quò maior fuerit turba passionum, eò insuauius apparet iugum legis Euãgelicę. Nequaquam tamen in illo, sed in affectu hominis est grauaminis ratio. Non igitur dicas ampliùs, esse plus quàm humanę possibilitatis, seruare mandata Dei. D. Saltẽ depressis sub onere peccatorum pene est impossibile, M. Cui dubium? Quid enim non est impossibile cadauerosis hominib. insensatis, aut destitutis auxilio necessario? De terra terrenus, & onere peccatorum depressus, an exequi poterit quod diuinitus mandatum est, diuinũque facit, sine ope diuina? An vnquam implumis bestia volatu scindet aëra? Et qui sine viribus est, quomodo faciet virtutis sue virium

Mandata esse difficilia peccatoribus

opus? Executio autem mandati opus est virtutis: adeo vt nihil cadat sub mandato, nisi secundum quod rationem habet virtutis. Nihil etiam implet mandatum, nisi opus virtutis, hoc est, nisi quod factum est iudicio, vbi quando, & sicut oportet. Qui igitur totus malus est, penitus destitutus omni exercitio & adiumento virtutis, certè huic tam est difficile obseruare mandata Dei citra transgressionẽ, quàm est difficile claudo currere citra offensionem. Certum est cæcos, claudos, impotentes, morbidos multa non posse, quæ his incõmodis depositis vtique possunt. Cùm autem promptum sit homini Christiano se ab eiusmodi incõmodis cõuolando liberare ad fidẽ, meritis suę lumen, gratiamq; Dei sanantẽ & cooperantem, non debet ei mandatum dici impossibile. Id enim possumus, teste Christo: quod per amicos possumus. Sicuti & Apostolus dicit, Omnia possum eo qui me confortat. Item, Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Quod autem omnia mandata complectantur in vno, docet idem Apostolus expressè dicens: Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non cõcupisces, & siquod aliud mãdatum est in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Nemo igitur meritò offendi potest mandatorum multitudine. Modum autem quo omnia implentur in vno mandato caritatis exactiùs enucleabimus posteà in tractatu de præceptis caritatis.

Executio mandati Dei quid.

Impossibile mandatũ sanctè exequi sine gratia. Hebr. 12. Galat. 5.

Regnum Dei non posse constare sine mandato. CAP. XI.

D. Eus bone, quàm liberi, quamque felices essemus, si nullũ foret mandatum M. Quare hoc? D. Quia datum mandatum multis est occasio ad interitum mortis. Vbi enim non est lex, ibi nec præuaricatio. M. Rectè. Virtus enim peccati lex. D. Vbi autem non est præuaricatio, ibi nec vlla potest esse condemnatio ad mortem. Tolle igitur mandatum, & sublata erit omnis illaqueatio mortis. M. At contra tolle mandatum, & Deum quoque sustulisti à nobis, & regnum eius. Per mandatum enim ac legem constat regnum Dei, adeò vt nec celestes spiritus sine mandato beati esse possent: quia non sine mandato caritatis & obedientię. Rursus tolle mandatum, & sustulisti non solùm pædagogiam naturæ formandæ secundum virtutẽ, verumetiam notitiam ordinis & veritatis: vt ex subiectis patebit. Et quid obsecro his sublatis erim⁹? Nonne ānō? nonne irregulares? nonne bruta animantia

D.

Rom. 4.

1. Cor. 15.

Sine mandato nec cælestes quidẽ regnũ cõstat. Sine mandato non est pædagogia virtutis, neq; ordinis cognitio.

magis quàm homines? Vbi natura deprauata, ibi citra legem nulla vitæ ordinatio: vbi autem non est continentia ordinis, ibi nec iustitia. Iniusti autem disperibunt, & omnis eorum gloria in confusione erit. Insuper per legem est cognitio peccati. [Psalm. 36.] [Rom 7.] Nam concupiscentiam nesciebam, inquit Paulus, nisi lex diceret: Non concupisces. Qui autem ignorat, ignorabitur, [1. cor. 14.] vt idem testatur Apostolus. Itaq; quoniam per legem testificatio diuinæ circa nos voluntatis, per legem cognitio peccati, per legẽ directio naturæ accrescentis in Deũ, pædagogia quoque & disciplina inquietæ carnis ac passionum, denique per legem demonstratio ordinis, sine quo nihil firmum aut perpetuum: reuerà non posset aut bene esse homini, aut regnum Dei constare inter homines sine lege, & mandato. D. Et quomodo fit demonstratio ordinis per legem siue mandatum? M. Hoc modo. Lex lata siue mandatum suapte natura conuincit, & dominij potestatẽ esse in mandante, & obediẽdi necessitatem in ijs qui mandatum acceperunt, illum maiorem, istos minores: illum dominum, istos subditos. Itaque aliquis ordo est inter Dominum & dominio subiectos. Quam solam ob caussam etiam in Paradiso, cùm natura esset adhuc incorrupta, bene per omnia consentiens, & in se, & cum suo conditore, opus erat legis mandato, & hoc sub [Genes. 2.] pœna mortis. Sic enim habet scriptura: Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. An inuidebat illis Deus bonum scientiæ, aut fructum huius arboris? An vllam habebat repugnantiam gustare fructum visu pulcrum & ad vescendum suauem, & in eum alioqui vsum creatum? D. Quorsum igitur vetitum oportuit ne gustarent de fructu arboris illius? M. Non ob aliam caussam, quàm vt immobili decreto mandati euidenter constaret, plenitudinem dominij rerum omnium, etiam ad pomum vsque, idque in medio Paradisi, ne tantummodo pars angularis Paradisi Deo tribueretur, esse apud eum qui legem tulit: cunctaque etiã minima, quale est pomum, venire in vsum hominis, sola solius Dei beneficentia, gratuitaque voluntate. [Quare Deus vetuit ne comederent de arbore scientiæ boni & mali.] [Rom. 11.] Quis enim priùs dedit illi, & retribuetur ei? Secundò vt hinc constaret, hominem tanta necessitate subiectum esse legislatori Deo, vt in omnibus, ne pomo quidem excepto, oporteat illum pendere semper & vbique ex voluntate viuentis Dei, illiusque subseruire mandatis per omnia, etiam in re alioqui leuissima; quia in pomo vel gustando vel non gustando, & hoc sub interdicto mortis statim incurrẽdæ. [Genes. 2.] Dicit enim scriptura: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Vt scilicet intelligas, quia ego sum Dominus mortis & vitæ, qui viuifico & mortifico, deduco ad inferos & reduco, & nõ est qui de manu mea possit eruere: [1. Reg.] [Iob. 10.] Videsne quomodo lata lex conuincit dominij potestatem residere penes mandantem, obedientiæ verò necessitatẽ manere in eo cui fit mandatum? [Lex est penes mandantẽ, obediendi necessitas in subdito.] Vnde neque ibi frustrà fuit lex, vbi corruptio nulla: plus dico, ibi quoque erat lex necessaria: quia licet in Paradiso non esset caligo errorum, aut dissidentium opinionum fumi, vllave carnis inquietudo, tamen ibi ex parte cognoscebant, ex parte prophetabant, & per ænigma videbant velut in speculo, non autem facie ad faciem. [1. Cor. 13.] Quod postremum conuenit solùm glorificatis: à quibus tamen ne status quidem beatitudinis excludit omne mandatum, aut vinculũ legis: quia etiam in cælis lex est caritatis. Caritas enim nunquam excidet. [1 Cor. 13.] Absit ergo, absit quòd lex siue mandatum esset illaqueatio mortis. Inquit enim Apostolus Paulus: Lex sancta, & mãdatum sanctũ, & iustum, & bonum. [Mandatũ sanctũ & iustum.] [Rom. 7.] Sumptaque occasione sic quærit, sibique respondet, Lex igitur peccatum est? Absit. Sed per legem cognitio peccati. [Lex affert multas vtilitates.] Addo, cognitio ordinis, cognitio voluntatis diuinæ, cognitio dependentiæ explicatæ per scripturam hanc: Quoniam ex ipso, in ipso, & per ipsum sunt omnia. Directio quoque & pædagogia corruptæ fluidæque naturæ, quæ alioqui suis stimulis, & suarum cupiditatum tortionibus rueret cæca in interitum mortis. Lex quidem indubiè virtus peccati est: [Quomodo lex sit virtus peccati.] nemo enim negare potest, quod Apostolica definiuit auctoritas. Nam præuaricatio quòd peccatum fit, quòd Dei imaginem, mentem scilicet, commaculet, quòd spiritum extinguat, quòd mortis inducat reatum, & seruitutem pariat sub tyrannide Diaboli, quòd denique concupiscentiam augeat: totum hoc habet à mandato legis, sed occasione accepta per inobediẽtiam. Quia tua sponte transgrederis quod sacrosancto mandato Dei tui vetitum erat. Mandatum enim per se est demonstratio vitæ, virtutis obiectum, & lucerna lucens in hoc caliginoso mundo. Quod autem per se bonum est his qui obediunt de corde bono, & caritate non ficta, hoc tibi propter tuã malãm & rebellem voluntatem fit virtus peccati, & illaqueatio mortis.

De certo modo quo oportet seruare mandatum ad fructũ salutis æternæ. CAP. XII.

Quæ

D. Vae hucusque dicta sunt sic satis intelligo: attamen vnum restat, nempe quonam modo oporteat obseruare mandatum, an scilicet fecisse opus praecepti sit satis? M. Satis quidem est adhoc vt culpam nouam non contrahas: sed interim manes seruus inutilis, neque promereris tibi quidquam eorum bonorum quae supra memorauimus. Siquidem certa est sententia Saluatoris, quam non solùm pronuntiat, sed & aptissima parabola demôstrat, Luc. 17. dicens: Quis autem vestrum habens seruum arantē, aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, & recumbe, & non dicit, Para quod cenem, & praecinge te, & ministra mihi donec manducem & bibā, & post haec tu manducabis, & bibes? Nunquid gratiā habet seruo illi, quia fecit quod ei imperauerat? Non puto. Sic & vos cùm feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Vides quàm exactè inculcat Saluator, solùm fecisse opus praecepti, prout serui faciunt, nullam mereri gratiam, nullàque adferre vtilitatem. Nam sermo est de seruis, qui id solum faciunt ad quod iure seruitutis obligati sunt, & de eximia aliqua gratia, qua quis reponitur in eminentiori statu quàm antea erat. Inquit enim: Dicite, serui inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus. Quid enim praestitistis super alia Dei mancipia? Nónne & animata omnia, & inanimata hoc faciunt? Sol obsequitur Deo suo, & eidem obtemperat Luna, bruta quoque animantia praestant imperatum seruitium. Quare vt cum illis Deus, ita sanè & tecum agit: si tantummodo opus praecepti feceris, vt serui faciunt, absque affectu dieo filiali. Culpam nouam non imponit, vitam donatam non aufert, sustinet te in domo sua, hoc est, Ecclesia, vitae denique necessaria praebet: attamen ad tempus, quemadmodum eū seruis agi solet: intereà autem temporis manes tu totus inutilis. D. Hoc est, nullam Deo adferens vtilitatem. M. Quin potiùs nullam tibi parans vtilitatem. Nam certum est quòd neque talis, neque alij qui sanctissimè viuunt Deo, vllam adferant vtilitatem. Dixi, inquit Dauid: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Itaq; dictum illud Saluatoris: Dicite serui inutiles sumus, debes intelligere de inutilitate qua sibi ipsis inutiles sunt, nullam sibi adferentes vtilitatem. Nam quae vtilitas est, aut qualis fructus declinasse nouā culpam, aut non incurrisse maiorem reatum mortis, quando iterum manes quod eras, in eodē statu in quo eras, in eadem miseria, in eadem fortuna: peccator vt priùs, longè à Deo vt priùs, mortalis vt priùs, legi mortis propter delicta inuolutus vt priùs? nihilo ditior, nihilo factus melior quàm priùs? An sit vtilitas, non fecisse iacturam rerum? An emolumentum, non accepisse incommodū? Tam igitur inutiles sibi qui faciunt opus praecepti sicuti serui faciunt, vt nullo pacto proficiant in melius. Quod plus est, tam inutiles sibi, vtlicet fecerint opus praecepti modo iam dicto, sint nihilominus tandem perdituri etiam id quod habent, & ipsi mittendi in tenebras exteriores. Non quidem propterea quòd opus praecepti sic compleuerint, hoc enim non computatur eis ad culpam, sed quòd manserint animo seruili, & extra dilectionem caritatis. Qui autem non diligit, manet in morte, etiamsi fecerit quod praeceptum erat. D. Quid igitur agendum nobis, vt vtiliter obseruemus mandata nei? M. Qui frugi esse volunt, non solùm faciunt opus praecepti, quia praeceptum est, idque more seruorum, qui solùm timore aguntur, nihil autem agūt ex amore, sed hoc in primis curant, vt fidei spiritu adoptentur in filios domus, atque sic in ipsis praeceptis facere voluntatem siue beneplacitum Dei patris, qui in caelis est, more filiorum, hoc est, ex affectu amoris. Quasi dicat Christus per parabolam inductam, Non sufficiat vobis esse sub paedagogia legis, & facere seruili animo quae praecepta sunt, more populi vestri Iudaici. Altius quid requiritur, nempe vt spiritu fidei efficiamini filij Dei, & sic amore filiali faciatis praecepta eius tanquā patris vestri qui in caelis est. Siquidem hoc prodest, & vtilitatē adfert, dicente Saluatore, Non omnis qui dicit mihi domine domine intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est. D. Et quae est ista voluntas Dei patris? M. Respondet Apostolus, Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Addit Zacharias Luc. primo, Vt de manu inimicorum nostrorum (à quibus detinemur propter peccata nostra) liberati, seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Quapropter in primis curandum est, vt simus liberi à peccatis nostris. Quamdiu enim displicet persona, nullum eius obsequium gratum esse potest. Respexit enim Deus ad Abel, & ad munera eius: priùs ad Abel, deinde ad munera eius. Siquidem odibilis deo est impius, & impietas eius. Secundò vt seruiamus ei in sanctitate, hoc est, spiritu sanctificato charismatibus illis pretiosis, quibus consortes efficimur diuinae naturae, induentes erga Deum affectum verè

Obseruās mandatū vt seruus nō peccat, tamē sibi inutilis manet.

Quomodo sibi manet inutilis qui more seruorū

facit omnia quae sibi praecepta sunt.

Quib^9 sit necessariū vt fiat à nobis praeceptum vtiliter.

Matth. 7.

1. Tessal. 4

Luc. 1.

Genes. 4.

verè filialé. Tertiò in iustitia, hoc est, in opere veræ virtutis. Dixi in opere veræ virtutis: quoniam est virtus quædam purè moralis, qualem docuerunt Philosophi, quæ nónunquam cum suis cultoribus vadit ad infernū: & ideo reuera non est vera aut perfecta virtus, eò quod vim nullam habeat faciendi hominis conditionem meliorem. Quamlibet enim fuerit quis decoratus tali virtute, manet tamen longè à Deo filius iræ & perditionis: quomodo manserunt omnes Philosophi ignorantes Deum, & Christum eius. Est autem & alia virtus Christiana siue Euangelica, vim habens diuinā vniendi hominem cum Deo, cuiusmodi sunt fides, spes, caritas, & quæ ex illis nascuntur virtutes, officiaque honestitatis. Qualem profectò licet dicere veram virtutem: eò quòd veraciter vim habeat faciendi hominis conditionem meliorem. Implere autem mandatum Dei opere eiusmodi virtutis, est reuera seruire Deo in iustitia: eò quòd tali virtute iusti sumus corā Domino. Quartò oportet facere præceptum læto ac obuio animo, & non quasi ex necessitate, iuxta prophetam dicentem: Seruite Domino in lætitia. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et vt

Psalm. 99. 2. Cor. 9.

succinctius dicam, Fide per dilectionem operante facimus voluntatem Dei Patris in mandatis ipsius. Quando ergo obedientia nostra in custodiendis mandatis Dei surgit non solùm de corde puro, ac libero à funibus præcedentium delictorū: sed & sanctificato charismatibus Spiritus sancti, qui in nobis efficit affectus obuios, vereque filiales, & exinde facimus mandatum in iustitia, idque hilariter siue fide per dilectionem operante. Tunc demum fit gratum obsequiū nostrum Deo patri, & acceptum ad remunerationem vitæ, tunc quoque incipit nobis esse veraciter vtilis custoditio mandatorum: eò quòd tunc verè facimus voluntatem Dei patris in mandatis eius. Nam sicut voluntas legislatoris huius mundi, est facere ciuem bonum, hoc est, honestum ac idoneum tranquillitati publicę, & hic finis est legislatæ: ita voluntas Dei patris est, per legem suam & mandata facere homines vere ac prorsus bonos, hoc est, se dignos, & æterno illi consortio idoneos, vt sint & secum & inter se vnum in vinculo caritatis, qui est finis legis diuinæ. Hinc Apost. scribit ad Timotheum filium suum dicens: Finis præcepti caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Qui ergo sic facit opus mandati, vt finē mandati attingat, is verè facit beneplacitū siue voluntatē Dei Patris qui mādatū tulit: & ipse intrabit in regnū cęlorum.

Voluntas legislatoris quæ sit.

1. Ioan. 4. 1. Tim. 1.

D. Verùm an planè sit necessariū, sic facere præceptum? M. Non. Quia finis præcepti non cadit sub præcepto, quare nec modus ille qui coniungit cum fine. Vnde quando quis in peccato existens, & extra caritatem facit quod præceptum est, non peccat, imò benefacit, etiā si non faciat de corde puro, aut ex caritate: attamen manet sibi inutilis, hoc est, sic faciendo nullam meretur gratiam, aut remunerationem vitæ apud Deum. Qui secūdum magnitudinem bonitatis suæ iam ab æterno cōstituit regnum cælorum, vitamque æternam pro præmio his qui faciunt voluntatem ipsius ex affectu amoris erga ipsum tanquam patrem suum. Nunc pergamus ad specialem vniuscuiusque mandati explicationem.

DE DECALOGO LEGIS.

Qua ratione tractabitur de Preceptis Decalogi, & quid sit Decalogus. CAP. XIII.



Rincipiò illud te præmonitū cupio, me in hac tecum conferentia nolle differere de pręceptis Decalogi legaliter aut philosophicè, sed Euāgelicè secundum veritatē & traditionē legis nouæ. Olim Israelitę, licet dicti essent gens sancta, populus acquisitionis, & filius Dei primogenitus: tamen sub pædagogia duræ legis agebātur, eo modo quo hæres quanto tēpore paruulus est, sub tutoribus & actoribus custoditur, quasi nihil differens à seruo cùm sit Dominus omnium. Nos autem qui tempore plenitudinis nati sumus, & in Christi sanguine renati, in doctrina insuper reuelatæ veritatis educati, multoque quàm illi grandiores facti, non amplius in legis pædagogiam oculos intendimus, sed in Christi Euangeliū. Nam præterijt lex vetus, mortua est, immo mortifera omnibus obseruatoribus suis: vti luculentissimè docet Apostolus, præcipuè in epistola ad Galatas. D. Si lex mortua est, immo mortifera, auferens cultoribus suis mortem, cur adhuc laboramus in præceptis Decalogi? Nam Decalogus pars est legis veteris. M. Decalogus quidem pars est legis Mosaicæ, sed talis, quæ nihil continet præter præcepta mortalia, vno duntaxat excepto, de quo in suo loco. Porrò præcepta moralia, quæ mores componunt secundum virtutem, ad ius pertinent naturæ. Ius autem naturale idem est apud omnes homines: quia natura eadem apud omnes. Christus autem venit, vt gratijs Euangelicis ditaret naturam, non vt immutaret, sicuti nec immutauit. Nam eadem natura est hominum qui nunc viuunt, & eorum qui fuerunt tam sub lege quàm

M.

Tractabitur de mādatis Euāgelicè nō legaliter quia lex mortua est.

Gal. 4.

Qua ratione sint obseruāda præcepta Decalogi tēpore Euāge lij cū Decalogus pars sit veteris legis.

quàm ante legem. Naturam ergo reliquit Deus integram. tantùm ritum gentis extinxit, commutans veritate quidquid in figuram vel typum futuri mediatoris institutum erat. Et quoniam tota lex vetus significatiua erat Christi, nusquam non admiscens ritum aliquem populo illi peculiarem, ideo totam legem interijsse per Christum certú est, quantum ad obligationem. Nam etiam nunc suis typis & figuris instruit, vti palàm constat ex scriptis Apostolicis. Verùm nihil in lege est quod nunc obliget hominem, in quantum est veteris legis, ne Decalogus quidem. Sed si quid nunc obligat eorum quæ in libris legis Mosaicæ inueniuntur, obligat id aut ratione iuris naturalis, ex euius principijs profluit, aut quia in nouo testamento per Christum, vel Apostolos eius renouatum est, veluti pertinens ad populum nouæ legis. Sicuti dicendum est de præceptis caritatis, & de mandatis Decalogi. Circa Decalogum igitur laborabit nostra diligentia, non quia pars est veteris legis, sed quia mandata quæ continet, sunt meræ determinationes iuris naturalis. Secundò quoniam ea quæ in Decalogo præcipiuntur, expressè renouata sunt in Euangelijs, scriptisque Apostolicis, vt in progressu audies. Quas ob caussas in primis à nobis Christianis venerari debent. Nihilominus habet etiam Decalogus non parum maiestatis præter reliquam partem legis, ex eo quòd digito Dei inscriptus est tabulis lapideis sub forma decem verborum, vnde & Decalogi nomen sortitur.

Tota lex vetus interijt.

Quomodo data sunt decem Præcepta tempore legis. CAP. XIIII.

D. De modo autem quo data sunt decé præcepta, deque tabulis lapideis, quid cótinet precor Scriptura sancta? M. Exodi 24. & Deut. 9. ac 10. cap. istud inuenies. Verba Exodi sunt ista: Ascenderunt, scilicet partem montis Sinai, Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël, & viderunt Deum Israël, sub pedib' eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est. Nec super illos qui procul recesserant de filijs Israël misit manú suá. Viderútq; Deú, & comederunt ac biberunt: scilicet posteá, in argumétum ꝙ non essent occisi à Deo, cùm scriptú sit. Non videbit me homo, & viuet. Dixit auté Dominus ad Moysen: Ascéde ad me in montem, & esto ibi, daboq; tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, vt doceas filios Israël. Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius, &c. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illú nube sex diebus. Septimo autem die vocauit eú de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Hæc in Exodo. Deuteron. verò 9. & 10. capitibus sic habetur: Ná & in Oreb prouocasti eum, & iratus Dominus delere te voluit, quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas pacti quod pepigit vobiscú Deus. Et perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens & aquá non bibens. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. Cumque transissent quadraginta dies & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, dixitque mihi: Surge & descende hinc citò: quia populus tuus quem eduxisti de Aegypto deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi cóflatile. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo, & constituam te super gentem quæ hac maior & fortior sit. Cumque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu, vidissemq; vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac velociter deseruisse viam eius, quam vobis ostenderat, proieci tabulas de manibus meis, confregiq; eas in cóspectu vestro. Et procidi ante Dominum sicut priùs quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominú, et eum ad iracundia prouocastis. Timui enim indignationem & irá illius, qua aduersum me concitatus delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiá hac vice. Sequitur infrà: Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, vt fuerat comminatus, & orans dixi. Domine Deus ne disperdas populum tuum, & hereditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Aegypto in manu forti. Recordare seruorú tuorum Abrahá, Isaac, & Iacob. Ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum, ne fortè dicant habitatores terræ de qua

Exod. 33.

de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco reduxit vt interficeret eos in solitudine: qui sunt populus tuus, & hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento. In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciesque arcam ligneam, & scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponesque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis Setim. Cúmque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus: scripsitque in tabulis iuxta id quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte, de medio ignis, quando populus congregatus est, & dedit eas mihi. Reuersúsque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt sicut mihi præcepit Dominus. Hucusque verba textus Deuteronomij. Decem autem verba hęc quę dicitur Dominus digito suo hic inscripsisse tabulis lapideis, ipsemet proprio suo ore prius promulgauerat ad vniuersum populum de medio ignis, Exodi vigesimo cap. sic dicens: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem Sabbathum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & ancilla tua, iumentum tuũ, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & mare, & omnia quę in eis sunt: & requieuit die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis vxorem eius, nõ seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. Et ait Moyses ad Populum: Nolite timere: vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis & nõ peccaretis. Stetitq; populus de longè: Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus. Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israël: Vos vidistis quòd de cælo locut⁹ sim vobis. Hucusque rursum verba textus. Porro hæc Dei diligentia, quâ non solum promulgauit ista decem verba per modum edicti, sed & proprio digito inscripsit tabulis lapideis, & ipsas denique tabulas recludi fecit in arca fœderis ad perpetuam rei memoriam, merito nos diligentes efficere debet circa propositam materiam.

Cur decem Præcepta vocentur decem verba. CAP. XV.



On satis intelligo quorsum dicat textus de decem verbis. Sunt enim plura quàm quinquaginta, aut centum verba eorum quæ hic præcipit Dominus. M. Iuxta phrasim tam nostri sermonis quàm Hebręorum per verbum intelligimus sententiam, siue dictum sententiosum: quod, licet voculis paucissimis, velut verbum vnum prolatum, diuitem nihilominus & copiosam habet sententiam. Qua phrasi hæc sententia, Plus vltra, dicitur verbum inuictissimi Imperatoris nostri Caroli quinti. Saluatoris verò Christi verbum erat, Beatius est dare quàm accipere. Verbum quoque tuum vel meum esse potest, Sine onere nihil, Mors ostium vitæ, Virtus ludibrium diaboli, In paruis quies, &c. Eademque phrasi & de suis sententijs dixit Salomon, Fili audi verba mea. Aeterna itaque Dei sapientia volens epitomen dare eorum quæ pertinent ad mores probè instituendos, fecit Decalogum, hoc est, sermonẽ breuem decẽ verborũ, id est, decẽ sententiarũ. Quę adeò succinctè & voculis paucis tradũt capita, & fontes, immo ferè plenitudinẽ legis naturalis, vt iure verba vocari possint, debeatq; meritò vnumquemq; pudere, nolle caussa salutis propriç vel decẽ verba discere. Haud dissimiliter quidquid est, fide sparsim in scripturis, aut alias per reuelatione Dei tradi-

traditū est, id diligētia Apostolorū contractū videmus in duodecim articulos, velut duodecim verba vnius Symboli. Sic quidquid recté orando peti potest, id similiter per Christum redactum legimus in septem breuissimas petitiones. Prout etiam prudentissimi iurisconsulti summam iuris redigerunt ad tria capita, videlicet, Honestè viuere, Alterum nō lædere, Ius suum cuique reddere. Tantum de tabulis lapideis, & decem verbis scriptis in eisdem. Nunc verò restat difficultas sed modica: quot sint præcepta primæ tabulæ, & quot secundæ. Pro qua expedienda hæc accipe. Origenes, quem Hieronymus sequitur, primæ tabulæ quatuor præcepta tribuit, ex primo duo faciens. In quorum primo spiritualem, in altero crassam illam & externam idololatriam prohiberi dicit. Vt primum sit, Non habebis Deos alienos coram me: alterum, Non facies sculptile. In secundam verò tabulam sex retulit, duo vltima præcepta de non concupiscendo vxorem, & non concupiscendo res proximi, connectens. At D. Augustinus, & ferè quotquot Augustinum secuti sunt primæ tabulæ tria præcepta, secundæ septem tribuerunt. Qui primum mandatum de vitanda idololatria siue spirituali siue corporali vnum faciunt. Postrema verò præcepta, quę sunt de non concupiscendo vel vxorem, vel res proximi, in duo secant. Quorum sententiam Ecclesiæ magis placuisse constat: vel ob id quòd magis ad mysterium sanctæ Trinitatis respiciat: vt primum mandatum referatur ad Patrem, secundum ad Filium, cui proprium nomen est verbum Dei, non creatura, tertiū ad Spiritum sanctum: quò in nobis sabbathizamus, id est, ab omnibus, quæ caro sine Spiritu gignit, quiescimus, nosque continemus.

Origenes Hieronymus.

Aug. lib. 2. quæst. super Exodum.

August. ibidem.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS SECVNDI.

De sensu & partibus primi mandati. Cap. I.
Quid importent tres istæ voces, Dominus, Deus, Tuus. Cap. II.
Cur addatur in præcepto vox Tuus, et qua ratione dicatur magis Deus noster, & noster Dominus, quàm omnium. Cap. III.
De non habendis Dijs alienis coram Domino. Cap. IIII.
Quòd non solùm Deus, sed & Angeli & homo rectè adorentur secundū Scripturam. Cap. V.
Quomodo aliter Deus sit adorandus, aliter homo. Cap VI.
Quid seruire, & in quo sit seruiendum Deo. Cap. VII.
Qua ratione præcipiatur soli Deo seruiendū: cum tamen sint multi Domini in hoc mundo, quibus etiam seruire debemus. Cap. VIII.
De Veneratione & Inuocatione Sanctorū per modum præfatiunculæ. Cap. IX.
Sanctos, licet non sint Dij, tamen Diuos esse et deificatos atque vnum effectos cum Deo. Cap. X.
Sanctos meritò colendos esse & venerandos. Cap. XI.
Qualem Venerationem Sanctorum docuerit Ecclesia ab initio, & quibus de caußis. Cap. XII.
Inuocationem Sanctorum vtilem esse ac salutarē. Cap. XIII.
Quomodo à Patribus secundum seriem temporū semper obseruata & docta fuerit, Inuocatio Sanctorum. Cap. XIIII.
Quomodo soluendæ sint obiectiones, quæ obijci hoc loco solent. Cap. XV.
De insignibus ac statuis Sanctorum. Cap. XVI.
De vsu legitimo imaginum. Cap. XVII.
De commutatione Dei quam subiungit primo suo mandato. Cap. XVIII.

TRACTATVS SECVNDVS.

De sensu & partibus primi mandati. CAP. I.

Hactenus generatim de mandatis pertractatio fuit: nunc porrò restat vt propriam singulorum demonstrationem exordiamur. Tu itaque recita primum mandatum. D. Vnū crede Deum. M. Rectè quidē, nec improbare possum. Nā rithmus siue hemistichion hoc conuenit ad iuuandam memoriam simplicium. Verùm vt progrediamur ex solidis, in lege quid scriptum est? quomodo legis? M.
D. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ est in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neq; coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, Deus æmulator, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, & faciens misericordiam in milibus, his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. M. Sic habet textus Exod. 20. & Deut. 5. quibus adde quod habetur Deut. 10. videlicet Dominum Deum timebis, & illi soli seruies. Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te? nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & am-

& ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, & cęremonias eius quas ego hodie pręcipio tibi. Adde quoque ex nouo Testamento quod Saluator noster protulit dicẽs: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Siquidem omnia hæc, & similia pertinẽt ad explicationem primi præcepti. Quæ si bene perpendas, mox animaduertes, primum mandatum habere duas partes. Quarũ prior est, Non habebis Deos alienos coram me: sed Dominum Deum tuum adorabis, coles, timebis, diliges, illique adhærebis, & soli seruies.

Primũ mãdatũ habet duas partes.

Prior pars primi mãdati.

D. At ista verba adorabis, coles, timebis, seruies, &c. in Decalogo non habentur: sed solùm, Ego Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. M. Esto. Habentur tamen in alijs locis Scripturæ sanctæ, & explicant vim primi huius mandati; nec vlli dubium esse debet, quin voluerit legislator Deus in hac negatiua, Non habebis Deos alienos coram me, cum præfatiũcula illa, Ego sum Dominus Deus tuus, intelligi affirmatiuam aliquam, nimirum istam aut similem: Me qui veraciter sum Dominus Deus tuus, quiq; eduxi te de Aegypto, habebis pro Deo tuo, & nequaquam habebis coram me Deos alienos. Nónne & Moyses accepit commissionem à Deo, Exodi 24. docendi populum hæc mandata, explicando latiùs vim & energiam verborum præcepti, quomodo nos in scholis docemus verba Scripturæ? Fecit autem idipsum Moyses Deut. 6. & 10. alijsque in locis dicens: Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est, Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Item, Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te, scilicet in mãdato suo, nisi vt timeas Dominum Deum tuum? & cet. vt suprà. Rursumque, Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies. Non ibitis post Deos alienos cũctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt. Et Saluator, quo nemo meliùs nouit sensum Domini, sic explicat: Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Posterior verò pars est ista, Non facies tibi sculptile, & omnem similitudinem, &c. non adorabis ea, neque coles. Quam posteriorem partem complectitur etiam pars posterior dicti Saluatoris; videlicet, Illi soli seruies, adeò vt in effectu veraciter comprehendat summam totius primi præcepti breuis illa sententia Saluatoris, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. D. Quorsum autẽ additur præfatiuncula illa, Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, & domo seruitutis?

In negatiua subintelligitur affirmatiua.

Moyses habuit cõmissionẽ huius explicandi mandata.

Explicat Saluator paucis primũ præceptum.

Posterior pars primi mandati.

M. Eorsum, vt constet caussa, seu ratio mãdati. Non enim quærenda est aliunde caussa, cur eum colere, & adorare, illique seruire oporteat, quàm quia Dominus Deus noster est. Hæc vna prægnãs, hæc & sufficiens caussa est, prout intelliges postquam prædicta tria vocabula interpretati erimus. Addidit autẽ, Qui eduxi te de terra Aegypti, &c. Partim vt commemoratione beneficij inflammaret affectus eorum in obedientiam magis spontaneam, quàm eousque fuerat. Partim vt alisqualem sui notitiam daret. Siquidẽm Deum nemo vidit vnquam, quare necesse erat, vt adderet certum opus, seu testimonium, quo veluti à posteriori cognosci posset: ne quis hęsitaret quisnam is esset Deus, qui se mandatis istis colendũ præcepisset, quasi diceret: Ego sum verissimè ille Deus, qui hoc spectatissimum opus peregi, quo nullum vnquam visum est mirabilius, idque tam stupendis prodigijs, vt nemo dubitare possit, quin is qui fecit ea verus Deus sit. Vnde licet Deum nemo viderit, scilicet per claram, & intuitiuam cognitionem, tamen, vt Apostolus inquit, inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Et simili sanè modo conciliantur Scripturæ, quæ videntur habere contrarietatem in sermone. Ex effectibus enim, et signis, & prodigijs cognoscitur Deus, quasi à posteriori, qui per essentiã videri nõ potest. Quapropter ô homo, siue spectes originem tuam, & subsistentiam, ac finem, Ecce ego Dominus Deus tuus; siue spectes mirabile illud beneficium liberationis tuæ de domo seruitutis, Ecce ego ille benefactor tuus, qui te citra meritum tuum stupendis signis & prodigijs eduxi de terra Aegypti, per medium maris rubri submersis omnibus inimicis tuis. D. Mirum, huius particulę, Qui te eduxi de terra Aegypti, &c. nullam fieri mentionem in Euangelijs, cùm toties, tamque sollenniter, passim inculcetur in lege & Prophetis. M. Quãdo cœpit Deus educere non solùm vnũ vnius familiæ populum, sed vniuersam humanam naturam, adeoque omnem omnium nationum totius orbis populum, modò velint, non per mare rubrũ, sed per pretiosum sanguinem vnigeniti filij sui: non de Aegypto ad Palæstinã tam breuem terrenæ inhabitationis prouinciam, quàm ipsa est Aegyptus; sed ad supercælestia, & ad thronũ vsque gloriæ Dei: non de domo seruitutis, qua homo homini seruit temporaliter: sed de seruitute peccati sub obligatione interitus, & dãnatio-

Rom. 1.

Conciliãtur Scripturæ.

nis quæ finem non habet. Quarum rerum testimonia sunt manifesta per omnem scripturam. Tunc cœpit comparatione huius quasi nihil esse illa eductio de Aegypto, quæ olim tam illustris & admiranda erat in auribus patrum, meritoque silet, iacet, fitque prorsus obscura dum comparatur, ad istam, quæ facta est per Christum Dominum. Erat quidem illa typus istius: at cessat figura adueniente veritate, & vmbra cedit corpori. Ideo illius non fit mentio in Euangelio. Hæc autē eductio, quam Christus peregit, nusquam non inculcatur per totum nouum testamentum, velut ea quæ altiori mente reposita esse debet, dicēte Hieremia Propheta: Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & nō dicēt vltrà, viuit Dñs qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed, viuit Dñs qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, et de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc.

Hiere. 23.

Quid importent tres istæ voces, Dominus, Deus, Tuus. CAP. II.

M. Voniam verò huius, aliorumque mandatorum totalem caussam cōplectitur hæc præfatio, Ego sum Dominus Deus tuus: breuis quidē in verbis, sed latissima in sensu & mysterijs: igitur diligenter examinare oportet tres illas voces, Dominus, Deus, Tuus, priùs quàm enarrationem mandati prosequamur. D. Quid sit Deus, libro secundo in primo articulo Symboli declaratum est. M. Verum dicis. Igitur pergamus ad explicationem vocabuli Dominus: dicit enim: Ego Dominus Deus tuus: non solùm Deus, sed & Dominus: nec solùm Dominus, sed Dominus Deus tuus. D. Dominus Latinis dicitur quasi qui domui præest, vel domus imperium habet, cui omnis familia paret. M. Rectè. Is igitur maiori ratione dominus, cui paret non vna duntaxat familia ac altera, sed omnium familiarum, omniumque rerum vniuersitas. Qui enim imperium habet cunctorum quæ sunt, fuerunt, vel esse poterunt, imperium insuper tam mortis quàm vitæ, tam eorum quæ non sunt, quàm eorum quæ sunt, is dico verè dominus dominorum est, dominus vniuersorum, dominus denique absolutè. Quia quacunque comparatione facta, ipse semper ac solùm dominus, nullis seruus, nulli par, aut collega, sed omnes, omniaque in mera potestate eius. Quacunque insuper consideratione facta, ipse semper vnus ac idem dominus, citra omnem vicissitudinis obumbrationem. Omnes alij, vt domini sunt, comparatione eorum quibus præsunt, ita serui sunt, comparatione Dei, à quo dominij titulum acceperunt. Nec semper aut prorsus domini, pleno scilicet titulo omnis dominij, vt Deus. D. Explica quæso quo iure, quóue titulo Deus sit dominus? Nam qui vendicat sibi dominium rei, iure hoc debet facere, iustoque titulo. M. Rectè. Scias igitur nulla posse imaginatione cogitari titulum aliquem veri dominij, iustæque possessionis, quo non possideat Dominus Deus tuus & te, & omnia tua, & cuncta quæ totius Vniuersi nomine comprehenduntur, vno duntaxat titulo donationis excepto, Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Sed nec hoc titulo planè excepto, vt statim audies. Dominium est ius habendi, possidendi, fruendi, vtendi, ac disponendi de re aliqua pro libitu voluntatis. Est autem dominium merum, est & mistum: est plenum dominium, est semiplenum, aut ex parte: est dominium directum, est & vtile. Verùm ista Iurisperitis relinquamus. Hoc cōstanter pronuntio, dominium Dei esse directum, merissimum, plenissimū, liberrimum, omnipotentissimum, omnique ex parte independens, indeterminatum, sine violentia, sine fine, sine vllo defectu potestatis: dominium dico in omnia: non solùm præsentia, sed & futura, possibiliaque. Adhæc in omnia non solùm elementa, & ex his compaginata corpora, sed & in omnes quoque naturas, ac virtutes cælestium orbium, cælestium spirituum, cælestium potestatum. Nec solùm in ipsam substantiam, omniaque instrumenta, & accidentia humanæ creaturæ, singulaque momenta vitæ, verumetiam in ipsam mortem, ipsum quoque infernum, & omnē denique totius Diabolicæ fraudis machinationem. Hinc dicit Saluator. Timete eum qui cùm occiderit, potestatem habet & animam & corpus mittere in gehennam ignis. Et ad Sathanam inquit, Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies. Postremò super omnes non solùm actiones seruientis plebeculę, sed & super Principes terrę, & Reges diademate gloriæ sublimes, & omnes omnium dominantium dominationes. Ipse enim vt Deus est Deorum: ita & Dominus dominantium, & Princeps Regum terræ. Adeò vt rex Dauid in publico consessu palam confiteatur dicens: Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus. Cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt. Tuum Domine regnum, & tu es super omnes Principes. Tuæ diuitiæ: tua gloria est: tu dominaris omnium. In manu tua virtus, & potentia: in manu tua magnitudo

Quid vox Dominus

Deus semper & quacunq; cōparatione facta Dominus.

Nullus nisi Deus simpliciter dominus.

Rom. 11.

Quid dominium.

Quale dominium Dei.

Matth. 10. Luc. 12.

Cōfessio Dauidis super dominio Dei.

1. Paral. 29.

tudo & imperium omniũ. Porrò tam est dominium Dei amplum ac potens, tamque occupatum, testante Euangelio, vt nec foliũ defluat de arbore, nec vllus passer cadat super terram, nec tu capillum vnum album facere possis aut nigrum sine scitu ac volutate eius, qui dominium vniuersorũ habet. D. Proinde dominium Dei tantum sit, tamque inretractabile, dolendum valdè, quòd non illi prae omnibus, & super omnia obediatur.

M. Vt autem manifestè constet, quanta sit maiestas Dei, quamque absoluta illius dominatio, ideo Scriptura sancta in varijs locis addit his nominibus Deus, & Dominus eximia quædam epitheta, vocás quidem Deum, Deum [a] absconditum, Deum [b] deorum, Deũ [c] magnum, Deum [d] cæli, Deum [e] terræ, Deum [f] maiestatis, Deum [g] miserationum & clementiæ, Deum [h] refugij, Deum [i] pacis & dilectionis, Deum spei [k] & totius consolationis, Deum [l] viuentium, Deum [m] viuentè in sæcula: insuper [n] lucem in quo tenebræ nullę sunt, [o] ignem consumentem, [p] caritatem, [q] principium & finem, alpha & omega [r]. Ego sum qui sum, qui est, qui erat, & qui venturus est. His appellationibus docens hæc omnia Deo cõuenire secundum naturam deitatis suæ. Dominum verò cùm exprimit Scriptura, vocat nunc Dominum [a] dominorum, nunc Dominum [b] dominantium, nunc [c] Principem Regum terræ, nunc Dominum [d] totius creaturæ, aut Dominum [e] vniuersorum, aut Dominum [f] vltionum, aut Dominum [g] iudicij, aut Dominum [h] Sabaoth, aut Dominum [i] exercituum, Dominum [k] cæli & terræ, Dominum [l] gloriæ, Dominum [m] mortis & vitæ, Dominũ virtutum, vnum [n] Dominum, [o] solum Dominum, Dominum absolutè, omnipotentem, omniscientem, creatorem cæli & terræ. Quę omnia, hæc præfatio, Ego Dominus Deus tuus, sic absolutè posita, in se comprehendit, vt in primis & super omnia tendat in Deum amor, timor, & reuerentia nostra, sitque obuia atque spontanea obedientia mandatorum eius in nobis.

(Margin: a. Psal. ... b. Deut. 10. c. Esa. 1. d. Iudit. 9. e. 2. Mach. 14. ... Psal. 93. ... 50. h. Heb. 2. ... er. 25. ... 17. ... 23. n. 1 Psal. 67)

Cur addatur in præcepto vox Tuus, & qua ratione dicatur magis Deus noster, & noster Dominus quàm omnium. CAP. III.

D. N autem pronomen Tuus additũ in præfatiuncula ista; Ego Dominus Deus tuus, habeat peculiarem aliquam emphasim aut docendi energiam? M. Habet, & certè magnam. Tuus etenim Deus: primò ordine naturæ & dependentia necessitatis, influens, instillans, ineffabiliterque conseruans quidquid est in te, nihil excipio. Quid enim habes, inquit Apostolus, quod non accepisti? Quidquid es, vel esse poteris, totum est ex ipso, totum per ipsum, totum in ipso: eousque velis, nolis, tuus Deus. Sic ordo naturæ, sic cogit dependentia necessitatis. Secundò tuus est, & sanè totus tuus mirabili studio beneficentiæ. D. Putásne eadem sermonis phrasi, qua scribit amicus ad amicum, tuus sum, aut totus tuus, aut tuus ex corde? M. Planè etiam sic tuus Deus. Non enim pepercit Deus ne proprio quidem filio suo, vt te redimat ex morte in vitam. Adhæc adeò aperuit thezauros diuitiarum bonitatis suæ, vt quod sibi intimum erat, nempe Spiritum sanctum effuderit in nos abundè, quo sanctificet nos, & in viam dirigat salutis, deificet quoque, & per omnia deiformes efficiat. Videte, inquit Ioannes, qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Tertiò tuus, ineffabili quadam gratuitæ communicationis influentia, volens & te habere, & à te haberi, vtrinque in intimis, tam suis quàm tuis, iuxta illud Ioannis, Deus caritas est, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo: vt posses tu, & vti illius donis & ipso frui: non quidem in vllum illius, sed tuũ solius commodum. O magnam demissionem diuinæ celsitudinis. O mirandam exaltationem accrescentis naturæ in Deum, vt & tu puluis ac cinis Deum, & te cinerem terræ possideat Deus: quod plus est, tu in Deo, & Deus sit in te. Superaddo, vt quod Dei est in te velut animetur primò, atque exinde per resurrectionẽ quasi incarnetur, gloria Dei transeuntead carnem. Quod verò tuum est, primò in Deo reformetur per virtutem, deinde planè & ex toto deificetur per beatitudinem. Hæc te fili moueant in obedientiam mandatorũ Dei tui. Si enim mouebat olim ad obedientiam populum mente incircuncisum, quod dicitur, Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, multò debent magis te mouere quæ diximus. Multò enim maiora sunt hæc, multoque diuiniora, quàm quæ olim præstitit populo Israëlitico. Sed audi modò, & intellige quid dicat Scriptura sancta, Non est mortuorum Deus, sed viuẽtium. Rursum, Non est dissensionis Deus, sed pacis. Tertiò, lux est Deus, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Ergo si vitam non habes, Deus non est tuus, vt talis es, quia non est mortuorum Deus. Porrò vitam non habes, nisi habeas filium Dei.

(Margin: Quomodo sit Deus noster. — 1. Cor. 4. — Ioan. 3. — Tit. 3. — 1. Ioan. 3. — 1. Ioan. 4. — Matth. 22. — 1. Cor. 4. — 1. Ioan. 1.)

1.Ioann.5. Sic enim tradit Ioannes Apost. Qui habet filium Dei, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet. Rursus infero. Ergo si dissentis vel ab Ecclesia, vel à iudicio veritatis, aut dissidium tibi est cum fratre, non est tuus Deus. Non enim est dissensionis Deus, 1.Ioan.2. sed pacis. Adhæc si in tenebris errorum ambulas, aut peccator existis, non est tuus Deus. Nam si dixerimus quoniam societatem habemus cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Horũ siquidem omniũ teste Scriptura, non est Deus. Sunt ergo sine Deo, sunt longè, & non populus Dei, nec dicere possunt cum Prophe- Psal.72. ta, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. D. An particula Tuus, referenda sit eodem modo ad vocem Dominus, sicut ad vocem Deus? M. Vtique. Quoniam quidem tuus, siue tibi dominus iure creationis, iure naturæ, iure adoptionis, titulo meritorij, titulo possessionis antiquæ, titulo emptionis siue redemptionis. Non enim, inquit Petrus, corruptibilibus auro vel argento redempti estis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. Titulo plusquam iustæ commutationis, commutans mortem vnigeniti sui pro vita tua, titulo denique legitimæ donationis. Nos enim Christiani sponte propria dedimus illi nomina in Baptismo, nos symbolo sollenni asserentes in seruitutem Dei Patris, & Christi, abnegatis mundo & Diabolo. Etiam tuus dominus, hoc est, tibi verè confœderatus, sicut dicit Angelus ad Mariam, Dominus tecum, id est, in te propensus, tibique speciali fœdere amicitiæ iunctus. Sic, dico, tuus, siue tecum Dominus, ad tuam scilicet protectionem, conuertens omnem imperij sui potestatem: qua potens est subijcere sibi vniuersa. Tecum in hoc mũdo, quãuis non videas. Tecum in certamine virtutũ: vt patet ex Historia B. Antonij & aliorum Sanctorum. Tecum in vinculis, dicente Scriptura: Et in vinculis non derelinquam eum. Teeum in morte. Teeum post mortem ad consummationẽ vsque sæculi, dicente Christo: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Adeoque propensus in te, vt consortem regni sui te facere non dedignetur, dicente Christo: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. In hac sanè spem viuam regenerauit nos Deus secundum misericordiã suam magnam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Vides fili quàm mirabili fœdere amicitiæ, sit Altissimus tuus meusque Dominus? D. Si tamẽ iusti sumus, & ad vitã prædestinati. M. Bene. Non enim dominũ

Quomodo Deus est Deus noster.

1.Pet.1.

Sap.10.

Matth.28

Matth.25.

1.Pet.1.

agit modo iam dicto, nisi eorum qui filij sunt obedientiæ. D. Verum, an etiam reproborum & mortuorum sit dominus: quoniã mortuorum non est Deus, vt suprà dixisti? M. Immo & Dæmonum dominus & inferni. Nam quo pacto non esset mortuorũ Dominus, qui imperium habet mortis & vitæ, qui mortificat & viuificat, qui deducit ad inferos & reducit, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt? Verum his omnibus est vltionum dominus non refugij aut protectionis, statuens reprobos spectaculum seu exemplum mundi, vt palàm faciat omnibus quòd ipse est, sicut misericordiarum, ita & veritatis, ac iustitiæ dominus, vtens Dæmonibus velut ministris iræ suæ & indignationis: inferno autem velut loco captiuitatis dantis vindictam in flamma ignis, & his qui non crediderunt in nomine filij, & ijs qui non obediunt voci mandatorum eius. Veruntamẽ siue bonus fueris siue malus, semper sit tibi tuus dominus, vt tuipse non sis tuus, dicente Apostolo: Non enim estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deũ in corpore vestro. A simili, sic tuarum rerum dominus, vt tua non sint omnino & independenter tua: attamen aliquousque tua, ipsaque dispensatio tam tuiipsius, quàm tuarũ rerũ sit tibi concredita. Porrò dispensatio vt sit irreprehensibilis, debet esse regulata secundum mandatum committentis, eius scilicet qui dominus est. Vnde quisquis vtitur vel abutitur aut membris suis, aut viribus, aut rebus, aut donis contra beneplacitum domini Dei, is iniuriam facit dominio, quod Altissimus in nos omniaque nostra habet. Et hinc surgit diffinitio peccati, quam dat Apostolus Ioannes dicens: Omnis qui facit peccatum & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Si verò iniquitas: igitur contra ius, & quidem contra illud ius, quod habet supremus Dominus in nos: cõtra debitum insuper quo nos obstringimur illi. Hoc autem loco te admonere debeo ex ijs qui oculatissimè annotauit D. Hieronymus circa Scripturam, nempe quòd quoties vox Dominus coniunctim bis ponitur, vt ibi: Domine Dominus noster. Et ibi, Dixit dominus domino meo, in Hebræo textu priùs nomen Domini his literis scribitur, יהוה, quibus scriptum de Deo tantùm dicitur. Posteriùs verò his scribitur אדוני, quo nomine etiam domini vocantur herus à seruo suo, Reges a subditis suis. Nominis autem quod scribitur quatuor dictis literis יהוה vt tradit Rabbi Moses Aegyptius, nescitur deriuatio nota, nec ipsum cũ alio participat. Et non est dubiũ quin hoc nomen

Deus cuius mortuorũ & Dæmonũ inferni Dominus.

1.Reg.2.

1.Cor. 6.

Cur peccatũ dicitur esse iniquitas 1.Ioan.3.

De nomine Dei quod ipsi soli, est proprium secundum Hebræos.

nomen gloriosum quod non proferebatur, neque pronuntiabatur, neque dicebatur, nisi in sanctuario à sacerdotibus Domini sanctificatis, & solùm in benedictione sacerdotum, & tũc etiam à sacerdote magno, & nisi in die ieiunij gloriosæ sanctificationis, est nomen illud in quo non est participatio inter creaturam, & aliquid aliud. Huiusce autem nominis Dei, quoniam quatuor sunt literæ, Græci ipsum non ineptè vocarũt τετραγράμματον: quanquam in veritate non nisi tres literas habeat, scilicet יהוה: ex eo autem quòd secunda bis ponitur, secũdo scilicet loco, & quarto, quatuor esse censentur. Tres igitur huius nominis literæ, tres diuinas designant hypostases. Nam prima quidem scilicet, quæ principium interpretatur, eò quòd omniũ aliarum principium sit, cùm ab ea vna quæque originem scripturæ habeant, ipsaque à nulla sumat originẽ, rectissimè patrem in diuinis insinuat: qui cùm à nullo sit, aliæque personæ ab eo emaneant, principium sine principio dicitur. Secunda verò scilicet ה quæ esse vel viuere significat, filium in diuinis aptissimè innuit, per quem omnia quæ facta sunt esse cœperunt, & quidquid factum est in ipso vita erat. Tertia autem scilicet ו quæ copulatiuam dictionẽ, Et, denotat, Spiritum sanctum optimè exprimit: qui cùm sit amor Patris & Filij, quo se vicissim amant, rectè copula, id est, nexus vtriusque nuncupatur. Neque istud mirari debes: quandoquidem in apicibus & characteribus rerumque symbolis philosophari, Hebræis semper proprium fuit. Quæ autẽ meritò hic fusiùs tractari deberẽt de nominibus Dei, veteri populo secundum idioma Hebraicum vsitatis, Hebræis ac alijs illud idioma callentibus discutienda relinquimus.

De mysterio nominis Domini Dei, quod Græci τετραγράμματον vocãt.

De non habendis Dijs alienis coram Domino. CAP. IIII.

M. Sequitur in mandato, Non habebis Deos alienos coram me. D. Quòd dicit, coram me, nónne idẽ est, ac si diceret: In præsentia mea, siue, In conspectu meo, aut magis propriè, Respectu mei? M. Sic intelligitur. D. An liceat igitur vspiam habere Deos alienos? M. Non. Quia nusquam non præsens est Deus, omniaque nuda & aperta sunt ante cõspectum eius. Quomodo enim vsquam deerit, qui dicit, Nunquid non cælum & terram ego impleboʔ Et de quo Psalmista canit, Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero ad infernum ades, &c. Ergo nõ habebis Deos alienos coram me, hoc est, nullo modo, nullo que loco habebis eos: neque in templis, neq; in foro, neque in priuatis domibus, nec in æstimatione cordis tui. Hæc enim omnia sunt ante me, & in conspectu meo, etiamsi in penetralibus cordis recondita lateãt. Veruntamen ipse Dominus exercituum constituit Moysen deum Pharaonis. Et ad iudices quos habet in terris inquit, Ego dixi, quoniam Dij estis. D. Igitur sunt qui Dij dicantur coram Domino. M. Et hanc sanè ob caussam debes obseruare, textũ non dicere, Non habebis Deos aliquos coram me, sed, Non habebis Deos alienos, qui scilicet à me sunt alieni vel natura, vel proprietate, vel hominum figmento, aut alia quapiam ratione possidentes nomen Dei, & non ex me. Quales sunt Dij Gentium, & idola Dæmoniorum, quæ hominum existimatione pro Dijs coluntur, cùm nihil sint minùs. Eiusmodi enim vt nihil diuinitatis habent ex se, ita quoque nihil eis per me cõmunicatũ est, ratione cuius ipsis Dei appellatio quoquo pacto conuenire possit. Porrò Moyses & Iudices quos Deus habet in terris, vt Scripturę testimonio Dij appellantur: ita nõ sunt alieni à Deo cæli: sed sunt Dij sub Deo cæli. Illius constitutione & potestate diuinum quid exercentes in terris, iudicium scilicet & præsidentiam. Vnde sicut potestatem plusquam humanam, ita & Dei appellationem quandam sortiuntur. Hos igitur nemo dixerit Deos alienos à Deo vero, sed Deos sub Deo cæli, & per Deum cęli, & in Deo cæli. Sicut domini in hoc mundo sunt domini, sed nequaquam alieni à Dño cæli, sed sub illo, & per illius potestatẽ, prout inferiùs latiùs explicabimus. Hinc facilè intelligitur Scriptura, quæ nominat Deum cęli, Deum Deorum, & Dominum dominantium. Et illud Apostoli, Etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo siue in terra, siquidem sunt Dij multi, & domini multi, nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. Præmittit ibidem Apostolus, Scimus quia nihil est idolũ in mundo, & quia nullus est Deus, nisi vnus. Implicat enim manifestam contradictionẽ, vt pleniùs ostensum est in primo articulo fidei, aliquid ex se, aut per se, aut aliunde, & nõ per Deum cæli possidere veram proprietatem, veramque appellationem Dei. Atq; etiã eam ob caussam dicit mandatum, Non habebis Deos alienos coram me. Quia quæcunque existimatione habeantur Dij, modò alieni sint à me, falsa est existimatio vestra, & omnis illorũ cultus impius ac sceleratus, mihique Deo vero planè iniurius. In prima itaque par-

Heb. 4.
Hiere. 23.
Psal. 138.
Exod. 7.
Psalm. 81.
Aliud est nõ habebis Deos aliquos corã me, &c. quàm non habebis Deos alienos.
1. Cor. 8.

Quid præcipiat pars prima mandati.

que parte huius mandati, primò prohibetur omne iudicium cordis, siue existimatio, qua recipitur aliquid, colitúrque pro Deo more Gentium. Vt cùm colitur pro Deo sol, aut luna, aut terra, aut astrum, aut serpens, quomodo fecerunt olim Aegyptij, Persæ, Babilonij, aut homo, vti Græci coluerunt Saturnum, Iouem, aut Venerem. Quoniam hæc omnia aliena sunt à natiua, veraque appellatione Dei. D. An igitur hæc prima pars mandati solùm præcipiat non habendos alienos siue falsos Deos coram Domino? M. Plus aliquid præcipit. Quoniam eadem prima pars inuoluit secum affirmatiuam, hanc scilicet, Me qui sum verus Deus tuus, & verus Dominus tuus habebis pro Deo tuo, colendo me, timendo me, &c. prout suprà explicauimus. Ideo hic præcipitur vt fidem, spem, timorem, & amorem habeamus in Deum cæli, tanquã verum Deum nostrum. Vnde morem illum popularem recitandi decem præcepta, Vnũ crede Deum, &c. intelligere oportet de fide non qualicunque, sed ea quæ vera est ac fertilis, vi n habens sic immutandi cor hominis, vt credat decretis ac promissis Dei, fidat in illum, timeat, veneretur, amet eum, atque colat sicut oportet. D. Nunc rogo quomodo oporteat credere, & quomodo venerari Deum, amare ac colere? M. Dubio procul eo modo quo celsitudini diuinæ maiestatis eius conuenit. Ipse est primum principiũ, igitur super omnem hominẽ, super omnem potestatem & principatum: immo super omne id quod nominari potest, hæc illi impendenda sunt. Ipse est prima veritas, quæ nec falli potest, nec fallere. Igitur fides quæ ei debetur excludit omnem formidinem de opposito. Eius quoq; natura est ipsa bonitas, & fons omnis boni, ipsa pietas, ipsa propitiatio. Ideo considere oportet in illo, velut eo cui contra naturam est non recipere supplicem, non iuuare impotentem, non reddere quod promissum est. Ideoque sic amare oportet illum, vt nihil magis, nihil ames æquè atque illũ. Nam omne aliud bonum comparatione eius ex parte est. At ipse fons est & plenitudo omnis boni. Fili vis demonstrem tibi super his & similibus regulam certam & infallibilẽ? Ecce Ioannes Apostolus, Filioli, inquit, diligamus non verbo & lingua: sed opere & veritate. D. Optimè. Quia amor linguæ amor nullus, operis autem exhibitio optima est animi testificatio. M. Prorsus simili modo dicẽdum est de omnibus istis antedictis. Oportet enim colere Deũ, timere Deũ, amare Deũ, credere Deo, sperare in Deũ, nõ verbo & lingua, sed opere & veritate: hoc est, non proposito solùm aut cogitatione, quæ est verbum immanens, neque sermone duntaxat labiorum, hoc est, lingua, sed opere: vt reuera exhibeas illi cultum, timorem, amorem, fidem, & fiduciam: neque opere solùm, sed & veritate, hoc est, non qualicunque opere, sed opere disposito secundum veritatem recti iudicij, secundum veritatem insuper quæ in rebus esse debet, quam conuenientiam vocamus, siue virtutem actionis, habens in se debitam proportionem actus ad id circa quod fit operatio. Qui enim timet Deum non aliter quàm hominem, aut qui colit Deũ non aliter quàm principem, vel virum aliquem sanctum: item qui credit aut fidit reuelatis aut promissis per Deum, non aliter quam credit aut fidit his quæ ab homine attestata sunt aut promissa, is neque timet, neque colit, neque credit aut fidit in veritate, siue secundũ veritatem. Quia actus eius non habet debitam proportionẽ ad suum obiectum, nec attingit dictamen recti iudicij, & quantum deficit ab illis, tantùm abest à veritate. Sed de hoc fusiùs infrà in verbo adorare.

Intellect' eius, Vnũ crede Deum.

De modo quo oportet credere, venerari, & colere, &c. secundum illud mãdatum.

Certa regula ex Scripturis sequenda in prædictis.

I.Ioan.3.

Quòd non solùm Deus, sed & Angeli, & homo rectè adorantur secundum Scripturam.

CAP. V.



Voniam autem malitia hominum accepit ansam malè sentiendi de veneratione & de inuocatione Sanctorum, ex verbis huius mandati: maxime verò ex eo quod dixit Saluator: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Ideo hoc loco paulò exactiùs explicandum est quid sit adorare, & an soli Deo debeatur adoratio secundum Scripturam. Item quid sit seruire, quàue ratione soli Deo sit seruiendũ. Si autem ritè obseruemus tropos Scripturæ sanctæ, is adorat qui venerabunda inclinatione corporis defert alicui honorem, siue supplex ad aliquem fundit orationem, pronus scilicet in terram, aut genibus flexis, aut manibus complicatis. Inquit enim Augustinus: Non omnis honorans adorat: omnis tamen adorans honorificat. Nec statim adoramus quemcunque oramus: quia adoratio fit ad maiestatẽ, & magna cum veneratione: nec ad quamcunque maiestatem, sed supereminentem. D. Et quam intelligam maiestatem eminentem? M. Eam, quæ in ipso est Deo, aut alioqui quasi in esse constituit diuino, scilicet super communem qualitatem humanæ naturæ. Prout sceptrum & diadema, iurisque dicendi potestas faciunt hominem inter homines sic eminere, vt Scriptura

M.

Quid sit adorare.

Ratio cur adorẽtur quidã homines.

Psalm. 8. d

ptura de eis pronuntiet, Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Deus in synagoga deorum, in medio autem Deos iudicat. Appellās Deos iudices populi: eò quòd ius suum vnicuique reddentes, vicem Dei agant in terris. Prout etiam Sacerdotium & Episcopalis dignitas eò eleuant mortalem hominem, vt inter homines iam sit plus quàm homo, pro Deo legatione fungens in soluendis peccatis, in sanctificandis animabus, in ipsis denique elementis transsubstantiandis, vti fit in Sacramento Eucharistiæ. Adeò vt qui ministerium implent in terris pro Christo, meritò dicantur iudices mundi, sal terræ, cæli & cælorum firmamentum, Dei ministri, Dei adiutores, legati Christi, Angeli inter homines, & cetera. Tertiò Angeli boni, ac etiam sancti Dei homines, qui percaleato volubili mundo, ad thronum vsque gloriæ Dei euecti sunt, facti deiformes & deificati, triumphantes iā de mundo, & de omni aduersariorum impugnatione, an non supereminentem & quasi diuinam in se possideant maiestatem? Ad hos, dico, maiestatum ordines fit adoratio, si probè obseruemus Scripturas. Paris verò ad parem, consortis ad consortem, aut superioris ad inferiorem non legitur vsquam facta adoratio. An fingimus ista? Nónne sic tradunt sacra Dei eloquia? Adorauit Abraham Angelos pronus in terram, Gene. 18. Similiter & Lot adorauit pronus in terram eosdem Angelos venientes vt perderent Sodomam, Genes. 19 Item Iacob Patriarcha adorauit fratrē suum Esau venientem in apparatu & satellitio regio septies pronus in terram Genes. 33. dicens: Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. Fecit quoque vxores & proles adorare Esau fratrem suum. Et cap. 49. iā moriturus in Spiritu Prophetico pronuntiauit de Iuda filio suo dicens: Te laudabunt fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorū tuorum, adorabunt te filij patris tui. Quia non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, &c. Et Ioseph pudicitię lumen vidit per somnum quasi Solem, & lunam, & stellas adorare se: & manipulos fratrum suorum adorantes manipulum suum: quia sublimandus erat quasi ad regiam maiestatem supra fratres, vt fieret Saluator mundi adorandus à patre & fratribus. Miphibóseth filius Ionathæ & Ornam adorauerunt Dauidem regem corruentes proni in terram. Similiter & Nathan Propheta Domini adorauit Dauidem pronus in terram. Et ipse Dauid vir secundum cor Dei, cum in minoribus esset, adorauit filium regis Ionathā. Item 1. Paralip. 19. sic legimus, Benedixit omnis Ecclesia domino Deo patrum suorum, et adorauit populus Deum, deinde regē. Vides nunc euidenter ex scripturis, quòd adoratio non solùm fiat ad Deum: sed etiam ad sanctos Dei Angelos, ad homines quoque in eminenti maiestate constitutos: & hoc à sanctissimis Patriarchis & Prophetis, & tota deniq; multitudine credentium. D. Hoc ipsum tamen in nouo Testamento prohibet Angelus Dei, dicens: Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, &c. Deum adora. M. Et Apostolorum princeps B. Petrus recusauit adorationem, eleuando Cornelium Centurionem adorantem se, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Idem prohibet Paulus & Barnabas Lystris. Verùm si placet, mysteriū enarrabo. Cur olim in veteri Testamento permiserint se adorari Angeli: nunc autem in nouo Testamento non permittant, ratio diuersitatis est ista. Olim per Angelum data est lex. Per Angelum, velut exercitus Israelitici imperijque ducem, ductus est populus de seruitute Aegyptiaca in terram promissionis & libertatis. Per Angelum oraculorum responsa dabantur, nunc ad Reges, nunc ad populum. Per Angelum ritus sacrorum, & rituum solennitates distributæ: Eratque Angelus vt natura homine superior, ita & imperium exercens & disciplinam in homines, non aliter quàm si Deus hominum fuisset. Porrò postquàm Deus factus esset homo, & homo Deus, sublimata iam nostri generis natura ad solium gloriæ altissimi, & dextram virtutis eius supra omnes Angelorum ordines, essentque omnia, & quæ in cælis, & quæ in terris, constituta in manu hominis Christi: per Christum denique commissæ vices sui imperij & potestatis super animas saluandas, non Angelis sed Apostolis, alijsque hominibus Sacerdotibus, iam poscebat ratio & ordo naturæ, vt Angelus non amplius, sicut olim, pateretur se adorari ab homine, sed diceret: Vide ne feceris conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui seruant verba Prophetiæ libri huius, Deum adora. Etiam olim quidem conseruus tuus, sed non solùm: eram enim tunc temporis per ordinationem Dei etiam legislator, & dux hominū, atque iudex, vindex quoque iræ in eos qui malè agebant, vt patet per Scripturarum Actuum 7. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, et nō custodistis. Orbis quidem terrę olim subiectus erat Angelis: non tamen vt inquit Apostolus, Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quòd memor es eius, aut Filius hominis, quo

Marginalia (left): Ioan. 10. — Non fit adoratio par ris ad parem. — Scripturis ostēditur fieri adorationem ad homines & Angelos. — Genes. 17. — 2. Reg. 9. 1. Paral. 21. 3. Reg. 1. — 1. Reg. 20.

Marginalia (right): Obiectio Apoc. 22. — Act. 10. — Act. 14. — Solutio. Cur angeli patiebātur se adorari olim non autē tempore Euangelij — Hebr. 2. — Psalm. 8.

niam visitas eum? Minuisti eum paulò minus ab Angelis, hoc olim, adeoque in ipso Christo, vsque ad resurrectionem eius, posteà verò, Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quòd dicit, Omnia subiecit ei, nihil demisit non subiectum. Olim itaque adeò patiebatur se adorari Angelus, vt & sacrificia sibi offerri à Gedeone permitteret. Nunc autem, cum factus sit homo in Christo Iesu superior omnibus ordinibus Angelorum, habeatque humana natura imperij potestatem super virtutes Angelicas, recusat Angelus vel adorari ab homine: maximè ab eo qui vicem supplet & locum Christi in terris, dicēs: Conseruus tuus sum, & c. Recusat, inquam, vt dimissam sui erga nos mortales propensionem ostendat, atque id mysterij quod diximus, aperiat: non vt damnet quā facimus ad ipsos eo modo quo ad reliquos Sanctos Dei adorationem. Abunde enim declarauimus ex Scripturis etiam ad hominem conseruum nostrum fieri adorationem, ratione qua sublimatus est super nos ad thronum vsque gloriæ Dei, quo & sancti Angeli sublimati sunt, vtrique nostræ salutis studiosissimi. Adeò vt conuenientissimum sit & nos nostris adorationibus reddere illos apud Deum nobis propensiores, & illos, nos quoque suis nonnunquam recusationibus, quòd conserui sint, reddere, ad id quod futurum est animatiores. Sicut quod Cornelius Centurio adorauit B. Petrum prostratus in terram, virtutis erat, & magnæ deuotionis salutis quærendæ. Quòd verò Petrus noluit virum nobilem humi iacere prostratum in studio adorationis, & hoc quoque virtutis erat, & modestiæ Euangelicæ. Dicebat enim Petrus, Nam & ego homo sum, sicut tu. Nusquam tamen scriptura, neque ipse Petrus reprehendit hanc Cornelij adorationem tanquam malam & impiam. Verùm quod Paulus & Barnabas Act. 14. reprehendant & detestentur scissis vestibus paratum sibi cultum adorationis in Lystris, ideo factum est, quoniam illi Paulo & Barnabæ, velut Dijs quibusdam, idque cultu latriæ, volebant sacrificare dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos, Qualis vtique adoratio soli Deo debetur, vt omnis vbique eredit & confitetur Ecclesia Catholica. D. Needum plenè intelligo, quorsum probaueris tam fusè, tamque efficaciter adorationem fieri, non solum ad Deum, verumetiam ad Angelos & ad mortales homines. M. Eorsum vt obmutescant ora loquentium iniqua: qui asserunt solum Deum adorandum esse, sanctos autem adorari non posse, crimen esse idololatriæ, si quis ad diuos orationem fundat cum veneratione: cùm tamen sancti Patriarchæ adorauerint sanctos Angelos & in hoc inuenerint laudem coram Deo & hominibus: tantùm abest vt crimen idololatriæ commisissent. Secundò vt constet per Scripturas, sanctos homines iā immortales factos, & deiformes posse adorari: & id quidem sanctè, nedum citra culpam & impietatem: quoniam Prophetæ adorauerunt, idq; laudabiliter, homines huius mundi cùm adhuc mortales essent, & in grauiora scelera incidere potuissent: nec vllam propterea reprehensionem incurrerunt: sed potius laudem meruerūt. Nec vsquam inuenitur in scripturis sanctis scriptum, Solum Deum adorabis. Inuenitur quidem scriptū, Illi soli seruies: sed nō inuenitur vspiā scriptum, Dominum Deum solum adorabis. Quinimmo vt euidenter deduxi ex Scripturis sanctè & religiosè, id que à sanctis Dei hominibus adorantur Angeli, adorantur & homines: nec vsquam contradicit traditio Ecclesiastica. Tu igitur, fili mi, dimissis vanis hominibus in sua vanitate errorum, sectare veritatem. D. Faciam.

Iudic. 6.

Cur Petr' adorari noluerit.

Cur Paul' & Barnabas adorari noluerint.

Deum solum adorabis non inuenitur in scripturis.

Quomodo aliter Deus sit adorandus, aliter homo CAP. VI.



Cæterùm an omnes, ad quos se extendit adoratio, sint vno eodemq; modo adorandi? M. Absit. Non enim, est in omnib. idem gradus naturæ, eademque maiestas dignitatis. Alia maiestas principij, alia pendentium ab illo. Alia ratio fontis, alia decurrentis riuuli. Purum numen ac spiritus est Deus: & ideo eos qui adorant Deum, in spiritu & veritate oportet adorare. Secundò, Deus est caritas: ideoque adorari debet toto affectu illius dilectionis, quæ vni debetur Deo. Tertiò, Deus est super omnia, existens omnium principium & finis: & proptereà super omnia, & ex omnibus viribus est adorandus. Quartò, scrutator cordis & renum est Deus: quam ob caussam non solùm labijs, aut corporis humiliatione, sed & corde venit adorādus. Quas rationes si diligēter annotaueris, facilè animaduertes, quomodo adorandus sit Deus. Ne autem fictum putes quod diximus, ipse Saluator modum, quo oporteat adorare Deum patrem clarissimè exprimit Ioann. 4. dicens: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorant eum. Spiritus est Deus & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Non dicit hic Saluator, decet, aut

D. An omnia adoranda sint eodē modo.

Ioan. 4.

cet, aut conueniens est, sed oportet: vt sit necessarium, si adoras, sub his duabus conditionibus adorare, nempe in spiritu & veritate. Mouerat quidem mulier Samaritana Christo quæstionem super adorationibus, quales fiunt in obseruationibus ac sacrificiorum. Tales enim contendebant Iudæi debere solummodo Hierosolymis fieri. At Christus post aliqualem informationem mulieris super ignorantia populi sui, & his quæ iamiam futura erant, paulò altiùs eleuat instructionem, docens eam generalem modum, quo oportet adorare Deum patrem, vbicunque locorum fiat adoratio, nempe spiritu & veritate. D. Obsecro domine, explica has conditiones pauló clariùs. M. Ordinem finxit in rebus auctor naturæ, quem perturbari neutiquam sinit. Vbi autem positus est ordo rerum, ibi nulla est extremorum inter se communicatio, nisi per media. Hinc quidquid gratiarum aut virtutū, vel ornatus impluit Deus in corpus id impluit per spiritum hominis, medium inter Deum spiritum, & corpus nostrum. Euidens exemplum habemus ad manum in Christo domino, in cuius animam se primum infudit plenitudo gratiarum, ac deinde per animam in corpus. E diuerso quoque nihil gratum esse potest, aut beneplacens Deo in obsequijs nostris corporalibus, nisi idipsum ex spiritu, & per spiritum, & in spiritu natum fuerit. Inde naturam, inde vires, & incrementa sumere debet, quod Deo spiritui, velut gratam hostiam per actionem corporalem offerre cupimus. Sic postulat ordo rerum, quo finxit natura hominem medium inter Deum & reliquam creaturam corporalem, spiritum autē hominis medium inter Deum spiritum & hominem. Sic præcipit lectio sacra. Nolo autem vt hîc intelligas per spiritum animam absolutè, sed eam partem hominis, quæ proximè cōmunicat cum diuinis, estque idonea pertractare spiritualia, mentem puto cum affectione correspondente. Nā pars hominis sensualis, aut sensui proxima non percipit ea quæ Dei sunt. Itaque omnis corporalis adoratio, vt prostratio in terram, gratiarum actio, capitis aut genuum inclinata reuerentia, & id genus alia, si non nascatur ex spiritu, & secundū spiritus operationem dirigatur ad Deum, est quasi nulla coram oculis Altissimi: quia extra ordinem, præcepto satisfacere non potest. Omnes enim qui adorant in spiritu & veritate opertet adorare: Porrò eadem si fiat spiritu excitante carnem, dirigente insuper & cooperante vel actu, vel habitu, vel virtute, iam cōstituitur in ordine debito: corpus enim, sicut oportet, per spiritum ascendit in Deum. Et ideo tunc demum est veraciter impletiua præcepti adoratio nostra facta in ceremonia corporali. Quę si vlterius procedat ex spiritu hominis sanctificati per fidem, spem & caritatem, atque affectu fiat amoris ac venerationis Dei super omnia, non solùm implebit præceptum: sed & cara efficietur, Deoque beneplacens, & meritoria vitæ. De quo latiùs cùm de merito tractabimus. D. Vehementer gaudeo de hac explicatione huius particulæ. Solent enim quidam mihi obijcere, Non est necesse conterere labia obmurmuratis precibus: Deum oportet spiritu adorare, hoc est, interna mentis deuotione: quasi spiritu orare esset sine corporali operatione orare. M. Illi qui sic docent, sunt seductores. Tu autem persiste in doctrina veritatis, quam audisti. D. Faciam. Ceterùm quid est adorare in veritate? M. Vbi simulatio, ibi hypocrisis, vbi vox sine mente, vel operatio sine affectu, ibi nō potest non esse falsitas. Igitur quicunque adorando simulat, aut per hypocrisin, quod no subest, ostentat, vel tantùm voce, non autem mente orat, is non adorat in veritate, sed in falsitate. Sola enim labia adorant: mens verò aliena pertractat. Iuxta illud Saluatoris ex Esaia Propheta, Hic populus labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me: Responde fili: Si tibi dicendo promittam, quod cogitando non putem, nónne tibi in deceptione cordis imposui? D. Nulli dubium. Omnis enim sic diuisus, talique duplicitate loquens, reuera mendax est, & ab amicitia submouendus. M. Sic quicunque labijs oris sui vel multa vel pauca precatur, nihil horum affectans in desiderio cordis, an non mentitur potius quàm orat? Nonne amicitiæ legibus, quibus omnis & oratio innititur & adoratio, contrariatur per falsitatem & simulationem? Secundò adorant in falsitate, omnes qui adorando errori innituntur: & hi sanè sunt multiplices. Alij existimant saxeis ligneisue statuis numen inesse: vti fecit olim superstitiosa Gentilitas: alij opinantur, quia solùm Hierosolymis adorare licet, sicut Iudæi: alij, quòd non nisi in templis manufactis. Quorundam verò rudis simplicitas credit Deum non exaudire, nisi in magnis altisque vocibus (vt fiat, it clamor cælo) vti fecerunt Sacerdotes Balaam. Aliorum insuper opinatio contendit, quoniam Deus spiritus est, propterea omnem cæremoniam corporeæ adorationis submouendam esse: de quo suprà diximus. Ceterùm istorum nemo adorat sicut oportet, quia non in veritate: veros autē adoratores oportet adorare in veritate. Tertiò si quis adorat incōuenienter absq; debita proportione actus ad obiectum vel

Quid sit adorare in veritate.

Esa. 29. Matth. 15.

Varij errores circa adorationem.

3. Reg. 18.

vel quia minùs quàm maiestas requirit obiecti, vel quia magis quàm ordo patitur, huius adoratio deficit à ratione veritatis, quę in operationibus subsistere non potest sine virtute. Quid enim aliud virtus bonorum morum quam veritas debitæ actionis? Hinc diligentia Doctorum, diuidendo posuit λατρείαν, δουλείαν, ὑπερδουλείαν: volens docere alium cultum soli Deo esse debitum, quem λατρείαν vocauit: alium creaturæ, propter insidentem maiestatē, quē distinxit in δουλείαν & ὑπερδουλείαν. Vocando δουλείαν cultum, qui exhibetur creaturæ, propter eminentem aliquam maiestatem ὑπερδουλείαν verò cultum qui fit creaturæ, ratione dignitatis supereminentis super omnes alias creaturas. Vt ex distinctione constet, cultum adorationis non habere rationem veritatis ac virtutis, nisi sit debitæ proportionatus ad suum obiectum, debitisque & honestatus circunstantijs. Igitur qui adorat Deum & non summè, tanquam summum primumque omnium rerum principium, ex quo procedit vita nostra, salus, & omnis felicitas, vti suprà determinauimus, is non adorat neque cultu latriæ, neque in veritate: quia deficit. Vbicunque autem in defectus, ibi & falsitas. Rursum, si quis Diuam Virginem, aut aliquem sanctorum adorat omni vehementia cordis, tendendo in illum tanquam auctorem salutis, aut spei suæ fundamentum, is sceleratam miscet falsitatem, conuertendo latriam in hyperduliā, hoc est cultum soli Deo debitum in creaturam, & facit adoratione sua idololatriam. De qua infrà. Ceterùm & hoc aduerte, quòd Deum adoramus in veritate, quādo eum adoramus secundum traditionem fidei, qua credimus legis figuras impletas in Christo: & ideo per vnum Christum, qui est ipsa veritas, ascendendum in Deum. Nunc pergamus ad eam partem, Et illi soli seruies.

Doctores distinxerunt cultum in λατρείαν, δουλείαν, καὶ ὑπερδουλείαν.

Quid seruire, & in quo sit seruiendum Deo.

CAP. VII.

M. ET illi soli seruies. Seruies, inquit, illi, non solum adorabis, aut coles, aut timebis: sed etiam illi seruies, & soli illi seruies: ita quod nulli aliorum ab illo. D. Sic solet exponi particula exclusiua, Solus. Quod enim mihi soli conuenit, aut meum solius est, hoc neutiquam alijs mecum est commune. Verùm quid propriè seruire? An plus includat seruire, quam adorare, aut colere, quoniam dicitur, illi soli seruies: non autem, Illum solum adorabis, aut illum solum coles? M. Adoramus & colimus etiam alienos, quibus non subijcimur ad seruiendum, sicut regina Saba adorauit Solomonem, & Dauid Ionathan: tamen nec illa Solomonis, nec iste subiectus erat seruituti Ionathę. Porrò nemo seruit nisi domino suo: sunt enim correlatiua seruus & dominus, seruire item & dominari. Est autem seruire se exhibere alicui subditum, ac subiectum ad obediendum. Seruus verò dicitur, qui se subijcitur alienæ voluntati, vt eum dicto obsequentem esse oporteat. Quam sanè descriptionem dedimus ex beato Paulo ad Roma. 6. Vbi sic habet, Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Vnde seruire non solum est obsequium præstare in hoc vel illo, sed est se exhibere seruum, hoc est, subditum, & prorsus subiectum ad obediendum. Alioqui non rectè dixisset Saluator, Nemo potest duobus dominis seruire. Non potestis deo seruire & Mammonæ. Et secundum Paulum, nemo seruit simul peccato & iustitiæ: sed factus liber à peccato, seruus fit iustitiæ. Quòd si lubet trāsire ad illam omnimodam iuris seruitutem, qua quis sic subijcitur alienæ voluntati, vt nō sit suus, etiam hoc pacto ego tuque serui sumus domini Dei. Si enim Deus habet in nos, omniaque nostra meritissimum, plenissimum, omnipotentissimum, vti suprà declarauimus, dominium, certè nos illius sumus meri serui, innumeris modis illi prorsus obligati, & obstricti prout paulò ante audiuisti. Nūc si quęris in quo quis seruiat Deo. D. Hoc interrogaturus eram. M. Principiò, nemo seruit Deo in malitijs, aut falsitate, aut iniustitijs, aut vanis & indiscretis actibus. In auaritia seruimus mammonæ, & ab Apostolo vocamur idololatræ. Dicit enim, Auaritiam esse idolorum seruitutem, eò quòd auarus se totum impendat thesauro suo: illum cogitat, illū somniat, in illo omnia sua studia collocat, illum velut numen colit, nec audet contingere, ne minuatur aceruus. In crapulis & ebrietatibus seruimus ventri, & ingredimur ordinem illorum, de quibus dicit Apostolus: Quorum Deus venter est. Et iuxta Ecclesiasten: Omnis labor eorum in ore ipsorum. In falsitate seruimus Diabolo: ille enim mendax est, & pater eius. In concupiscentijs denique seruimus mundo: transit autem mundus, & concupiscentia eius. Porrò quales Domini fuerint quibus seruimus, tale erit & stipendium nostrum. Quod paucis exprimit Apostolus dicens: Stipendia peccati mors. At Domino Deo nostro seruimus in virtute, & in solo opere virtutis. D. Nónne mulier seruit Deo in pro-

Quid propriè seruire.

Definitio seruire.

Matth. 6.

Rom. 6.

In vitiosis actibus nemo seruit Deo.

Ephes. 5.

Philip. 3.

Eccles. 6.

Ioann. 8.

1. Ioan. 2.

Rom. 6.

In sola virtute seruimus Deo.

in prolium educatione? Et vir agricola in opere rustico? M. Et in re rustica, & in re domestica & in artificijs, & in honestis mercantijs, in prolium insuper educatione, in docendo, in prædicando, ac ceteris huiusmodi seruimus veraciter Deo nostro, in quantum illa à nobis fiunt secundum rationem virtutis in laudem & gloriam Dei. Iuxta illud Apostoli: Siue manducatis siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Alioqui & auarus per illa seruit idolo scrinij sui, & gulosus suo ventri. Secundò seruimus Deo in obseruatione suorum præceptorum, ac etiam consiliorum: quoniam nihil sub præceptum, multò minus sub consilium cadere potest, nisi opus virtutis. Et eousque vnumquodque sub rigore est legis, quousque rationem attingit virtutis. Nam quod iniquum est, falsum, intemperatum, noxium, indiscretum, nemini in mandato esse potest. Cuius ratio est: quoniam finis legis est ciues facere bonos. Et secundum Apostolum: Finis præcepti est caritas. In quos fines falsa, mala, indiscreta ordinari non possunt. Porro secundum Scripturam seruimus Deo in ieiunijs & orationibus tam debitis quàm voluntariè assumptis. Patet Lucæ secundo, de Anna Prophetissa quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Quod bene notandum est contra impios qui damnāt obsequium Deo, in ieiunijs & obsecrationibus exhibitum. Per hæc enim meruit Anna fieri magis demonstratrix Christi nati, quàm prophetissa nasciturі: Sicut & Ioannes Baptista per vestimentum de pilis camelorum, & locustarum edulium seruiens Deo, meruit esse præcursor Domini, præparans viam eius. Tertiò seruimus Deo in sanctitate & iustitia, liberati tamen prius à peccatis, quibus tenebamur obligati sub lege mortis. Qui autem isto tertio modo seruiunt, ij vtiliter seruiunt præstando Deo obsequium gratum, & remuneratione dignum. D. Si solùm isti qui in tertio sunt ordine, seruiunt vtiliter, ergò illi qui seruiunt Deo in opere virtutis: item illi qui debitè obseruant mandata, non seruiunt Deo vtiliter. M. Malè colligis quia tertius modus nequaquam excludit priores, sed includit. Veruntamen si quis seruiat Deo in sola virtute morali, hoc est, in actibus secundum dictamen rectæ rationis solùm moraliter bonis, aut in obseruatione mandatorum: sic tamen quòd non de corde puro, ac liberato à vinculis peccatorum, & in sanctitate, veraque iustitia siue fide per dilectionem operante, istius proculdubio obsequium non erit gratum Deo, ad remunerationem vitæ.

Seruimus Deo in quauis re honesta, facta secundum rationem virtutis in laudem Dei.

1. Cor. 10.

1. Timot. 1.

Seruimus Deo in ieiunijs & orationibus.

Luc. 2.

Sed hæc suprà in fine primi tractatus satis exactè demonstramus.

Qua ratione præcipiatur soli Deo seruiendum, cùm tamen sint multi domini in hoc mūdo, quibus etiam seruire debemus.

CAP. VIII.



Sed mirum, quòd hîc additur particula, Soli, dicendo. Et illi soli seruies. M. Mirum magis est, te mirari de illo, cùm passim & vbique canat Ecclesia Catholica, Tu solus Dominus, tu solus sanctus, tu solus altissimus, sic edocta, ex Scripturis, Ego sum Dominus Deus tuus, & non est alius præter me, scilicet Deus, vel Dominus. D. Et hoc certè mirabilius apparet. An non harum dictionum Dominus Philippus Caroli Quinti filius? An nōn quisque habet dominium rerum suarum, diciturque rectè dominus eorum, quæ iusto titulo possidet? Insuper hæ appellationes, Dominus Petrus, Dominus Leodiensis, Dominus Brabantiæ, & cet. an impiæ sint & falsæ? M. Hi omnes non nisi diuina miseratione domini: idque vicaria potestate, atque ad tempus dependenter, & non nisi particulatim. Nemo per se dominus, nemo ex se, sibiq; ingenita potestate dominus, aut semper dominus: quia morte prohibentur omnes permanere, nemo etiam absolute dominus, facta quacunque comparatione. Quia omnes serui sunt Dei viuentis, etiamsi nesciāt & ministri Christi, quisque in ordine suo, & in sua prouincia, aut mundi particula sibi cōcredita, donec cursum consummet ministerij sui, & dispensatio credita reuocetur. Reuocatur autem per mortem vniuscuiusque. Tunc enim ad eos illud Euangelicum, Iam amplius villicare non poteris. Redde rationem villicationis tuæ. Aut illud, Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui. Omnis princeps simul cum vita sceptrū deponit & diadema. Similiter omnis Sacerdos & antistes vnà cum corpore exuit functionem ordinis & iurisdictionem. Immo vix dū mortuo eo qui erat, tractatur de instituendo illo qui non erat. Et sicut aqua pellit aquā, sic defuncti dominationem eradit præsentia instituti, nec vlla manet memoria præteritorum. Horaria dominatio, quæ solùm ab alio est in te, manēs interim in illo, ex nutu ipsius semper de pēdēs, quomodo dici potest verū dominiū, & nō potiùs substitutionis ministeriū? Omnis dominatio, omnisq; imperij potestas in Deo est per

D.

Cur & quo modo soli Deo seruiendum.

Quomodo Deus solus dominus, & tamē multi sint domini huius mūdi.

Luc. 16.
Matt. 25.

Princeps & Sacerdos simul cum vita potestatem deponunt.

est per naturam, per essentiam, per æternitatem, independenter, inseparabiliter, immutabiliter. In homine verò si est, ab illo est, & per illum, plus dico, ipsius est, & in ipso, eadem il la dominatio quæ est in homine. In homine tamen est: sed per commissionem, & Dei legatione: vicaria itaque potestate ac particulatim. Porrò in Christo Iesu secundum humanam eius naturam est donatione Dei patris, sicut ipse dicit, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Item, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Idque immutaliter, & vniuersaliter, id est, per vniuersas mundi partes, & omnia quæ cæli ambitu continentur, donec euacuauerit omnem principatum & potestatem, & virtutem, & tradiderit regnū Deo ac Patri, vt sit Deus omnia in omnibus, Sicut Apostolus dicit. An hominis super hominem potestatem destituimus? Absit. Sed statuimus, & multò quidem fortiùs, quàm fortassis plerique alij, dum plusquam humanam & ex Deo esse demonstrauimus. Non alia est potestas Dei super homines, alia hominis super eosdem: sed aliter est in eo, aliter in homine. Sicut non est alia potestas Imperatoris, alia Ducis super eosdem subditos: sed aliter in Imperatore, aliter in Duce. Ligare ad mortē impœnitentem, soluere ad vitam pœnitentem, claues in sua manu habere regni cælorum, regenerare in humanis visceribus vitam Dei, & eosdem regeneratos iterum exterminare ab Ecclesia Christi, si delicti meritum sic requirat, hæc an hominis sint, aut humanæ potestatis? Insuper corruptibilem hominem, qui ipse vna est particula multitudinis, imperium agere in plurimos alios, se fortassis & natura & virtute multò meliores, & sein dentem, dum opus est, vibrare gladium in eū qui malè agit, an ex naturali hoc esse potest, & ingenita hominum potestate? Nonne Deus ipse est Dominus vitæ & mortis? An non ipsi soli omnia viuunt, omnia existunt, omnia denique & mouentur, & quiescunt? Si ex seipso est hominis imperium super hominem: quare ergo dicit Scriptura, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Sic est enim voluntas Dei. Non enim est potestas nisi à Deo. Magna igitur cum veneratione colenda est hominis super homines præsidentia, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, & eidem in omnibus studio vbique venerabundo obtemperandum. Quoniam id quo præsidet plus est quàm humanum: Dei enim est auctoritas, ex Deo, & per Deum, vicaria commissione ei communicata: aliter tamen in temporalibus: aliter in spiritualibus. De quo alibi dicemus fusiùs. D. Homines neque vnanimi con-

Quomodo dominium sit in Christo secundū humanā eius naturam. Matth. 11. Matth. 28. 1. Cori. 15.

Hæc non abijcimus, sed firmius statuimus potestatē hominis super hominem.

Eadem potestas hominis & Dei super homines, sed aliter in Deo, aliter in homine.

Roma. 13.

sensu instituunt destituuntque suos principes, & hinc inde faciunt accipiuntque homagium, vt Iurisperiti loquuntur, per sacrosanctas iurationes? Hoc si verum: ergo potestas iurisdictionis ab humana est institutione. M. Colligis non bene. Concedendum quidem est electione & voluntate multitudinis designari Principem, Episcopum quoque & Pontificem suffragijs eligi clericorum. Sic enim est voluntas Dei disponentis omnia suauiter: ne asperum sit aut violentum, renitente multitudine, quod durabile esse oportuit. Verùm ipsa potestas dominij, ipsaque potestatis dominatio solius est Dei, & a solo Deo, cuius solius gratia & donatione, est & manet in homine, per voluntatem eligentium, designato. Iuxta firmissimam hanc Apostoli sententiam, qua dicit, Non enim est potestas, nisi à Deo. Hinc magna religione inoleuit, vt scribant tam Pontifices quàm Principes, Paulus Dei gratia Romanæ Ecclesiæ Pontifex. Carolus diuina gratia & miseratione imperator eius nominis Quintus. Quoniam autem omnis potestas hominū à Deo est: igitur & dominium, insuper & domini appellatio, qua homo dicitur dominus, à Deo est: tanto verior venerabiliorque, quanto non ab homine, neque per hominem, sed à Deo & ab illius est maiestate. Paucis itaque: Deus est dominus, etiam homo præsidens alijs, est dominus. Verùm homo non absolutè dominus: sed cū restrictione, suæ quisque ditionis: non etiam potestatiuè, sed ministerialiter: non inseparabiliter, sed donec, & quousque placuerit Altissimo: postremò non ad quoscunque dominus: quia non ad alienos, neque rerum non suarum. Nam comparatione Dei, merus est seruus, ministrans in portione sibi commissa, etiam capitis sui periculo. Deus autem dominus est, & ac omnes, & omnium rerum, & immobiliter, & potentissimè: quia Omnipotens nomen illi. Nec honorem suum potestatiuæ dominationis transfert ad alium, nisi ad Christum, qui non est alius, sed vnus cum patre Deus. Igitur concludendo, Quoniam domini correlatiuum est seruus: Solus autem Deus absolutè Dominus: Soli igitur Deo absolute seruiendum. Porrò, quia à Deo quibusdam hominibus communicatur dominij potestas: Igitur etiam illis hominibus seruiendum est: non propter se, quia ex se non sunt domini, sed propter Deum, à quo omnis illorum potestas procedit & iurisdictio. Sic enim est voluntas Dei. Hoc quoque iustum est, & beneplacitum coram Altissimo. D. Domine, aut hæreo hic perplexus, aut multò est aliter intelligendum, Et illi soli serui es quàm,

Homines designant siue eligūt personam quæ præsit dei cōmunicati, sed à Deo est præsidendi potestas

Exod. 5.

quam verba ſonant. Quia pater meus non eſt Deus, princeps quoque non eſt Deus, neque prælatus Eccleſiæ Deus eſt. Si ergo ſoli Deo ſeruiendum: igitur iſtis nemo ſubeſſe tenetur. Et tamen paſſim docemur contrarium ex ſcripturis. M. Nihil metuas, vapor eſt hæc cogitatio cordis tui. Tu cùm miniſtras progenitoribus tuis, vel eoſdem honoras in licitis & honeſtis, tunc Domino Deo ſeruis, & non tam illis quàm Deo. Similiter quando famulus aut famula ſeruiunt fideliter hero ſuo, tunc ſeruiunt Domino Deo ſuo. Item quando ſubditi obediunt præpoſitis ſuis, aut principibus, intellige in licitis atque honeſtis & in his quæ facultatem non excedunt præcipientis, tunc verè ſeruiunt domino Deo, & magis Deo quàm illis. Propter quod enim, vt inquit Ariſtoteles, vnumquodque tale, & illud magis. Quodque huic illius cauſſa facis, magis illi quàm huic facis. Nónne? D. Indubiè ita. M. Lex autem de ore Dei egrediens, an ne ſic præcipit, Filij obedite parentibus veſtris per omnia? Item, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Hoc enim iuſtum eſt, & placitum in Domino. Quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Sic ſerui præceptum à Deo habent obedire carnalibus dominis. Serui obedite, inquit Apoſtolus, per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes: ſed in ſimplicitate cordis veſtri, timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini ſicut Domino (nota verbum hoc, Sicut Domino) & non hominibus, ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis. Itē. Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, dominos omni honore dignos arbitrentur. Vidéſne hoc loco mandatum Domini eſſe, vt ſerui obediant domino ſuo per omnia, & id cum exhibitione honoris? Vidéſne prætereà quòd in hoc Domino ſeruiunt, accepturi retributionis mercedem á Domino Deo? Sic Dei voluntas eſt & præceptum. Primò, vt ſubditi obediant rectoribus Reipublicæ. Omnis enim anima, inquit Apoſtol. poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui autem reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Deinde vt obediant præpoſitis Eccleſiæ. Obedite, inquit idem Apoſtolus, præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Quod plus eſt, Saluator ad Apoſtolos, hoc eſt, ad eos qui præſunt in Eccleſia ſic ait, Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Nota igitur diligenter hoc loco, quòd prælatos Eccleſiæ

[Margin: Seruiens homini in honeſtis & licitis Deo ſeruit. — Colloſſ. 3. Epheſ. 6. — Scriptura quæ præcipit ſoli Deo ſeruiendum, eadem præcipit hominib. ſeruiendum. — Colloſſ. 3. Epeſ. 6. 1. Tim. 6. Tit. 2. 1. Petr. 2. — Rom. 13. — Heb. 13. — Luc. 10.]

audire, eſt Deum audire: eoſdem verò ſpernere, eſt Deum ſpernere. Item quòd poteſtati ſubditum eſſe, eſt Dei ordinationi ſeruire: vlteriùs poteſtatibus reſiſtere, eſt Dei ordinationi reſiſtere. Porrò reſiſtere Dei ordinationi, eſt damnabiliter peccare in ipſum Deum. Qui enim reſiſtunt, damnationem ſibi acquirunt. Eodem quóque modo audire ſuperiorem, eſt in Deum obedientem eſſe. Qui autem obediunt Deo, ipſi ſibi bonum meritum acquirunt, dicente Scriptura: Melior eſt obedientia, quàm victimæ. Hæc dico, obſerua diligenter: Et dicito mihi, Si prætor, aut alius qui famulum habet, ſuo præcipiat ſeruo, vt tibi miniſtret, te adiuuet, & honoret, tibi quoque per omnia obediat ſeruus ille cui, quæſo, ſeruit, tibíne an prætori ſic mādanti? D. Indubiè magis illi quàm mihi. Mihi quidem obſequitur, me adiuuat & honorat. ſed in hoc obſequio mihi præſtito ſeruit prætori, & non mihi: niſi propter illum, magis ergo prætori. M. Optimè. Propter Deum, & ex mandato Dei, & ſecundum ordinationem Dei, & non niſi in his quæ beneplacita ſunt, ſaltem nullam habent repugnantiā ad voluntatem diuinam, ſeruit, obſequiturque homo homini, filius patri, famulus domino, ſubditi ſuo ſuperiori, magis ergo & verius Deo. Ratio iam dicta eſt: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Porrò ſi aliud Conſul, aliud mandat Proconſul: aut ſi quid prætor ordinet, aliud verò diſponit Imperator, quid faciendum? D. Dimiſſo inferiore, obediendum eſt ſuperiori. M. Sic ſi quid mādet homo, aliud verò præcipiat Deus ibi ſtatim promptum in ore tuo eſſe debet illud Apoſtolicum, Obedire magis Deo oportet quàm hominibus. Aut illud, Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire q̄ Deum, iudicate. Nam in huiuſmodi, Qui amat, inquit Saluator, patrem aut matrem plùs quàm me, nō eſt me dignus. Hinc facilè intelligis, quàm iſtud mandatum rationabiliter ſit præceptū cum particula excluſiua, Illi ſoli ſeruies. Vt autem etiam ſcholaſticè interpretemur, ſi fortè ſic poſſes meliùs penetrare difficultatem: intelliges hoc pacto: ſeruies ſeruitute ſcilicet latriæ, Illi ſoli, ita vt nulli hominum, aut creaturarum ſeruias tali ſeruitute, quam vocamus latriam, quæ ſoli Deo debetur. Nec fingimus huiuſmodi diſtinctionem. Habet enim diuus Auguſtinus 10. libr. de ciuitate Dei cap. 1. Nomine ſeruitutis cultum Deo debitum, intelligi. Latriam quippe, inquit, noſtri, vbicunque ſanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſeruitutē. Sed ea ſeruitus quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcepit

[Margin: 1. Reg. 15. — Obedire magis Deo oportet q̄ homini. Act. 5. Act. 4. Matth. 10. — Soli Deo ſeruiendū ſeruitute latriæ. — In ſcripturis nomine ſeruitutis intelligitur latria.]

 Apoſt.

Apost. seruos dominis suis subditos esse debere alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò, secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt penè semper, ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendū Deum. Hæc ille.

Quid latria.

De veneratione & inuocatione Sanctorum per modum præfatiunculæ. CAP. IX.

M. Scis quàm grande dissidium suscitauerint quidam in Ecclesia super veneratione & inuocatione Sanctorum. Multi enim contenderūt eam merè impiam esse: eò quòd Scriptura dicat: Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.
D. Domine, vidi ego in diuersis templis nostræ prouinciæ depictū magnis literis, in quibusdam etiam aureis characteribus hoc dictum Matthæi, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Item, Non facies tibi sculptile, &c. Non adorabis ea, neque coles.
M. Quid tum fili? Tune reprehensibile existimas, si templorum latera exornentur verbo Dei, Scriptura sacra? D. Non. Sed id factum esse in subuersionem cultus Sanctorum, subindicat modus faciendi recens inuentus tempore dissidij huius. M. Ideo à capite & à fonte, quòd aiunt, repetamus, quæ sit fueritque semper fides Ecclesiæ super hac re.
D. Ego satis intelligo ex declaratione præhabita, priorem partem huius mandati, dictumque Saluatoris Matth. 4. non repugnare venerationi Sanctorum aut inuocationi. Ceterùm vt conitet palàm veritas fidei, precor id fiat, quod dixisti.

Sanctos, licet non sint dij, tamen diuos esse & deificatos, atque vnum effectos cum Deo.

CAP. X.

M. Principiò sic crediderit & docuit hucusque omnis vbique Ecclesia Catholica, quòd sanctus Martinus non est Deus, neq; sanctus Andreas neque sanctus Paulus vas electionis, neque ipsa denique deipara virgo Maria. Siquidē dij esse nō possunt, quos Sāctos nominamus: sed diui sunt, & diuini, deiformes, & deificati homines. Hic quidem sanctificati in terris per maxima illa & pretiosa dona, quæ pro sua miseratione in eos effudit Deus. Deinde verò post mortem sublimati ad soliū gloriæ eius, tam ineffabiliter vnum effecti sunt cum ipso Deo, vt nihil intus, nihil foris, nihil in natura, nihil appareat in operatione eorū, nisi Dei gloria, Dei proprietas, Dei denique maiestas ac virtus. Et quis mortalium dignè effabitur? Adeo non iam [a] amici solùm, aut [b] electi, aut [c] à longè aspicientes, sed intus [d] & domestici Dei, sed [e] speculatores gloriæ maiestatis eius, facti [f] conformes & consortes imaginis filij Dei, neque iam amplius [g] coheredes Christi in spe, sed compossessores cum ipso omnium bonorum quæ Dei sunt. Vt autem plenè intelligas pulcerrimam hanc difficultatem, piè ac diligenter considerare oportet ordinem cælestis curiæ. Vnum sunt Deus, Christus, & Sancti, sed ordine quodā. Nam Deus fons est in quo, & per quem omnia. sicut & Christus fons est omnium, ratione suæ diuinitatis. Verùm ratione suæ humanæ naturæ, licet minor posteriorque sit Deo: tamen factus est & ipse vnum cum Deo, & primas totius vniuersi, gratia vnionis hypostaticæ. Post Christum nempe tertio loco sunt sancti, velut secundogeniti fratres Christi, & coheredes, vnum cum illo, sicut membra vnum sunt cum capite, communicatione vnius spiritus, vnius regiminis, vnius voluntatis, adeoq; vnum cū Deo: Quia spiritus Dei in ipsis, virtus Dei in ipsis, gloria Dei in ipsis, omniaque quæ Dei sunt & Christi, ipsis communia per arctissimā quandam & indissolubilem caritatem. Ipsi quoq; toti in Deo, haud secus atque carbo ignitus totus in igne est, & ignis totus in carbone, simul cum Christo eandem vnctionē, eandemque regiam maiestatē, quæ in ipso est possidentes: aliter tamen q̄ ipse. Nā sicut Christus sacerdos & rex: ita illi Christo associati regale sacerdotium sunt, & regnum sacerdotale: omnia tamen hæc, ex gratia & misericordia per mediatorem Iesum, & gloriosum meritum eius: vt Deus sit fons omnium, omniūque gloria: Christus verò mediator inter Deū & hominem, caput sanctorū, & Saluator eorum, sceptrum tenens insuperabilis imperij super vniuersa. D. An Scripturæ sacræ taceant de hac admiranda, quam dicis, vnione sanctorum cum Deo & Christo eius? M. Tacerent? Quin potius audi orationē Christi quā post sacram cœnam ante passionem suā, pro credentibus effudit dicens: Rogo te pater vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti. Sequitur, Et ego claritatem, aut secundum interpretationem Hilarij, honorem, quem dedisti mihi, dedi eis vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum & cognoscat mūd⁹, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Hæc Christi verba eximia quadam consolatione plena sanct⁹ Hilarius libro. 8. de Trinitate ita intellexit, vt

Sancti nō sunt Dij.

De ineffabili modo quo vnum sunt Deus & sancti eius.

a. Ioan. 15.
b. Matt. 24.
c. Heb. 11.
d. Ephe. 2.
e. 2. Pet. 1.
f. Rom. 8.
g. Ibidem.

Vnū sunt Deus, Christus & sancti ordine quodam.

Aliter christus, aliter sancti possident regiam maiestatem.

Ioan. 17.

Sicti quo modo sint vnum cũ Christo. vt sancti non volũtate mentis tantùm, vnum esse cum Christo existimandi sint: verùm etiã vt intelligantur esse vnum cum eo, naturali vnione: per gratiam tamen ipsis impartitam: ita nimirum, vt quomodo ipse viuit per patrẽ ita sancti viuant per eum, sintque conformes, prout Paulus dicit, imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Dicit conformes, hoc est, eiusdem naturę. Quia forma est, quæ dat esse rei. Vnum igitur sunt sancti cum Christo, si naturæ spectes deificationem, sic tamen quòd ille Deus, isti diuini: ille primogenitus ante sęcula, isti secundogeniti per gratiam in tempore reconciliationis: vtrique tamen tam isti, quam ille, secundum omnem omnium virium suarum capacitatem, deificati. Vnum rursus cum Christo, si statum spectes honoris. Dicit enim Christus, Volo pater, vt illi, quos dedisti mihi, sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut nos vnum sumus. Christus per mortem clarificatus est à patre, claritate quam habuit apud patrem priusquàm mundus fieret. Et hanc suam claritatem dedit sanctis, vt post mortem sint eodem in loco vbi Christus est, hoc est, in eodem statu gloriæ. Siquidem voluit Christus exorare hoc ipsum patrem, qui indubiè pro sua reuerentia exauditus est, dicens: volo enim pater, vt vbi ego sum illic sit & minister meus, id est, ad eundẽ admittatur thronum gloriæ, sic immortalis fiat, sic impassibilis, sic beatus, sic fulgens in diademate regni, sic denique triumphans gloria, non iam humana, sed diuina, sicuti ego. Vis audire, quomodo sint collocati vno honoris loco, Sancti & Christus. En ipse Dominus de cælo sic alloquitur nos in Apocalypsi, Qui vicerit, inquit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & cõsedi cum patre meo in throno eius. Ecce vnus & idem thronus Dei patris, Christi, & sanctorũ eius. D. Dicit, Dabo, scilicet in consummatione sæculi, verùm an nunc sint aliqui sancti in eo throno, in quo Christus triumphat cum patre? M. Indubiè sunt, & quidem multi ac sine numero. Dicit enim Ioannes in eadem Apocalypsi: Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Hic nota quòd dicit: Vidi scilicet in Patmo, cùm hæc scriberem, ante annos mille quadringentos nonaginta, aut circiter. Et

Rom. 8.

Sicti vnũ cũ Christo secundum statũ honoris. Ioann. 17.

Quid sit esse vbi sit Christus.

Apocal. 3.

An Sancto rũ animæ nunc sint cum Christo in throno Dei patris. Apocal. 7.

certè, vidi eos inquit, tunc temporis stantes ante thronum in conspectu agni. Sequitur in eodem capite. Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixi, ego Ioannes, illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei, die ac nocte in templo eius. Et qui sedet in throno, habitabit super illos. Nõ esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus. Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet illos, ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Hæc ille. Præterea dicit Christus in hora mortis suæ ad latronem? Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, id est, in ea gloria æternæ felicitatis, qualis inter hæc mundi elementa haberi potest: siquidem tunc temporis alius paradisus non erat. Insuper Paulus ad Ephesios scribens: Ascendens, inquit, Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Duxit, inquit, secum captiuam illam captiuitatem patrum, qui cousque in limbo expectauerant: inter quos erant etiam illi quorum corpora resurrexerunt in die resurrectionis Dominicæ, qui haud dubiè erant multi. Quoniam dicit Euangelista, Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in ciuitatem sanctam, & apparuerunt multis. Hos duxit Christus in anima & corpore secũ in die ascensionis ad thronum gloriæ Dei. Adhæc dicit Apostolus de se, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Indubiè non dixisset hoc Apostolus, nisi anima post resolutionem corporis esset cum Christo in regno gloriæ. Postremò 2. ad Corinth. 5. habetur, Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Inquit illatiuè, si dissoluatur habemus. Ergo sancti exuto corpore habent habitationem suam in cælis. Ex quibus eisdem auctoritatibus probat B. Gregorius animas Sanctorum, etiam ante tempus resurrectionis, esse in cælis. Vides nunc Scripturam non tacuisse de hac ineffabili vnione Sanctorum cum Deo & Christo, etiam ante generalem corporum resurrectionem.

Luc. 23.

Ephes. 4.

Matt. 27.

Philip. 1.

Sanctos merito colendos esse, & venerandos.

CAP. XI.

M. Vnc an sancti sic sublimati ad tantam gloriam diuinę maiestatis, debeant venerari & honorari super omnes viuentes in hoc mundo?
D. Apparet quòd sic. M. Apparet dicis? Clamat etiam, respondet ita, & ordo rerum, & ratio fide illuminata, & omnis totius vniuersi natura: etiamsi taceret, prout non tacet, Scriptura sancta & omnis per manū accepta Traditio: Quis enim vnquam dubitabit, modò aduertat vel solùm illa argumenta, quę de rebus sumuntur, num debeant decerni primi, secundum Deum, honores, eis qui primi sunt
Ratio propter quā sunt honorandi sancti.
post Deum? Immo qui primo consistunt loco, sublimiores facti super omnem potestatem, & principatum, & virtutem huius mundi, triumphantes cum Deo in regno decoris, & diademate gloriæ, purpuraque immortalitatis nunquam deponenda? Siquidem gloria hæc est omnibus sanctis eius. Potissimùm cùm testetur Scriptura, quòd quando gloria sanctorum palàm fiet mundo, tunc demum omnis creatura, magna cum veneratione, tribuet sanctis primos summosque post Deum ac Christū honores, implebiturque tunc, hoc est, consummabitur Prophetia Mariæ, Luc. 1. Ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit, &c. Quoniam tunc etiā damnati in magna angustia & tremore cordis, erumpent in confessionem veritatis dicētes: Hi sunt quos habuimus aliquando in de-
Sap. 5.
risum. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorū est. Nos insensati, &c. Scire autem in lumine fidei hāc sanctorum sublimationem, & nolle illis impendere vllum honorē, quid aliud est, quàm velle contra Deum pugnare? Dicitur Esther 6. cap. Sic honorabitur, quemcunque voluerit rex honorare. Tanti est morituri regis imperium, & mandatum Omnipotentis, quo
Psalm. 150
imperat per Prophetam, Laudate Dominum in sanctis eius, nullius ponderis erit? Homo non est maior, neq; circunspectior Deo suo. Quos igitur Deus dignatur regno suo, throno suo, gloria sua, denique seipso, colens illos velut socios gloriæ filij sui, hos an non venerabitur ac colet mortalis homo, cum illos ab ipso patre luminum ad honorem recipi videat? Non vtique vt Deos, quod fieri non potest, sed vt Diuos, & deificatos homines? Quę dementia nolle facere, quod Deus ipse facit? Quæ impudentia velle detrahere Sāctis, quod Deus illis pro corona rei bene gestæ impēdit? Corruptibili homini, mox vbi assumptus fuerit ad regiam dignitatem, regiū impendimus honorem: vtique bene: Et illi, qui ab ipsomet Deo assumptus est ad deiformem statum, atque adeo ad diadema cælestis regni & gloriæ, nullam exhibebimus venerationem? Vbi quæso facies rerum? vbi timor Dei? vbi cōsideratio veri? Probauimus suprà ex testimonio Scripturarum, à Patriarchis & Prophetis multas, & valde venerabundas factas, prostrationes ante Reges, ac Iudices morituros: eò quòd illi quasi Dij essent in terris: quare igitur non magis coram illis, qui supra æthera in summo cælo triumphant vt Dij, facti vnū cum Deo viuente, & rege sæculorum Christo domino? Si legatus honorandus est, propter maiestatem eius à quo mittitur: si Prorex, aut Proconsul, propter eum à quo est substitutus. si filius colendus, propter patrem eò quòd filius in patre, & pater sit in filio, & redūdet omnis huiusmodi honoris exhibitio in eum, propter quem est principaliter. Qua tandem ratione non erunt venerandi sancti, quos Scriptura sacra appellat filios Dei, & fratres Christi, columnas Ecclesiæ, ac fundamenta, gubernatores, pastores, duces fidei, patres credentium, lucem mundi, sal terræ: maximè ij, qui vicem Christi gesserunt in terris, ad vtilitatem eorum qui salui fierent? Legi- Matth. 10.
tur apud Matthæum: Qui recipit Prophetā, in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum, in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et qui vos, discipulos meos, recipit, me recipit, & qui me recipit recipit eum qui misit me. Et quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.
Vt autem scimus hæc intelligi de corporali- Quid sit recipere iustum in nomine iusti, quotq; modis cōtingat.
bus actibus, recipit scilicet ad hospitium, vel ad mensam, vel alioqui in visceribus pietatis, quo illi benefaciat: ita rationabiliter definimus, non solùm intelligi de illis corporalibus beneficijs: quia dicit textus, recipit, indeterminatè, ac sine addito: quare poterit intelligi in generalitate sua: recipit scilicet siue ad iam dicta, siue ad honorem atque præconium laudis, vel in domo sua exhibēdo illis hospitalitatis beneficium, vel in existimatione cordis sui, qua de corde bono, conuertit in illos omne id, quo digni sunt sub nomine Prophetæ, aut nomine iusti, aut nomine Apostoli vel discipuli iam regnantis cum Christo. Quare enim restrictè intelligemus, quod in generalitate dixit Saluator? Si iustum mortalem, aut Prophetam mortalem aliquo dictorum modorum recipientes, Deum recipiunt: quantò igitur magis qui iustos iā glorificatos, & deiformes recipit in existimatione cordis, ad omne id quo digni sunt, sub nomine sanctorū ac Diuorum, mercedem sanctorum recipiet à

Deo?

Deo? Ratio est, quia dum recipit Sanctos ad culturæ honorem, in ipsis Christum recipit, & in Christo Deum, sicut audiuisti ex verbo Saluatoris. Qui sanctos laudat, in ipsis laudat Christum & Deum. Gratia enim Dei sunt quod sunt, & gratia Dei in ipsis vacua nō fuit. Ipsi per Christum in Deo, & Deus in ipsis per Christum. Vnde Propheta, Laudate, inquit, Dominum in Sanctis suis. D. Verùm in istis verbis non præscribit nobis Propheta vllum cultum, aut venerationem Sanctorum, vti apparet, sed solùm hoc vt Dominum Deum laudemus in ipsis. M. Coniungit Propheta tria videlicet, Laudate Dominum in Sanctis eius, Laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius, secundum multitudinem magnitudinis eius. Laudare autem Dominum in virtutibus eius, quid aliud est quàm predicare, & extollere virtutes & mirabilia facta Dei, dando ei laudem, quòd dignatus sit per tantas tamque stupendas virtutes nobis declarare multitudinem magnitudinis suæ? Sic laudare Deum in Sanctis suis, quid quæso aliud est, quàm colere, prædicare, & magnificare Sanctos, quòd Dei beneficentia, per pretiosa dona, euecti sunt de limo terræ, ad tam inexplicabilem vnionem cum ipso, in proprio suo throno gloriæ: adeò vt non sit dimissurus, donec omne quod corruptibile erat in Sanctis, induat incorruptionem, & omne mortale induat immortalitatem, prout Paulus pulcrè deducit ad Corinthios, fiantque per omnia similes Christo resurgenti à mortuis, vno excepto quod ille, & Deus est per naturam, quam habuit ante sæcula, & Saluator secundum assumptam humanitatem, Dominus quoque & iudex, tam viuorum quàm mortuorum? Hæc dico predicare, laudare, & colere in Sanctis, tribuendo gratiæ diuinæ, quòd eousque euecti sunt, est laudare Deum in Sanctis suis, est & ipsos Sanctos venerari veneratione verè religiosa, est quoque laudare Deum in virtutibus suis, quas in Sanctis, aut per sanctos operatus est, est denique laudare Deum secundum multitudinem magnitudinis eius, qua potens est sibi subijcere vniuersa, coniūgendo ima summis, non solùm in Christo Domino, sed & in multis fratribus eius.

1. Cor. 15.

Psalm. 150.

Quid sit laudare Deum in Sanctis eius.

1. Cor. 15.

Qualem venerationem Sanctorum docuerit Ecclesia ab initio, & quibus de caußis. CA. XII.

M. AB initio ergo constanter docuit Ecclesia Catholica venerationem sanctorū in terris. Primùm, vt per mirabilia quæ Deus operatur in sanctis, prout diximus, & multò adhuc latiùs explicatur Ecclesi. 44. & ad Hebræos 11, discat populus Deum laudare, non solùm in se, sed & in sanctis suis atque virtutibus. Secundò, vt populus discat in vita sanctorum, qua sedulitate illi vsi sunt muneribus Dei in colenda virtute, quamque exactè & adamussim expresserint in vita sua Christi Euangelium, quamque perseuerauerint vsque ad vltimum vitæ halitum in eodem. Siquidē in libris legimus doctrinam Christi: in vitis autem sanctorum clarè intuemur praxim siue vsum eiusdem doctrinæ, ne dicatur, Quis facere poterit, quod ille docuit & fecit? Nam Christus, eò quòd Deus esset, potuit omnia. Tertiò, vt roboretur magis ac magis singulorum fides, fiduciaque in futuram remuneratione. Solent enim generosa facta præeuntium animare virtutē subsequentium, & munificentia principis in illos, horum accendere desideria ad imitandum fortiter illorum exempla. Quartò, vt & meritis eorum associemur, & intercessionibus adiuuemur, prout tradit Diuus Augustinus pluribus in locis, & præsertim cōtra Faustum Manichæum. D. Crediderim ergo ex his quæ declarata sunt, non posse quenquam hominum esse tam vecordis tamque obtenebrati sensus, vt alicui sanctorum deneget venerationem, modò constet eum esse de numero sanctorum, & abusum excludas. Sed expone precor, an morte isto Ecclesiastico sanctos venerari liceat? M. Modò cōstet dicis? De his quos per vniuersam vbique Ecclesiam proposuit venerandos prisca traditio patrū, de his dico constat propemodum eo modo, quo de sacrosanctis Bibliorum Euangelijs, nempe per auctoritatem matris Ecclesiæ, per venerandam & succedentem à multis retrò sæculis omnium Patrum traditionem, & per vnanimem consensum totius populi acceptantis. Insuper constat de his ex stupendis ipsorum prodigijs ac virtutibus quæ operati sunt, & in vita, & in morte, & post mortem. Nemo enim potest hæc signa facere, nisi Deus fuerit cum eo. Addis, Si abusum excludas. In hoc tu sicut vnus ex insipientibus locutus es. Non est enim sani hominis, sed dementis iudicare de natura rei ex abusu ipsius. Natura ex proprijs constat principijs: Abusus verò ex malitia non bene vtentium. Optimarum rerum plerunque pessimus est abusus. Nónne optimum est esse Apostolum? Et tamen abusus est sceleratissimè Apostolatu Iudas. Libertate Euangelica an quid dici posset diuinius? Tamen illam multi conuerterūt in occasionem carnis. Et quid magis necessarium gratia Dei: nam gratia Dei sumus hoc

Cultū sanctorū ab initio docuit Ecclesia propter quatuor.

Vnde constet aliquē esse de numero Sanctorum.

Ioann. 3.

Cultū sanctorū non esse reijciendū propter quorundā abusum.

Insipiētis est rem accusare propter abusum ipsius

ipsum

ipsum quod sumus? Tamen beneficijs gratuitæ bonitatis Dei abutimur ferè omnes. Si abroganda sunt cuncta, quibus abutitur intemperantia quorundam, aut inscitia, nulla res tandem tam necessaria quám non ablatam oporteat. Nam & pane, & vino, & lumine Solis magna pars hominum, ne dicam maxima indignissimè abutitur in suam perniciem. Nequaquam igitur reijcienda erit veneratio Sanctorum, quia sensatula anus, aut rustica quorundam simplicitas magis colit sanctos superstitiosè quàm religiosè. Abusum detestamur, superstitionem multorum omnino execramur. Vsum autem veritatis in venerandis Sanctis non possunt non probare omnes, quibus inest mens sanior, & vlla ordinis consideratio. Nunc perge ad tuum Sed. D. Sed an more isto Ecclesiastico liceat venerari Diuos, erigendo eis statuas & altaria in titulum? An sacra coram illis facere? thura incendere? hymnos seu cantica laudis per diē perque noctem dicere? Item. M. Est satis. Primò dicamus de hoc quod proposuisti. D. De hoc certè dubitant non pauci, & magnæ eruditionis viri. M. Magnæ eruditionis esse non possunt, qui tam parua non penetrāt. Tu autem contemplare quo in loco, & gradu ordinis sint Sancti, & statim fiet euidens in oculis tuis, quo cultu sint venerandi. Primò sunt sublimati super omnem gradum, & dignitatem, & gloriam corruptibilis mutabilisque creaturæ, ad thronum vsque gloriæ magni Dei, & palmæ in manibus corū: eò quòd victores mundi effecti sunt. Secundò, sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in throno habitat super illos. Ergo Deo multò inferiores. Tertiò, licet inferiores sint Deo, sunt tamē vnum cum Deo, deiformes, toti in Deo, & Deus plenissimè in ipsis. In hoc itaque ordine venerandi sunt Sancti, non vltrà, non infrà, ne ordinem peruertas: non etiam remissè nimis, aut quocunque volueris modo, ne vlli fiat iniuria maiestati. Absit igitur, absit longè vt eos veneremur tanquam Deos nostros. Quia Deus tuus, inquit omnipotens, Deus vnus est, Non habebis Deos alienos coram me. Et sanè ipsi sancti seruiunt Deo die ac nocte, tantum abest vt Dij sint. Iterum absit, vt non veneremur super omnem mutabilis creaturæ dignitatem, eos, qui mundo superiores effecti, de mundo triumphos agunt æternitatis. Quartò absit, vt aliter veneremur eos, quàm hactenus fecit Ecclesia sancta, in templis, in altaribus, religioso quodam cultu sacrarum cæremoniarum, in sacris concionibus prædicando vitam eorum ad instructionem simplicium: vt ex vita Sanctorum intelligant vim & operationem gratiæ Euangelicæ: in orationibus insuper, & hymnis, & laudibus Ecclesiasticis tam nocturnis quàm diurnis.

In quo ordine sint Sancti. Apoc. 7.

Quomodo venerāndi sint Sancti.

D. Nónne hæc omnia spectant ad cultum vnius Dei? M. Spectant vtique. Omnia tamē hæc Sanctis Dei facta sunt communia. Quia ipsemet Deus illos se dignos, & sui participes, sibique conformes efficit, tali insuper eos metamorphosi in se transformauit, vt vnum sint secum, intus & foris, & per omnia deiformes effecti. Itaque si maiestas Dei, si regnum Dei, si gloria Dei, si thronus Dei facta sunt sanctis communia: quare non etiam ritus colendi Deum, templa Dei, altaria Dei ipsis cōmunia erunt? Dummodo excipias sacrificium, de quo inquit D. Augustinus dicens: Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum esse aut sciuit, aut putauit, aut finxit? De quo & scriptura in Exodo, Qui immolat Dijs occidetur præterquam Domino soli. Nos autem de hoc plura dicemus libro 4. Dummodo etiam in forma colendi sit maneatque diuersitas, sicut magna in rebus est distantia: vti ex præmissis abundè satis constat: igitur vnus cultus cæremoniarum ac religionis communis est Deo & Diuis, sub hoc tamen discrimine: quòd Deum colimus propter se: & super omnia tanquam primum omnium rerum principium, & obiectum beatificum, & vocatur λατρεία siue θεοσέβεια. Sanctos autem veneramur super omnem corruptibilem aut mutabilem creaturam, tanquam electos Dei principes, consortes gloriæ & maiestatis eius, & vocatur ὑπερδουλεία. Hinc Concilium Gangrense cap. 20. suorum decretorum. Si quis, inquit, per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca & basilicas sanctorum Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes quæ inibi celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contēnēdas duxerit, anathema sit. Hactenus de sanctorum veneratione. Nūc autē dicamus modicū de intercessionibus, quibus illi de cælo opitulantur nobis in terra.

Cæremoniarū cultus quo Deum colimus Sanctis est cōmunis: quia vnū sunt sancti cum Deo.

Augustin. lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 4

Exod. 22.

Inuocationem Sanctorum vtilem esse ac salutarem. CAP. XIII.

D. Omine, multi inter abusus Ecclesiæ referunt quod inuocamus sanctos vt intercedant aut opitulentur nobis. M. Multi hoc sæculo errāt turpiter. Tu autem suscipe doctrinam veritatis. Cōforme est scripturis sacris, semperque creditum fuit in Ecclesia, quod sancti apud Deū nostri sunt memores, & solicita Deoque grata opi-

Quod semper creditum fuit in Ecclesia de inuocatione sanctorum.

opitulatione pro nobis intercedunt: ita vt Deus patiatur se misericorditer exorari propter intercessiones eorum, suaque nobis dona propter illos impartiatur: semper tamen per Christum dominum & saluatorem nostrum. Nam omnia illa, per quæ Deo placent Sancti, Christus ipsis promeruit, impetrauit, obtinuit. D. Credo ego sic esse. Sed obsecro ostende ista ex Scripturis, vt possim rationem reddere ijs qui contradicunt. M.

Fides Ecclesiæ de inuocatione Sanctorũ ostẽditur ex Scripturis.

Ostendam, primò ex Scripturis, deinde ex vetustissimis patribus tam Orientalis quàm Occidentalis Ecclesiæ, hinc exordio sumpto. Euidens est Angelos bonos esse de numero Sanctorum, nec vlla vnqnam super eo fuit controuersia. At patet ex Scripturis: primò, Quòd sancti Angeli fructuosè orant pro nobis, Zacha. 1. Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur, verba bona & consolatoria. Itaque intercessio Angeli, aliquid effecit apud Deum pro Iudaico populo. Secundò. Sancti Angeli nostras orationes studiosè offerunt Deo. Tob. 12. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diẽ in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationẽ tuã Domino. Sequitur, Et nunc misit me Dominus vt curarem te, &c. Tertiò, Soliciti sunt de nobis, curam nostri gerentes. Patet Matth. 18. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Contra, si contemnatis vnum ex his pusillis, indubiè Angeli eorum curam habentes, accusabunt vos coram Patre meo. Quartò, Gaudium est Angelis in cælis super peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Quintò, Dicit Psalmista de iusto, Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Et similiter Paulus, Omnes, scilicet Angeli, inquit, sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis. Itaque si orant Angeli pro nobis, si bonorum pias preces offerunt in conspectu Altissimi, si exultant super pœnitentia peccatorum, & cõtristantur in ruina iustorum, si omnes sunt administratorij spiritus mandatum habentes custodiendi nos in omnibus vijs nostris, qua, precor, fronte, dici posset, Angelos Dei non tangi cura rerum nostrarum? Qua tandem ratione, aut qua posset sustineri temeritate, Angelos non esse studiosissimè inuocandos, qui tam solicitè, tantaque instantia ministerium subeunt salutis nostræ, quibus statim ad vnam intercessionem respondet Dominus bona consolatoriaq; verba? Rumpatur folium oris eorum, decidant, intereãt, pars illorum sit, ignis, aut laqueus, qui tam manifestæ repugnant veritati. Insuper euidenter constat partim ex Scripturis Bibliorum, partim ex vetustissima traditione Sanctorum Patrum quòd Sancti Dei homines, etiam post carnis suæ depositionem orant pro nobis; & cura tanguntur rerum nostrarum. Item quòd Sanctorum in cælis orationes beneplaceant Deo in odorem suauitatis. Habes 2. Macha. 15. quòd Iudas Machabæus vidit Oniam, qui fuerat sacerdos iampridem vita defunctus, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum. Post hoc vidit alium virum ætate & gloria mirabilem, de quo dixit Onias, Hic est fratrum amator, & populi Israël, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei. An quid dici posset manifestiùs? Et Baruch 3. dicitur: Domine omnipotens Deus Israël, audi nũc orationes mortuorum Israël, Patriarcharum scilicet & Prophetarum qui mortui sunt, & filiorum ipsorum qui peccauerunt ante te, &c. Adhæc Hieremiæ 15. ipsemet Dominus dicit ad Hieremiam: Si steterint Moyses & Samuel, qui multò anteà mortui erant coram me, non est anima mea ad populum istum. Quod exponens B. Gregorius, Quasi diceret, inquit, nec illos modò pro amicis audio, quos magnæ virtutis meritò orare pro inimicis scio. His adiunge ex Apocal. Ioannis conscribentis reuelationes cælestis Ierusalem, sic enim habet, Quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Et cap. 8. eiusdem Apocal. Stetit Angelus ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Ecce qualis conspiratio Scripturarum vtriusque testamenti, vt sit vniuersaliter verũ, quòd Psalmista dicit, Pro ea, scilicet remissione peccatorũ, orabit omnis Sanctus in tẽpore opportuno. Tempus autẽ q̃ maximè opportunum est dies glorificationis. De quo secundũ Bedã Doctorẽ venerabilẽ loquitur Saluator Ioan. 16. Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis:

Angeli sancti orãt pro nobis, & curã nostrã gerunt.

Sancti Angeli Dei nostras orationes offerunt Deo.

Sancti Angeli soliciti sunt pro nobis.

Psalm. 90.

Heb. 1. Angeli mittuntur in ministeriũ eorũ qui salui fiunt.

Zacha. 1. Ostẽditur sanctis Scripturis quòd Sancti orant pro nobis.

Apocal. 5.

ſed palàm de Patre meo annuntiabo vobis.

1.Cor.13.

In illa die in nomine meo petetis. Hic loquitur in Prouerbijs: quia videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem palàm videbimus ſicuti eſt facie ad faciem. In illa die in nomine meo petetis, clarè contemplantes nihil gratiarum, nihil virtutum, nihil poſſe defluere felicitatis ad quenquam, niſi per me. Ergo tempore claritatis illius diei non in alio nomine quàm in nomine meo petetis. Igitur iuxta promiſſionem Chriſti, etiam Sancti in cælis intercedunt pro ſuis in nomine Chriſti. Vis addam plura? D. Meritò quidem hæc ſufficerent: verùm propter multam multorum huius temporis temeritatem, non foret inexpediens addere, quid ex his ac alijs Scripturis ſenſerit & docuerit veneranda Patrum antiquitas de inuocatione Sanctorum, & de opitulatione qua exiſtentes in cælo nos hic in terris adiuuant. M. Audi igitur D. Hieronymum qui ſic colligit in tractatu ſuo aduerſus Vigilantium huius erroris hæreſiarcham. Vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam. Et Stephanus imitator Domini, & primus Martyr in Chriſto pro ſuis perſecutoribus veniã deprecatur. Et poſtquàm cum Chriſto eſſe cœperint minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas, & poſtquàm reſolutus eſſe cœperit, tunc ora clauſurus eſt, & pro his qui in toto orbe in ſuum Euangeliũ crediderunt mutire non poterit? Simili vtitur argumento B. Ambroſius libro ſuo de viduis, tractans illud Lucæ 4. Cum ſocrus Petri magnis febribus cruciaretur. Petrus & Andreas rogauerunt pro illa: Et tu, inquit, habes proximos qui Deo pro te ſupplicent. Habes Apoſtolos proximos, habes Martyres proximos, ſi ipſe Martyribus deuotionis ſocietate, muneribus quoque miſericordiæ appropinques: Petrus & Andreas tunc cùm viuerent, potuerunt rogare pro vidua, nunc omnia poſſunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Simili quoque argumento vtitur & D. Auguſtinus, depingens vitam ſancti Stephani ſermone primo de Sanctis, dicens: Exauditus eſt ſanctus Stephanus vt eius orationibus deleretur peccatum quod commiſerat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus eius. Multò enim magis nunc exauditur pro bene oratoribus ſuis à regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Hæc Auguſtinus. Martyres Dei inclyti, omneſque Sancti adhuc mortales, ipſi quoque in agone poſiti, & pro ſe adhuc debitores tam viſcerosè, tamque efficaciter ſubuenerunt per

Sanctos intercedere pro nobis oſtẽditur ex ordine caritatis.

orationes ſuas conſtitutis in neceſſitate, impendentes ſe ſuaque omnia, vt multos Chriſto lucrifacerent, & nunc in caritate radicati, ac ſine menſura amantes, an viſcera perdiderunt & affectionem? An in ſinu miſericordiarum Dei miſereri dedidicerunt? An aſſiſtentes cum Chriſto, qui ſemper viuit ad interpellandum pro nobis, ſe exhibens aduocatum & propitiatorem pro peccatis totius mundi, vt Scriptura dicit, ipſi eius membra viua poterunt non facere, quod caput facere vident ſine intermiſſione? Vbi igitur illud, Caritas congaudet veritati, caritas benigna eſt, caritas nunquam excidit? Si amant Sancti, indubiè ſecundum legem amant, & ordinem caritatis, Lex verò caritatis eſt, teipſum quantum poſſes ſuperimpendere neceſſitatem patiẽti. Poſſunt autem Sancti nunc magis, veriuſque quàm vnquam priùs: quia nunc donatori omnium & coniunctiores ſunt, & cariores, magiſque vniformes. Igitur & potentiores magiſque ſpontanei nunc, quàm vnquam priùs ad ſubueniendum, iuxta incrementa, imò plenitudinem ſuæ caritatis in Chriſto Ieſu. Satis. Vis ipſa in rebus, & pondus dilectionis bene diſpoſitæ per ſe demonſtrant, conſtare non poſſe, vt quis adhuc longè poſitus à Deo, propter Deum amet proximos, curamque gerat fratrum: & iam intus in throno, ante Deum, inter theſauros diuitiarum bonitatis, & miſericordiarum eius, ſileat, & viſcera cõtrahat, negligens, quod ſemper coluit caritatis officium. Pugnat iſtud contra ordinem caritatis, mente concipi non poteſt. Sit igitur certum in corde tuo, Sanctus cum Chriſto domino curam habere gregis Dominici, & fratrum ſuorum, Sanctos cum Chriſto interpellare apud patrem, Sanctos cum Chriſto velut membra cum capite, agones ſuos & mortes, martyria & ſtigmata proponere in conſpectu Dei, ad inueniendam reconciliationem ſuorum: quia corpus ſunt vnum, nec poſſunt membra diſcordare à capite Chriſto, qui ſemper interpellat pro nobis, &c. Nónne velut articulum fidei credimus Sanctorum communionem? D. Sic docet Symbolum Apoſtolorum. M. Et hoc ideo, quòd omnes tam Sancti in cælis, quàm nos peregrinantes in terra, membra ſumus eiuſdem corporis. Chriſtus caput eſt, Chriſtiani membra, de carne illius & oſſibus eius. Membra autem eiuſdem corporis, non poſſunt non eſſe ſollicita in inuicem, aut non communicare inter ſe mutuum officiũ, mutuumque beneficium. D. Hoc ſatis teſtantur membra corporum noſtrorum. M. Quòd plus eſt, expreſſè hoc docet Apoſtolus ad

Heb.7.
1.Ioan.2.
1.Cor.13.

Viscaritatis quid demonſtret.

Ex articulo fidei oſtẽditur inuocationẽ Sanctorũ eſſe vtilem.

Quare inter arti-

calo1 Symboli positū sit, Sanctorū communionem.

ad Rom. 12 & 1. Corint. 12. Ephes. 5. Atq; hinc est, quòd Spiritus sanctus docuerit ab initio credendum esse hunc articulum, Sanctorum communionem. Primò, vt discamus nos in Ecclesia habere participationem, non solùm eorum quæ Deus per Christi personam donauit: verùm etiam omnium bonorum quæ Sancti Dei, quotquot fuerunt ab initio ad nos vsque, vnquam habuerunt. Secundo, vt discamus quòd non solùm persona Christi agit aduocatum pro nobis apud Deum patrem interpellando pro salute nostra: verùm etiam vniuersa membra, quorum ille caput est, hoc faciunt: maximè viua illa ac ardentia in caritate, hoc est, omnes sancti Dei homines, siue hic militent sub Christo, siue ibi regnent cum eodem: magis tamen isti, quàm illi: quia intimiùs, viuaciùs, securiusque Christo cohærent isti, quàm illi, sequentes agnum quocunque ierit. Adhæc cùm sit Sanctorum omnium communio, vt Articulus fidei docet, Sancti autem cælos incolentes nobiscū non communicent in fide: quandoquidem Cælicolæ fidem non habent, sed pro fide claram visionem, qua nos caremus: Neque in spe, nam ipsi spem non habent, sed pro spe beatificam fruitionem qua hic caremus: relinquitur quod communicant nobiscum in caritate, nam caritas nunquam excidit, prout demonstratū inuenitur ad Cor. 13. Caritas autē vbicunque est, non potest non impendere se fratrū indigentiæ, sicuti apertè constat ex illo Ioannis, Qui viderit fratrem suum necessitatē habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?

Quomodo à Patribus secundum seriem temporum semper obseruata & docta fuerit inuocatio Sanctorum. CAP. XIIII.

M.



His superaddam seriem traditionis antiquæ, vt plenis viribus consistat demonstratio nostra. Origenes docuit suo tempore inuocandos esse Diuos in hunc modum, Omnes Sancti qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc caritatem erga eos qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis, atque interuentu suo apud Deum, non erit inconueniens. Scriptum namque est in Machabæorum libris ita, Hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo. Hæc ille. Nec id tantùm docuit, verumetiam ipsemet admodum deuotè precatus est Sanctos dicens: O beate Iob viuens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu regis

Origenes homil. 3. in Cant. Salomonis.

Domini, ora pro nobis miseris, libro 2. in Iob sub finem. Idem, Heu mihi, inquit, pater Abraham deprecare pro me, ne de finibus tuis aliener, quos valdè concupiui, nec condignè quidem, propter ingens peccatum meum. Sub Lamenti sui finem. Idem, Incipiam, inquit, me genibus prosternere, & deprecari vniuersos Sanctos, vt mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant. O Sancti Dei vos lacrymis, & fletu, pleno dolore deprecor, vt procidatis misericordijs eius pro me misero, in eodem Lamento circa initium. Vides quàm vir ille in Scripturis illustris deuotè inuocauerit Sanctos, probans Scripturis id ita conuenire. Addit quoque rationem cur ad diuos priùs quàm ad ipsum Deum recurrat. Non audenti, inquit, mihi petere Deum, propter nimietatem peccati. An non idem nunc ex eadem Scriptura, & eandem ob caussam sic faciendum docemus? Vixit autem Origenes anno post Christum passum plus minus 233. Post Origenem docet Cyprianus in hunc modum, Innocentes pueri ab Herode occisi, in ordine Sanctorum primum habent locum, & secretorum conscij diuinorū propinquitate familiarissima clementiā Dei pro nostris exorant laboribus, Sermo. de stella & Magis. Scribens insuper ad Cornelium Papam, quem fratrem appellat, sic ait, Et si quis hinc nostrûm prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. Vixit autē Cyprianus anno post Christum 260. Post Cyprianum claruit in Italia anno à Christo 380. D. Ambrosius, qui libro suo de viduis pulcerrimè demonstrat ipsis viduis, nobis apud Deum implorandas esse intercessiones Apostolorum, Martyrum, Sanctorumque Angelorum, vtens triplici genere argumenti, Quoniam, inquit, si potuerunt aliquid efficere dum viuerent nobiscum, ipsi mortales, magis ergo nūc. Si insuper ad ægrotos non ipsorum, sed aliorum precibus inuitetur medicus: certè nos quibus mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita, debemus ad nos non nostris, sed Sanctorum intercessionibus Deum medicum animæ inuitare. Tertiò, inquit, Nō erubescamus sanctos Martyres adhibere intercessores infirmitatis nostræ. Quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm viuerent, cognouerunt. Hæc summatim ex eodem D. Ambrosij libro. Eodem pœnè tempore aut paulò antea floruit in Græcia Basilius Magnus, qui describens vitam & agones quadraginta Martyrū, dicit: Beneficiū hoc,

Cyprian. lib. 1.

Episto. 1.

Cyprian. Ambrosius.

D. Basili.

hoc, fratres dilectissimi, gratiam hanc minimè deficientem, ac sine inuidia ex Deo obtinemus: vt paratum sit nobis & Ecclesiæ per hos auxilium, &c. Subdit, Sæpè laborastis, sæpe operam dedistis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis, quadraginta sunt hi, vnam orationis vocem emittentes. Vbi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est. Vbi verò quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse præsentem? Qui aliqua premitur angustia, ad hos cõfugiat. Qui rursus lætatur, hos oret: ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis. Item in summis suis moralibus cap.2. summ.26. sic dicit, At iam potest re ipsa & opere sæpissime compertum nobis esse, inuocationem Sanctorũ ad intercedendum pro nobis non solùm placuisse, verùm etiam eis qui Sanctos, modo tamẽ pio, & absque superstitione, inuocassent, magno & admirando solatio, auxilio, & bono cessisse. Hæc Basilius qui vixit ante annos

D. Grego. Nazian. 1160. Quo ferè eodem tempore S. Gregorius Nazianzenus vt docuit Sanctos inuocandos: ita & ipsemet studiosè inuocauit primùm D. Basilium, deinde D. Cyprianũ, tertiò S. Athanasium iam vita defunctos: vt est videre in orationibus eius. Nã oratione sua 18. in Athanasium sic orat, Tu autem Athanasi, è supernis propitius nos respice, & populum hunc sanctum dirige. Post Basilium & Nazianze-

D. Chrysostomus. nũ cœpit clarere B. Chrysostomus, qui præter ea quæ suprà allegauimus dicit hoc modo, Iccirco sæpè eos, Iuuentinum scilicet & Maximum martyres, de illis enim loquitur, inuisamus, tumulos adornemus; magnaque fide tumulos eorũ contingamus, vt inde benedictionem aliquam consequamur. Etenim sicut milites vulnera quæ in prælijs sibi inflicta, regi monstrantes, fidenter loquuntur: ita & illi absecta capita gestantes & in medium afferentes, quæque voluerint apud regem cælorum, impetrare possunt. Proinde magna fide promptitudineque huc veniamus, ad memorias scilicet dictorum Sanctorum, quò & visis Sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmijs, inde varios thesauros vndequaque colligamus. Serm. in Iuuentinum & Maximum martyres. Vixit autem Chrysostomus ante annos 1150. Post Chrysostomum annis 30. aut circiter claruit in Africa D. Au-

D. Augustinus. gustinus testis in doctrina fidei irrefragabilis, qui non docuit solùm orationes nostras dirigendas ad Diuos: sed & ipse eosdem instantissimè precatus est, vti constat ex pluribus locis scriptorum eius. Pro Martyribus, inquit, non oramus: sed ipsi orant pro nobis. In Euang. Ioan. Tracta. 84. Rursum, Oratio-nibus sanctorum Martyrum propitiatur Deus peccatis populi sui. Quæst. super Exod. cap.108. Addit. Tunc pro nobis absque vlla dubitatione sancti Martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt. Serm. 244. de tempore. Idem August. precatur hoc pacto, Vos igitur qui meruistis consortes fieri supernorum ciuiũ, & perfrui æternæ claritatis gloria, orate pro me ad Dominum, vt educat me de carcere isto in quo teneor captiuus & ligatus. De spiritu & anima cap.59. Rursum, Orate, inquit, Dominum, orate pijssimi, orate omnia agmina Sanctorũ, & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisque adiuti, salua naue, & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, &c. Lib. Medita. cap. 24. Augustino contemporaneus fuit D. Hieronymus, sed ætate maior illo, qui in epitaphio Paulæ sic scribit, Vale ò Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua: fides & opera tua Christo te sociant: præsens faciliùs quod postulas impetrabis. Adhæc legitur lib. 11. Histo. Ecclesiast. cap. 33. quòd Theodosius Imperator ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat, cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. Refertur insuper libr. 6. eiusdem Histo. Ecclesiast. cap. 5. de S. Potamiena Martyre, quòd cùm duceretur ad locum supplicij, & Basilides vnus ex ministris iustitiæ, studio pietatis abigeret, quantùm poterat, populum insultantem Potamienæ eunti ad martyrium, dixit tandem Potamiena: Basilides, certus esto, quòd cùm abiero ad Dominum meum, sine dubio boni huius remunerationem tibi parabo. Quẽadmodum intra triduum eidem Basilidi parauit, imponens capiti ipsius quam impetrarat ei coronam martyrij. Qua visione ille cõmotus, & conuersus ad martyrium peruenit. Præterea Ioannes Damascenus non ignotæ sanctimoniæ & eruditionis, sic, dum viueret, orauit è profundissimo pectore, lacrymis & gemitibus misericordissimam Deiparam inuocando dicens: Domina & sanctissima mater, quæ Deum meum peperisti, amputata est dextera mea ob sanctas ac diuinas imagines, tu qua de caussa leo sæuiat non ignoras, proinde quantò citiùs succurre. Dextera enim altissimi, quę de te incarnata est, per tuas intercessiones multas facit virtutes. Sanet oro hãc meam dexteram tuis precibus, &c. Vixit autem circa annum Domini 390. & inuocauit D. Virginem modo iam dicto, manumque suã integrè restitutam virginis Mariæ intercessione accepit. Vti in historia vitæ ipsius

D. Hieronymus. Hist. Eccles. Ioannes Damasc.

de eo

de eo ſcribit Ioannes Hieroſolymitanus Patriarcha, ipſemet in fine eiuſdem hiſtorię ſtudioſiſſimè inuocans eundem defunctũ Ioannem Damaſcenum in hunc modum: Et ô beatiſſime, ignoſce mihi, proque me apud Deum feruens & irrepudiabilis interceſſor eſto, &c. Fac obſecro & me, tametſi adhuc peregrinum, Trinitatis adoratorem, &c. Nec id præterire poſſum, quod habet eximius ille Theophylactus in expoſitione 11. cap. ad Hebræos dicens: Proinde tum perfecti videbuntur, Sancti ſcilicet cùm per reſurrectioné conſummati fuerint, qui iam nunc arrhabonem & pignus honoris habent. Vnde aliàs eis poteſtas eſſe, vt ſuccurrere queant inuocantibus ſe. Vnde ipſis quòd fiduciam habent intercedendi. Hæc ille de inuocatione Sanctorum circa annum Domini 750. quo claruit.

Theophylactus.

Neq; minùs expreſſè docet hoc ipſum Theodoret' vetuſtus ille ac celeberrimus ſcriptor libro ſuo 8. de Græcarum affectionũ curatione, pagin. 107. Martyrũ templa, inquiens, cõſpicua cernũtur, magnitudineque præſtátia, omni prætereà ornatus genere variata, ſplendoremque quodammodo pulcritudinis ſuæ latè fundentia. Neque verò hæc per annum ſemel, aut bis, aut quinquies aduentamus: ſed in eis ſæpenumerò dies feſtos peragimus, ſæpè diebus ſingulis eorũ Martyrũ Domino laudes hymnosque cantamus. Quique homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari eam ſibi à Martyribus petunt: qui verò ægritudiné aliquam patiuntur, ſanitaté expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri, & mulieres, dari ſibi filios petunt: qui verò parentes ſunt, integra ſibi, & propria cuſtodiri quæ conſecuti ſunt, dona. Item qui peregrè aliquò proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi comites eſſe in via, vel potiùs itineris duces: qui verò iam ſoſpites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrentur: ſed qui orent Dei Martyres, tanquam diuinos homines, interceſſoresq; ſibi eos apud Deum aduocent, ac precentur. Piè verò, fideliterque precatos ea maximè conſequi, quæ deſiderant, teſtátur illa, quæ votorum rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum ſimulacra ſuſpendunt, ex argento auróue cõfecta. Gratiſſimè nanque accipit eorum Dominus, qualiacunque ſunt dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaq; omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur morborum depulſionem, cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, à ſanitatem conſecutis allata, hæc, inquam, ſepultorum ibi Martyrum, quæ ſit virtus oſtendunt. Martyrum autem virtus quem ipſi coluerunt Deum, verum eſſe Deũ declarat. Hæc Theodoretus de noſtra ad Diuos inuocatione, & illorum ad nos opitulatione, de cultu inſuper ac donarijs quæ illis impendimus, penitùs nihil diſcrepãs à doctrina, quæ nunc temporis retinetur de eiſdem in Eccleſia. Et ſi, qua debes diligentia, legeris ſermonem D. Baſilij, quem habuit de ſancto Mamante Martyre, videbis Sanctos nonnunquam apparere in ſomnis, & illos qui ad eorum ſepulcra iacẽt deuoti, habere Sanctos adiutores ad precandum, item Sanctos inuocari à nobis, & inuocatos opem ferre, aberrantes ad viam reducere, infirmis reſtituere ſanitatem, pueros mortuos reſuſcitare, vitæ terminos prorogare, ſpiritualiũ charismatum diuitijs plenos eſſe. Tu ipſe lege verba Baſilij, quæ inuenies Tom. 1. operum eius. Sed & ij qui claruerunt circiter annum 1000. à Chriſto, ac poſteà, vt Hugo de ſancto Victore, Petrus Lombardus, S. Bernardus, S. Bonauentura, S. Thomas Aquinas, & infiniti alij cum religione, tum ſacra eruditione nobiles viri, & inuocarunt, & inuocandos docuerunt Sanctos, quiſque ſuo tempore, haud ſecus atque nos nunc facimus. At quid opus eſt fuſiùs idipſum citatis ex ſingulorum libris teſtimonijs probare? Cùm in Canonibus ſexti vniuerſalis Concilij Conſtantinopolitani cap. 7. ita conſtitutum ſit, vt vnuſquiſque Chriſtianus ſolo Deo creatore ſuo adorato, nempe adoratione latriæ, quæ vna ipſi debetur, de quo mox dicemus, inuocet Sanctos, vt pro ſe intercedere apud Maieſtatem diuinam dignentur. Quòd ipſum crebriùs repetitur in Actis. 7. Concilij vniuerſalis in Nicæa Bithyniæ celebrati, circa annum Domini 781. non longè poſt illud Conſtantinopolitanum. Cumque ipſa catholica Eccleſia publico Letaniarum officio Sanctos inuocet, hoc tamen ordine, vt primò ſupplicet Deo tanquam auctori vitæ & ſalutis, dicendo: κύριε ἐλέησον, id eſt, Domine miſerere, χριστὲ ἐλέησον, id eſt, Chriſte miſerere. Pater de cælis Deus miſerere nobis. Fili redemptor mundi Deus miſerere nobis. Spiritus ſancte Deus miſerere nobis. Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis. Quod reuerà eſt adorare latria, ſiue inuocare Deum vt Deum, ac tanquam proram & puppim ſalutis. Deinde tranſit ad Diuos, quos hoc modo precatur. S. Maria ora pro nobis, S. Petre ora pro nobis, S. Stephane ora pro nobis, S. Martine, S. Catharina, omnes denique Sancti & Sanctæ Dei orate pro nobis, inter-

Theodoretus.

Concil. Cõſtantinopol.

Concil. Nicæn.

Cõmunis totius Eccleſiæ catholicæ vſus.

intercedite pro nobis, rogando ipsos, vt cõmunem Dominum ac Deum simul nobiscũ pro nobis exorent. Quod est inuocare Sanctos non vt Deos: sed vt amicos Dei, qui intercessionis suæ beneficio haud parum adiuuare possunt apud Deum, & Christum filium eius. Quo sanè peracto rursum recurrit supplicatio ad vnum Deum, per ea quibus Christus opus mediatoris ac redemptoris cõsummauit, vt ab omni malo nos liberare dignetur. Quis obsecro secum perpendens ista, dixerit aut nuperum esse, aut confictum, aut mandato Dei contrarium, quod docemus nunc de inuocandis Sanctis, & illorum, quibus nos adiuuant, opitulationibus? An nouum, an vsurpatum, cuius demonstrauimus præscriptionem plusquam millenariam? An non radicatum in verbo Dei, quod traditione catholica, acceptum à patribus fidei, deinde concilijs œcumenicis est comprobatum, quod frequentat, & ab initio frequentauit vniuersalis Ecclesia per omnem Christiani orbis regionem? Vbi ergo illud Apostoli, Columna est & firmamentum veritatis? An denique producta illa sanctissimorum Patrum series mandati diuini vim potuit aut sensum ignorare? Ceterùm de opitulationibus Sanctorum, quibus opem nobis ferunt rogati, quomodo, & cuius præsentia fiant: audi precor quid dicat August. Nam quòd succurrãt nobis implorati, expressè testatur multis in locis, inquirens de modo, quo succurrunt cap. 15. de Cura pro mortuis agenda in hunc modum: Quanquam ista quæstio inquit, vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodũ opitulentur Martyres ijs quos per eos certũ est adiuuari: vtrum ipsi per seipsos adsint vno tempore tam diuersis locis, & tanta inter sese longinquitate discretis, siue vbi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias vbicunque adesse sentiuntur: an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conuersatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus vtique non præsentamur, neque vbi sint vel quid agant, scimus? An Deus omnipotens qui est vbique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces, per Angelica ministeria vsquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda: & suorum merita Martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate ac bonitate commendet? Res hæc altior est quàm vt à me possit attingi, & abstrusior quàm vt à me valeat perscrutari: & ideo quid horum duorum sit, an verò fortassis vtrunque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo, mallem à scientibus ista perquirere, &c. Hucusque Augustinus.

De modo quo opitulantur nobis Sancti, ex D. August.

Quomodo soluendæ sint obiectiones, quæ obijci hoc loco solent. CAP. XV.

D. Domine non possum hîc non obijcere paucula, quæ cogitationem meam conturbant. M. Obijce audacter. D. Principió neq; donare possunt Sancti quod quærimus, neque condonare quod commisimus, quorsum igitur imploramus auxilia eorum? M. Ex Scripturis quæ significant solius Dei esse, vel donare quæ saluti congruunt, vel condonare malefacta, quæ salutem impediunt, nõ aliud cõsequitur, quàm quòd eiusmodi nemo dat, aut condonat, nisi ipse sit Deus, aut alioqui dandi vel condonandi à Deo potestatem acceperit. Vt mea bona in mea vtique potestate sunt: ita & Dei bona in Dei sunt potestate: & quidem multò magis, multóque potentiùs quàm mea sunt in mea potestate. Quis obsecro potest de bonis meis facere eleemosynam, nisi ego? Verùm nunquid ideo non potero distribuere pauperibus stipem, panem, aut vestem per ministrum meum? Nónne domesticis possum cõmittere, vt de meo dent, quoties oportunum fuerit? Si ego mea, vel per memetipsum, vel per alios, aut etiam ad intercessionem aliorum, alioqui non facturus, donare possum, an minùs poterit omnipotens Deus, quàm ego homo? Passim obuium est in Scripturis sacris, quòd Deus per Apostolos ac alios sanctos homines dederit cæcis visum, claudis gressum, leprosis mundiciem, paralyticis sanitatem, mortuis vitam, infidelibus gratiam fidei, peccatoribus recõciliationem. Siquidem per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia magna in populo. Tanta donauit Deus per morituros homines, longè à se peregrinantes: & nunc per eosdem secum regnantes, aut ad intercessionem eorum nihil donare poterit? Cur igitur testatur Scriptura, per ossa Elisei donatam à Deo vitam defuncto? Cur scripta D. August. testantur contulisse Deum innumera beneficia hominibus per Stephanum protomartyrem post mortem eius? Cur fidæ historiæ commemorant eximia munera non rarò col-

D. *Obiectio 1.* *Solutio.* *Deus & per se, & per alios sua dona largitur.* *Act. 5.* *4. Reg. 13.* *August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.*

rò collata à Deo ad memorias Sanctorum, vt suprà recitauimus? Profectò adeò sunt blasphema in Deum, vt magis esse nequeant, quæ finguntur hoc loco ab hæreticis. Dum enim opitulationes Sanctorum sublatas volunt, directè, etiamsi nesciant, contendunt Deum minùs posse quam hominem, minùs quàm principem terrenæ ditiunculæ, quàm patremfamiliâs, quàm inopem possessorem sterilis agelli. Quià illi possunt & de suis donare, & in se commissa condonare, non minùs per alios, quàm per semetipsos. Immo contendunt minùs posse Deum cæli, quàm mendicum ad ostium diuitis. Nam & ille potest stipem quam accepit, donare per alium cuicunque voluerit. Illorum itaque insipientia manifesta est. Etenim plurima donata cõdonataque à Deo hominibus, tam per Sanctos regnantes in cælis, quàm hìc nobiscum degentes, & eloquia Dei, & scripta Patrum, & tota denique Ecclesia luculenter comprobant: quæ vtique donata non fuissent hominibus, nisi Sanctorum intercessisset oratio.

Obiectio 1. 1.Tim.2. 1.Ioan.2.

D. Nónne didicimus ex verbo Dei, quòd vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: quodque Christus ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non est in aliquo alio salus? M. Adde argumento, quòd solus Christus sempiternum habet sacerdotium, per semetipsum accedens ad Deum patrem, semper viuens ad interpellandum pro nobis. D. Certè & hoc facit ad rem. Verùm quomodo constabunt ista, Solus Christus est mediator, Solus ipse propitiator, & aduocatus, & tamen mediatores siue aduocati sunt Sancti? M. Dicam. Habet Scriptura quę solui non potest, vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Verùm in hac Scriptura, vt ex alijs locis constat, propriè vocatur mediator, qui pacem facit redemptione interposita. Quod pulcrè explicat Paulus ad Hebræos inquiens: Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendũ Deo viuenti? Et ideo noui Testamenti mediator est morte intercedente. Lege exactè, & diligenter perpende illationem Apostoli, quoniam vtilis est in hac materia, docens qua de caussa Christus est, dicitúrq́; mediator. Augustinus multis locis pulcrè declarat, mediatorem propriè dici, qui sic mediat, vt non sit in extremo, sicque intercedit, vt pro se intercessione nõ egeat. Christus itaque vnus & solus est mediator, tam ratione redemptionis & reconciliationis totius generis humani, quam solus interposuit inter Deum offensum & hominem offendentẽ, quàm ratione illius hypostaticæ vnionis naturæ humanæ cum diuinitate. Non sanctus Petrus hoc modo mediator, non S. Paulus, non S. Ioannes Baptista, non ipsa deniq; virgo Maria. Habes 1.Corinth.1. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quid Paulus? Quid Apollo? Ministri eius cui credidistis. Christus verò ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solùm autem nostris: sed & totius mundi. Christus pax nostra, Christus pretium redemptionis nostræ, Sicut Paulus scribit Corinthijs, Non vos ò Corinthij ex Paulo: non vos in Paulo: verùm ex ipso Deo vos estis in Christo Iesu, tanquam mediatore, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt quẽadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Sancti omnes & ipsi redempti sunt, factíque vnum cum Deo in sanguine mediatoris Christi. Vnus est Deus, vnum est genus humanum, summè distans ab illo in omnibus suis membris. Vnus quoque mediator inter genus humanum, & Deum vnum, homo Christus Iesus. Hinc tamen nequaquam cõsequitur, Igitur solus Christus orator, aut solus ipse intercessor, aut solus est mediator per viã supplicationis inter Deum & quotidie delinquentes. Alioqui manifestè sibi repugnaret Paulus, & veritas cõtradiceret veritati, quod nefas est credere. In hoc enim eodemque capite, vnoque contextu dicit Apostolus: Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sequitur. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionẽ semetipsum pro omnibus. Hac dico ratione vnus mediator: non vtique vnus mediator ex eo, quòd intercedit pro nobis. Nam si Christus hoc pacto vnus est, siue solus mediator, adeò vt nemo aliorum possit se exhibere medium inter Deum & miserias atque peccata hominum per viã supplicationis, valde ergo impie hortatur Paulus Timotheum Episcopum & alios cõpresbyteros, vt intercedat pro omnibus hominibus per obsecrationes, per orationes,

Margin notes: Exaggeratio Argumenti. Heb.7. — Quomodo cõstet solus Christus sit mediator, & tamen Sancti sint intercessores. — Solutio. 1.Tim.2. Heb.9. — Christus qua ratione dicatur mediator. August. li. 10. Cõfes. cap. 42. & 43. Itẽ li. 2. de peccat. orig. cõtra Pelag. cap. 28. &c. — 1.Ioan.2. — 1.Cor.1. — Nõ solus Christus est mediator, aut orator, aut intercessor per viã supplicationis. — 1.Tim.2. Paul' præcipit intercessiones fieri pro omnibus. — Christus nõ vocatur mediator, quia intercedit.

per postulationes. Et falsissimè pronuntiat bonum hoc esse, & acceptum coram Deo, &c. Rursum valde ergo falsa est ista assertio Apostoli: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.

Heb. 7.

Quando Paulus petit orationes Romanorum pro se ad Deum, & ipse flexis genibus se exhibet intercessorem pro Corinthijs, pro Ephesijs, alijsque Ecclesijs, an sui obliuiscitur, & mediatori Christo contumeliam facit? Et Moyses, & Aaron, quoties Dominum suis precibus placauerũt, & sese interposuerunt sepem pro populo cõtra furorem indignationis Domini? Adeo vt dicat Moyses de se, Ego sequester & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo.

Rom. 15. Paul' intercedit pro alijs, & pro se aliorũ intercessiones fieri cupit. Moyses et Aaron interponũt se sępè inter Domini indignationem & populũ. Deut. 5.

Si quis autem dicat mortales & peregrinantes hic à Deo posse intercedere, & mediare pro mortalibus: non autem immortales & Dei domesticos, somnium hoc est, & vapor deceptionis palpabilem habens ignorãtiam. Abeat igitur ad suum genus vanitatis & errorum. Longè aliter docuit S. Hieronymus contra Vigilantium hæreticum, sic inquiens: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Tu autem caue ne vnquam Scripturis imponas falsum: has enim propositiones Scriptura sancta non habet, Solus Deus adorandus, Solus Christus interpellat pro nobis, aut per solum Christum habemus accessum ad Patrem, &c. In his dico sententijs & similibus nusquam apponit Scriptura dictionem exclusiuam, Solus: vt mentiuntur qui amant hæresim.

Particulã solus non apponit Scriptura in multis, vbi apponunt hæretici.

Etsi apponeret Scriptura eam particulam, aut similem, vt in istis, Vnus est bonus Deus, Vnus est pater vester, qui in cælis est. Magister vester vnus est Christus: non conturbaremur in eiusmodi magis quàm in istis, Solus color visibilis, Solus odor odorabilis, cùm interim & paries albus, & herbæ odoriferæ immutent sensum.

Particula exclusiua apposita per Scripturã non turbat Catholicũ. Matth. 19. Matth. 23.

Sed multùm & vehementer instrueremur, intelligentes aliquid vni, siue soli conuenire, quoties per se, & sic appropriatè conuenit vni, vt nulli aliorum posset competere, nisi ratione illius, & per communicationem. Hinc enim dicitur vnus est bonus Deus, quia nemo aliorum bonus, nisi gratia & miseratione illius. Vnus Dominus Deus, quia Deus sic Dominus, quòd nec Imperator sit dominus alicuius ditionis, nisi gratia & donatione illius. Vnus est Pater vester, quia ab eo est omnis paternitas, vt Scripturæ verbo vtar, & quæ in cælis, & quæ in terra nominatur. Et solus Christus mediator: quia ipse per naturam est mediator, & omnis aliorum intercessio debet per Christum, & in Christo ascendere ad Patrem, alioqui quasi nulla. Nemo enim venit ad Patrem nisi per Filium.

Ephes. 3. Ioan. 14.

Ita quoque solus Deus adorandus, sic enim loquuntur sancti Scriptores, & tamen religiosè adorantur sanctificati homines, non quidem ratione sui, sed quia Deus in ipsis. Sicut spectantur homo & paries, non ratione sui, sed quia color in ipsis. Nũnquid impiè quis ageret, si quenquam appellaret saluatorem Europæ? D. Haud dubiè ita.

M. Tamen Scriptura sancta vocat Othonielem saluatorem filiorum Israël, dicens: Iratusque contra Israël Dominus tradidit eos in manus Chusanrasathaim regis Mesopotamiæ, seruieruntque ei octo annis, & clamauerunt ad Dominum: qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem. Eodẽ quoque capite Ehud filius Gera dicitur saluator Israëlitarum. Item Genes. 41. Ioseph vocatur saluator mundi: & nulla fit iniuria Deo, at Christo eius: quia isti non intelliguntur saluatores per se: sed per gratiam & beneficiũ Dei.

Hominẽ dici saluatorẽ filiorũ Israël aut mũdi nõ est cõtra Scripturam. Iudic. 3.

D. Mortui sunt sancti Dei homines, & sepulcra eorum monstrantur apud nos vsque in hodiernum diem, quomodo igitur constare possunt, quæ dicta sunt: nã mediare inter Deum & hominem præsupponit viuere?

Obiect. 5.

M. Mortui? Nequaquam. Nam mors huius mundi quæ diuidit animam à corpore non aliud est viris Sanctis, quàm ostium vitæ, quàm mortis liberatio, quàm accessus ad Christum vitam nostram, quàm repositio ad quietem. Vnde dicitur de Stephano migrante sub manibus lapidantium, Obdormiuit. Et exclamat Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quia dissolutio corporis est migratio ad Dominum. Nec vsquam expressiùs istud habetur, quàm Sapient. 3. vbi sic dicitur: Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

Solutio: Sanctorũ mors corporalis est ostiũ vitę. Act. 7. Philip. 1.

Hinc ab initio dictum est in Ecclesia, quòd Sanctos, qui migrarunt de hoc sęculo, non debeamus appellare mortuos aut defunctos. Siquidem D. Hieronymus improperat Vigilantio hæretico, quòd in suggillationem cultus Sanctorum dicebat: Melior est canis viuus, quàm homo mortuus. Eleganter conuincens eum, sicuti & Christus conuicit Sadducæos, asseuerantes non esse Angelum, aut spiritum, aut resurrectionem, inquiens: De resurrectione autem mortuorum non legistis, quòd dictũ

Sãcti nõ quã nominãdi sunt inter mortuos.

Matth. 22. Act. 23.

est à

Exod 13. Dies mortis Sancto rũ vocatur natalis.

est à Deo dicente vobis. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium? Hinc quoque factum est, quòd dies illi, in quibus sancti Apostoli & Martyres transierunt de hoc sæculo appellati sunt dies natales, iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ hucusque, festaque Sanctorum dicta sunt natalitia eorundé: quód diebus illis in quibus migrarunt, veraciter nati sint in futurum seculum, secundum verbũ Christi. Marci 10. De quo vide August. de Doctrina Christiana cap. 2. Cùm ergo dicimus sancte Petre ora pro nobis, non acclamamus mortuo, sed viuenti in secula. D. Quomodo in secula? Nam viuere in secula proprium est Deo, & Christo eius. M. Verum quidem est: attamen quia Deus inuenit Sanctos dignos se: ideo etiam hanc suam proprietatem communicauit illis, sicuti & in

Obiectio.

finitas alias. D. Vt autem demus Sanctos viuere in throno Dei cum Christo: ipsi tamen non vident cultus nostri obsequia, neque audire possunt clamantem cordis nostri affectum: vana igitur & frustratoria est omnis inuocatio, omnisque veneratio Sanctorum. Quomodo enim exaudiet, qui ne audire quidem potest? M. Ex inscrutabili illa vnione Sanctorum cum Deo, & capitis

Solutio.

Christi cum membris suis, crediderunt vniuersi Patres sanctos ipsos desideria nostra ex orationibus nostris percipere. Ita enim Magnus ille Basilius lib. de Virginitate ait, Virgo seipsam primùm, conscientiamque suam reuerebitur, etiamsi valde sit sola, deinde astantem sibi custodem Angelum. Subdit: Quid per singula pergam? Ipsas Angelorum infinitas multitudines, & vnà patrum beatissimos spiritus reuerebitur. Nullus enim ex his est, qui non singula vbique consideret. Etsi enim oculis carneis minimè cernant: incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia, & cõprehendunt. Et Gregorius presbyter in vita Gregorij Nazianzeni dictis istis astipulatur, atque, Sanctos lætari, si quando pro donis Dei ab hominibus laudentur. B. verò Hieronymus audet aduersus Vigilantium ita argumentari. Sequuntur, scilicet Sancti in cælis, agnum quocunque vadit. Ergo si agnus vbique est, & hi qui cum agno sunt, vbique esse credendi sunt. Vtique non præsentia corporali, sed celeritate percipiendi ea, quæ eos vult scire Deus. Errant toto, quod aiunt, cælo, qui ex se suisque viribus metiuntur cælestia. Alia enim ratio, & alia vis est eorum, quæ diuina sunt, alia hominum mortalium. Nam quid Deo inuium? Quid Deo non præsens? Animæ igitur deificatæ

Apoca 14.

Cælestia non sunt metienda ex humanis.

quid erit difficilè, aut inuium? aut non præsens ad cognitionem? Inquit B. Gregorius, Quid non vident, qui videntem omnia vident? Hoc autem vt parum est, addo, Quid non vident qui coram, & ante oculos suos limpidissimum intuentur speculum, in quo & sunt eminenter, & relucent omnia, multoque eminentiùs quàm possunt, aut esse in seipsis, aut apparere. Sancti autem vident Deum sicuti est, facie ad faciem. Porrò diuinitas forma est, & exemplar, siue idealis ratio omnium rerum, omnium qualitatum, omnium operationum, omnium affectuum, omnium generum, omnium indiuiduorum. Sancti igitur contemplantes diuinitatem, vident omnia & particulatim, & generatim, & distinctè, & citra confusionem, quantùm & quousque vult omnipotens Deus. Vt autem velit postulat vnio, de qua diximus, postulat perfectionis status, quem adepti sunt, postulat caritatis consummatio. Et ne hoc taceamus, anima sancta à qualitate spiritus Angelici nihil fere differt. De Angelis autem pronuntiat Christus: Dico enim vobis, quoniam Angeli eorum, loquens de paruulis, semper vident faciem patris vestri, qui in cælis est. Patet igitur ex illo, quòd Angeli deputati ad custodiam pusillorum, licet semper habeant notitiam, imò & curam eorundem pusillorum, nihilominus tamen semper vident in cælis faciem Dei patris. Ergo & Sancti semper videntes faciem Dei, possunt nihilominus notitiam habere rerum nostrarum, nostræque salutis curam gerere. Sunt enim sicut Angeli Dei in cælis. Sed & hoc aduerte, quod in Actis dicitur de beato Stephano, Et cùm esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Homo mortalis in corpore mortali, quando & quàmdiu placuit Altissimo, vidit clarè abscondita cæli; nimirum gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, idque hinc per aërem, per nubes, & fortè etiam per tectum: quia stans coram tribunali Iudæorum. Quare igitur animæ, quæ sunt in altissimis, simul cum Deo, & plenæ Deo ac virtutibus eius, non viderent illinc hæc inferiora mundi, quantùm & quàm diu vult Deus, & quousque conuenit gloriæ Sanctorũ? Addam, si placet, sententias Patrum, quæ in hac parte sine numero sunt. D. Meo quidem iudicio hæc satis conuincunt. Verùm quid dicemus ad illud? quòd multis est in ore videlicet, Nesciunt animæ Sanctorum quid agant in terris, etiam eorum consangui-

Sancti intuetur speculum in quo relucent omnia.

1. Cor. 13.

Matt. 18.

Math 22. Act. 7.

Obiectio ex verbis August.

Obiectio alia ex scripturis. Isa. 63. 4. Reg. 22 nel. M. In Esaia Propheta sic legimus, Et Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos. Item in lib. Reg. habes, quòd Dominus per Prophetam dixit ad Iosiam Regem sanctum: Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum. Ex quibus Scripturis velut certum apparet, quòd Sancti post mortem ignorant, quid hic agatur inter viuos. D. Sic apparet vtique. Si enim tanti Patriarchæ ignorauerunt quid ageretur in populo à se procreato: si tam sanctus Rex non vidit calamitates, quæ superuenerunt populo regni sui, quomodo vlli Sancti post mortem viuorum rebus aut actibus cognoscendis adiuuandisque misceantur? M. Scire debes hoc loco, quòd Abraham, Israël, Iosias tum temporis cùm hæc de ipsis diceret Scriptura, erant in limbo longè à Deo semoti, needum Diuiae deificati, necdum contẽplantes facie ad faciem Deum, aut ideales illas omnium rerum rationes quæ in ipso sunt. Nihil ergo tũ tẽporis cognouerũt de rebus viuentium super terram, nisi per reuelationem Dei, aut relationem eorum, qui eodem ex hic viuentibus veniebant. Vt factũ creditur ex dictis Lucæ 16.

Solutio poste. obiect.

Resumptio 1. obiect. D. Ceterùm ad illud, Nesciũt spiritus defunctorum, quid agant in terris etiam eorum consanguinei: quod generaliter dictum putatur à D. Augustino de omnibus defunctis.

Solutio. M. D. Augustinus lib. suo de Spiritu & anima cap. 29. sic habet: Vbi siquidem sunt spiritus defunctorum, ibi non vidẽt, neque audiũt quæ aguntur aut eueniũt in ista vita hominibus. Ita tamen est eis cura de viuis, quanquã quid agãt omnino nesciant, quẽadmodum cura est nobis de mortuis, quamuis quid agant vtique nesciamus. Nesciunt quidẽ mortui quid hic agatur, sed dum hic agitur, posteà audire post sunt ab ijs qui hinc moriendo ad eos pergũt. Non quidem omnino, sed quantùm finitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire etiã possunt ab Angelis, qui hic nobis presto sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei reuelante cognoscere possunt, quæ hic aguntur, quæque necessarium est eos cognoscere. Hæc ibi August. similia habens libro de Cura mortuis agenda. In quibus loquitur generaliter de spiritibus defunctorũ, docens quid cuique rerum per se conueniat, quodque spiritibus humanis post mortẽ nõ competit, ex suis naturæ viribus videre vel audire, quæ hic aguntur: sed si quæ cognoscant, illa cognoscunt vel Dei reuelatione, vel eorum qui hinc ad eos migrant, narratione, vel Angelorum relatione. Ceterùm quando speciatim sermo est de glorificatis Sanctorũ spiritibus an videant, an audiant, aut intelligant quæ hic gerimus in terris, iam respondendum est, quòd vtique cognoscunt quæ hic agimus, nõ solùm Dei reuelatione & Angelorum annuntiatione, & eorum qui hinc migrauerunt ad eos relatione, quanquam illa meritò sufficere possunt, sed & viribus proprijs, non quidem puris, sed iam deificatis diuinisque proprietatibus ineffabili modo supra se eleuatis: cognoscũt, inquam, partim in seipsis, partim in limpidissimo diuinitatis speculo, quantùm & quousque perfectæ caritatis ordo requirit, & illorum gloriæ conuenit, atque nostræ hic viuentium saluti expedit, meritaque nostra bonæ vitæ exposcunt. Quapropter etiam non ad singulas actiones nostras hic viuentium intendunt: sed ad eas duntaxat, quæ pondus habent & momentum, vt sunt illa ex quibus motio pẽdet, & promotio salutis. Nam in functiones domesticas, forẽses, ciuiles, aut similes, quas habemus in hoc mundo, citra notabile commodum vel incommodum salutis aut damnationis, ad has dico non intendunt Sancti, aut si vident eas, tanquam non videntes sunt. Ipsi enim eùm adhuc in carne constituti essent, eiusmodi habebant vt stercora, dicente Apostolo: Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiã Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora. Quantò magis nunc speculatores facti diuinæ gloriæ? Præmissis addere lubet & illud, Philip. 3

Similitudo ad cõfirmationẽ dictorum. Is qui est multoties expertus barbariem maris, non potest non compati suis amicis, qui adhuc fluctibus pelagi iactantur & vndis. Et bellum vtut dulce videtur inexpertis: tamen experti innumera eius discrimina compatiũtur vniuersis inuolutis belli malis. Itaque Sancti in cælis scientes per experientiã quæ sunt pericula militiæ hominis in terris, & quàm dubijs hic iactamur fluctibus, velut in conceitatissimo quodã pelago, quomodo, si viscera habent, vt habent, nunc ardentiora quàm vnquam priùs, poterunt non meminisse suorum, & opitulatione iuuare ipsi astantes iam throno eius, qui dominatur morti, nedum potestati maris, & motibus fluctuum eius? Et ne istud leue argumentum existimes, vtitur planè simili Apostolus ad soliditatem spei nostræ, concludens ad Hebræos 4. hoc modo: Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit Heb. 4.

possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gloriæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Hæc Apostolus. Quasi diceret: Christus caro nostra, vti penetrauit nunc ad thronum gloriæ Dei: ita priùs tentatus est per omnia in hoc mundo sicut nos, vnde nô poterit non compati nobis. Adeamus ergo cum fiducia, &c. Sic & Sancti cognati nostri & fratres penetrarunt nunc cælos ad thronum vsque misericordiæ Dei, venientes de magna tribulatione, tentati hîc per omnia sicut nos: adeamus ergo cum fiducia ad illos. Non enim poterunt non compati: Si verò compatiantur, non poterunt non intercedere, ibi præsentes, ad thronum gratiæ & gloriæ: maximè videtes Christum caput nostrum ex simili compassione interpellantem pro nobis. Et hinc est, quòd pietas Christi fidelium cœpit tribuere quibusdam Sanctis speciale patrocinium in certis infirmitatibus. Velut S. Agathæ patrocinium in dolore mamillarum, S. Apoloniæ in cruciatu dentium, S. Rocho in morbo pestifero, alijs item aliud patrocinium: quòd ipsi in his specialiter tentati fuissent in hoc mundo, & ideo proniores ad opitulandum illis, qui ijsdem malis

Replica. affliguntur. D. Sed dixit Apostolus, Adeamus cum fiducia ad thronum gratię eius, scilicet Christi, non autem Sanctorum, excludens, vt apparet, inuocationem Sanctorum.

Solutio. M. Qui officium petit à manu, vel pede, is non recedit à capite: imò in hoc ipso caput inuocat, quod dirigit manum ac pedem, vt officium præstare possent. Item qui hortatur adeundam esse Cæs. Maiest. non dehortatur, ne cubicularios, aut domesticus eius exoremus: quatenus præparent nobis viam ad eandem Maiest. caussamque nostram reddant sua intercessione commendatiorem. Ita Apostolus adhortando, vt Christum adeamus, non prohibet ne Sanctorum petamus intercessionem. Quin potiùs in multis locis ipsemet Apostolus inuocat auxiliũ & intercessionem Sanctorum hominũ, qui in hoc mundo sunt, dicens: Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per caritatem Spiritus sancti, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum. Quasi diceret. Ego quidem oro ad Deum: nihilominus tamen vos obsecro, vt me orantem adiuuetis orationibus vestris ad Deum, vt etiam vestris intercessionibus fiat apud Deum commendatior caussa pro qua postulo, videlicet vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa.

Qui petit officiũ à manu, caput non excludit.

Qui petit subsidiũ à Sanctis, Christum nô excludit.

Rom. 15.

Impossibile est, inquit Hieronymus, multorum preces non exaudiri. Insuper & hoc plenum est iudicio, ac sensu communi, cùm per te sis parum gratus, quia in multis offendimus omnes, iungere tibi illos, quorum non potest non esse beneplacens supplicatio. Denique valdè est alienum duabus vijs patentibus ad thronum gratiæ: priore per tuas solius preces, posteriore per tuam orationem iunctam simul cum precibus ac meritis Sanctorum, nolle illam acceptare, quæ expeditior est, & plùs habet efficaciæ ad impetrandum. O maledictum studium superbiæ, quod vt nouum dogma statuat, etiam sui dispendium subire satagit. Malunt enim carere intercessione Sanctorum, quàm non contradicere veteri traditioni Ecclesiæ. Quo modo inuidus quidam maluit perdere vnum oculum, quàm non perderet duos inimicus suus. Reddat illis Omnipotens secundum studiũ adinuentionum suarum nisi resipiscant.

Quid impossibile. Quid iudicio plenum.

Maledictũ studiũ superbiæ.

D. Interim testatur Scriptura, quòd Saluator mulierem Chananæam non exaudiuit intercedentibus Apostolis: quam tamen postea audiuit, cùm accederet per semetipsam. M. Nequaquam hoc testatur: sed longè diuersum. Nam ad intercessionem Apostolorum sistebat gradum, faciemque aduertebat Christus, præbens locum mulieri per semetipsam orandi. Quod ex eo fit verisimile: quia Christo respondente Apostolis, adfuit illa per se, diluens argumentum denegationis. D. Repulit nihilominus Christus discipulos intercedentes pro ea. M. Verba ista Christi, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël, non sunt denegantis beneficium, sed instruentis super eo, quòd verum erat: nempe quòd corporali præsentia, & ad beneficia quæ ea præsentia exhibenda erant, primò ac potissimùm missus erat ad Iudæos. Sicut & illa verba ad ipsam Chananæam, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, non sunt repellentis, sed incitantis ad incrementum fidei & humilitatis, quæ est præcipua vis orationis. Licet autem Theophylactus referat eo loco Apostolos repulsam passos: noluit tamen per hoc innuere, quòd Christus auersetur alienas intercessiones. Siquidem eodem illo momento curauit filiam absentem ad intercessionem matris. Sicuti sanauit alio tempore seruum Centurionis, ad intercessionem domini sui ac Iudæorum: socerum insuper Petri ad petitionem eiusdem Petri & Andreæ fratris eius: denique & Lazarum suscitauit à monumento ad intercessionem sororũ eius. Sed magis voluit docere Theophylactus

Replica ex facto Saluatoris. Math. 15. Solutio.

Math. 8. Marc. 1. Ioan. 11.

lactus Christum tum noluisse largiri desideratum, nisi & ipsa, quæ Iudæis athea videbatur, palàm exponeret fidem suam & humilitatem, quibus orabat Idque ad instructionẽ tam illorum quàm nostram: illorum quidẽ, vt viderẽt quantùm valeat in oratione fides cum debita humilitate: nostram verò ne ipsi segnes, nimiùm confidamus in alienis opitulationibus, néue simus mox animo abiecto, si prima nostrarum precum instantia non impetret, opus enim est perseuerantia. Quòd sæpiùs ac sedulò inculcat D. Chrysostomus, primo Homil. 5. in Matth. cap. 1. Etiamsi Abrahã Patriarcha pro his supplicet, qui in suis vitijs permanendo, immedicabiliter ęgrotant, abibit Deus relinquens rogantem, ne vocem pro talibus interuenientis exaudiat. Et subdit, Non igitur quasi oscitantes & desides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes supplicationesque Sanctorum: sed tunc profectò cùm nos quoque idipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus. Hæc Chrysostomus. Per quæ abundè satisfactũ puto obiectioni tuæ ex verbis Saluatoris Matt. 15. propositæ. D. Vnus restat scrupulus. Vox Inuoco nónne includit cultum soli Deo debitum, vt inuocare sit votis omnibus tendere in aliquem tanquam proram ac puppim salutis tuæ? Quod si ita est, ergo qui inuocat Sanctos transfert honorem Dei ad alienos. M. In disciplinis tradendis vtendum est vocibus ea significatione, quam habent apud omnes. Significat autem inuoco, subsidium peto, imploro, opẽ postulo. Et refertur tam apud auctores linguæ Latinæ quàm apud scriptores Ecclesiasticos, in ipsis etiam Biblijs, subinde ad Deũ, nonnunquam verò ad alia: sæpiùs tamen ac propriùs ad Deum. Apud illos sanè, sicuti legimus Deos eorum Iouem, vel Iunonem inuocandos: ita inuenies ab eisdem dictum, inuocare arma. Rursum, In auxilium aliquem inuocare. Item, Sociorum subsidium inuocare. In Biblijs verò occurrit legenti primo, Iste, scilicet Enos, cœpit inuocare nomen Domini. Deinde inuocetur super eos nomẽ meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac. Tertiò, Si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ. Item, Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. In quibus locis vtitur Græcus textus verbo ἐπικαλοῦμαι quod significat imploro, inuoco, prouoco. Referturq́; tam Latina vox innoco, q̃ Græca ἐπικαλοῦμαι, vti clarè vides, nunc ad Deum, nunc ad Christũ, nunc ad sanctos Patres, nunc ad sapientiam, qua corda instruuntur hominũ: quanquam aliter Deũ, aliter inuocemus Sanctos: illum quidem tota fiducia animi, tanquam auctorem salutis: istos verò vt amicos Dei, qui intercessione opitulari possunt. Si quis autem replicauerit illud Apostoli, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? quasi impossibile sit inuocare eum, in quem non credis tanquam Deum: dices Paulum voluisse ibidem dicere, Quomodo inuocabunt tanquam auctorem salutis, de qua inuocatione, eo capite quæstio erat, in quẽ non crediderunt? At quid igitur? An propterea non potero inuocare in auxilium meum Sanctum aliquem, quem credo Deo amicissimum esse, coniunctissimumque in throno gloriæ eius? Quæ hucusque fusiùs explicaui, eam ob caussam, quod nuper deprehenderimus inueteratum quendam, qui cum non posset alia via tutari suam perfidiam, contra inuocationem Sanctorum, tandem ad hoc confugit, quòd vox inuoco, ad solum Deum sit referenda, includens cultum vni Deo debitum. Ideòque Sanctos etiam si possent rogari vt nobiscum Deum exorent: non tamen posse eos à nobis inuocari. At suscipiens tandem meliorem informationem, publicè reuocauit, & abiurauit hunc suum errorẽ, cum vniuersis alijs, in quibus deprehensus fuerat, agens pœnitentiam de vesania cordis sui.

Plaut. Amphitr. Cic. 2. de Nat. Cic. 1. de Orat. Ouid. li. 6. Fastorũ. Cic. 2. de Orat. Genes. 4. Genes. 48 Prouer. 2. Rom. 10.

De imaginibus ac statuis Sanctorum.
CAP. XVI.



Sto. Sint venerandi Sancti & inuocandi, nosque illorum intercessionibus & opitulatione adiuuari posse. D. M. Esto dicis? Tu an nondum credis? D. Credo firmiter sic esse, nec equidem latum vnguem ab ea fidei sententia discedam. Attamen videtur planè repugnare huic mandato, vt imagines Sanctorũ ac statuas erigamus, idque in templis Deo dicatis. Nam dicit præceptum expressè: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quę sunt in aquis sub terra. At statua S. Petri, indubiè sculptile est, imago insuper Mariæ virginis, haud dubiè est similitudo eius, quòd in cœlo esse creditur. Quod & de reliquis Sanctorum & crucis Dominicæ imaginibus confiteri debemus. M. Nemo id negat. Nihilominus Catholicè confitemur licere, quod plus est, piũ esse, has imagines venerari in templis & extra templa: attamen in sensu, quem superiùs explicauimus, & mox pleniùs aperiemus.

Exod. 20.

Statuæ Sanctorũ nõ cõtrariantur mandato Dei.

D. Dici-

Probatur ex Scriptu ris Deum non prohi buisse om nem vsum imaginũ.

D. Dicitur tamen in fine mandati, non coles ea,neque adorabis. M. Nec hoc diffitemur. Interim certi,nos nihil peccare contra mandatum Domini,cùm Sanctis erigimus statuas.Primò,quia indubitatum est,& ex Scripturis euidentissimè demonstratur, Deũ noluisse his verbis mandati sui prorsus omnem vsum tollere imaginum & statuarum. Nam Moyses huius legis promulgator,ex præscripto Domini fecit statuas ac similitudines Angelorum,duos scilicet Cherubim aureos,posuitque illos in tabernaculo, in summis propitiatorij partibus. Sic enim habet textus, Duos quoque Cherubin aureos & producti les facies,ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno,& alter in altero, respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium. Insuper Salomon sapientissimus in templo quod extruxerat fecit boum,leonũ, ac Cherubim sculptiles imagines, & laudem accepit à Domino: tantùm abest, vt criminatione dignus propter hoc fieret: Rursus 2. Paralip 3. sculpuntur Cherubim. Et in veste pótificis erant malorum puniceorum simulacra. Denique Numerorum 21. fecit Moyses serpentem æneum,posuitque eum pro signo. Et quicunque percussi à serpentibus,aspiciebát illud sculptile,sanabantur. Ecce sculptile ex præcepto Domini factum,idque in vsum propitiationis. Quando enim inspiciebant hunc serpentem æneum percussi,mox sanabantur, Domino sic disponente in figuram magni mysterij. Hęc qui legit,quomodo vel somniabit,Deum in hoc mandato prohibuisse prorsus omnem vsum imaginum? An sibi contrarius Deus? Aut sui immemor Moyses, vt fieret statim trásgressor legis, quam priùs promulgauerat? Quis obsecro credet tempore veteris legis nullum vsum fuisse picturæ aut sculpendi artis? Secundò,quia ex his, quæ præcedunt, hoc mandatum,& sequuntur, & quæ in eodem inuoluuntur, constat luce clarius, Dominum voluisse prohibere solum nefandum idololatriæ vsum, qui tunc temporis latè per orbem dispersus erat in sculptilibus idolorum. Ne scilicet populus,more Gentium,habere simulacra, quæ loco numinis proponerentur adoranda. Constat,inquam, tum ex eo, quod Hebræi & Septuaginta sic legunt, Non facies tibi idolum. Quid autem significet vox idolum, vox item simulacrum,& quá tum intersit inter imagines Sanctorum,& idola Gentium lib. 2. circa primum articulum fidei satis explicauimus. Tum ex filo verborũ textus. Dicit enim, Ego Dominus Deus tuus. Non habebis coram me Deos alienos. Nota Deos alienos: & Coram me. Subdit, Non adorabis ea neque coles: haud dubiè more Gentium tanquam Numina: quasi in aliquo alio quid Numinis sit,& non sim ego Deus solus. Excuties præterea non indiligenter emphasim illam Pronominis Tibi, cùm dicit textus secundum Hebræos quidem, Non facies tibi idolum: secundum Latinos vero, Non facies tibi sculptile. Quod perinde est ac si diceret. Non facies idolum siue sculptile in salutem tuam, siue à quo salutem, aut redemptionem, aut diuinum subsidium quæras vel speres. Neque vrget locus quem proferunt Iconomachi ex 26. capite Leuitici, Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra. Vbi coniunctim videtur prohibere Deus & idolum,& sculptile,& titulos,& insignem lapidẽ: quia hæc verba similiter intelligentiam suam accipiunt ex eo quod adiungitur videlicet, Vt adoretis eum. Ego enim sum Deus vester. Ex quo adiuncto facillimum est videre, non aliud prohiberi hoc loco, quàm idololatriam. Alioqui cur sine culpa manet Iosue, qui in Sichem subter quercum erexit pergrandem lapidem: nisi quia hoc non adorandi animo fecerat, quin potiùs, vt esset lapis testimonij. Sicut & Samuel lapidem adiutorij in memoriam dati auxilij erexisse legitur. Et Rubenitæ & Gadditæ altare construxerant ad Iordanem, cum lege cautum esset, ne quis altare alibi erigeret. Quæ res primũ quidem male habuit alias tribus: verùm vbi perspectum haberent, non hoc sacrificij, sed recordationis caussa fecisse Rubenitas & Gadditas, placatus est illorum animus. Intelligebant enim eos per hoc nõ violasse legem Domini. In scripturis itaq; diligenter obseruanda est & caussa dicendi, & sententiarũ series, & Patrum vsus, qui vtique est fidissimus interpres legis diuinæ. Crassa Ethnicorum inscitia, idola & similitudines creaturarum, opera manuum suarum adorabat, velut numina, eaque tanquam deos suos colebat commutando gloriá incorruptibilis Dei in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis,& volucrum & quadrupedum,& serpentum. Vt Paul. Roman. improperat acerrimè illos coarguens: Quia mutauerũt, inquit, hoc est, transtulerũt gloriá incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis, tribuentes ipsis statuis manib homi num factis, numen & diuinitatem: vel saltem ipsis creaturis, quarum simulacra erant, æquá tes eas Deo. Quod non minus apertè indicant verba Prophetæ dicentis: Simulacra Gentiũ argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquuntur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non

Exod. 25. — 3. Reg. 7. — Exod. 37. — Probatur ex textu mãdati nõ omnino imaginem fuisse pro hibitam. — Exponitur locus Leuit. 26. — Iosue 24. — 1. Reg. 7. — Iosue 22. — Quo loco Gentes habebant sua simulacra. — Rom. 1. — Psalm. 113.

non audient, nares habent & non odorabũt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ecce improperat eis Propheta, quòd credide rint numen inesse simulacris: cùm tamen nec loqui, nec videre, nec audire possent. De qua materia diximus fusiùs lib.2. Tractat.1. Nos autem non mutamus gloriam Dei in statuas aut imagines Sanctorum. Credimus enim & scimus Diuæ Virginis statuam esse opus hominis ex ligno, vel lapide, vel auro, vel argento, nec quidquam habere præter naturam ligni, lapidis, auri, aut argenti. Nec secus de omnibus alijs sanctorum statuis & figuris esse credimus & scimus. Credimus præterea personas, quarum sunt similitudines, nullo pacto Deos, sed creaturas esse, à Deo factas, à Deo redemptas, à Deo tandem ad solium gloriæ suæ sublimatas, vti suprà latiùs expressimus. Nec habemus sanctos in conspectu Dei tanquam Deos, aut tanquam alienos ab illo: sed tanquam illius domesticos, illius electos filios, naturæ diuinæ participes: per gratiam tamen & misericordiam Dei, & per meritum Christi domini. Hos autem sic habere corã Deo, an impium? Loquatur ergo Scriptura, quæ dicit: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei, ecce quomodo coram Deo, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: non tamen velut serui: quia seruus non manet in domo in æternum: sed velut filij ac heredes vniuersæ felicitatis paternæ. Et qui sedet in throno, habitabit super illos. In vsu igitur imaginum quid peccamus contra hoc mandatum? Aut quid aliud facimus, quàm quod Deum ipsum facere videmus? Prohibet mandatum ne coram eo habeamus Deos alienos. Porrò nos non habemus sanctos tanquam Deos: sed velut Diuos, neque vt alienos à Deo cæli: sed tanquam illius domesticos, sua ipsius gratia quasi deificatos. Dicit præceptum: Non facies sculptile, in quod scilicet transferas gloriam Dei, colendo ipsum more Gentium, velut tuum Deum. Nos verò facimus statuas & figuras Sanctorum, quibus non tribuimus vllam diuinitatem, sed solùm repræsentationẽ. Nec colimus statuas propter se, sed propter sanctos, non cultu diuino, sed eo, quo colit illos ipsemet Deus, qualem scimus conuenire illis, qui triumphos agunt de hoc mundo: nõ vt illis numen inesse credamus, sed vt alios adhuc in certamine positos, ad fortia facta illorum exemplo animemus, & patrocinium aliquod ab ipsis coram Deo, in cuius conspectu magni sunt, inueniamus. Quid hic est gentilitatis? quid vitij? aut quid agimus, quod nõ est rebus & ordini planè congruum? Si quis autem inter Christianos aliter credat, aut faciat, anathema sit, fiat in combustionem ignis, deuoret eum os gladij scindentis inter caput & scapulas, quia plusquam hæreticus est. D. Vti magna est simplicitas vulgi, ita quoq; multus est abusus, vt timeo, in hac parte. M. Hoc ipsum & ego timeo. Nec infrequenter miscet se abusus in sumptibus nimijs, extraneisque figuris statuarum & imaginum, vt nõ ad Christianæ honestatis formam, sed ad sæculi vanitatem efficta videantur. Item in falsa imaginatione quorundam de plebe, qui credunt hãc imaginem præ ceteris habere aliquid numinis, aut virtutis, ob decorem aliquem, vel deformitatem, ob nouitatem, vel vetustatem. Sed nunquid vsum bonũ & sanctum improbabimus, propter inscitiæ vel improbitatis abusum? Minimè. Alioqui vniuersa improbare oportebit, quòd nullius rei nõ sit magnus abusus. Quemadmodum superiùs demõstrauimus.

Christiani nõ mutãt gloriã Dei in statuas.

Apoc.7.

De vsu legitimo imaginum. CAP. XVII.


Vis igitur legitimus vsus imaginũ, quem retinere ac docere oportet? M. Nusquam huius materiæ facta est plenior instructio, quàm in Oecumenico Concilio in Nicæa Bithyniæ celebrato, contra eos qui imagines in Ecclesia damnant & reijciunt, quos Iconoclastas seu Iconomachos nuncupamus, quod inter vniuersalia Concilia est septimum, celebratum anno Domini 781. imperantibus Constantino & Irene eius matre, sub Pontifice Adriano primo. Cuius Concilij traditionem super hac materia collegerunt doctores Colonienses contra aduersarios fidei, adeo succinctè, adeoque luculenter, vt non possem ego magis. Eandem ergo Concilij tractationem, & eodem ferè modo quo Colonienses ex ordine tibi proponam, licet pleraque iam tetigerim, vt vel tanti Concilij auctoritate magis confirmeris in fide Catholica. Siquidem exponitur & declaratur in hoc Concilio venustè & ad vnguem. Principiò, Quare Ecclesia Christi à sui initio semper permiserit imagines. Deinde quomodo imagines piè colendæ sint, & quis earum vsus. Vlteriùs testatur idẽ hoc Concilium à Manichæis, Marcianitis, & alijs hæreticis, qui fateri nolebant duplicem in Christo naturam, imagines primùm vilipẽsas, & reiectas, videlicet, ne vniuersali vsu imaginum in Ecclesia cõuincerentur eius quòd Chri-

D. Quis sit legitimus vsus imaginum. Cõcilium Nicęnum habet quã lis debeat esse vsus imaginũ.

Qui primo cœperint vilipẽdere imagines.

Christus Dominus verus & sensibilis homo, nobis secundum carnem & membra similis per omnia fuit. Secundò demonstrat idē Cōcilium perpulcrè vsum imaginum nullatenus pugnare cum mandato illo Dei; Non facies tibi imaginem aut similitudinem, quam adores, aut cui seruias: immo fuisse & in veteri Testamento à principio multas imagines & similitudines, non modò extra, verumetiam intra tabernaculum & templum. Tertiò demōstrat rem esse longè aliam, idola Ethnicorum & aliam, nostras imagines: quòd idola fuerint Dæmonibus constituta, quibus Ethnici, & aliquoties etiam Iudæi idololatræ diuinos honores & cultus exhibuerunt: nostrę verò imagines sint, & esse debeant signa tantùm, & memorialia, quibus præcipue Domini nostri Iesu Christi incarnationis, salutaris vitæ, passionis, mortis, resurrectionis, ascensionis quoq; & aliorum diuinorum operum eius, reminiscamur. Sicut imago nunquam satis laudatæ virginis Mariæ matris Dei, sit tanquam signum quoddā, quo corde expendamus, quomodo benedicta illa mater, cùm fuerit humanæ nostræ naturæ, inuisibilem illum & omnipotentem Deum, suprà captum Angelorum & hominum in suo corpore conceperit, & de sua carne carnem subministrauerit genuerit que. Quapropter eam tanquam verè Dei matrem laudamus, magnificamus, & supra omnes visibiles & inuisibiles creaturas extollimus. Quodque modo simili imagines Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & aliorum Deo dilectorum Sanctorum, sint quædam signa, per quæ diuinæ conuersationis, vitæ, passionis, & transitus eorum, tanquam in speculo quodam admoneamur, quo sic animi dilectionem & affectum, quem erga eos gerimus, aspectu imaginum ipsorum resuscitemus. Atque ideirco honor ille, quem imaginibus impendimus, non imaginibus in se consideratis, secundum suam materiam, aut etiam artificij formam: sed prototypo ipsi, cuius memoriæ imago constituitur, impendatur. Ac proinde nos Christianos, quando eo ram imagine sanctæ crucis Iesu Christi genua curuamus, non lignum ipsum, sed eum, qui in ligno propter peccata nostra mortuus est, adorare. Similiter quando imagini matris Dei, aut aliorum Sanctorum exhibemus honorem, non alligari animum nostrum, aut hærere in externa figura imaginis: sed respicere in viuos illos Sanctos, qui apud Deum sunt, neque tamen ipsos etiam sicut Deos adorare, aut eis diuinos cultus impendere: sed potiùs nos Virgini Mariæ tanquam matri Dei, & alijs Sanctis tanquam fidelibus Dei ministris, in quibus Deus gratiam suā abundè operatus est, & ostendit, quique nunc apud Deum, et præsentes adsunt, fideliter pro nobis orant, tantùm decentem illum honorem, quē Christianum & fraternum requirit officium, exhibere. Quemadmodum etiam nos mortales illos homines, qui præ ceteris intelligentia maiori, aut præclaris virtutibus ornati sunt, non immerito præ alijs honoribus debitis prosequimur. Dant quoque Patres in eodem Concilio similitudinem eius rei talem, Quòd sicut acceptis à Cæsare literis osculamur, non ceram, aut figuram sigilli, aut fortè plumbum, sed tali osculo absenti Cæsari honorem deferimus. Ita nostram Christianorum mentem, quando coram signo sanctæ crucis geniculamur, aut osculum figimus, non esse, vt lignum illud adoremus. Siquidē lignum illud cum vetustate marcescit aut arroditur, nihili pendimus, sed quia lignum illud quasi sigillum quoddam passionis Christi aspicimus, eius admonitione salutamus, & adoramus ipsum, qui propter nos in eo crucifixus est. Quodque propterea, id est, propter Christum, & eius passionem signum illud crucis in Ecclesijs, in domibus, in foro, in vijs publicis, & alibi passim erigatur, statuaturque, intexatur etiam vestimentis, quo eius frequenti aspectu omni tempore, omnibusque in rebus Domini nostri Iesu Christi, & salutiferæ passionis eius simus memores. Exemplo simili, vt in eodem dicitur Concilio, quando librum Euangeliorum, quo more & Iudæi coram libro legis se inclinant & prosternunt, osculamur non mēbranas, non pelles, neque literas atramento pictas, verùm salutifera & sancta illa verba, quæ ibi inscripta continentur, cordis osculo amplectimur. Ad eundem modum quando ossa, aut imagines Sanctorum veneramur, non figuras externas, sed dona veneramur, quæ in Sanctis mirabiliter operatus est Deus. Laudamus pietatem vitæ eorum, nosque ipsos ad imitationem accendimus, & petimus vt eorum intercessione dignetur nos Deus adiuuare: non autem imagines ipsas, aut Sanctos tanquam Deos adoramus. Propterea crucem Christi non ita affamur, neque etiam imagines Sanctorum, Dij nostri estis. Non enim sunt Dij nostri: sed tantūmodo similitudines & imagines Christi, & sanctorum eius, ad commemorationem, honorem, & decorem Ecclesiarū venerandæ. Nam qui Martyrem colit, Deum ipsum colit. Qui matrē Christi honorat, ipsi Christo honorē assignat. Qui Apostolū honore prosequitur, ipsum qui Apost. misit, honorat. Rursus verò in eodem Concilio dicitur

Marginal notes: Vsum imaginum nō esse cōtra mandato Dei. — Aliud idola Ethnicorum, aliud imagines Christianorum. — Honor nō externæ imaginis, sed prototypo ipsi deferri debet. — Non crucē ligneā, sed crucifixum adoramus coram cruce. — Aptum simile.

Athanasi[*] ex beati Athanasij verbis. Qui in alicuius typum, imaginem, aut effigiem ignominiolus est, in illum cuius est typus, iniuriam factam arbitramur. Sicut & B. Chrysostomus in re

Chrysostomus. simili dicit: Quisquis iniuriam imagini Cæsaris irrogauerit, eum iam Cæsarem ipsum iniuria affecisse. Adhæc præter illa quæ commemorauimus, docet & constituit concilium ipsum, non esse constituendas in Ecclesia imagines quàm verarum & piarum historiarum, ac deinde imagines nullo fastu sæculari, nullaque leuitate esse depingendas, quo sic diuinam Christi saluatoris nostri, religiosamque & piam sanctorum vitam, Martyrum passionem & transitum, quorum caussa formantur aptè repræsentent. Citatur in ijsdem actionibus inter innumerabiles testes Basilius loquens in hæc verba, Quemadmodum à Deo Christianam & inculpabilem nostram fidem, veluti hereditario iure accepimus, sic confiteor & in eo maneo. Credo autem in vnum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deũ Filium, Deum Spiritum sanctum, vnum Deũ. Hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam filij incarnati οἰκονομίαν, deinde S. Mariam, quæ secundum carnem illum peperit, hanc Deiparam vocans. Suspicio etiam sanctos Apostolos, Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius sit Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorum mihi, & gratiam largiatur. Quam ob caussam & historias imaginum illórum honoro, & palàm adoro, hoc enim nobis à sanctis Apostolis traditum, non est prohibendum: sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus. Adhæc inter alios plurimos inducitur illic & S. Nilus, vt qui Proconsuli Olympiadorum, qui à beato viro scire satis fuerat quomodo templum, quod instituerat ædificare, imaginibus ornare deberet, rescripserit ita nimirum, sanctæ crucis imaginem locandam ad Orientem: (intellige in altari, quòd Orientem versus statuebatur:) proptereà quòd passione Domini nostri Iesu Christi, per vnicum & salutiferum lignum crucis totum genus humanum liberatum sit, & idcirco per hanc desperabundis vndique spes salutis annuncietur. Verùm hinc inde parietes replendos doctissimi pictoris opera noui & veteris Testamenti historijs: quo scilicet hi, qui literas nô norunt, neque sacram Scripturam legere queunt contemplatione picturæ in memoriam reducant, quinam fortiter verò illi Deo per virilia facta seruierũt, atq; in certamen excitentur gloriosorum & laudatorum facinorum, per quæ cælum cum terra commutarunt. Introducuntur in eisdem illis actionibus elegantes tres Epistolæ, quarũ prima est Gregorij Secundi: reliquæ verò duæ Germani Patriarchæ Constantinopolitani, prolixiores quàm vt queant huic loco totæ inseri. Quamuis, ô si in vernaculam nostram linguã, propter simplices quosque plebeos, translatæ essent. Gregorius Secundus dicit, Ecclesiæ capita & columnas permisisse imagines, quò forma Domini Christi secundum humanitatem omnium oculis præponeretur, per quã humilitatis Dei altitudinem nosceremus, & dispositionem illius incarnationis, sanctæ cõuersationis, sanctæ mortis, resurrectionis quoque & ascensionis in cælum in memoriã reduceremus. Si enim, inquit, res istæ nondum contigerunt, non propter picturam significentur: si autem cuncta contigerunt, magnumque hoc pietatis mysterium est, vtinam fieri posset, vt & cælum & terra, & aqua, & quidquid in eis est, siue per voces, siue per colores, siue per picturas, omnibus ea possent narrari. Germanus verò in secunda epistola talem de rebus istis præbet informationem. Verùm, inquit, non offendat quenquam, quòd ante sanctorum imagines lumina, & suauecolentia thymiamata accenduntur. Symbolum enim ista fieri non lignis, aut lapidibus ipsis, sed in honorẽ illorum opinandum est, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsũ recurrit: Hoc ipsum testante sapiente Basilio, quòd erga conseruos bonos honor, erga ipsum dominum commune beneuolentiæ signum exhibet. Sensibilia enim lumina, symbolum sunt, immaterialis illius & à Deo dati luminis. Aromatum autem incensio, sincerum & totum sancti Spiritus afflatum & repletionem significat. Idem ille Germanus testatur eadem epistola, Deum sæpe mirifica designasse miracula hominibus, qui admonitione imaginum, ardenti erga Deum & sanctos eius, affectu commoti fuerunt. Inter plurima, quæ illic recenset, dicit reperiri apud Eusebium Pamphili scriptum in Ecclesiastica eius historia, extitisse Panneadæ, quã & Cæsaream Philippi Euangelium vocat, pro foribus domus mulieris illius sanguinis profluuio laborantis, quæ tactu fimbriæ Saluatoris fuerat à profluuio liberata, imaginem ex ære fusam, quæ Domini nostri effigiem repræsentaret. Ex aduerso autem aliam statuam eiusdem mulieris genibus prouolutæ, palmasque ad ipsam Christi Saluatoris imaginem tendentis, ad pedes verò imaginis Christi, herbam quandam peregrina & ignota specie succreuisse, qua omnium morborum genera fuerunt curata. Quod ipse Eusebius oculis

Marginalia: Athanasi[*]. — Chrysostomus. — Solùm verarum historiarum imagines admittendas esse. — Basilij cõfessio de imaginib[*]. — Sententia notatu digna. — Literæ Nili de imaginibus. — Epistolæ Gregorij & Germani Patriarchæ elegãter astruunt vsum imaginum. — Sententia Gregorij Secũdi de vsu imaginum. — Sententia Germani de imaginibus. Ante imagines luminaaccẽdi quatenus bonum. — Ad præsentiam imaginum designari miracula à Deo. — Eusebius de imaginibus Saluatoris li. 7. capi. 14. Hist. Eccl. — Vidit Eusebius imagines Saluatoris, & Apostolorum ad viuum depictas.

lis suis se vidisse affirmat. Eundem præterea Eusebium allegat scribentem se imagines ipsius Domini nostri Iesu Christi, Apostolorum item Petri & Pauli ex coloribus depictas vidisse ad viuam eorum speciem. Ac tandem ita concludit Germanus ille epistolam suam. Hæc autem non diximus, quòd arbitremur nobis circa ærearū statuarum operositatem laborandum: sed tantummodo vt admoneamus veterem consuetudinem non esse reijciendam. Testantur quoque actiones septimi illius Concilij, Patres, qui sexto vniuersali Concilio Constantinopoli habito, interfuerunt, concordi sententia declarasse & definisse Christianum & pium esse vsum, vt in Ecclesia seruetur imago agni Dei, quem Ioannes Baptista digito demonstrauit. Quo per eam recordemur, Christum Dominum nostrum secundum humanitatem fuisse verum illum agnum, & esse, qui tollat peccata mundi. Quodque posthac in imaginibus pro veteri agno Iudæorum eripi possit & debeat nouí agni talis figura, ac nos eiusmodi imaginibus ad recordationem salutaris illius mortis, quam in carne sua Christus pertulit, manuducendos. Verba Canonis sexti illius generalis Concilij, sicuti in septimo recitantur, sunt ista, In quibusdam venerandarum imaginum picturis, agnus digito Præcursoris indicatus, qui in typum gratiæ est assumptus, verum illum nobis per legem præsignificatum agnū Iesum Christum indicat. Veteres igitur typos & vmbras veluti veritatis symbola & præfigurationes Ecclesiæ traditas, amplexantes, gratiam & veritatem veneramur. Tandem in septima illa Oecumenica Synodo in hanc sententiam concluditur, quòd oporteat nos Ecclesiasticas traditiones siue scripto, siue consuetudine in Ecclesia retentas, quarum de numero est imaginum effiguratio, quibus in hoc vtimur, vt recordemur, & affectu amplectamur res significatas, vnanimiter & inuiolabiliter obseruare. quodque eiusmodi imaginibus honor debeat exhiberi: non quidem ille qui Deo debetur, quem latriam appellamus, solique suo creatori à creaturis omnibus debet exhiberi: sed tantùm is qui fit in recordationem: quemadmodum & typo venerandæ ac viuificantis crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus: suffitus facimus, & luminaria reuerenter accendimus, prout veteribus piè hoc in consuetudinem adductum fuisse, idem Conciliū testatur. Sic enim sanctorum nostrorum Patrum obtinere disciplinam, & traditionem catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad fines Euangelium suscepit: Damnat quoque eos

Cóclusio Germani.

Cócilium Constantinopolitanū approbat vsum imaginū. Cur imago agni Dei seruari debeat.

Verba Cócilij Constantinopolitani.

Cóclusio eiusdé Cócilij super hac materia.

omnes, qui ausi fuerint aliud sentire aut docere, aut more impiorum hæreticorum Ecclesiasticas traditiones contaminare, aut nouam quandam vaniloquentiam inducere, aut quicquam de consecratis in Ecclesia ad cultum aut recordationem Dei, qualia sunt crux, & imagines, & veræ Sanctorum reliquiæ, abijceret denique & illos, qui sacratis Deo rebus, tanquam vilibus & profanis vtuntur, cū ampliori istorum explicatione, vti in Decreto ipso, et subscriptionibus Episcoporum est videre. Atque hanc vniuersalis Concilij definitionem receperunt comprobaueruntque omnes illius temporis Patriarchæ, & catholici Episcopi, tam Orientalis quàm Occidentalis Ecclesiæ, vti in epistolis Synodicis, quæ in eisdem actis reperiuntur, apertè satis est videre. Fili, si de his plura cognoscere volueris, videas Ioannem Damascenum lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 17. Et B. Gregorium in Registro lib. 7. epist. 53. ad Secundinum Episcopum. Et lib. eiusdem epist 109. ad Serenum Massiliensem Episcopum. Et lib. 9. epist. 9. ad eundem. Hæc prolixiùs quidem de imaginibus & veneratione Sanctorū, quàm conueniebat: sed tamen necessariò huic loco inserenda erant, propter temerarios huius sæculi, qui Sanctorum memoriam à nobis prorsus sublatam volunt, idque potissimū per hoc primum mandatum Decalogi.

Ponitur condénatio eiusdé Concilij contra rebelles.

De comminatione Dei, quam subiungit primo suo mandato CAP. XVIII.

EGo Dominus Deus tuus fortis zelotes, Deus æmulator, &c. repetit autem id, Ego Dominus Deus tuus, vt iteratione demonstret hanc esse vnā ac sufficientem caussam, cur sibi præ omnibus, amor, cultus, seruitus, & obedientia debeantur. Quòd verò addit fortis zelotes, &c. ad terrorem quidem facit eorū, quos parum mouet sola præceptio, ad maiorem verò prouocationem eorum, qui spontanei existunt. Quasi dicat, Grauiter ferò, non sine extrema indignatione, si quis a fide mihi debita ad idololatriam deficiat, aut obedientiā, quam mihi iure debet, mutet in inobedientiam, qualem commutationem, mei contemptum merito iudicare possum. D. Mirabilis locutio hæc, Ego fortis zelotes, æmulator magnus: mirabiliùs autem quod sequitur, visitans iniquitatē patrū in filios in tertiam & quartam generationē. An iniquitas apud Deū vt puniat filios, qui non peccauerunt, propter iniquitatē patrū? M. Quòd dignatur se vocare zeloten nostri is, cuius comparatione, nos

M. Exod. 20. 34.

vix guttula fumus ad immensitatem vasti maris vtique summa est admiratione dignū. Surgit autem, vt nosti, zelotypia non de vulgari, sed quasi nimio amore. Nam zelotypum vocamus eum, qui vxorem adeo ardenter amat, ne dicam, deperit, vt ægriùs ferat quempiam illi oculum porrigere, aut blandiùs loqui, aut propiùs assidere, nec facile eam, nisi se præsente, in publicum progredi permittit, non sanè aliam ob caussam, quam quia riualem metuit, propter pulcritudinem eius, seque solùm amari ab ea satagit, prout ipse totus est in amore illius. Est autem frequentissima in Scripturis, præsertim Prophetarum, collatio, qua sese comparat Deus marito: animam verò, seu synagogam, vel Ecclesiam sponsæ: fidem denique maritali vinculo, quemadmodum videre est Hieremiæ 3. Osee 1.2.3. Amos 7 & Matthæi 22. in parabola illa Euangelica de nuptijs, quas Rex parauit filio suo. Ideoque Deus zeloten se vocans apposité exprimit & amorem, quo est erga fideles sibi, & zelū, quo zelatur desertores sui, potissimùm eos, qui in idololatriam defecturi sunt. Quantùm verò ad vocem, Fortis, superadditā, exprimit perelegenter Esaias cap. 28. quanta fortitudine sit fortis Deus zelotes dicens: Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium & emissarum super terram spaciosam. Talis autem est indignatio Domini contra præuaricatores, maximè huius primi mandati. Itaque non solū zelotes: sed & fortis, nec fortis tantùm: sed vindex in fortitudine, idque ex nimio amore euiusdam zelotypiæ, quo nos prosequi dignatur. D. Quantùm ad alteram partem quæstionis meæ. M. Resoluam tibi &
Ezech 18. istam difficultatē. Quid est, inquit Dominus per os Ezechielis Prophetæ, quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Viuo ego dicit dominus Deus, si erit vltra vobis parabola hæc in Prouerbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt. Vt anima patris, ita & anima filij mea est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Hæc prophetia facta de tempore noui Testamenti promittit, quòd non ampliùs filij punientur propter peccata parentum, damnatione exilij à regno cælesti, aut longa captiuitate Babylonica, alijsque seruitutibus. Sicut Tobias, qui licet bonus esset & sanctus à iuuentute sua, seruiuit tamen seruitutem difficilē inter Chaldæos propter peccata parentum. Sic etiam seruierunt Daniel, Misaël, Abdenagō, Esdras, Nehemias, Hieremias, & vniuersi, qui fuerunt ante Christum. Quia omnes debuerunt sustinere, quālibet iusti essent, si non terrenam afflictionē, saltem lamentabile illud exilium à regno cælesti, quod inuexerat mundo peccatum primi parentis Adæ. Sed hoc erit, scilicet à tempore Christi. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Primò in se, sublato spiritu vitæ: deinde morte damnationis. Quæ verò benefecerit, illa salua erit, & a morte sua, & ab omni exilio, quod commeruerat parentum iniquitas. Non enim ampliùs iniquitas parentum, plaga inuoluet filios, neque filiorum peccatum plaga feriet parentes: nisi illi paternæ iniquitatis æmulatores fuerint, aut isti nimia sua indulgentia negligentiaque perdiderint illos. Vt factum legitur in Heli Sacerdote & filijs eius. D. Veruntamen videmus etiam nunc, quòd plaga super communitatem inuoluat bonos cum malis, filios cum parentibus, & nonnunquam multo magis feriat posteritatem, quæ non peccauit, quàm antecessores, quorum scelere prouocata est indignatio Dei. M. Hoc dum fit, non ideo fit, vt vnus puniatur pro iniquitate alterius, aut filius pœnas luat patris: sed quia omnes peccauerunt, & egent poculo absinthij ad purgationem iniquitatum suarum: quo si non eget, tamen vtilis est eis afflictio, sub tribulationibus mundi huius, propter varias caussas, occultas quidem, sed tamen iustas. Vnde ad Corinth. sic inquit Apost. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Quod sancti scriptores intelligunt de stimulo afflictionū, quas patiebatur Apostolus in carne, ne magnitudo reuelationum extolleret eum. Vnam indicaui caussam, tamen plures esse possunt; & sunt, propter quas boni & innocentes Christiani affliguntur in hoc mundo, simul cum malis, vt merces eorum sit eò copiosior in cælis. D. Qua igitur ratione subiungitur huic mandato, quòd Deus punit parentum peccata in filijs vsque in quartam generationem? M. Obseruabis hoc loco voces istas, zelotes, & Visitans, ad se relatas, &, Qui oderunt me, hoc est, auersi sunt à me ad Deos alienos: ipsa enim talis auersio velut odiū includit eius à quo auerteris. Dicit enim textus, Ego fortis zelotes visitans siue puniens iniquitatem &c. id est, visitans nō quocunque modo: sed ad instar eius qui ardenti zelo accensus seuerè animaduertit iniquitatem suorum, non quidem studio exterminandi, sed reducendi ad officium. Visitans autem iniquitatem non quorumcunq; sed patrū in filijs, hoc est, in parentibus inchoatam, & in succe-

1. Reg. 2. 4

2. Cor. 12.

succedentibus generationibus continuatam. Et clare videbis hunc esse sensum textus, Ego fortis zelotes amoris zelo succēsus, visito quidem auersos à me in virga ac flagellis vsque in tertiam ac quartam generationem, nō autem vltrà. Nam eousque patienter quidem expecto ad resipiscentiam: Verùm si æstuantis amoris mei flagellis sæpiùs visitati, non obediant, si obsurdescant, pertinaciterque pergant ad quartam vsque generationem, non adijcio vltra, vt amore zelans visitem eos: sed

Ezech 16. desero abijcioque eos, auertens zelum meū ab eis. Quemadmodum apud Ezechielem dicit Dominus ad Hierosolymam, Propterea auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius. Quasi diceret, Cessare faciam iram meam in te, & recedet zelotypia mea à te, id est, extremis supplicijs exterminij cuius quam afficiā te, nec te amabo amplius. Qualis profecto subtractio zeli Dei à nobis, est velut extremum irreconciliabilis indignationis supplicium. Quamdiu enim zelat nos Deus & zelando visitat, tamdiu ex ardenti amore adhibet increpationes, minas, verbera, dolores, eum sanè ob finem, vt se demonstret cui obsequi oporteat, sicque reuocet nos ad se, iuxta illud Hieremiæ: Dolore ac flagello castigaberis Ierusalē, vt ne discedat à te anima mea. Non igitur aliud insinuatur hoc loco, quàm quòd Deus erga populum suum sibi fide velut iugali copula sociatum, haud secùs affectus est, atque maritus erga vxorem. Cuius si incipiat suspectam habere castitatē, eò quòd auertit se ad alienos, zelotypia afficitur, zelansque monet eam, corripit, castigat, flagellat, secundò, tertiò, ac quartò, vt reuocet ab incepto, sibique soli seruet fidem. Quo pacto si non proficiat, eijcit tandem velut inemendabilem, proijcitque longè à facie sua in perpetuum. Haud enim dissimiliter agit Deus cū populo suo. Nam si filius fiat imitator paternæ iniquitatis: similiter & nepos ac pronepos non ob hoc statim abijcit, ac perdit: quin potius zelo amoris zelando visitat eos monitis, minis, plagis, vsque ad tertiam & quartam generationem: si forte hoc pacto reuocet. At si nec sic quidem reuocare potest, tandem longa, quod aiunt, ferit virga, hoc est, penitus & in æternum totam huiusmodi progeniem tā auersatricē, tamque adulteram derelinquit. Adeo vt verba textus simul insinuent & miram abundantiam diuinæ bonitatis ac patientiæ in eos qui male agunt, & horrendam extremi mali comminationem, in eos, qui pertinaciter nimium patientia Dei abutūtur. Priùs quidem in eo quòd dicit se Deum zelotem, hoc est talem amatorem, qui nullum in amore fert riualem: & zelotem visitantem iniquitatem patrum in tertiam ac quartam generationem. Nam visitatio zelantis fit ad eos quos præ amore corrigibiles habet, & tā quam suos tractandos iudicat, vel laude, vel munificentia, vel correctione, vel plagis: nunc leuius, nūc duriùs pro meritorum exigentia: alienos enim & abiectitios non visitamus. Posteriùs verò in eo quòd non promittit visitationem, nisi vsque in quartam generationem, quasi exinde non debeat expectari, nisi desertio, desolatio, diuinique zeli sui subtractio. Veruntamen non dicit textus expresso sermone, post quartam generationem nō mi serebor amplius. Nimirum ideo, ne quis vnquam desperet, etiamsi secundò, tertiò, ac quartò & sæpiùs, iterauerit rebellionē, quod plus est, etiamsi producta fuerit iniquitas, in secundam, tertiam, ac quartam vsque generationē & vltra. Minimè itaque dicitur hoc loco, quòd Deus sit puniturus filium vel innocentem, vel eadem malitia nocentem propter peccatum patris, vt peccent alij, peccatum luant alij. Nam etiamsi filij patratores paternæ iniquitatis, nempe odientes Deum, vt textus inquit, hoc est, auertentes se ad Deos alienos, haud secus atque patres eorum, grauissimè à Deo flagellentur: tamen omnis plaga, qua temporaliter visitantur: minor est quàm sua idololatria requirit, nimirū diris æternisque cruciatibus digna: Non igitur flagellatur tum filius supra propriæ iniquitatis meritum. Quātis nonnunquā multò duriùs castiget Deus posteros, quàm erat facturus, si non ita producta esset, adeoque continuata eadem patrū impietas ad nepotes vsque vel pronepotes. Quasi diceret Deus inter visitādum: hac vos, hac & patres vestri, hac insuperaui ac proaui vestri fuistis impietate contra me: certè feriā vos adhuc semel, & id quidē acriter pro meritis vestris: quòd si tum quoque vltrà addideritis vos, vel filij vestri, auferam zelum meū à vobis. Quapropter non est contrarius locus iste ille Prophetiæ Ezechielis vbi dicitur, Ezech. 18.

Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: sed iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Quandoquidem Ezechiel illa sua sententia & redarguit & prophetat. Redarguit quidem superbiam populi sui dicentis, se nō ob suam, sed patrum suorum iniquitatē, premi captiuitate alijsque plagis: Quasi diceret, Non est vt vos in prouerbium vertitis: sed ipsi vos vestra impietate multo grauiora cōmeruistis quàm patimini. Prophetat autē de tempore Christi, quod nullatenus inuoluet filium regeneratum in Christo iniquitas patris

tris, licet eo vsque omnis filius, quantumcunque liber ab omni peccato actuali, originali, mortali, veniali: tamen aliquatenus portare debuit iniquitatem primi parentis, sustinens exilium à regno felicitatis, propter peccatũ Adę. In Decalogo verò pollicetur Deus, quòd more zelantium, præ nimio amore visitabit impietatem populi sui deficientis ad idololatriam, arguendo, corripiendo, flagellando etiam in filijs eorum vsque ad tertiam & quartam generationem, si se similiter auertant atque patres: verùm non vltrà. Exinde fortè abiecturus eos, sicuti solent abijcere irrecuperabiliter offensi. Quòd autem dicit, vsque in tertiam ac quartam generationem, ideo etiam est: quia solent patres nonnunquã suis oculis videre tertiam ex se ac quartam generationem: Quemadmodum de Iob dictum est. Et vidit filios vsque in quartam generationem. Si igitur patres senserint se suosque filios vsque ad quartam generationem cælitus corripi minis, ac plagis zelantis Dei, ob idololatriam à se inchoatam, nec tamen vllatangantur resipiscentia, iam certè indigni sunt tam ipsi, quàm posteri, quos ampliùs zelo zeletur omnipotens Deus, cui facile est vel de lapidibus suscitare alium populum bene subditum sibi. Addit verò, Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Quę verba, quoniam dicitur in millia sine addito, intelliges quã possunt plenitudine, nempe in millia generationum, hoc est, etiam in millesimam vsque generationem, in millia retributionum, in millia temporum, ætatum, sæculorum, & quidquid his amplius dici potest. Nam quêadmodum zelotis amor, seu zelus amantis erga filios substractionis terminum habet, ita puræ caritatis dilectio, omnino finem nescit ac modum. Legi ego plurimos ex vetustissimis patribus circa istum locum: verùm si hûc dicendi tramitem tenueris, proximè attinges germanum sensum literæ. Nec poterunt deinceps quicquam mutire contra Deum hæretici, qui vetus Testamentum non recipiunt vel ob hunc locum malè intellectum. At pergamus nunc ad secundum mandatum.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS TERTII.

Magis vetitum esse noua lege, quàm veteri, ne iuremus. Cap.I.
De quibus nominibus loquatur istud mandatum. Cap.II.
De iurationibus & periurijs. Cap.III.
De tribus comitibus iuramenti liciti. Cap.IIII.
Quam habeat vtilitatem & religionem iuramentum legitimum. Cap.V.
Quomodo & qua ratione liceat iurare per creaturas. Cap.VI.
De periurio & dolosis iurationibus. Cap.VII.
Epilogus huius præcepti cum aliquot quæstiunculis. Cap.VIII.

TRACTATVS TERTIVS.

Magis vetitum esse noua lege quàm veteri ne iuremus. CAP.I.

Ne iures vana per ipsum. M Bene. D. Verùm in lege quid scriptum est? quomodo legis? D. In Exodo legitur, Non assumes nomen domini Dei tui in vanũ. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen domini Dei sui frustrà. Et in Deuteronomio sic præcipitur, Non vsurpabis nomen domini Dei tui frustrà: quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit. M. His adde illud Leuitici, Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus. D. Sèd hæc omnia sunt veteris legis. M. Sic est. In noua autem lege habemus. Audistis, quia dictum est antiquis. Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico non iurare omnino, neque per cælum: quia thronus Dei est, neque per terram: quia scabellum pedum eius est, neque per Hierosolymam: quia ciuitas est magni Regis, nec per caput tuum iuraueris: quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. Hæc Saluator apud Matthæum. Rursum Iacobus Apostolus in epistola sua Canonica sic præcipit: Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: vt non sub iudicio decidatis. D. Videntur sanè plus ponderis ac rigoris habere hæc nouæ legis, quàm illa veteris. M. Igitur memineris præceptum de non iurando, potiùs esse Euangelicum mandatum, quàm Legale: & quidem nunc obseruatu magis necessarium, quàm tempore legis. Constat autẽ per dictas Scripturas expresse præceptũ esse. Primò nõ assumere, siue vsurpare nomen Domini in vanum vel frustrà.

[Marginal notes: Exod. 20. — Deuter. 5. — Leuiti. 19. — Matth. 5. — Iacob. 5. — Quæ prohibeantur hoc mandato.]

Secun-

Secundò non polluere nomen Domini. Tertiò non peierare in nomine Domini Quartò non iurare omninò neque per cælum, neque per terram, neque per capillum capitis, &, vt addit Iacobus Apostolus, Non iurare quodcunque iuramentū. D. An ergo plures sunt prohibitiones super vsurpatione nominis Dei? M. Sunt quidem plures, sed citra incōuenientiam. Quia omnes tendunt ad idem, vnumque efficiunt mandatum. Cęterùm immoremur paulò exactiùs, verbis Decalogi. Interroga tu, & ego tibi singulorum rationem reddam, cùm ex Scripturis sacris tum ex traditione Patrum. D. An sit aliquid mysterij in verbis istis Decalogi, vsurpare, & assumere sibi? M. Iuxta phrasim cōmunem, maximè Iurisprudentiæ & Theologiæ habēt hæc duo nonnihil in se vitij. Important enim qui vsum rei cum quadam temeritate, præter ordinem iuris, debitāmue permissione sibi vendicant. Nam qui iure aut legitima concessione re aliqua vtitur, is non vsurpat secundum Iurisconsultos: is etiam non assumit, neque sumit sibi vel accipit secundum phrasim Euangelicam, quæ patet ex illo Saluatoris: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et ex illo Apostoli: Nec quisquam sibi sumit honorē, &c. Duo igitur hæc continent in se aliquam ordinis & veritatis perturbationem: quæ si fiat circa altissima illa, primæque dignitatis principia, nempe Deum & diuina, & hoc in vanum aut frustra, non potest esse sine culpa: etiamsi nonnunquam fiat sine crimine, aut piaculo, vt infrà audies. Et quoniam hic dicitur, Non vsurpabis, siue non assumes, sic simpliciter sine addito: ideo simpliciter, & in latitudine sua intelligendum venit mandatum hoc modo. Non assumes vllo modo, nimirum neque in sermone tuo, neque in scriptis tuis, neque in iuramentis, neque in detestationibus, aut execrationibus, aut maledictionibus tuis, neque quocunque alio modo, in vanum, aut frustrà. D. Secundò, quid dicitur hic vanum, & quid frustra? M. Vanum dicitur secundum Aristot. quod nihil in se habet, vnde posset rationabiliter referri in aliquem finem honestum, aut vtilem. Frustrà verò dicitur, quidquid præter necessitatem est, & fructu caret vtilitatis, nec vllum habet officium honesti. Porro quod vtili honestoque repugnat, vt malitia, falsitas, turpitudo, hoc sic est frustrà, sicque vanum, vt nulla ratione, nullius quoque contemplatione poni posset in ordine, aut ratione officij. Igitur plusquam vanum: quia sceleratum vanum, maiore animaduersione dignum, quàm ea quæ sunt in priori genere vanitatis. Sicut stultum est omne id, quod ratione caret. Qui verò in fatuitate cordis sui agunt, non modò præter rationem, sed etiam scelerate, hi non solùm subsannandi sunt velut fatui, sed & flistibus corrigendi, & nonnunquam exterminandi. Quisquis igitur prohibet stultitiam, multò magis prohibet sceleratam malitiam: quòd insit illi nocentissima stultitia. Tu nunc collige. D. Igitur qui prohibet, ne quis vsurpet nomen Dei super re vana, is multo magis pro hibet ne assumat super malitia, aut falsitate, aut turpitudine, aut alia quauis re scelerata. M. Rectè. Quoniam istis & vanum inest cū scelere, & scelus cum vanitate.

Multę prohibitiones, tamē vnum efficiunt mandatum.

Quid vsurpare, quid assumere.

Matth. 26
Hebr. 5.

Quare dicitur est, Non assumes simpliciter, & sine addito.

Qui præcipit ne nomē Domini assumatur in vanū, multò magis præcipit ne assumatur super mala aut scelerata.

De quibus nominibus loquatur istud mandatum.

CAP. II.

D. Porrò de quo nomine loquitur mādatum? M. De nomine quolibet, sub quo innotescit, veneraturque Deus aut Christus Dominus, qui Deus est & homo: siue sit nomen naturæ, vt Deus, Viuens, Qui est, &c. siue nomen personæ, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Iesus, Christus, Emmanuel: siue nomen maiestatis, vt Omnipotens, Dominus, Rex gloriæ, Triumphator in Israel: siue officij, vt Saluator, Redemptor, Mediator: siue nomen alicuius rei, per quā redemptio facta est, vt crux sancta, sanguis Christi, mors Christi. Nec debet quispiā dubitare, quin hæc & similia sint vera nomina Dei: quandoquidem significant id quod Dei est, Deoque proprium manet. D. Neque ego de hoc quidquam dubito: verùm an Diuorum nomina, iidem Sacramentorū, gratiarum, plagarum, & omniū denique creaturarum, sint hic computanda inter nomina Dei, adeò vt qui temere iurat per D. Virginē, vel per animam suam, vel per pestilentiam, sit præuaricator huius mandati? M. Duo hic aduertēda sunt. Primū, nomina esse signa rerū, nihilque hic dici de nominibus ratione sui, vt voces sunt in aërem prolatæ: sed ratione rerū significatarum. Secundum, textum mandati non dicere hoc modo, Nomen quod dominū Deū significat non vsurpabis, &c. sed sic, Nomen Domini Dei tui: quod scilicet aliquo modo est Dei, vel ratione impositionis: quia significat quid diuinum, vel ratione rei significatæ: videlicet si res significata aut vnionem habeat cum Deo, vti certum est de sanctis, aut dependentiam gubernationemque recipiat ab eodem, vt res omnes huius mundi, aut sint instrumenta, quibus vtitur Deus, siue ad saluationem bonorum, siue ad vindictam malefactorum. Verùm non dico hæc, quasi putem

An nomina Diuorū plagarum creaturarū sint cōputanda inter nomina Dei.

contentiosè laborandum in hac parte, an nomina Sanctorum, per quę sæpè iuramus, item nomina Sacramentorum, plagarum, & omnium creaturarum sint reductiuè computanda hîc inter nomina Dei: adeò quòd censeri debeat peccasse contra hoc mandatum Decalogi, quicunque vanè iurat per S. Mariam, per cælum, per terram, aut per Sacramenta. Alijs hûc sudorem relinquo. Certum est, Scripturam sua fertilitate crescere, & quod minùs, aut omnino non satis expressè dixit in vno loco, hoc pleniùs expressiùsque docet in alijs locis. In hoc sanè secundo mandato Decalogi, nihil de iuratione aut periurio nominatim agitur: sed prohibitio requirit, vt sic æstimemus in corde, sicque veneremur diuinitatis numen, vt ne appellationem quidem ipsius vsurpemus, aut assumamus in vanum aut frustrà. Iuxta illud quod in precatione Dominica docemur orare, Sanctificetur nomen tuum. Idque eam ob caussam, quòd tanta sit diuinæ celsitudinis maiestas, vt non solùm venerandum sit ipsum numen, sed & ipsius numinis appellatio: adeò, vt assurgat quisque venerabundus, ad ipsam statim vocem Diuinæ laudis, prædicationis, vel appellationis: nedum ad numinis præsentiam: nullamque ferat, fatiatue nominationem Dei, nisi in licitis & honestis, idque debita cum veneratione. Adeò, vt potissimùm, ac in primis prohibeatur hoc mandato Decalogi, vsurpationes diuini nominis super rebus vanis, falsis, turpibus aut sceleratis, quibus inest aut mera vanitas, aut mera falsitas, aut vanum cũ scelere vel turpitudine: siue iurando id fiat, aut peierando, siue aliter. Est igitur mandatum Decalogi generale, prohibens, ne vnquã vsurpemus nomen Dei in vanum: non solùm in iuratione, sed neque in detestatione vel execratione, aut stultiloquio, aut scurrilitate, neque in quacũque alia re vel asserenda vel detestanda: nihil disponens, an iurare liceat per nomen Dei, maximè in rebus serijs ac necessarijs, nihilque præscribens de nominibus creaturarum, aut de ratione vel modo, quo per illa iuratio fieri possit.

Crescit Scriptura sua fertilitate.

Quid expresse prohibeat hoc secũdum mandatũ.

De iurationibus & periurijs. CAP. III.

M.  Lijs autem scriptutis expressè atque nominatim vetantur periuria Leuitici 19. & Matth. 5. dicente Saluatore: Iterum audistis, Non periurabis. Et Apostolus 1. ad Timoth. 1. Iusto, inquit non est lex posita, sed impijs, &c. Subdit, Mẽdacibus, & periuris. Patet igitur periurium sub suo nomine diuina lege prohibitum esse. Nihilominus etiam prohibitum est iure naturæ. Nihil enim adeò naturali rationi est cõtrarium, atque Deum, qui est prima veritas, supremaque maiestas, producere in testem falsitatis, vel eius quod iniquum est, impium, vanum, aut frustratorium. Vnde constare potest, quòd periurium habet adeo conuolutam in se malitiam, vt nullo casu, nulla necessitate, nullius quoque finis contemplatione fieri possit sine iniuria maiestatis diuinæ: ideòque semper crimen siue piaculum est: nisi actus imperfectio, aut surreptio, aut inaduertentia, aut simile quid malitiam facti extenuet, vti infrà dicetur. De iurationibus autẽ, quæ fiunt passim per nomen Dei, vel Sacramenta, vel creaturas, quid dicant aliæ Scripturæ nunc audiamus. Saluator noster terribiliter intonat apud Matthæũ, tanquam authoritatem habens hoc modo: Audistis, quia dictum est antiquis, Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Cui dicto Saluatoris consonat illud Iacobi Apostoli: Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Nota autem quod dicit vniuersaliter, Neque aliud quodcunque iuramentum. Et addit vlterius tam Saluator quàm Apostolus eius. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abũdantius est, à malo est. Iacobus quoque adijcit, vt non sub iudicio decidatis. Ex quibus verbis maximè Saluatoris conijci videtur: primò, non esse iurandum per Sacramenta: quoniam vasa sunt gratiæ Dei, & vberrima nostræ salutis subsidia: neque per Euangelium Christi: quoniam verbum Dei est, & pabulum vitæ: neque per nomina plagarum: quia instrumenta sunt vindicantis iustitiæ Dei: neque per vllam omnino creaturarum, quoniam omnes subseruiunt voluntati diuinæ, non minùs quàm terra, quæ dicitur scabellum pedum eius: omnes quoque & esse habent, & veritatem à Deo: adeo vt nemo vnum capillum capitis sui posset facere album aut nigrum, vel vnum arboris ramum in aliam transferre qualitatem. D. Sed & consequi videtur ex eisdem verbis, plane omne iuramentum, omneque iusiurandũ esse prohibitum: ita enim illatio apparet bona. Ego dico, non iurare omnino. Itẽ. Nolite iurare quodcunque iuramentum, vt non sub

Periuriũ habet conuolutã malitiam, sic iuratio saper re vana per nomen Domini.

Deiuratio nibus quę fiunt per Sacramenta aut creaturas.

Matth. 5.

Iacob. 5.

iudi-

[illegible] permissum iu [illegible] e, etiā [illegible] M. [illegible] fis se [illegible] praesentia fal [illegible], aliter iurare [illegible] ran en [illegible] sunt Vualdenses, [illegible] apostoli [illegible] autem [illegible] que Catabaptistae Rursum [illegible] iterata, asserent, quod [illegible] ismi & peierare ex causa. [illegible] Au[illegible] semper in ore erat, [illegible] periura, te [illegible] In quo eo ire fuerunt & [illegible] Apostolicos solent appellare, vti [illegible] Bernardus 65 66. super Cantica. [illegible] caue tibi ab vtrisque. In vtroque [illegible] extremorum est vitium: virtus autem in medio consistit. D. Malim profecto non esse, quam haereticus esse. Verum an non in [illegible] verbis tam Saluatoris, quàm Apostoli eius, sit prohibitum omne iusiurandum?

[illegible] ver[illegible] Saluatoris & Apostoli, p[illegible] omne iusiurandum. Exod.22.

M. Haec quaestio [illegible] est [illegible] quaeritur an in hoc verbo legis, Nō occides, sit prohibita omnis interfectio hominis? Si sic, cur ergo dicit alia Scriptura, Maleficos non patieris viuere: Sin minus, cur mandatum pronunciat simpliciter, Non occides? Simili modo,

Psalm.63. Hierem.4

si simpliciter prohibitum est per Saluatorem & Apostolum eius quodcunque iuramentum, cur igitur dicit alia Scriptura, Laudabuntur omnes qui iurant in eo, Et [illegible]

Deuter.6.

Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia, Item, Dominum Deum [illegible], & illi soli serues, ac per nomen illius iurabis? Contra, si aliquo [illegible], cur [illegible] absolute pronunciat Saluator, Ego autem dico vobis non iurare omnino? Et Apostolus eius, Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neque per caelum, neque per terram, neque quodcunque [illegible] D [illegible] sanè augent quaestionis [illegible] difficultatem. E no[illegible] haec [illegible], quid sit vemus? M. Veritatem. D. Rectè. Sed quae est illa veritas? M. Dicam. Occidere contingit [illegible] dis malè: vno autem modo benè: nempe [illegible] auctoritate publica, secundum ordinem [illegible]. Sic contingit iurare multis modis malè: vno autem modo bene, [illegible] cet [illegible], in iudicio, in iustitia. Vnde iuramentum his comitibus vestitum non est prohibitum. D. Apparet igitur quòd liceat iurare, & non liceat iurare, quae sibi cōtraria sunt. M. Malè colligis: sed consequitur ex praemissis, quod certo quodam modo liceat iurare: non autem quocunque modo,

Iurare sit multis modis male, vno autem bene.

vel quodcunque iuramentum. Quemadmodum in certo casu licet occidere: verum non licet occidere quocunque modo, siue quaecunque ex causa: neque est h[illegible] aliqua contradictio: Itaque sicut occidere in genere est prohibitum, Sic & iurare in genere acceptū, est prohibitum. Porrò, in specie illa quae cohonestatur debitis circumstantiis, adeo vt sibi iniret ordinem verae virtutis, fiatque actus religionis, prae[illegible]tum est, immo praeceptum. D. Et [illegible] nouum est in auribus meis, prohiberi quid in genere: & tamen idem illud licere [illegible] M. N[illegible]nus te [illegible] auribus multò est antiquius D. Nonne valet argumentum a remotione generis, ad remotionem eius [illegible] speciei? M. Omnino, [illegible] si species manet in familia illius generis. [illegible] tur enim, Non est virtus, ergo [illegible] nec iustitia, &c. Similiter bene consequitur, Non est [illegible], ergo [illegible] iurandum. Vt autem rem probè intelligas, animaduerte ad [illegible]. Multa sunt in genere, quae prohibita sunt in specie. Nam appetere [illegible], sic in genere accep[illegible] nihil habet vitij. Porro appetere vsurariè, est iniustitiae vitiū. Sic generare prolem in genere, quid quaeso habet mali? tamen generare extra sanctiones matrimonij, vel adulterium est, vel fornicatio. Simili modo, multa in genere rationē habent vitij & offensionis, quae in certa specie naturam induunt virtutis ac meriti, veluti abscindere membrum corporis, si nihil addas, tyrannidem sonat. verùm abscindere membrum putridum, quod contagione perderet totum [illegible], & caritati. Abijcere merces, [illegible] quam merae fatuitatis [illegible] in necessitate vt corpus salues, magnae [illegible] circumspectionis, & laudem habet. S[illegible] in genere dictum, grande malum [illegible] quo turbatur ordo, [illegible] tur Re[illegible] a[illegible] n[illegible] m[illegible] irrogatur [illegible] Porro [illegible] dere male[illegible] ex a[illegible] ca, actus est [illegible] tiae nonnunquam imperatus [illegible] hanc ob causam [illegible] diximus supra, valere qu[illegible] argumentum a remotione generis, ad remotionem speciei: quamdiu species manet in familia illius generis. Quado enim in particulari casu transit species extra familiam generis, ad [illegible] eiem aliquam virtutis: [illegible] quando Praetor exequitur in aliquem [illegible] gredior [illegible] tamil am iustitiae, propter [illegible] tionem [illegible] propter finem, ob quem fit, [illegible] perdat totam Remp[illegible] propter

Occidere in genere prohibitū in certa specie praeceptum. Exod.22. Iurare in genere sit prohibitum, tamen in certa specie sanctè fieri potest.

auctoritatem ex qua fit, quæ est à Deo, in cuius potestate sunt omnia, Vt est videre ad Roma.13. Vnde non rectè infertur, Mandatū Dei haber, Non occides, ergo magistratus non potest interficere malefactorem. Et eodē prorsus modo dicendum est in hac materia, nemo pe iurare in genere, hoc est, needum cohonestatum suis comitibus, Iustitia, Iudicio, Veritate, esse prohibitū: quia continet irreuerentiam & vilipendium siue contemptum numinis. Siquidē res indigna est, producere primā illam & altissimam maiestatem, ad testificandum super rebus perituris huius mūdi, citra necessitatem, aut absque debita reuerentia. Veluti si plebeus vellet regiam dignitatē pro duce testem super suis minutulis negotijs, quis non culparet factum? Porrò quando iurare trahitur ad genus religionis per tres istos comites Iudicium, Iustitiam, & Veritatē: tūc vocatur iusiurandū siue iuramentum legitimum, potiùs q̄ nuda iuratio, omnibusq; licet. Quapropter non consequitur, Prohibitū est iurare, ergo & iusiurandum aut iuramentum cohonestatum tribus illis comitibus. Cùm dicat Propheta, Iurabitis, viuit Dominus in iudicio, & iustitia, & veritate.

Iurare per nomen Dei in genere continet quandam irreuerentiam.

De tribus comitibus iuramenti liciti. CAP. IIII.

M. Non equidem ego, sed B. Hieronymus interpretando Hieremiā, vocat iudicium, iustitiam, & veritatē, comites iuramenti, quos scilicet legitimum iuramentum semper secum habere debet, vt ijsdem cohonestatum ponatur in ordine religionis. D. Verùm quid per ista tria significatur? M. Per iudicium intelliges circumspectionem siue discretionem, quomodo in populari colloquio iuxta phrasim quandam dicimus, loquaris cum iudicio, siue nihil dixeris, sine iudicio, hoc est, loquaris prudenter, circumspectè, siue discrete. Iurare igitur in iudicio, est discretum esse & circumspectum in iuratione. Primò ne fiat diuinæ maiestatis inuocatio super re vana aut fabulosa, nec etiam super re alicuius momenti absque notabili necessitate, deficiente scilicet alia via confirmandi veritatem. Secundò, vt fiat debita cum reuerentia, aperto scilicet capite, &c. Per iustitiam verò intelliges equitatem rei, tā in se, quàm in ordine ad aliū, vt res super qua iuratur, sit licita, ac iusta in se, nec iniuriosa alicui. Qui enim iurat super scelere, aut iniquitate, aut turpitudine, aut cum iniuria proximi, illius iuratio non cohonestatur iustitia. Vltimò, adhibenda est iuramento veritas, vt in ore iurantis non sit mendaciū, aut falsitas,

Quid per iudicium intelligitur.

Quid iurare in iudicio.

Quid per iustitiam intelligitur, & quid iurare in iustitia.

simulatio, vel dolus: sed correspondeat veraciter sermo rei, & res sermoni: vnum quoq; & idem sit foris in voce, & intus in mente, ac voluntatis proposito. Quæ tria ornamenta siue comites si adsint, constituunt iurationē in ordine virtutis, efficiuntque legitimū iusiurandum. Cæterùm si vel vnum ex dictis tribus desit, statim illicitè iuratur, quocunque modo iuretur, aut ex quacūque caussa. Si desit veritas, fit periurium, quod prohibetur Leuit. 19. Non peierabis. Si desit iustitia, vehemēter polluitur nomen Dei, contra præceptum illud Neque polluas nomen Domini Dei tui. Si absit iudicium, fit præuaricatio mandati, Non assumes nomen Dei tui in vanum. Vt igitur intelligas Scripturarum consonantiam, Exodi 20. religiosè prohibetur quęcunque vsurpatio nominis Dei in vanum aut frustra. Non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Quæ comminatio vt probe euitetur, docet Hieremias iurandum esse in iudicio discretionis, quo excluditur quidquid vanum est, aut leue, aut frustraneum. Iterum Leuit. 19. expressè prohibetur periurium, & pollutio nominis Dei. Quorum vtrunque per se, & secundum se malum est. Hieremias autē vt tam hoc quàm illud malum videtur, docet iurandum esse in iustitia & veritate. Adhæc, quia in frequenti iuratione, assiduaque nominatione Dei, maximum est periculum iniquitatis, vt Sapiens ostendit dicens, Iurationi non assuescat os tuū: multi enim sunt casus in illa. Nominatio autem Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assiduè à liuore non minuitur: sic omnis iurans, & nominans in toto à peccato, non purgabitur. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo eius plaga. Et alibi, Loquela multum iurans, horripilationem capitis statuet: & irreuerentia ipsius obturatio aurium. Hucusque Sapiens. Ideo plena & expressa voce vetat Saluator iurare omnino, siue quocunque modo. Et Apostolus eius Iacobus iurare prohibet quodcunque iuramentum: nimirum vt hoc pacto simus quàm alienissimi ab omni iuratione, propter casus & pericula quæ sunt in illa. Vnde B. Augustinus ex factis Apostolorum, qui leguntur in suis scriptis iurasse, ostendit dictū Saluatoris, videlicet: Dico autem vobis non iurare omnino, sic accipiendum esse, ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur: & ex facilitate iurādi, ad consuetudinē: ex consuetudine verò in periuriū decidatur. Nam in iurando, tuam

Pulcra consonans Scripturarum in prohibitione iuramentorum.

In iuratione multi sunt casus Eccles. 23. Caussa ob quam prohibuit Saluator iurare omnino.

Eccles. 27.

Notanda sententia August.

[illegible] abest, qui omnino non iurat. & quamuis non peccet qui verum iurat, remotius tamen est à peccato qui non iurat. Vnde abstinentio non iurandi, conseruatio est à peccato periurij. Id quod quo[illegible] est, omnino, à nobis positum esse, vt quantùm in te est, non affectes, vt quasi pro bono, & cum aliqua delectatione appetas iusiurandum. Hæc Augustinus partim in diuersis locis. Adde lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. [illegible] Itaque & Apostolus in sermonibus quos habuisse narratur, nunquam iurauit, ne iurandi consuetudine aliquando vel nescius in periurium laberetur. In Scripturis autem vbi est consideratio maior atque perpensior, pluribus locis iurasse inuenitur, ne quisquam putaret etiam verum iurando peccari: sed potius intelligeret humanæ fragilitatis corda, non iurando tutius à periurio conseruari. D. Qua igitur de caussa Saluator tam prohibet rigorosè, Ego autem dico vobis non iurare omnino. M. Iam diximus. Primò, vt humanæ fragilitatis corda non iurando tutiùs à periurio, alijsque periculis, quæ sunt in iuratione, præseruentur. Secundò, vt intelligat vnusquisque iurare in genere, siue quocunque modo vniuersis esse prohibitū: quamuis nihilominus liceat facere iusiurandum, siue eam iurationem, qua iuratur in iudicijs, qua fœdera ligatur, qua subditi magistratui subijciūtur, qua lites inter fratres finiuntur, qua deniquè res feriæ multæque vtiles confirmantur (quales iurationes fiunt cum iudicio, in iustitia, & veritate) sine quibus constare non potest mortalium conuictus.

[illegible] [illegible] iurare in genere.

Quam habeat vtilitatem & religionem iuramentum legitimum. CAP. V.

M. Iuramētū [illegible] est [illegible] uer[illegible] sarum. Heb. [illegible]

TEstatur Scriptura, quòd iuramentum est finis omnis controuersiæ hominum ad confirmationē, scilicet veritatis. Finire autem cōtrouersias hominum, stabilire quoque veritatē, alioqui incertam & ambiguam, res est vtilis in moderatione Reipublicæ, imò planè necessaria: sine qua tribunalia nō subsistunt, & deficit omnis veritatis inquisitio. Si quis ergo alijs medijs finiendi controuersias deficientibus, confugiat ad inuocationem nominis Dei, per iusiurandum siue iurationem, is facto suo confitetur apud Deum esse euidentē omnium rerum [illegible]ionem, & irretractabilem attestationem veritatis. Quare si iuret quis bene, hoc est, debito modo, scilicet cum iudicio, in iustitia, & veritate, indubiè colit

Iurare le[illegible] per Deū, [illegible] Deum [illegible] a[illegible] actu re[illegible] gionis.

Deum, tanquam primam & infallibilem veritatem, quæ nec falli potest, nec fallere. Quapropter huiusmodi iuratio nequaquam digna est criminatione, sed laude & remuneratione. Hinc dicit Scriptura, Laudabuntur omnes qui iurant in eo. Et iterum Iurabis, Viuit Dominus in iustitia, &c. Item, Illi soli seruies, & per nomē illius iurabis. Quæ Scripturæ indubiè intelligendæ sunt de iureiurando, [illegible] actus est religionis: eò quòd solus actus virtutis cadat sub præcepto, & Dei cōmendatione. Lex enim Spiritus Sapientiæ intellectus, scientiæ, & consilij nihil præcepit temerè aut imprudenter agendum: sed in omni executione præcepti affirmatiui intelligēda est circunstantia prudentiæ, iustitiæ, & veritatis. Neque idem spiritus agit aut loquitur per sanctos Dei homines, quod legi Dei quoquo modo aduersetur. Est autem certum, primùm patres & Patriarchas veteris Testamenti multoties iurasse, & fœdera iunxisse sub sacrosanctis iurationibus, patet Genes. 21. 31. Iudic. 21. 1. Reg. 24. ac in finitis alijs locis. Deindè & Apostolum Christi Paulum iurasse haud infrequenter in suis epistolis. Ad Rom. 1. 2. ad Corinth. 1. ad Philip. 1. ad Thessal. 2. qui tamen Spiritu Sancto plenus, non potuit non esse memor doctrinæ magistri sui Saluatoris. Tertiò ipsummet Deum iurasse: & cùm non haberet maiorē se, iurauit per semetipsum, ad Hebræ. 6. & Genes. 22. & idem testantur Psalmi. 88. 94. 109. Vt autem de hominibus taceam, certè in Deum nullum cadit omnino malum. Debet igitur tibi, omnibusque Christianis esse certissimum, quod liceat iurare in caussa iusta, & per veritate eius: modo non fiat leuiter, sed ex necessitate, cum debita reuerentia, sic vt actus iurandi, verè religionis naturam induat.

Iuramētū habet laudē & receptū [illegible] [illegible] de genere virtutis. Psal. 62. Hiere. 4. Deut. 6.

Sancti leguntur iuralle, ergo licitū est in casu aliquo iurare.

Quomodo & qua ratione liceat iurare per creaturas. CAP. VI.

SCripturæ, iam inductæ, sanctorumque exempla satis conuincūt, quòd liceat sub certis conditionibus per nomen Dei iurare. verùm, plus credo difficultatis habere, an liceat per creaturam iurare. M. Id licitum esse, patet: quia testatur Scriptura, quòd Ioseph, qui erat exemplar pudicitiæ, ac sanctimoniæ, iurauit per salutem regis Pharaonis: nec reprehēditur: & Apostolus Paulus per gloriam nostrō. D. Attamen non esse licitū, apparet ex verbis Saluatoris, Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cęlum, neque per terram, neque per caput tuum. M. Bene replicas. D. Genes. 42.

Quomodo liceat & quomodo non liceat iurare per creaturā more Iudeorū malum est. Matth. 23.

Accipe ergo distinctionem veritatis. Contingit iurare per creaturas, more Iudæorum, qui credebant iurare per templum, per aram, aut per cælum, [illegible], neque ligare hominem. Iurare autem per aurum templi, aut donum altaris, aut [illegible] Dei, multùm esse, atque hominem teneri periurij, si non seruasset tale iuramentum. Quod vtique malum est, & erroris plenum. Redarguit enim huiusmodi homines Saluator cum stomacho dicens: Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cæci, quod enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quod enim maius, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari: iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Et quicunque iurauerit in templo, iurat in illo & in eo qui habitat in ipso. Et qui iurat in cęlo: iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.

Iurare per creaturas more quorundā stultorū Christianorū. Chrysost. in cap. Matth. 23.

Secundò contingit iurare per creaturas more stultorum Christianorū, vt credamus tale iuramentum plus ligare, q̃ quod factum est per nomen Dei: quales homines similiter redarguit B. Chrysostomus tractans præfatum locum Saluatoris. Multa enim, inquit, & modò Christiani simpliciter, & [illegible]pienter intelligunt. Ecce enim si aliqua fuerit caussa, modicum videtur facere, qui iurat per Deum: qui autem iurat per Euangelium, magis aliquid fecisse videtur: quibus similiter dicendum est: stulti, Scripturæ sanctæ propter Deum sunt, non Deus propter Scripturas. Maior est enim Deus, qui sanctificat Euangelium, quam Euangelium, quod sanctificatum à Deo. Ita & reliquæ creaturæ factæ sunt propter Deum, non est autem Deus propter illas. Vnde maius debet esse iuramentum factum per Deum, quàm per creaturam.

Iurare per creaturas more Gētiliū malū est.

Tertiò contingit iurare per creaturas more Gentilium: quasi insit eis aliquid numinis, aut habeant occultam inspectionem, vel indubitatam testificationem rei. Quo modo iurare grande malum est, & plus quàm periurium. Est enim peccatum idololatriæ, commutans cultum incorruptibilis Dei, in corruptibilem creaturam. Omnis enim qui iurat, colit ac veneratur id per quod iurat. Quid enim aliud est iurare per Deum, quam ius veritatis confirmandæ Deo tribuere? Iurare per Deum, inquit B. August. est testem adhibere Deum, idem valens atque illud, testis est mihi Deus. Tribuere autem [illegible] veritatis confirmandæ idolis Dæmon[illegible]um, quid obiecero aliud est, [illegible], tria? T[illegible]ere [illegible] onem veritatis mutis ac [illegible] vt [illegible], lapidi, capiti, templo, [illegible] non [illegible] quam errare? Lapis neque ho[illegible], neque cordis secreta vlla inspectione attingere potest. [illegible] ergo tribuere [illegible] veritatis latentis in scrinio cordis, dicendo: Ego Ioannes [illegible] per caput, aut per saxum, verum est quod dico: an non hoc ipsum facere, est saxo stolidiorem esse? D. Tamen Christiani passim iurant per Euangelium, & sanctos Dei. Et, vt dixisti, Ioseph iurauit per salutem Pharaonis. M. Siste modicùm, donec pe[illegible] in cœpta distinctione.

Iuratur bene per creaturas more Sāctorum.

Quartò contingit iurare per creaturas more Sanctorum, & iuxta consuetudinē receptissimam in Ecclesia. Quod quidem licitum est cum hoc pietatis intellectu: vt intentio iurantis sit, Deum in creatura sua adferre testem, non ipsam secundum se creaturam, prout B. August. docet. Hoc esse iurare per creaturam, creatorem eius testem adhibere sicuti [illegible] in iuramentis assertorijs, vel creaturam [illegible] Deo [illegible]: vti fit in iuramentis execratorijs.

Dupliciter iuratur per creaturas sic te. Aug. sermo. 28. de verbis Iacobi, Ante omnia nolite iurare.

Hinc D. Augustinus. Cùm quis iurat, inquit, per salutem suā, salutem suam obligat Deo. Cum quis iurat per filios suos, eosdem oppignorat Deo, vt hoc eueniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius. In omni ergo iuratione per creaturam, vel Deus creator testis adhibetur, vel creatura Deo obligatur siue oppignoratur, vt hoc sit iurare, Deum testem adhibere, vel Deo aliquid oppignorare. Nemo igitur potest iurare per creaturas, nisi intelligat iurando, vel se testem inuocare creatorem in creatura, (quòd ipsius veritas in ea reluceat) vel creaturam se oppignorare Deo.

An liceat iurare per animam.

D. Ergo licet hoc modo iurare, Per animam meam, hoc vel illud faciam. M. Nondum dixi q̃ liceat sic iurare, neque etiam quòd non liceat: sed hoc dixi, nisi fiat isto modo, bene fieri non posse. Nam si alio modo fiat, obnoxiū est aut infidelitati & idololatriæ, aut stultitiæ & stupiditati.

In iuratione per creaturas debet adesse tres comites.

Nunc autem dico & tibi, & mihi, & omnibus hominibus licere iurare per creaturas: sed modo iam [illegible] adiecto vt scilicet accedant prænominati comites, iudicium, iustitia, & veritas. Al[illegible] qui per lapidem iurat falsum, periurus est: quoniam nō lapidem, qui non audit, sed eius creatorem adhibet testem, qui omnium rerum inspectionem habet. Sic quoq; de alijs dices. Sancti autem [illegible] per creaturas [illegible]tur, intelligantur à B. Aug. & alijs iura[illegible] modo [illegible]. Et [illegible] hac d[illegible]

Varia distinctio.

nes diuersa Doctorū scripta [illegible], vel con-

concedentia iurationem per creaturas. Nam quæ prohibent, intelliguntur de creatura secundum se, & de modo quo passim sine iudicio iuratur, peieraturq;. Quæ verò conceduñt, intelliguntur de creaturis, nō secundū se: sed prout in eis relucet Deus, prima veritas, adhibitis debitis circunstantijs suprà enumeratis. D. Quid igitur dicemus de prohibitione Saluatoris? Matt. 5. & Apostoli eius Iac. 5.

Quid dicendū ad prohibitionē Saluatoris ve titis iurare per creaturam.

M. Hoc ipsum quòd diximus priùs, videlicet per illā prohiberi iurationē, siue per creaturā fiat, siue per Deum: iurationem dico, simpliciter & in genere acceptā, hoc est, quādiu nō accedunt prænominati tres comites trahētes in ordinē virtutis. Adde si placet ex Magistro Sententiarum, ideo iurationē per creaturā esse à Saluatore & Apostolo eius prohibitam, ne vel aliquid diuinum inesse creaturis crederetur, pro quo eis reuerētia debeatur: vel ne per eas iurantes falsum homines, se iuramēto nō teneri putarent: vtq; exacta seueraque prohibitione fierent homines q̄ alienissimi à praua cōsuetudine iurandi per creaturas: quia multi casus in illa. Pergamus nunc ad alia.

De periurio, et dolosis iurationibus. CAP. VII.

D. Nō quicū que iurat malè, periurus est, sed quicū que iurat falsum. Quid sit periuriū.



AN quicunq; iurat malè, statim periurium committat? M. Nequaquam. Sed quicunque iurat aliter quàm oportet, aut peierat, aut polluit nomen domini Dei sui. Periurium diffinitur esse mendacium, aut fallacia iuramento firmata. Licet enim multæ sint deformitates in malis iurationibus: tamen illa præcipuè constituit speciem periurij, quæ cōtrariatur proprio fini iuramēti. Est autem proprius finis iuramenti, confirmatio, dicti humani: ita q̄ ad hoc directè Deus inducitur testis, vt quod asseritur, siue promittitur, firmū sit, fultū diuino testimonio, multò plus q̄ si esset fultum testimonio mille hominū quantūcunq; grauium. Vnde periurus est, qui iurando asserit mendacium. Nam mentiri adhibita iuratione periuriū est. Itē periurus est, quicunque iurando promittit se facturū, quod intendit non facere. Qui autem promittit sub iuramento veraciter, & absque dolo: tamen posteà nō seruat promissum, mutato animo, ille ex quo iurauit, non erat periurus: sed ex quo propositum mutauit, & terminum transgressus est, iuratio eius facta est periuriū. Qui autem iurat falsum sincerè, putās verum esse quod iurat, iste non ex animo peierat, inquit Augult. sed fallitur. Verùm qui iurat super turpitudine aliqua, aut iniquitate, aut re vana, vel citra mendaciū: is magis polluit, aut profanat nomen domini Dei sui, q̄ peierat. D. Quid si quis iuret nolens seipsum obligare, aut verba sua aliter intelligens, q̄ intelligit is, cui iuratur? M. Quacūq; arte verborū quis iuret: Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur intelligit, atque alius vir prudens intelligeret. Dupliciter aute reus fit, qui dolosè iurat: primò, q̄ nomē Dei in vanum assumit: secūdò, quòd proximū dolo fallit. Is autē qui iurat nolens seipsum obligare, tā est periurus, vt vix alius posset magis. D. Quid si quis incautè iurādo promittat, quod magis expedit aut necesse est non facere: veluti si quis promittat se vindicaturū de suo inimico, idq; sub iuramēto? M. Respondet ubi Ambrosius dicens: Est cōtra officiū Dei nonnunquā, promissum soluere siue reddere Sacramentum. Vt Herodes fecit, dando puellę saltanti caput Ioannis Baptistæ in disco, eò q̄ iurauerat se daturum, quodcunque illa peteret. Nam cùm peteret malū, debebat ille rescindere promissum. Vnde pro regula doctus Isidorus. In malis promissis, rescinde fidem. In turpi voto, muta decretum. Quod incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Nō enim est obseruandum Sacramentum, quo malum incautè promittitur. Vt si quis adulteræ perpetuā fidem cum ea permanendi pollicetur: tolerabiliùs enim est non implere Sacramentum, scilicet iuramenti, quàm permanere in stupro. Idem dicendum de eo, quod à principio quidem nō erat malum: sed posteà obseruatum, peiorem vergit in exitum. Vnde Beda doctor venerabilis. Si quid, inquit, nos incautiùs iurare contigerit, quod obseruatū peiorem vergat in exitum, liberè illud salubriori consilio mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum esse nobis, quàm pro vitando periurium in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Deū occidere Nabal virum stultum: sed ad primā intercessionē Abigail feminæ prudentis remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, nec aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Ex quibus facilè colliges tria. Primum, eum qui propter iuramentum emissum facit quod iniquum est, aut turpe, aut sceleratum, dupliciter peccare: tum quia irreligiosè iurauit: tum quia facit quod non debuit. Secundum, eum qui incautiùs iurat quod posteà in deteriorem vergit exitum, peccasse quidem incautè iurando: sed benè agere, non implendo quod iurauit. Tertium, qui bona fide, & corde bono iurauit aliquid, at posteà deprehendit hoc ipsum magis impedire salutem, quam promo-

Iuratio super turpitudine,

aut iniquitate, magis est polluere nomen Domini, q̄ peierare.

De incautis iuramētis.

Ambro. in lib. 1. de Officijs.

Isidos' in synonymis lib. 2.

Iuramētū vergēs postea in deteriorem exitū rescindendum est. Beda Homil. 43. 1. Reg. 25.

Tria ex prædictis

promouere, ille nec malè egit iurando, & optimè agit posteà mutando, quod iuramento promissum erat: Sed quid apparet tibi de his, qui dolosè iurat, tenentúrne iuraméto suo? D. Omnino. Fraus enim & dolus nemini patrocinari debent. M. Sic habet regula iuris. Vnde in Decreta Pontificū relatū est, quod dicit Isidorus, Quaecunque arte verborū quis iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Maximè si huiusmodi iuramenta fiant coram tribunalibus, & iuris ordine, alióue legitimo modo exacta fuerint. Peccat nihilominus grauissimè, quicunque in iudicio dolosè iurat: siquidem Deum quasi irridet, & iudicem fallit, & veritatis inquisitionem turbat, & id vnde tota salus reipublicæ pendet, hoc est, iudicium publicum subuertit. Tu ergo teců perpēde, quàm graue sit tale delictum. D. Ego igitur nesciens quid proximus meus facturus sit, an eū in caussa legitima cogere possum ad iurandum? M. Respondet B. August. dicés: Qui exigit iurationem, multùm interest, si nescit illum iuraturum falsum, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit, iura mihi, vt fides ei sit, non est peccatum: tamen humana tentatio est. Si verò scit eum fecisse, & cogit eum iurare, homicida est. Qui enim prouocat hominem ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vicit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animā: immo duas animas, & eius animam, quem iurare prouocauit, & suam. Hæc ille.

An ligentur suo iuramento qui dolosè iurauerunt.
Regula iuris.
22. Quæst. 5. Quacunque.

An liceat aliū cogere ad iuramentum.
In ser. de periurijs.
22. Quæst. 5. Qui exigit.
Aug. ser. de decoll. S. Ioānis.
22. Quæst. 5. Ille qui hominē.

Epilogus huius præcepti cum aliquot quæstiunculis. CAP. VIII.

D. 

Nunc summatim. Qui obsecro peccant contra istud mandatum? M. In primis periuri ac blasphemi, & quicunque nominibus diuinis Sanctorum aut creaturarum abutuntur in iurationibus, in execrationibus, maledictionib⁹, incantationibus, aliisue generibus talēnationum. Itē, qui inuocant nomen Dei in attestationē turpitudinis, aut sceleris perpetrati, vel perpetrādi: & hi indubiè flagitiū cōmittunt, hoc est, magnū & horrendū peccatum, æterna damnatione vindicandum. Adhæc, delinquunt cōtra istud mandatum, omnes qui iurationem faciunt in vanum aut frustrà, aut sine debita reuerentia per Deum, per fidem, per S. Mariam, per S. Ioannem, aut per alios quosuis Sanctos, per sanguinem Christi, vulnera, crucem, aut mortem eius, per animam suam, vel caput suum, aut nobilitatem suam: & hoc in stultiloquio, aut turpiloquio, aut scurrilitatibus suis, aut denique citra necessitatem, vllámue iustam vtilitatem. D. Domine, si isti omnes violant præceptum Dei, vbi Gallus? vbi Italus? vbi Flādrus? vbi Vvestfalus? vbi quæso parebunt, quibus vix tertiū de ore labitur verbum, absque dira aliqua iuratione? Nisi fortassis consuetudo sic agendi eos excuset. M. Vt in omnibus ferè peccatis, ira & in iurationibus alleuiant culpam surreptio, perturbatio, inaduertentia, actus imperfectio, metus, coactio: praua autem cōsuetudo nequaquam: Nam si semel peierasse, aut alioqui impiè iurasse polluit nomen Dei: multò magis polluet, fecisse hoc ipsum sæpius, maximè autem fecisse sine numero, & ex consuetudine. D. Interim, non puto grande delictum esse, iurasse in vanum, siue leuiter, vt passim fit. M. De hoc iudicent alij. Ego certè vehementer perpendendum sentio, & timendum, quòd omnipotens Deus subiunxit huic mandato, dicens: Non enim habebit insontem Deus eum, qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra: Et Deuteronomij 5. Non enim erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit: & illud quod addit D. Iacobus, inquiens: Vt non sub iudicio decidatis. Hanc censuram viuentis Dei, atque Apostoli eius, & mihi, & tibi, & omnibus Christianis, modis omnibus præcauendam sentio. Quod vtique fiet, si sermo noster, tam in serijs, quàm in ludicris fuerit est, est: non, non. Nam, quod his abundantius est, à malo est: non vtique malum, sed à malo, sic affirmante Saluatore nostro. Circa quam Saluatoris doctrinam annotauit diligenter D. August. iurationem etiam vbi legitimè fieri potest, non esse expetendam tanquam bonam: nec tamen fugiendam tanquam malā: cùm est necessaria. Non enim est mala in se, quia actus est religionis: est tamen à malo, scilicet infirmitatis illius, quæ te iurare cogit, nolens credere simplici assertioni: quæ vtique infirmitas malum est, aliquando pœnæ, aliquando culpæ. Vnde debet iusiurandum cōputari inter ea, quæ necessaria sunt: non autē inter ea, quę per se bona sunt, & appetibilia. D. Iusiurandum est actus religionis, vti docuisti me: igitur per se bonum, & appetibile: quia religio per se bona est. M. Non consequitur. Quemadmodū enim occidere maleficos actus est iustitiæ: non tamen per se appetibilis. Item proijcere merces propter tempestatem actus est caritatis, tendens ad salutationē eorum, qui in naui sunt: non tamen per se bonus aut appetibilis. Sic iusiurandum est actus religionis, quo eximiè colitur Deus, tanquam prima veritas, habes infallibilē omniū rerum

De cōsuetudine iurandi an excuset.

Iurare leuiter in vanū an grāde sit peccatum.

De verbis Saluatoris quod amplius est à malo est.

Iusiurādū cōputari debet inter ea quæ necessaria sunt, non inter ea quæ per se bona sūt.
Obiectio.
Solutio.

rerum attestationem;tamen neque appetendus,neq; per se bonus:quia à malo est.quodque bonus sit ac religiosus, habet ex necessitate, qua non existente, fit malus, continens magnam irreuerentiam Dei. Quod bonum est per se,hoc per se est appetibile.Quod bonū est ex caussa,vel necessitate,propter caussam aut necessitatē admittitur potiùs, quàm appetitur.Siquidem appetitus nititur in contrarium,cùm propter superexcellentem maiestatem diuinam,tum propter pericula,quæ concurrunt in iurationibus: acceptat tamen quia vrgetur per id quod est necessariū. Hoc igitur loco Saluator vt prohibet malum, dicendo,non iurare omnino:ita suadet bonum dicendo:Sit autem sermo vester,est,est: non, non : ita & indulget necessarium, addendo, Quòd amplius est, à malo est. Ideoque non admittendum, nisi vrgente necessitate,aut alioqui iusta vtilitate. D. Sed quid dicemus de exorcismis, & adiurationibus per nomen & virtutem Dei,per Christum ac merita eius,quibus vtitur Ecclesia non rarò? M. Quòd in eiusmodi non agit Ecclesia contra mandatum Dei. Non enim frustrà aut in vanum,neque leuiter,aut omni modo fit in Ecclesia exorcismus, vel adiuratio per nomen Dei,& Christi virtutem, & nomina fortassis Sanctorum: sed debita cum veneratione, & in rebus serijs ac arduis,necessitate,magnáue vtilitate sic postulante: idque iuxta formam ab Ecclesia præscriptam. Vnde sacerdos dicens in exorcismo Baptismi, aut salis, aut aquæ benedictæ,Adiuro te per Deum viuum, per Deum verum, per Deum sanctum, non peccat iurando: sed verissimum facit meræ religionis actum. Quia adiurat eum iudicio non solùm suo,sed & totius Ecclesiæ sic præscribentis,idq; in iustitia & veritate.Ceterùm qui nouas fingunt adiurationes & exorcismos,ad pellendas infirmitates nunc hominū, nunc pecorum, abutentes nominibus ac rebus sacris,ad vsum non suum,adiunctis sæpè occultis inuocationibus Dæmonum,hi certè grauissimè peccant contra hoc mandatum, cōmittentes sæpe blasphemiā simul & idololatriam.At pergamus ad sequens mandatum.

Quod per se bonū est, est appetibile, non quod bonū est ex necessitate.

Quid dicendū de exorcismis, qui fiunt per adiurationes.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS QVARTI.

De efficacia & pondere verborum, quibus datum est mandatum Decalogi. Cap. I.
Cur Deus septimum diem voluerit esse celebrem magis quam alios. Cap. II.
Quòd Christo resurgente inceperit septima ætas, vera requies & Sabbatum Christianorum, hoc est, Dominica. Cap. III.
Qua ratione Sabbatum Iudæorum sit mutatum in Dominicam Christianorum. Cap. IIII.
Ad quid obligemur in Dominica. Cap. V.
A quibus operibus, & quousque cessandum sit in Dominica. Cap. VI.
Quosdam vtiliter, quosdam inutiliter, alios verò scelerate obseruare hoc mandatum. Cap. VII.
De festiuitatibus Sanctorum. Cap. VIII.
De antiquitate festorum in Ecclesia. Cap. IX.
De eo, An quælibet dies omnibus pijs æquè sacra esse debeat. Cap. X.
Summariè qui debeant computari inter transgressores huius mandati. Cap. XI.

TRACTATVS QVARTVS.

De efficacia & pondere verborum, quibus datum est mandatum Decalogi. CAP. I.



Sabbatum sanctifices. M. Quin potiùs audiamus ex Scripturis, quo pondere, quáue diligentia inculcet Deus hoc suum mandatum. Dicit enim sub his verbis in Exodo, Memento vt diem Sabbati sanctifices.Quod in Deuteronomio dicit sic, Obserua diem Sabbati, vt sanctifices eum, sicut præcepit tibi dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum domini Dei tui est, id est,requies : sic enim interpretatur textus Deuteronomij. Nō facies omne opus in eo,tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum,& aduena,qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare,& omnia quę in eis sunt,& requieuit in die septimo. Iccirco benedixit Dominus diei Sabbati,& sanctificauit eum. D. Profectò non potest non esse metuendum, quod tanta diligentia, tamque exactè cælitus præscriptum est. M. Sic expediebat: quoniā non est tam morale hoc mandatum, quàm cæremoniale,& positiuum magis quàm iuris naturæ: est tamen in parte etiam morale, & iuris naturæ.Ideoque expediens erat,vt Deus daret præceptum istud,sub exacta sui institutione,exprimendo & substantiam præcepti, & finem, & rationem institutionis, nec non nominis Sabbati interpretationem, denique præfationem quandam, quæ attentos redderet auditores. In Exodo quidem dicit legislator Deus, Memento: in Deuteronomio verò, Obserua diem Sabbati, vt sanctifices illum. Quasi dicat, Sit hoc alta mente repositum, & nunquam recedat de scrinio cordis tui;

D. Qua diligentia fit inculcatū istud mandatum.
Exod. 20. Deut. 5.

Istud mādatū magis est cæremoniale q̄ morale.

Interpretatio verborū mādati.

Quæ sit sententia præfatio-nis.

tui: sed semper mens tibi vigili cura circunspiciat, vt spatio sex dierum sic distribuas & otia & negotia tua, quatenus possis septimũ celebrem habere. Siquidem sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimus, dies Sabbati est, id est, requies domini Dei tui Hucusque præfatio. Quod sequitur, Non facies in eo omne opus, siue non facies in eo quidquam operis, tu, & filius tuus, & filia tua, &c. punctum continet siue substantiam pręcepti. In illo verò, vt sanctifices illũ, finis exprimitur mandati. Ad eum enim finem prohibemur operari in septimo die, vt illum velut Sabbatum Domini sanctificemus. Denique in clausula finali, videlicet, Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, &c. ratio habetur mandati.

Quæ sit substantia præcepti huius.

Quis finis præcepti huius.

Quę ratio mandati huius.

Cur Deus septimum diem voluerit esse celebrem magis quàm alios. CAP. II.

D. An discernendũ sit inter diē & diem.



Rintipiò, eur potiùs septimum diem voluit celebrem esse, quàm primum, tertium, aut quintum? Scio quidem quòd numero gaudet impari Deus: verùm an discernendum sit inter diem & diem? M. Nullo modo, si rationem spectes temporis: nisi quòd hiemales sunt breuiores, æstiuales longiores. At si spectes mysterium, & beneplacitum domini Dei tui, iam ab initio mundi cœptum est discerni & iudicari inter diem & diem, haud secùs atque nunc discernimus inter panem Eucharistiæ, & vsualem, inter templum & ædes, inter sacerdotem & hominem laicum. Ratio est, quoniam in ipso exordio creationis rerum, benedixit Deus vni dierum, non singulis, illumque sanctificauit præ ceteris, id est, consecrauit siue sacrum effecit ac sanctũ, hoc est segregatũ ab vsibus profanis, ac prorsus deputatum, nõ quidem otio, sed pijs religionis & virtutum exercitijs, quibus requiescimus in Deo. Sicut nunc benedictione Episcopi sanctificatur domus aliqua in basilicam. At multò venerabilior est sanctificatio septimi diei, quàm vllius basilicæ. Illum enim per semetipsum cõsecrauit, non per hominem: idq; mox rebus mundi conditis, vt expressè habetur Genes. 2. & Exo. 20. D. Sed cur magis septimum diem, q̃ primum aut tertium, aut aliquem reliquorum? M. Ratio istius est in textu: quoniam die septimo requieuit ab omni opere suo. Sex enim diebus creauit Deus cælum & terram, & maria, & omnia quæ in eis sunt: septimo autem die requieuit. Iccirco benedixit diei septimo, & sanctificauit illum. Hucusque verba Scripturæ: nec caret

Quomodo discernendũ & quomodo nõ discernendũ inter dies.

Ratio cur vnus dies celebris, nõ omnes.

Ratio cur septimus dies cõlecratus, nõ prim⁹, aut quintus.

mysterio, quòd die septimo requieuit, eamque ob caussam illum sacrum ac celebrem esse voluerit. Sex enim sunt ætates, quibus homo in ergastulo inquietæ carnis laborans, sub elementis & rebus egenis mundi huius, non potuit quoquo modo peruenire ad requiem, neque secundum carnem, neque secundum spiritum ante Christi resurrectionem de sepulcro, à qua Christi resurrectione incepit ætas septima: offerens cunctis per Christum paratum transitum, non solùm ad quandam consolationem, sed ad ipsam requiem æternam, ad immortalitatem, ad regnum æternæ felicitatis, ad omnes denique delicias Dei, in quibus est sacer ille ac verè beatus Sabbatismus, in quē spectant omnia.

Requies Sanctorũ incepit post Christũ resurgentem.

D. Abraham & Lazarus erántne in requie etiam ante Christum glorificatum? M. Lucæ 16. loquens Abraham ad diuitem epulonem, dicit, Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, id est, afflictiones. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris, chaos magno existente inter nos & vos. Ex qua parabola constat, quòd iusti ante septimam ætatem erant extra tormenta, & in consolatione, magnoque interuallo diuisi ab improbis: sed quòd requiem accepissent, non memoratur ibidem. Incepērunt enim hæc cantica, Requiescant in pace. Requiem æternā dona eis Domine, Requieuit in Domino, Obdormiuit in Domino, tempore septimæ ætatis, hoc est, à Christo domino resurgente. Quod pereleganter insinuat Simeon iustus, qui postquam proprijs vlnis complexus fuisset Christum natum, Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine secundum verbum tuũ in pace. Nunc, Christo scilicet nato, illucente iam velut aurora quadam septima ætate, nunc dimittis seruum tuum Domine: non dicit, Nunc dimittis me, aut me seruum tuum, sed simpliciter (prophetans quod futurum erat in septima ætate) seruum tuum, hoc est, omnem personam tibi seruientem, cuiuscunque sit conditionis. Et id quidem in pace: transmittendo eum ad veram & sempiternam requiem. Patres existentes in limbo, erant nõ minùs anheli spiritu ad promissam requiem figuratam in Sabbato Domini, q̃ fuerant anteà in hoc mundo. Licet enim Dei beneficio separati essent ab impijs & inquietis hominibus per chaos magnum interpositum, licet quoq; inuenissent specialem consolationem, qua securi erant de sua salute futura, nondum tamen Sabbatismum Domini, hoc est, requiem in Deo inuenerant: quia nondum erant facti vnum cum Deo in gloria, licet facti essent vnum cum Deo in gratia.

Lucæ 2. Interpretatio dicti Simeonis.

Quòd

Quòd Christo resurgente inceperit septima ætas, vera requies & Sabbatum Christianorum, hoc est, Dominica. CAP. III.

M. Christo nato illuxit quasi aurora Christo resurgēte prorsus ac manifeste incœpit.



Hristo nato, cœpit septima ætas illucescere velut aurora diei venientis. Porrò Christo resurgente in gloria, tunc demum consummatū est regnum Dei apud homines, & exorta est septima ætas mundi. Tunc enim coniuncta sunt summa imis, & ima summis, cœpitque humana nostra substantia, & in Christo, & in omnibus qui resurrexerunt cum Christo, de quibus Matthæi 27. prorsus ac omnimodè requiescere in Deo, absorpta morte in victoria, mundo quoque omnibusque inimicis rebus, sub quibus laborauerat, longè, immo in infinitum superatis: Quod Apostolus pulcrè demonstrat ad Hebræos dicens de Christo: (Heb. 4.) Qui enim ingressus est in requiem eius, scilicet Dei, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus. Datur autem eadem requies in hac septima ætate, iustis secundum animam migrantem è corpore: dabitur verò vniuersis Sanctis, tam secundum corpus, quàm secundum animam, in consummatione huius eiusdem ętatis, quæ in Scripturis vocatur cōsummatio sæculi. Cuius quidem requiei typum gessit Sabbatum Domini, non ab heri, aut nudiustertius, sed ab exordio mundi cōditi. Interim tamen & in lege datum fuit Sabbatum positiua ordinatione filijs Israël in signum, & in fœdus, atque pactum sempiternum, prout pulcerrimè habes Exodi 31. & Ezech. 20. Sic enim dicit Dominus per Ezechielem, Insuper Sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos. Sic insuper per Moysen, Videte, inquit, vt Sabbatū meū custodiatis: quia signū est inter me & vos in generationibus vestris, vt sciatis, quia ego Dominus qui sanctifico vos, &c. Subdit, Pactum est sempiternū inter me & filios Israël, signumque perpetuum. Quapropter Sabbatum erat filijs Israël in signum & pactū sempiternum, significans, quòd Deus erat eos (Ephes. 1.) sanctificaturus in omni benedictione in cælestibus per Christum dominum, daturusque illis omnimodam requiem, segregando illos ab omnibus profanis, vt populum electum & sanctum sibi: quomodo olim ipsemet requieuit ab omni opificio creationis, & benedixit diei septimo, illumque sanctum effecit ac sacrum sibi.

(Requiei quæ est p Christum typū gessit Sabbatum Domini ab initio mū & in lege datum est Sabbatum in pactū & fœdus.)

Qua ratione Sabbatum Iudæorum sit mutatum in Dominicam Christianorum.

CAP. IIII.



N dictis Scripturis habetur, Custodiant filij Israël Sabbatum, & celebrent in generationibus suis: nam pactum sempiternum est inter me & filios Israël. Igitur nō est, quod nos Christiani celebremus Sabbatum: quia nobis non est in præcepto: sed duntaxat filijs Israël in generationibus suis. M. Bene quidē hoc annotasti. Neque enim nobis est in signū aut pactum, neque in præcepto: nam pactum fit super exhibendis, non super exhibitis. Et signum datur de occultis, aut futuris, nō de his, quæ in aperto omnibus exposita sunt. Nunc verò millia Sanctorum apprehenderunt requiem olim promissam, quæ eadem est omnibus alijs nunc tēporis ad manum, per Christum dominum nostrum: tantùm restat extendere manum & apprehendere. Quòd autem nullo modo nos obliget præceptū Sabbati illius, quod Iudæis celebre erat, hinc fit. Quoniam erat cæremoniale, datum illis in signum, & typum futuri Christi, vt expressè restatur Apostolus ad Coloss. 2. dicens: Nemo vos iudicet, in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorū, corpus autem Christi. Quo loco duo sunt obseruanda: primū, Sabbata & festa Iudæorū fuisse vmbram Christi, secundū, interijsse ea cum lege, nec quenquā ampliùs obligare, propterea quòd eiusmodi sunt. Facta enim sunt mendacia & noxia his, qui obseruant, prout tota lex vetus nunc est mortifera his, qui confidunt in ea. Hinc feriuntur anathemate, habenturque Iudæastri, quicunque præsumunt celebrare Sabbatum, hoc est, diem Sabbati, quem Iudæi celebrem habent. Nobis enim est aliud Sabbatū, quod cum millibus Sanctorū egit Christus in die resurrectionis, quem diem & nos possumus optimo iure vocare Sabbatum Domini, id est, requiem Domini. Tunc enim requieuit Christus dominus & Deus noster à multo labore, multis opprobrijs, sudoribus, pœnis, sanguinisque effusionibus. Propter quod (ac etiā ne iudaizare videamur) cōsilio Apost. ac Patrū, adeoq; totius Ecclesiæ, mutatū est nomē & dies Sabbati in nomen ac diem Dominicū: vt neque eundē diem, neque eodem sub nomine sabbatizaremus nos. Quia neque eadem est ratio Sabbatismi nostri & Iudæorum, neque idem dies consummationis operum, creationis, & resurrectionis. Ille prior, iste posterior concurrens cū primo die creationis rerum non sine mysterio. Quandoquidem vt in illo opificium huius sæculi inceptum est, ita in isto exordium incepit futuri sæculi, cuius Christus pater appellatur per

(D. Sabbatum filijs Israël datum in præceptū, nō Christianis.)

(Sabbatum mutatū in Dominicam.)

Prophetam dicentem: Et vocabitur nomen eius fortis, consiliarius, &c. pater futuri sęculi. Etenim Deus quodammodo bis condidit mundum: primò creando quod non erat, secundò restituendo quod perierat. Vnde à tempore resurrectionis Christi mutatum est Sabbatum Iudæorum in diem Dominicam: quæ sanè ab illo tempore manet celebris inter Christianos, in memoriam resurrectionis & glorificationis naturæ humanæ. Vide August. lib. siue epist. de Ritibus ad Ianuarium.

Deus quodammodo bis condidit mundum.

D. Verùm à quo, aut cuius auctoritate hęc mutatio festi? M. Vt Sabbatum Iudæorum sua sponte interijt, sicut tota lex vetus implera per Christum: ita & nostrum Sabbatum sua sponte succreuit die sequenti, qui est Dominica, per resurrectionem Christi vera requie veroque sabbatismo introducto. Quem diem Sabbatum Iudæorum sequentem voluerunt Apostoli, dictam ob caussam, celebrem esse auctoritate diuina, eamque vocauerunt Dominicam, à Domino tum resurgente Spiritu sancto id suggerente, sicut & pleraque alia, Christo dicente: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnē veritatem. D. At istud vnde cōstat? M. Ex vniuersali totius Ecclesiæ traditione: eodē prorsus modo, quo constat de quatuor Euāgelijs, quòd ab Apostolis dicta sunt & tradita. Nempe, quia vniuersa vbique Ecclesia, non solum quę nunc est: sed etiā quæ fuit ab initio dati Euangelij, semper credidit Dominicam diem resurrectionis debere celebrem esse quolibet septenario dierum, non autem Sabbatum Iudæorum, sicque tradidit posteris suis. Quam traditionem approbauit & confirmauit Concilium Laodicense Phrygiæ, contra eos qui vbique exigunt, Vbi scriptum est? Interim tamen Scriptura Apocalypsis satis insinuat diē septimanæ, qua Dominus resurrexit, fuisse celebrē tēpore Apostolorum, atque appellatā tunc temporis Dominicam. Dicit enim Apostolus Ioannes, Ego Ioannes fui in Spiritu in Dominica die. Ante resurrectionē sanè Domini, nulla dies fuit appellata Dominica. Non scriberet igitur Ioannes Apostolus, Ego Ioannes fui in Spiritu in Dominica die, nisi tunc temporis illa fuisset nota ac celebris cunctis sub illa appellatione Dominica, prout exinde mansit celebris sub eodem nomine vsq; in præsentē diē. D. Verùm an per Dominicam intellexerit Ioannes primum diem septimanæ, qui est proximus post Sabbatum? M. Ambrosius Ansbertus vetustus & eximius auctor, qui claruit ante annos quingentos & quinquaginta, tractans

A quo & cuius auctoritate sit facta translatio Sabbati in Dominicam.
Dominica instituta per Apostolos.
Ioan. 16.
Scriptura non tacet de die Dominica.
Apocal. 1.
Dominica probatur semper fuisse in vsu ex Patribus.

hunc locū, dicit, Notandū verò φ idem Ioannes non in Sabbato, quo septimus dies septimanæ exprimitur, quo & requieuit Deus ab operibus suis, sed in Dominica die, quæ prima est septimanę proxima post Sabbatum, in Spiritu fuisse se dicit. Quia nimirum iam vetus illa, quæ mortem operabatur, lex transierat, & noua quæ viuificat in Christi resurrectione, claruerat, atque corporalis illa vocatio Sabbati in spiritualem animarum requiē conuersa vigebat, quando ille hæc Sacramenta cernebat. Hucusque Ansbertus. Qui si ad auctoritatem obscurior videatur D. August. accedat. eo & vetustior & multò illustrior, qui scribens contra Adamantum Manichæum, dicit: Nos & Dominicū diē & Pascha sollēniter celebramus, & quaslibet alias Christianas festiuitates. Addēs alio loco, Dominicū diem Apostoli & Apostolici viri ideo religiosa sollēnitate habendū sanxerūt: quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit. Nota hîc voculam Sanxerunt, hoc est, sanctè ac firmiter statuerunt: Nota præterea hic simul nominari Dominicū die & Pascha, quia tū temporis vterq; dies celebris erat sub suo nomine. Pascha quidē singulis annis: Dominica verò singulis septimanis. Annuus quoque ille dies resurrectionis Domini semper quidem vocatus est, aut resurrectio Domini, aut festiuitas Paschæ: eò φ Christus verū Pascha nostrū post immolationem tū primùm trāsierit cum suis ad immortalitatē & gloriā corporis: primus autem dies in hebdomade post Sabbatū, semper vocatus est Dominica, in hebdomadalē recordationē resurrectionis (sicut Sabbatū fuerat institutū in hebdomadalem recordationem creationis rerum) etiā tempore Apostolorū. Qui spiritu intelligebāt, meritò nos hebdomadatim debere magis celebrare eū diē, quo tādem post sex ætates incepit vera plenaque quies, felicitas, immortalitas animarum & corporum, φ eū, quo post sex dies cessauit vlterior creatio rerum, quę vt mutabilium erat: ita nullā animab' ac corporibus nostris felicitatem per se attulit. Nam B. Ignatius discipulus Ioānis Apostoli, secundus Antiochenę Ecclesię Episcopus, in epistola sua ad Magnesianos, cuius B. Hieronymus meminit, docet pro Sabbato celebrādum esse diem Dominicum, ob resurrectionem eo die factā. Notandum autem φ docet pro Sabbato Dominicam celebrandam. Ergo prima cuiuslibet septimanę, quę sequitur, post Sabbatum, erat populo Christiano celebris sub nomine Dominicę loco Sabbati Iudęorū tunc tēporis, cùm adhuc viuerēt Apostoli. Quem eundē diem septimanæ, & eandem ob caus-

ob caussam sancivit Constantinus Magnus contra rebelles, debere esse celebrē cunctis: quia in ea resurrexit Christus à mortuis, idq; ante annos 1200. lib. I. hist. tripart. cap. 9. his verbis. Die verò qui Dominicus vocatur, quē Hebræi primum (scilicet hebdomadis) vocāt, Græci autem soli distribuunt: & qui ante septimum est, nempe Veneris diem, sanciuit à iudicijs alijsque caussis vniuersos habere vacationem, & in eo tantùm orationibus occupari. Honorabat autem Dominicum diem, quia in eo Christus resurrexit à mortuis: aliū verò, quia in eo fuerat crucifixus.

Ad quid obligemur in Dominica. CAP. V.

D. AD quid igitur obligamur nos Christiani? M. Ad feriandum singulis hebdomadibus eo septimo die, quē placuit Spiritui sancto & Apostolis appellare Dominicam: idque illum ad finem, vt sanctificemus eūdem. Nam vt vnus ex septem diebus sit celebris ac sanctus Domino, nihil antiquius eo. Hoc enim ante legē fuit, hoc sub lege, & hoc post legem. Ante legem quidem in recordationem creationis: sub lege verò etiam in pactum & signum sempiternum sanctificationis futuræ per Christū: in memoriam quoque liberationis à seruitute Aegyptiaca. Denique post legem sub Euangelio in memoriam resurrectionis Dominicæ, quæ consummatio est operis creationis. Quid enim profuisset creatum esse, aut natum, deinde renasci, nisi contigisset & immortalem fieri, per resurrectionem, quomodo Christus resurrexit per gloriam Dei patris? Nobis igitur celebris est Dominica, non tam in memoriam creationis, quàm perfectæ reparationis naturæ humanæ: tamen etiam in memoriā creationis. Reparatio enim quam effecit Christus, præeuntis creationis est cōsummatio. In quam reparationem cùm reducta fuerint omnia, quæ Deus ab æterno prædestinauit in illam per Christum, tunc erit consummatio sæculi, tunc finis omnium, eritque Deus omnia in omnibus. Quapropter tunc demum requies perfecta, in qua cātabunt singuli Sanctorū canticum illud, Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors stimulus tuus? vbi est mors victoria tua? Quàm igitur ô fili est nunc deuotè requiescendum in Deo & Christo domino, vel semel in septē diebus, hoc est, in Dominica, vt tandem ad illam consummatam requiem per Christum transferri mereamur. D. Profectò quàm deuotissimè. Ceterùm nondū audiui, ad quid præcisè obligemur in Dominica Sabbato nostro. M. Iam nunc audies. Nihil rationi confinius, quàm vt homo qui totus ex Deo, totus in Deo, totus subsistit per Deum, tam secundum corpus quàm secundum animam, nihil habens ex se, ne velle quidem, aut cogitare aliquid boni, non panem quo vescitur, non vestem qua tegat nuditatem, non spatiū terræ longū pedem vnum, non horulam vnā vitæ suæ, semper filius mortis, nisi misericordia Altissimi adoptetur in filium vitæ, mox iterum futurus pabulum eiusdem mortis, vbi desierit esse alumnus vitæ quę in Christo est: nihil, dico, confinius rationi, quàm vt talis, sic dependens à Deo, saltem destinato aliquo tempore ascendat, & animo in Deum, & corpore quantùm potest, interquiescens modicùm à terrenis istis occupationibus, seque totum illi impendens, à quo omnia accepit imo à quo nunquam non accipit quæ habet, & quamdiu habet: adeò vt ne ad momentum quidem retinere possit, quæ accepit, Deo nō donante assiduè per conseruationem. De quo neque tu, si mentem habes, dubitare potes. D. Equidem de illo nihil dubito. At quæstio est de die septimo, An scilicet illud quod dixisti, quolibet septimo die fieri debeat? M. Quid potest propiùs contingere dictamen rectæ rationis, quàm vt hoc fiat saltem septimo quoquo die? Primò propter beneficium: secundò propter exēplum: tertiò propter sanctificationem septimæ diei, quam ipsemet Deus fecit. Nonne iustissimum est, vt post exercitamenta in rebus mundi huius, operasque manuales sex dierum, septimo die quiescamus in Domino, per gratiarum actionem in laudem & gloriam illius, qui omnia quæ fecit opere sex dierum, in vsum fecit & vtilitatem atque solatium hominis? Hominē autem fecit propter se, iuxta illud Apostoli: Omnia vestra sunt, siue Paul', siue Cephas, siue Apollo, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus verò Dei. Dixi secūdò propter exemplum. Si enim Deus post operas, & exercitamenta in rebus huius mundi, duxit quiescendum esse in seipso die septimo: cuius, quæso, exemplum poterimus nos insequi fructuosius quàm Dei nostri, septimo die quiescendo in Deo, sepositis aliquantulùm corporeis istis operibus, quibus variè turbamur & fatigamur? Dixi tertiò propter sanctificationem. Nam cui Deus ipse tanta cum sollennitate benedixit cōsecrando ipsum: idque statim mundo creato, quomodo poterit non haberi specialiter sanctus ac sacer à nobis: maximè cùm non propter se, sed propter hominem sanctificauerit

Ff 2

Obligamur ad feriandū in Dominica vt sanctificemus illam.

Ab initio mundi septimus dies fuit sanctus & celebris.

Dominica nobis celebris in memoriā resurrectionis.

1. Cor. 15.

Adhortatio.

Ad quid obligemur in Dominica.

Indubiè aliquo tēpore vocā dū Deo.

Septimo die vacandum deo propter tria.

1. Cor. 3.

uerit illum Deus? Si sacrum habetur à nobis ac sanctum & inuiolabile templū, quod Deo consecrauit minister eius Episcopus: certè optimo iure sanctior, sacratior, atque inuiolabilior haberi debet dies, quem consecrauit sanctus sanctorum, ipsemet Deus Opt. Max.

D. Ceterum nunc non colimus illum diē, quem tunc consecrauit Deus, at sequentem diem, nobis per Christi resurrectionē sacrū, vti dictum est. M. Et id sanè ideo: quoniā Deus quam tunc fecerat cōsecrationem Sabbati, hanc nunc post Christum glorificatum transtulit in diem sequentem, hoc est, Dominicam: quæ est dies reparationis, & saluationis totius humanæ naturæ: eò quòd hoc opus meliori iure colendum erat, quàm opus creationis. Siquidē vtilior est homini quies, quam Christus inuenit resurgendo post mortem, quàm quies qua quieuit Deus post opificium rerū mundi huius. Si quæris vnde cōstet: dico, vt priùs dixi, ex Apostolica traditione, & vniuersa totius Ecclesiæ approbatione, quæ columna est & firmamentum veritatis. Neque ignoro, quin determinatio ad certum diem sit positiuæ legis diuinæ & ceremonialis: sed talis cæremonia, quę antiquitate quasi in naturam versa est: quomodo habitus diuturnitate solet verti in naturam. Nec propriè pertinebat determinatio septimæ diei ad cæremoniam legis Mosaicæ: sed ad ordinationem Dei, quæ olim ante legem longè præcesserat, & in populo Israëlitico confirmata fuit, cùm plueret Deus manna de cælo, etiam antequam essent præcepta Decalogi data. Nam Exod. 16. cap. sic habes, Hoc est, inquit Moyses, quod locutus est Dominus, Requies Sabbati sanctificata est Domino. Ideoque die sexta debebant colligere duplices cibos, id est, duo gomor: vt vacarent die septima. Decalogus autem datus posteà cap. 20.

Cōsecratio septimæ diei facta ab initio trāsijt in sequentem diem Dominicam.

De determinatione diei septimæ.

D. An igitur ante legem feriæ erant septimo quoquo die? M. Et ante legem, & ab initio inde mundi conditi sabbatizatum est die septimo. Quod licet scriptum non legatur: tamen nemini dubium esse debet. Quomodo enim foret possibile, aut verisimile, quòd Deus tam sollenniter consecrasset septimū diē, vt sanctus esset, & sacer hominibus, nec tamē idipsum patribus legis naturæ indicasset, in quorum vsum & cultum quo Deum colerēt, sanctum fecerat? Legis itaq; naturæ est, quòd aliquando feriemur ab operibus profanis vacantes Deo ac diuinis. Legis verò diuinæ, quod id faciamus septimo quoquo die. Porrò Apostolicæ ordinationis, Spiritu sancto sic suggerente, quòd idem fiat eo die hebdomadis, quo Christus resurrexit à mortuis, hoc est, Dominica, quæ est octaua post primum creationis rerum diem propter mysterium antè expressum. Transit ergo ab hoc tertio præcepto Decalogi quod cæremoniale erat veteris legis (scilicet datum esse in signum, fœdus siue pactū futuræ sanctificationis, & in rē cordationem quietis a seruitute Aegyptiaca) mansit autem quod morale erat, diuinitusque præscriptum (translatum tamen in sequentem diem) nempe tota substantia præcepti, cum fine ob quem datum est præceptum, videlicet, Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, siue peregrinus, qui est intra portas tuas, & id sanè ad eum finem, vt sanctifices illum. Quod quidem eo modo vt fuit semper: ita & erit in præcepto, quamdiu stabit mundus, sub eadē etiam pœna, tamen paulò aliter intellecta, nimirum quòd morte morietur, peribitq; anima eius de populo suo, qui violauerit Dominicam sacram domino Deo suo.

Tempore legis naturæ agebāt ferias 7. die.

Quod aliquādo requiescamus est legis naturæ. Quòd septimo die est legis diuinæ, &c.

Transijt qđ cęremoniale legis erat: mansit quod naturale & diuinum.

A quibus operibus & quousq; cessandum sit in Dominica. CAP. VI.



Nunc audi responsum ad quæstionem tuam. Obligamur, dico, ex rigore mandati, Dominicis diebus cessare, ac feriari à laicis operibus, & omnibus profanis exercitijs, qualia sunt agricultura, artificia, negotiationes, operæ conductitiæ, laicalia officia, quæstuoræ, prætoria, officinæ rerum vendibilium, scripturæ rerum iudicialium, & id genus alia. Hæc enim contrectare in Dominica, reuerà prohibitum est. D. Me occupatò in sacris officijs Ecclesiæ per Dominicam, possuntne iumenta mea, & serui in agro aliquid facere operis ac vtilitatis? M. Scriptura prohibet expressè, quòd neque tu quidquam operis facies in die Dominico, neque filius tuus, neque filia, neque seruus, neque ancilla, neque bos tuus, aut asinus, aut omne iumentum tuum, neque peregrinus, qui tecū intra portas domus tuæ hospitatur. Quid diei posset expressiùs? D. Quid si necessitas occurrens cogat, velut incendium, inundatio aquarum, hostium oppugnatio, aut simile quid? M. Secundum regulam iuris, necessitas legem non patitur. Et in Euangelijs docet Saluator, necessitatis caussas subitò & insperato occurrentes, nō esse comprehensas sub præcepto de Sabbato sanctificādo, quare nec sub præcepto de sanctificāda Dominica, dicens: Sabbatū propter hominē factū est: & non homo propter Sabbatū. Addensque exemplum, Quis erit ex vobis, inquit, homo, qui

M.

Necessitas nō habet legē.

Marc. 2.

Math. 12.

habens ouem vnam, & si ceciderit hæc Sabbato in foueam, nonne tenebit & leuabit eã? Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere. Item, Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & nõ continuo extrahet illum die Sabbati? quasi diceret, nemo. Si igitur licet laborare die Sabbati, vt ouem vnam aut asinum salues, multò iustius licebit, vt hostem profliges, vt ciuitatem liberes, vt domum serues aut viciniam ab incendio, vel prouinciam ab inundatione. Sed quid apparet tibi de his, quæ in vsum victus necessaria sunt, an liceat ea parare in Dominica? D. Alias, quomodo possemus viuere? M. Ne quis igitur scrupulosus fiat in hac parte, constat ex Euangelio non prohiberi hoc mandato parare necessaria in vsum victus: maximè quę præueniendo commodè parari non possunt. (Matth. 12.) Apostoli enim necessitate famis vrgente, vellicabant spicas, & confricabant in vsum cibi. Quod videntes Pharisæi dixerũt ad Iesum, Ecce, discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis. Respondit Iesus, (1 Reg. 21.) Nõ legistis quid fecerit Dauid, quãdo esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neq; his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Et tamen sine reprehensione fuit. Non tamen ideo licitum erit pistoribus pinsere panes, aut lanijs tractare macellum in Dominica: quia hęc commodè fieri possunt Dominicam præueniendo. (Sacerdotes & ministri Ecclesiæ laborant in Dominica magis alijs diebus.) Et qui curam gerunt ędium sacrarum, quos vulgò matricularios vocant, item sacerdotes & cantores, nõnne laborant in Dominica, & festiuis diebus? D. Semper, & quidem multò plus quàm alijs diebus. M. Nihilominus sine peccato sunt, faciũtq; citra offensam, prout constat ex doctrina Saluatoris dicentis: (Matth. 12.) Non legistis in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? Ea enim quæ tractant ipsi, aut diuina sunt, aut in promotionem diuini cultus directè instituta. Quapropter nec prohibita censeri debet hoc mandato, sicuti nec opera caritatis eodem prohibentur: (Opera caritatis nõ sunt prohibita in Dominica.) opera, inquam, caritatis, quæ purè fiunt propter Deũ ad iuuandum proximi necessitatem, dicente Euangelio, (Marci 3. Matth. 12. Luc. 6) Et ecce homo manum aridam habens, erat ibi in medio, scilicet, Synagogæ: ipsi autem Pharisæi obseruabant eum, & Dominus ait ad hominem, Surge in medium: deinde ad illos: Interrogo vos, si licet Sabbatis benefacere an malè, animam saluare, an perdere? Quis ex vobis qui habet ouem vnam, & si ceciderit hæc Sabbato in foueam, nõnne tenebit & leuabit eam? Quantò magis melior est homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere. Tunc ait homini, Extende manum tuam, & restituta est sanitati sicut altera. D. Miser itaq; & inops, gratia lucri, non prole possetne laborare in Dominica, vt saturet esurientem ventrem proprium [illegible] M. Audi precor. (Nõ minus pauperes quàm diuites prohibentur laborare in Dominica.) Quando tulit hoc mandatum Deus, etiam tunc erant pauperes ac miseri, sicut modo. Insuper tunc certò præcognouit omnisciens Deus semper, & in omni loco futuros multos egenos, inopes, & miserabiles, prout etiam Christus prophetat, dicens: Semper enim pauperes habebitis vobiscum. His tamen non obstantibus, dedit hoc suum mandatum Deus omnibus indistinctè, cuiuscunq; sint fortunæ, aut conditionis, adeo vt Numerorum cap. 15. habeatur. (Quàm horrenda pœna fuerit decreta in eũ qui collegit ligna in Sabbato.) Factum est autem cum essent filij Israël in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron & vniuersæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysen, Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cumque eduxissent eũ foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus est sicut præceperat Dominus. Hauddubiè pauperum est & miserorum, colligere ligna in desertis locis, & ea ratione misertus super eo Moyses cum populo, nesciebant quid facere deberent: attamen Domini iudicio propter hanc leuiusculam trãsgressionem exterminabatur morte de populo suo. D. Hui tantane erat seueritas legis? M. Non hoc pacto nunc agitur. Erat quidem tunc temporis lex iræ, lex seruitutis, & rigoris: nos autem incidimus in tempus gratiæ & mansuetudinis. Veruntamen ex eo facto legis cõstat, tunc temporis non fuisse exemptos magis ab hoc mandato pauperes, quàm diuites: quare nec modo illi magis, quam isti exempti erunt. (Rationes cur nõ magis pauperes quàm diuites debeant esse excepti ab isto mandato.) Nonne omnis homo, tam pauper quàm opulentus animam habet & corpus à Deo? Nonne singuli eandem spem habent eiusdem redemptionis ac salutis? Nonne nutriũtur ab eodem domino Deo Sabbaoth: adeò vt ne momentum vnum esse possint sine illo? Meritò igitur omnibus sabbatizandum.

Quosdã vtiliter, quosdã inutiliter: alios verò sceleratè obseruare hoc mãdatũ. CAP. VII.

M. Meritò debent omnes, saltem semel in hebdomade, retrahere cor suũ à perituris huius mundi rebus, & profanis occupationibus, ad eum finem, vt se totos possint extēdere in Deum,

[illegible] gratiarum actiones, per pu[illegible] caritatis opera, per exer[illegible] verbum Dei, in offe[illegible] Missæ, &c. In his enim vni[illegible] cum Deo, & requiescit ac [illegible] Domino, attingens velut prælu[illegible] quodam siue prægustatione eius dul[illegible], quæ secundum Deum est, & finem [illegible] æterna est. D. An verò omnia [illegible] nobis sunt præcepta? M. Iam suprà [illegible] quod non. Nam solùm in præcepto est cessare ab operibus [illegible] sue profanis exercitiis: tamen ad eum finem, vt per ista [illegible] enumerata sanctificetur dies festus, corque nostrum liberiùs ascendat in Deum. Finis autem non cadit sub præcepto: sed ea quæ sunt ad finem. Qui autem sic vacant à seruilibus, vt finem præcepti attingant, sanctificando Dominicam operibus sanctis, hi demum veriter, & cũ fructu salutis suæ, sanctificant diem festum: modò id faciant per caritatem de puro corde, conscientia bona, & fide non ficta. Qui autem cessant ab operibus mechanicis, nec tamẽ eos conuertunt ad Deum, & officium virtutis, ij quidem faciunt opus præcepti, atque culpam declinant & itam: sed serui inutiles manent. Intermittunt enim lucrum temporale, & nullum attingunt emolumentum spirituale, neque vllam apud Deum promerentur gratiam. Dicant ergo serui inutiles sumus, quod facere debuimus, [illegible] facti meliores, nullam gratiam consecuti, tempus perdidimus, & lucrum cessans accreuit nobis: lucrum verò accrescens nullum inuenimus. Porrò qui Dominicam aut festum diem transigunt in crapulis, in choræis, in impudicitijs, in ebrietatibus, in criminibus, illi violant, profanant, atque dehonestant, quod Dei vel Ecclesiæ mandato sanctificandum erat, delinquentes plerunque magis, quàm si sua artificia contrectarent. Et si non committant duplex malum: tamen circunstantia diei hic aggrauatur peccatum, vt sæpè duplicis delicti meritum in se contineat. Siquidem circunstantia diei festi, haud secùs atque circunstantia loci sacri auget malitiam facti, licet non semper trahat in aliam speciem delicti. In quos verissimè competit, quod improperat Esaias Iudæis dicens: Neomeniam & Sabbatum, inquit Dominus, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & sollennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Nec sunt sine culpa, licet fortassis sine crimine, qui [illegible], vno [illegible] audito, totum [illegible] tio D. H[illegible] tamen [illegible] M. [illegible] puto e[illegible] peccant tamen, quoniam otium [illegible] est, & multam [illegible] per malitiam docuit otiositas. Dicit autem Saluator, De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Si tempus perdere malum est, multò peius erit perdere diem sanctum, Deo sacrum. Requiescere in Deo finis est huius mandati, non otium. Quies autem in Deo summum est negotium, quæ quo fuerit purior, quò intimior, eò est viuacior & negotiosa magis: Deus enim actus purus est, & quo vnumquodque Deo est coniunctiùs, eo fit & ipsum actu magis.

Festum præ[illegible] qui [illegible] ministerio non cadit sub præcepto.

Qui observet Dominicam fructuose.

Qui non.

Ponitur hic dictũ Chrysost. & Ambro.

Qui celebrant & dãnabiliter.

Esa. 1.

Qui otiose agunt

Quies [illegible] non otium.

De festiuitatibus Sanctorũ. CAP. VIII.

D. De alijs autem Sanctorum & Christi festiuitatibus quid dicemus? M. Præter Dominicam, de qua satis diximus, etiam aliæ festiuitates, Paschæ scilicet, Pentecostes, Natiuitatis, Virginis deiparæ, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, &c. sunt nobis instar Sabbatorum, id est, dierum requiei Domini, in hoc consecrati & sanctificati à Domino per suos legitimos vicarios, quos habet in Ecclesia, Papã scilicet & Episcopos: idque per auctoritatẽ diuinam cælitus eis communicatam à Christo domino nostro, accedente interim approbatione vniuersalis Ecclesiæ. Vis autem nunc cognoscere an talis ordinatio siue impositio festorum habeat auctoritatem? Audi quæso Scripturam, sic docet: Amẽ dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Iterum, Et ego dico tibi Petre, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Ecce iudicio Saluatoris ratum erit in cælis, quod præpositus Ecclesiæ vinculo suæ auctoritatis alligauerit in terris, vel puniendo, vel præcipiendo, vel constituendo. Ne verò paruipendatur à quopiam obedientia rebellioue hominis, cõtra præpositos Ecclesiæ, superaddidit Saluator alio loco, Qui vos audit, hoc est, vobis obedit, siquidem audire est obedire, me audit, Qui vos spernit, id est, vestra mandata aut constitutiones reijcit, me spernit: qui autẽ me spernit, spernit eũ qui misit me. Ostendens omne rebellionẽ, quæ fit in pastores Ecclesiæ, omnemque obedientiam eis exhibitam redundare in ipsum Christum ac Deum. Quid dicemus ad hæc? Nũquid nos repugnabimus Dei ordinationi, vt irrita dicamus eius impositio-

Festa Sanctorum [illegible] quo[illegible] Sab[illegible]bata.

Quantæ auctoritatis debeant esse constitutio [illegible]

Matth. 18.
Matth. 16.

Luc. 10.

[illegible] Ecclesiasticam legitimè factam, quam Christus [illegible] ratam esse ac firmam [illegible]. An non super omnia horrendum, spernere Christum filium Dei, & patrem eius omnipotentem? Clamat autem Christus & se & ne [illegible] patrem sperni, spretis præpositis Ecclesiæ. Qui haud dubiè sperni[illegible]ur quoties eorum auctoritas in vsu legitimo, aut contéptui est, aut non recipit suam apud subditos pro dignitate obedientiam & venerationem. D. Verum dicunt alij, non esse legitimum potestatis Ecclesiasticæ vsum constituere festa.

[illegible] capol [illegible] festa [illegible]

M. Quam ob caussam? D. Quia legitur apud Paulum, Nemo vos iudicet in cibo, & in potu, aut in parte diei festi, supple non obseruati. M. At perge porro ad id, quod ibidem sequitur. D. Aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. M. Ecce ibi est solutio obiectio nis tuæ. In hoc enim quod dicit Apostolus, quæ sunt vmbra futurorum, &c. manifestè declarat se loqui de delectu ciborum, ac festiuitatibus veteris legis: quæ quia figuram ac typum habebant venturi Messiæ, ideo interierunt, sicuti & tota lex vetus. Cedit figura aduenienti veritati, cedit vmbra corpori. Christus autem & corpus est & veritas Sicut igitur nemo nunc iudicatur peccasse, si non obseruet sabbatum Iudæorum: ita nemo iudicari debet, si nó obseruet alias festiuitates legis: immo iudicandus esset & puniendus, si obseruaret, quasi à Christo excidisset, iam conuersus ad vmbras Christi. Vt autem pergamus. Si Pontifex aut Episcopus habet auctoritatem sanctificandi siue consecrandi hominem laicum in sacerdotem Christi: si eadem profanam sua benedictione potest facere perpetuo sacram Deo: cur non haberet quoque potestatem consecrandi diem operarium, in diem festum, ac sacrum, vel Christo, vel alicui Sancto rum eius? Fili sit tibi loco regulæ infallibilis, Quidquid agit minister ex vicaria auctoritate tanquam locum tenens Domini sui, id ratum est non minùs, quàm si ipse Dominus fecisset. Et qui resistit ministro, iniuriam facit domino, qui talem voluit esse potestatem in suo vicario. Hęc regula certa est in omni prętorio, in omni senatu, in omni lege, ciuili, canonica, & Euangelica. De Euangelica id probauimus, quantum satis est huic proposito: de alijs suo loco probabimus. Sit igitur procul à te, & valde procul, omnis contentio impietatis. Non enim adeo nuperum aut recens celebrare festiuitatibus natalitia Sanctorum, ab olim factum est per vniuersam Ecclesiam. Nam B. Ignatius discipulus Ioannis Apost. sicut in Epist. sua ad Magnesianos hortatur pro

[illegible] festi [illegible] nó [illegible] obser [illegible] dæ fi- [illegible] nec [illegible] batum [illegible] gis.

Potestas [illegible] lesiasti [illegible] potest [illegible] ere de [illegible] o nó [illegible] ra fa- [illegible] i. ergo [illegible] die nó [illegible] o festú

Ab olim celebrata sunt festa natalitia [illegible] in Ecclesia. Ignatius.

Sabbato ad ce[illegible] Dominica. ita & epistola sua ad P[illegible]enses d[illegible] a- lios dies fest[illegible]andos [illegible], P[illegible]tiú etiam Origenes tractans illud Matthæi Rachel plorans filios suos, &c. Bene, inquit secu dum Dei voluntatem horum innocentium memoriam sancti Patres celebrare mandauerunt in Ecclesijs. Igitur tum temporis erant dies festi populo Christiano celebres. D. An itaque tempore Christi fuerint aliqua festa Sanctorum? M. Non. Nec vlla etiam fuere festa Christi tempore Christi. Non enim celebrari debet in terris, nisi quod glorificatum est in cælis. At tunc téporis, nec Christus glorificatus erat, nec aliquis Sanctorum. D. An fuerint tempore Apostolorum? M. Tempore Apostolorum postquam Christus erat in gloria Dei patris, & Spiritus sanctus de cælo datus, cœperunt vtique festa quædam Christi, Dominicæ, scilicet de qua diximus, Paschæ, Pentecostes. D. Verum an tunc fuerint festa Sanctorú? M. Non, quia prius debebat Ecclesia fundari, deinde suis solennitatibus exornari. Adhæc, tum temporis duces fidei & magistri religionis adhuc nobiscum agebát sub ergastulo moritutæ carnis, ipsi mortales sicuti & nos: quomodo igitur coli potuissent nondum glorificati? D. Quidam ex eis longe ante alios martyrio coronati erant, vt Iacob. minor Apost. B. Stephanus protomartyr, Ioannes Baptista præcursor Domini, innocentes pro Christo occisi. M. Sic se res habet: nihilominus neque coli statim debebant, nec palá festiuitatibus celebrari in medi[illegible] nati[illegible]is prauæ, idque à ceteris Apost. nimirum ne suspicio fieret, quòd non purè annuntiarent veritatem, sed suos ambirent suorumq; fratrú honores, studentes in hoc abolere cultum deorum Gentilium, vt suos suorumque h[illegible]nos res possent substituere.

Origenes

Cur tempore Christi [illegible] festa Sancto rum.

Tempore Apostolorum cœperunt quædam festa Christi.

Quare té pore Apostolorú nó fuerint festa Sancto rum.

Act. 12. Act. 7. Marc. 6. Matth. 2.

De antiquitate festorum in Ecclesia. CAP. IX.

M. Enterùm, postquàm latè per orbem plantari cœpisset Ecclesia, ac varijs locis velut in Respublicas, coalescere, habens suas Dominicas siue basilicas, publicáue oratoria, cœperunt tú Christiani palàm celebrare, mirabiliq; ue religione obseruare dies festos, non solùm Resurrectionis Dominicæ, Ascensionis, Pentecostes, de quibus narrat D. Aug. ad Ianuarium epist. 118. quòd anniuersaria sollennitate celebria erant toto terrarum orbe, vsque ad suum tempus. Quorum & D. Hierony. meminit dicens: Quòd beatus Antonius Heremita, diebus sollennibus Paschæ & Pentecostes semper vestiebatur tunica Pauli primi Heremitæ

Hiero. in vita Pauli Heremitę

[illegible] de folijs arboris palmæ [illegible] & ante ista tempora in v[illegible] erant [illegible] Palmæ & Pentecostes. [illegible] lib. 7. cap. [illegible] loquitur de [illegible] Paschæ. Verùm etiam aliorum Sanctorum, qui [illegible] migrarant ad cælum. Nam [illegible] D. Laurentij expressè meminit August. Tract. 27. super Ioannem. Prouetia meminit [illegible]rum Natalis Domini, & S. Stephani in serm. eiusdem Stephani, qui est primus [illegible] de sanctis. Quòd autem festa Natiuitatis, & Assumptionis virginis Mariæ [illegible] in populo celeberrima, etiam ante August. & Hieron. tempora constat luce clarius ex Homilijs siue Sermonibus, quos de ijsdem festis scriptos reliquerunt. Sicut & Theodoretus Cyrus reliquit nobis tetrastichon in adorationem θεοτόκου pro eius sollennitate scriptum. Adhæc, testimonio nobis sunt fidæ historiæ, singulorum Apostolorum festos dies celebratos fuisse, longè ante tempora Siricij Papæ, qui præsedit Ecclesiæ circiter annū Dni. 398. Quo etiam tempore iā longo vsu celeberrima erant, & alia Sanctorum festa, sic attestantibus vetustissimis scriptoribus. Nam de septem Machabæis, item de Cypriano Episcopo & Martyre testatur D. Gregorius Nazianzen. quod festiuitatibus & panegyribus celebrabantur ante annos 1270. De festis vero S. Georgij militis Cæsariensis, & S. Mamantis, ac S. Iulitæ Martyrum testatur Basilius Magnus in sermonibus conscriptis de eisdem. De festo autem B. Agnetis virginis ac martyris testatur D. Ambrosius describēs martyriū eiusdē. De festo insuper S. Philogonij Episcopi testatur Ioannes Chrysostomus. De festo denique S. Petri Martyris testatur Rufinus presbiter. Præter hæc autem est inuenire tam apud Basilium, Chrysostomum, Cyprianum, Augustinum, quàm in Concilijs Ecclesiæ, quòd debeat in singulis quibusque locis, vbi sancti Martyres per martyrium generose triumpharunt, aut vbi eorum seruantur corpora, festa eorundem celebrari. Nec non inuenitur per Concilium Lugdunense, & cap. final. de ferijs per Gregorium IX. diligenter vetitum, ne quis audeat no obseruare festa ob reuerentiam Dei instituta, scilicet Natalis Domini, sancti Stephani, Ioannis Euangelistæ, Innocentum, sancti Siluestri, Circuncisionis, Epiphaniarum, Dominicæ Passionis, Resurrectionis, cum septem sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus qui sequuntur, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, festiuitatum omnium gloriosæ Virginis, duodecim Apostolorum & præcipuè Petri ac Pauli, beati Laurentij, Dedicationis sancti Michaelis, [illegible] omnium Sanctorum. Hæc Gregorius præcipiens ne [illegible] celebrare hæc festa, quæ iam ab olim [illegible] populo celebria fuerunt, vti de quibus [illegible] demonstrauimus. Celebrare itaque annuo festiuitatibus natalitia Sanctorum nequaquam nuperum est aut confictum sed vetustate venerabile, sed acceptum traditione à patribus fidei, & productum continuo per omnem seriem succedentium temporum.

Greg. Nazian. oratione sua 20. & oratione [illegible].

Ioa. Chrysost. tomo 3 fol. [illegible]09. Rufinus lib. 16. hist. Eccle. cap. 4.

D. Verùm, an vetusti Patres inceperint olim eiusmodi sollennitates Sanctorum absque verbo Dei? M. Nequaquam: sed id fecere instituti verissimo purissimoque verbo Dei, partim viuæ traditionis. Nam quod docet discipulus Ioannis Apostoli D. Ignatius de festis sanctorum hauserat ex viua doctrina eiusdem Apostoli, partim scripto in membranis per manum D. Pauli in sua epistola ad Hebræos capite 13. vbi sic habet: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. In quibus verbis, quoniam dicit: Mementote, addens. Intuentes exitum conuersationis, certum est eum loqui de sanctis prælatis iam vita hac defunctis docendo illorum memorias seruandas, ad eum finem, vt intuentes eorum perseuerantiam in bono, vsque ad exitum, imitentur fidem ipsorum. Non seruantur memoriæ, nisi defunctorum, nec exitus conuersationis cuiuspiam considerari potest, nisi cùm migrauerit, atque tum quidem nisi ab eo, qui vel præsens viderit, vel ab illis audierit, qui aut ipsi viderunt, aut scriptam historiam vitæ eius legerunt. Itaque vel ex hac vna sententia Pauli licet colligere argumentum, quo demonstretur, sanctorum Episcoporum, post eorū obitum, memorias seruandas esse in Ecclesia, ad eum finem, vt populus commonefactus perpendendo sanctam illorum conuersationem, imitetur fidem ipsorum, hoc est, studeat habere non quantulamcumque fidem: sed qualem habuere ipsi sancti, sic ardentem, sic viuam caritate, sic ad cor transeuntem in omni opere bono, sic denique perseuerantē vsque in finem. De præpositis quidem Ecclesię adhuc viuentibus dicit eodem capite Apostolus, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, &c. De præpositis verò iam vita defunctis sic dicit: Mementote præpositorum vestrorum, &c. hoc est, retinete & celebrate memorias eorum, idque haud dubiè cum laudibus, sicut scriptū est, Memoria iusti cum laudibus. Et quidem dum stabit Ecclesia. nam dixit Propheta: In memoria æterna erit iustus. Non vtique in cælo, vbi pręsentes

Digna [illegible] quæ se [illegible]

Prouer. 10. Psalm. 111.

sentes

sentes sunt, siquidem præsentium non seruatur memoria: sed hic in Ecclesia Christi fidelium, vnde migrarunt ad Dominum. Atque hinc est, quòd veneranda Patrum antiquitas appellauerit olim festiuitates Sanctorum, & celebres illos conuentus, qui fiebant in natalitijs ipsorum, memorias eorundem, voce dictis scripturis admodum consona. Hinc & D. Chrysost. habens orationem de vita & virtutibus B. Philogonij, eo anniuersario die, quo ille migrauit ad Dominum, dicit secum populo celebrare memoriam eiusdem B. Philogonij. Quales memoriæ sanctorum, quia fiebant, vt fieri debent, cum veneratione, gratulatione, panegyribus, laudibus, ac hymnis, vti testatur Gregor. Nazianz. quòd suo tempore septem Machabæi Martyres honorabantur annuis festiuitatibus & panegyribus, ideo cœperūt posteà appellari festa siue dies festa sanctorum. Festum enim significat sollenniter lætum, atque ad diem pertinet. Vnde festa sanctorum, dicuntur dies, in quibus populus feriatur ad celebrandum cum lætitia ac deuotione memorias eorundem, & audiens ex sacris concionibus nobilia facta illorum, quib⁹ mundum vicerunt, cælumque penetrarunt, excitatur ad imitationem eius fidei, quæ in illis tantopere claruerat. Caue itaque vlli loquētium de abrogandis Diuorum festis aurem præbeas: nam Spiritum Christi eiusmodi non habent, & te, quoque exortem eius facerent. Quicunque enim habent spiritum Christi nō possunt nō existimare omni celebritate esse dignissima, viua illa & glorificata membra Christi, quę Deus pater digna ducit festiuitate superna, perenni, inenarrabili in throno gloriæ suæ. D. Cauebo sedulò.

De eo. *An quælibet dies omnibus pijs æquè sacra esse debeat.* CAP. X.

D. Verè pijs quæuis est dies æquè sacra, quē sensum catholicum & quē habeat hæreticum.

D. Egi fortuitò in libello quodam istam propositionem, Futurum est, vt verè pijs quæuis dies sit æquè sacra. M. Talis propositio si intelligatur de eo quod futurum est post consummationem sæculi: item si intelligatur de pijs iam nunc cum Christo regnantibus in cælis, verissima est, habetque altum sensum, bene consonantem Scripturis. Quia Sanctis nunc in cælis, & post consummationem sæculi, vniuersis qui salui erunt, non solùm omnis dies, sed & omnis nox æquè sacra, & æquè ferialis erit. Nam ibi vniuersi ferias agunt sine intermissione, seruiētes Deo in requie sempiterna, & plena sanctitate, & perfecta iustitia, dulcedi neque ineffabili beatitudinis omnibus diebus coram ipso, in templo eius, prout expressè testatur Apocalypsis Ioannis, dicens: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non erit ibi labor, aut dolor, neque vllus æstus, quoniam priora transierunt. Perpetuò esse sine labore in templo Dei, ante thronum eius, seruiendo ei in laudibus verè diuinis per acclamationem Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Item, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno. Et illud, Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorū, Amen. Perpetuò, dico, sic esse, sicque Deo acclamare laudem, & gratiarum actionem, in quiete & dulcedine, cum inenarrabili tripudio cordis, an non verisimè est, Sabbatū Domini agere ac festum diem, & centuplo eminentiùs quàm nos vnquam hic agere possumus? O fili in cælo est verus sabbatismus, veraque requies, qua in se requieuit Deus septimo die, qua & Christus filius hominis requieuit in Deo, mysterio redemptionis consummato: vti pulcerrimè deduxit Apostolus ad Hebræos 4. ex verbis Prophetæ dicentis, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ne quis in idipsum incidat incredulitatis exemplum. At qui non dignatur hîc, vel semel in septimana ad mandatum Dei sui sabbatizare Dominicam, nunquā ingredietur in illū Sabbatismū Domini, quē inuenit, quem & dedit omnibus redemptor noster Christus. Ceterùm si eadem propositio intelligatur de tempore nouæ legis, quasi hic in hoc mundo debeat omnis dies omnibus pijs esse æquè sacer, profectò optimo iure à venerabili facultate Theologica Parisiensi cōdemnata est his verbis. Propositio ista innuēs cultū diei Dominicæ, & aliorum festorum ab Ecclesia vtiliter & sanctè institutorū, aliquando in Ecclesia militante abolendum, ꝙ in magnam vergeret perniciē Christianismi irrationabiliter asseritur, nempe conformiter ad errorē Beguardorū, qui dicunt tertium præceptum Decal. scilicet, Sabbatū sanctifices, iam cessare, quantū ad iustos. Hæc illi. Cui sententiæ celeberrimæ facultatis Theolog. Parisiensis, si adiunxeris, quæ asserit B. Chrys. in oratione quam habuit de S. Philogonio, die quinta ante Natalem Domini, nempe diem natalem Christi secundū carnem esse festū omniū festorū, maximè venerandū, adorandumque, ꝙ si quis, inquit, appellat omnium festorum metro-

Apoca. 7.

Sensus malus siue hæreticus præfatæ propositionis

Chrysost. tom. 1. fol. 103.

metropolim, haudquaquam aberrat. Ab hoc enim illustratio Dei festum videlicet Epiphaniorum ac sacrum Pascha, Ascensio, & Pentecoste originem ac fundamentum ducunt. Subiungens, Verum non ob hoc tantùm par est hunc diem ceteris anteponi: sed etiam ob id, quòd id, quod in hoc natum est, ceteris omnibus est venerabilius. Et paulò inferiùs, Propter hoc, inquit, potissimùm amplector diligoque diem hunc, & amorem eius in medium propono, vt vos huius amatorij pharmaci particepes reddam. Eoque rogo vos omnes obsecroque, vt summo studio summaque cum alacritate, velitis adesse: sed priùs suam quisque domum repurget, &c. Hæc ex Chrysost. Quibus si addas quæ paulò superiùs demonstrauimus, videbis antedictam tuam propositionem esse à vero alienissimam. D. Sufficit mihi.

Summariè qui debeant computari inter transgressores huius mandati. CAP. XI.



D. Precor autem, repete mihi paucis ac summariè, quos oporteat censere præuaricatores huius mandati. M. Vtique peccant contra hoc mandatum vniuersi, qui in Dominica, vel festiuis diebus non cessant ab operibus seruilibus, à laicis officijs, ac profanis laboribus secundum declarationem & exceptionem superiùs factas. Item qui seruos suos, aut ancillas nō minùs occupant opere manuali in Dominicis & festis, quàm in profestis. Peccant, dico, heri qui imperant, peccant & ministri qui obtemperant. Nam respondere deberēt, Obedire magis oportet Deo, & vniuersali Ecclesiæ, quàm cuiquam hominum. Peccant quoque qui diebus feriatis negotiantur per equos suos, aut asinos, aliáue iumenta: nam & hoc facere non possunt absque occupatione familiæ suæ. Et qui non magis intendunt diuinis ac sacris in Dominica quàm alijs profanis diebus: sed occupant se aut vanis, aut petulantibus, aut luxuriosis otijs, subinde magis negotiosis quàm si consuetas operas suas manuales tractarent. Cetera tu collige expressis. D. Vetum an semper peccent mortaliter? M. Quis obsecro hoc definire poterit: cùm nullum sit peccatum tam graue, tāque enorme, quod non ex caussa, & adiacente circunstantia, veniale aliquando fiat: etiam odium Dei, vt docet consolatorius Doctor Gerson? Scimus inobedientiam esse peccatū mortale ex genere: verùm potest ex ea surreptione, & ex tali perturbatione aut tanta infirmitate procedere, vt nō sit nisi venialis culpa, fitque aliquando sine culpa. Quidam violando Dominicam peccant grauiùs, quidam leuiùs. Non omnes peccant eodē modo: quia non omnes similiter affecti, neque eisdem ex caussis, neque propter eundem finem violant Sabbatum. Relinquamus igitur hæc Deo, qui scrutatur renes & corda, & nouit abscondita tenebrarum, pergentes ad mandatum, quod quidem est quartum in ordine, primum verò in promissione.

Sūmariè qui offendūt cōtra hoc mandatum

An omnis transgressio huius mādati sit peccatum mortale.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS QVINTI.

Qua de caussa tanto studio ac cura datum sit hoc quartum mandatum. Cap. I.
Qui sint nomine patris ac matris intelligendi in hoc mandato. Cap. II.
De quo honore debeat intelligi præceptū. Ca. III.
Quousque extendat se istud præceptum affirmatiuum, & quale includat negatiuum. Cap. IIII.
Quomodo tria prædicta debeant singuli suis superioribus. Cap. V.
Penes Episcopos & Prælatos Ecclesiæ esse auctoritatem Iurisdictionis. Cap. VI.
Apostolos vsos fuisse potestate Iurisdictionis in singulos subditos. Cap. VII.
Caussæ ob quas debeant & possint percuti fulmine Excommunicationis contumaces & scelerati. Cap. VIII.
An Prælati Ecclesiæ possint nouas facere constitutiones, eāq; præcipere quæ extra Euangeliū sunt. Cap. IX.
Principibus & Magistratibus deberi eā quæ hoc præcepto mandantur. Cap. X.
Summatim qui peccēt contra hoc mandatū. Ca. XI.

TRACTATVS QVINTVS.

Qua de caussa tanto studio ac cura datum sit hoc quartum mandatum. CAP. I.



D. Habeas in honore parentes. M. Quin potiùs in lege Domini quid scriptum est? Quomodo legis? D. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quā dominus Deus tuus dabit tibi. M. Sic habet textus Exo. 20. Deut. verò 5. cap. sic legimus, Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in terra, quam dominus Deus tuus daturus est tibi. Renouauit autem istud mandatum Saluator in Euangelio dicens adolescenti: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Illo verò interrogante,

Mandatū istud renouatum in Euāgelio.

Matt. 19. A Paulo triplici ratione diligẽter persuasum. Colloss. 3. Ephes. 6. Ibidem. Val. Max. li. 5. cap. 4. Quare tã studiosè est inculcatum in ĩ dutũ istud

Quæ? Inter alia enumerat ei Dominus, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Rursum Matthæi 15. affirmat hoc ipsum esse Dei mandatum Sic enim respondet Pharisæis, vos irritum fecistis mandatum Dei, de honorandis parentibus, propter traditionem vestram. Persuadet autem & Paulus huius mandati obseruationem ex triplici ratione. Quarum prima est, Hoc enim placitum est in Domino. Secunda, Hoc enim iustum est. Tertia, quia primum est in promissione, nempe, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.
D. Memini me legisse in Valer. Maxim. primam esse naturæ legem, diligere parentes.
M. Quæ lex adeò insidet omniũ pectoribus, vt etiá bruta animalia eo instinctu ducantur D. Quorsum igitur opus erat tãta cura, tamque varijs in locis inculcare hoc mandatum? M. Vel hinc debes colligere: quanta corruptione labefactauerat naturam nostrã peccatum, vt fuerit necesse præcipere tanta cura rem omnium iudicio, omnique iure æquissimam, quam etiam bruta animantia, sibi ex naturali suo instinctu, & inditam habent, & obseruant: homo tamen non sit obseruaturus, nisi incitet auctoritas Dei suis mandatis, inuitet promissione, deterreat pœnarum comminatione Quemadmodum patet in lege, nec vsquam fusiùs, quàm in Ecclesiastico siue Sapiẽtia Iesu filij Sirach cap. 3. Olim quærebatur a quodam legislatore, cur nullam pœnam statuisset ei, qui vel patrem vel matrem occidisset. Respondit se non putasse, tantùm impietatis inesse humanis pectoribus, vt audeat quispiam occidere eum, per quem initiũ accepisset vitæ. Deus verò, cui omnia sunt manifesta, præsciens tantam humani generis impietatem, vt ne parentes quidem securi sint futuri à maledicentia, plus dico, à truculentis manibus suarum prolium, hoc est, suorũ quę genuerunt viscerum, compulsus est pœnam constituere tam parricidio quàm maledicen-
1. Timo. 1. tiæ in parentes, dicente Apostolo. Lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, parricidis & matricidis, &c. O maledictum peccatum, quò protrusisti nobilem illam hominis substantiam, vt non solùm non homo, fortassis alienus, fieret homini non homo: verùm etiam filius patri, & partus egrediens de vtero matris fieret genetrici suæ, non solùm nõ homo, sed & lupus, ac vipera. Quæ vt in conceptu suffocat marem seminantem, ita in partu corrodit viscera matris parturientis. Vt nõ immeritò concionetur Ioannes Baptista, dicẽs: Genimina viperarum, quis vobis demonstrabit fugere à ventura ira? Et Saluator, progenies viperarum. Rursum, Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes, & scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templũ & altare, &c. Occiderunt enim Iudæi primùm Prophetas, deinde Christũ, post Christum verò Apostolos: idq; in ipso adhuc enixu, quo velut parturientes nitebantur generare in affectibus eorũ veritatem, per veritatem, virtutem: per virtutẽ denique Deum ac Christum. Post Iudæos verò etiam principes Gentium, qui non sunt vsi erudelitate in mactandis sanctis Dei hominibus? Laborabant ipsi vt extinguerent: laborabant isti vt in suis extinctoribus vitam seminarent æternam. An non planè viperinũ est, in ipso partu trucidare parentem? D. At istud videtur extra propositum esse. Mandatum enim de honorandis progenitoribus loquitur: præmissa autem respiciunt martyria Sanctorum. M. Extra propositum? An tractare in hoc mandato de parricidio & matricidio sit extra propositum? Quod fecerũt illi, veraciter parricidium fuit: erant enim quos trucidabant tantò iustiùs vocandi patres, quantò generabant in eis vitam infinitis modis digniorẽ ea vita, quæ datur à progenitorib. carnis. De quo nũc incipiemus dicere.

Non solùm homo homini lupus, sed filius patri, & matri vipera.
Matth 3. Matth. 12. Matth. 23.
Genes. 4. 2. Para. 24.

Qui sint nomine patris & matris intelligendi in hoc mandato. CAP. II.

M. T autem huc pertinere scias quod diximus, examinemus, qui nomine patris ac matris hoc loco sint intelligẽdi per verbum Dei. Quid tibi apparet? D. Certè ego nominibus patris ac matris intelligẽdos puto progenitores nostros. M. Non alios quàm qui carnem genuerunt? D. Non. His enim hæc nomina imposita esse videntur. M. Erras, nõ aduertens phrasim & consuetudinem Scripturarum. Secundum Scripturas, namque primò pater & mater intelliguntur progenitores carnis nostrę, à quibus vel mediatè, vel immediatè accepimus esse naturæ: vt pater, auus, proauus, attauus, mater, auia, proauia, attauia, sicq; ascendendo, si placet, in Adam vsque, primum naturæ parentem. Patet istud Prou. 20. 23. Ioannis 6. Heb. 13. Secũdò patres sunt, qui generãt in nobis spiritum Christi, siue nouam illam creaturam, qua quis viuit in Christo vitã sanctam, Deoque placentem, quemadmodum Aposto-

Primò pater & mater sunt progenitores carnis, ascendendo etiam vltra attauum. Secũdò parentes nostri sũt qui ingenerãt nobis spiritũ Christi.

Apostol.1.ad Corinth.4.testatur dicens: Nō vt confundam vos hæc scribo: sed vt filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo: sed nō multos patres. Nam in Christo Iesu, per Euangelium ego vos genui. Et ad Galatas 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. De quibus patribus potissimè dictum videtur illud Deut. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicēt tibi. Hoc pacto & potiores Prophetarum olim vocabantur Patres. Eliseus enim vocat Eliam patrem, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius. Et alij Prophetæ vocabant Eliseum patrem suum. Præpositi igitur Ecclesiarum, sacerdotes, pastores, episcopi, doctores quoque & concionatores verbi Dei, tibi fili, mihique patres sunt, tantò venerabiliores parentibus secundum carnem, quantò dignior est ea vita quam ipsi seminant in visceribus nostris. Tertiò patres sunt gubernatores Reipublicæ, nimirū principes, prætores, magistratus, qui gladij potestatem habent, & præsident non solùm ad conseruationem rerum ac possessionum: sed etiam ad vitæ ac innocentiæ tutelam: vnde Romani, Senatores suos, patres conscriptos, eos verò qui feliciter Reipublicæ præfuissent, patres patriæ appellabant. Et in libris Regum, legimus seruos Naaman Syri principis militiæ regis Assyriæ dominum suum appellasse patrem, dicentes: Pater, si grandem rem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras. Haud dissimili ratione tutores & curatores, & magistros morum patres vocamus: eò quòd vitæ bene formandæ, curam quasi paternam impendunt: vnde iustum videtur, vt iuxta nomenclaturam etiam honorem accipiant parentibus debitum. Quod hic de viris dictum est, hoc ad sexum femineum simili ratione transferre debes. Verùm in nomine matris, specialiter intelligenda venit Ecclesia Catholica. Nam secundum Apostolum ad Galatas, Illa quæ sursum est Ierusalem, libera est quæ est mater nostra. Scriptum est enim, Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi sunt filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Nos autem fratres secundum Isaac, promissionis filij sumus: eius quæ libera fuit, & typum gessit Ecclesiæ Christianæ. Siquidem Ecclesia, quæ olim ante Christum sterilis erat, sub Christo facta est fecundissima, generans quotidie Deo per Baptismum numerosum populum. Quem generatum exinde velut lacte ab vberibus suis educat, ac format sedulò, per verbum Dei, per Sacramenta, per preces, & pietatis exempla, haud secus atque pia ac sedula mater. Postremò dicuntur patres appellatione scripturæ, viri ac mulieres grandæui, senio venerabiles, moribus compositi, experientia rerum periti, adeò vt idonei sint multos erudire ad virtutem in communitate. Hinc Apostolus ad Timotheum, Seniorem, inquit, ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, anus vt matres. Si Apostolus Christi voluit Episcopū Timotheum grandæuis viris, ac mulieribus deferre honorem, tanquam patres essent ac matres communitatis, quātò magis debemus idipsum & nos facere? D. Conuincit ratio. Veruntamē nequaquam eo modo patres nostri sunt qui senio venerabiles habentur in cōmunitate, quo proprij parentes. M. Neq; sic patres nostri sunt, progenitores carnis vt ij, qui in nobis generant Christum, & per Christum vitam æternam. Itaque pro regula habebis: quo vnusquisq; magis participat in nomine patris aut matris, quoq; meliori ratione nobis parens est, & dicitur, eo solicitiùs ei impendendus est honor, qui hoc mādato præcipitur.

Deute.32.

4.Reg.2.

Tertiò parētes sunt gubernatores Reipubl.

4.Reg.5.

In nomine matris specialiter intelligenda Ecclesia. Galat.4.

1.Tim.5.

De quo honore debeat intelligi præceptum.

CAP. III.

M. NVnc dicito, de quo honore intelligas, cùm dicitur, Honora patrē tuū, & matrem tuam: nam ibi præcipua est difficultas. D. De honore reuerentiæ, veluti dum assurgimus, aut genu illis flectimus, aut caput aperimus, aliòue modo reuerentiam impendimus. M. Aliquid dicis: sed necdum plenitudinem attingis præcepti. Quandoquidem verbū honorare iuxta proprietatem Scripturæ sacræ includit in se tria. Primùm spontaneam obedientiam: enimuero honos magnus est parentum, habere filios dicto obedientes: contra confusio patris est filius proteruiēs, & indisciplinatus. Hinc Apostolus, Filij obedite parentibus vestris: hoc enim iustum est. Quapropter non obsequi, iniustum esse oportet contra æquitatem naturalem. Rursum, Hoc enim beneplacitum est in Domino, qui mandando sic præcepit. Et obsecro in quo potissimum honorauit Christus dominus, Deum cæli Patrē suum dicēs: Sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me: nónne in hoc, quòd vbique prætulerit voluntatem Patris proprijs votis, factus illi obediens vsque ad mortem, mortem autē crucis? Quia descendi, inquit, de cælo, non vt faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius, qui misit me. Porrò Christi actio, nostra est instructio. Hinc Sapiens, Fili mi audi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ:

Verbum honorare includit in se tria.

Colloss.3. Ephes.6.

Quomodo Christus honorauit patrē suum. Ioann.8. Philip.2. Ioann.6. Prouer.1.

quæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Et alibi, Qui timet Dominū honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt. Habes exempla Sanctorū innumera quæ hue te adhortantur. Isaac enim figura Christi patri suo, vt immolaretur lubēs copiam sui fecit. Rechabitæ iussui patris sui Ionadab obtemperauerunt, non bibentes vinum inæternum. Denique Christus, & ipse Deus existens, subditus erat Ioseph & Mariæ parentibus suis hominibus. Secundò includit in se honor parentum pietatem, siue benignitatem in eosdem, vt filius subueniat parentibus, modò egeāt, pro viribus ac facultatibus suis: nec id semel duntaxat atque iterum, sed perseuerantèr pro omni tempore vitæ eorū. Dicit enim Sapiens, In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum. Fili, suscipe senectam patris tui: & non contristes eum in vita illius: etsi defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memēto quoniam nisi per illos, natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Querula est omnis senectus, & habent sua vitia parentes: tamen etiamsi morosi sint, aut deliri fiant, semper anteponenda sunt quibuslibet vitijs amabilia illa patris ac matris nomina: nec quales moribus sunt: sed quòd parentes sunt, æstimandum venit. Esto, Rex sias aut Episcopus, etiam hoc vel ignobilissimo patri acceptum ferre debes: quoniam quod es, debes patri secundum Deum, & nisi esses, Rex aut Episcopus esse non posses. Ioseph euectus ad sceptrū Aegypti, & factus saluator mundi, disce, qua ipse diligentia aluerit, quo studio coluerit patrem indigentem, pastorem ouium ab adolescentia sua. Genesis 46.47.48. capite. Hic certè non possum non exclamare in vitia huius temporis. Equidem vidi, & bene cognoui matronam quandam centum annorum, quæ de suis visceribus genuerat marito suo viginti duas proles, & easdem honestissimè educauerat, omnem substantiam depēdens in illas. Cùm autem facta esset centenaria, & planè inops omnium tam rerum quàm virium, non inuenta est ne vna quidem ex omnibus illis prolibus, cùm tamen superessent plures mediocris fortunæ, quæ matrem iam capulo proximam reciperet sub tectum, aut extremæ vitæ necessaria præstaret. O rem non solùm indignam, sed plusquam crudelem! Verùm missa istæc faciamus. Quòd autem honor parentum includit subsidium eisdem impendendum, palàm testatur Saluator dicens: Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam dixit Deus, Honora patrem & matrem, &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Quasi diceret, Vos docuistis satis esse, obtulisse in templo, quod debebatur subuentioni parentum. Ego autem dico vobis, quòd per hoc irritum fecistis mandatum Dei de honorandis parentibus: quia subuenire est honorare, non subuenire est inhonorare. Siquidem vt magna est afflictio parentum, ita certè non modica videtur confusio, derelinqui in egestate & angustijs, etiam ab ijs, qui quod sunt, non nisi de ipsorum visceribus sunt. Tertiò includit honor iste exhibitionem debitæ reuerentiæ: qualis fit non solùm denudatione capitis coram eis: sed etiam ac magis, si per omnia primas illis tribuamus in colloquijs, in conuiuijs, in consessibus, in amicitijs, in familiaritate, in humanitatis studio, in disponendo de rebus domesticis, in consultando, ac alijs. Cuiusmodi sanè probatione non egent: quia per se manifesta sunt, omnium hominum iudicio. Salomon ille sapientissimus matri venienti assurrexit, eamque adorans iuxta se in solio gloriæ collocauit. Itaque in his tribus honorantur parentes. Quæ qui non exhibet, indubiè deprehenditur esse præuaricator huius mandati. D. An etiam impleat istud mandatum hæc exhibens dum taxat foris in opere? M. In omni prætorio, & coram vniuersis tribunalibus pro eodem habentur, non esse & semiplenè esse. In officijs autem humanis, quod foris est in opere, & non prodit sincerè ab intus de affectu cordis, hoc semiplenè est: eamque ob caussam quasi non esset, ita iudicatur à Domino. Debet enim integrum esse, ac sincerum, non fictum, non simulatum, non semiplenum, quod vel mandat vel commendat Scriptura sacra. Honor ergo, de quo loquitur præceptum, debet surgere de corde, & ex eo affectu, quo quis habet & æstimat parentem, velut eum, cui nunquam redditur æquiualens. Iuxta illud Aristotelis. Dijs, parentibus, & magistris non redditur æquiualens. Alioqui non satisfit huic præcepto, & longè porrò fit honorans à magnifica illa promissione, nimirum, Vt sis longæuus super terrā. D. Putarent pij magnificentiorem esse promissionem, citò dissolui, & esse cum Christo. M. Hoc ipsum & Apostolus iudicat multò esse melius, quoniam dies mali sunt: & totus mundus in maligno positus est. Olim tempo

Marginal notes: Eccles. 3. / Genes. 22. / Ierem. 35. / Luc. 2. / Eccles. 3. / Eccles. 7. / Non quales sint parentes, sed quod eos habemus parētes æstimandū. / Matth. 15. / 3. Reg. 2. / Honor parentū non debet esse fictitius, sed verus & cordialis. / Ephes. 5. / 1. Ioann. 5

re legis in populo carnali, cùm cælum adhuc clausum esset, indubiè erat magnifica hęc promissio, vt longo viuas tempore super terram. At nunc patefactis cælis, Apostolus allegans apud Ephesios huius mandati promissiones non solùm intellexit de terra elementali: sed & mysticè ac anagogicè de terra viuentium: prout & Christus intellexit illud Matth. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Nihilominus certum est vltricem manũ Domini, etiam nunc temporis multos perdere dè terra hac & vita, eam ob caussam, quòd inhumani aut impij fuerint in parentes suos.

Matth.5.

Quousque extendat se istud præceptum affirmatiuũ, & quale includat negatiuũ. CA. IIII.



D. Verùm quid si tam procul absim à parentibus meis, vt eis exhibere reuerentiam aut subuentionem non valeam? M. Nusquam peccat, nõ posse: nihil enim impossibiliũ cadit sub præcepto. Est istud præceptum affirmatiuum, quale obligat semper: quia nemo vnquam ex imitur ab eius obligatione: sed non pro semper, hoc est, non ad id obligat, vt pro omni temporis momento fiat eius executio. Sufficit enim fecisse opus pręcepti affirmatiui pro loco & tempore congruis, nempe vbi se offert congrua occasio, vel iusta exequendi caussa. Etenim, si hic es, non oportet statim Romam currere, vt ibi honores parentem. Si voto ligatus es, non oportet, quod hodie multi dicunt, soluere monasticam professionem, vt inseruias progenitoribus carnis. Audet enim D. Hieronymus sanctimonia & eruditio ne probatissimus, cui vni plus credendum est quàm vniuersæ Protestantium hæreticorum turbæ, constanter pronunciare inuitans Heliodorum ad vitam solitariam in eremo, in hunc modũ, Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem siccis oculis, ad vexillum crucis euola. Solum fiue, vt alij legunt, solidum pietatis genus est, in hac parte esse crudelem. Hæc ille. Si denique tu in vna ciuitate cũ vxore & prolibus habitas, pater verò in alia: non te cogit præceptum derelinquere vxorem & liberos, quò inseruias patris necessitati. Alioqui quomodo verum erit, quòd Dominus per os Adę pronunciauit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ & adhærebit vxori suæ? Veruntamen vrget te præceptum, vt tantum impendas subsidij, quantum fieri potest, saluis legibus matrimonij. Sic quoque vrget monachum & monacham, vt tantùm se impendant egenis parentibus, quantùm patitur monastica professio. Quis enim dicet, minus habere roboris, voti promissionẽ Deo cæli sollenniter factã, quàm fœdus matrimonij hinc inde homini ab homine compromissum? Intereà hoc quoque aduerte, mandatum istud præsupponere cunctas leges caritatis & iustitiæ, quibus obstringimur vniuersis hominib. & exigere vltra has honorem, de quo iam diximus. Igitur vt turpiter impij sunt, qui proprijs parentibus non plus impendunt, quàm lex caritatis iubet impendendum omnibus: ita peccant supra modum contra hoc mandatum, qui exasperant parentes suos aut subsannant, aut fraudant, aut contumelijs afficiunt, aut abligurriũt substantiam illorum, labores illorum, stillantem sudorem vultus eorũ, aut bonam famam eorum denigrant, si non sermone, saltem opere, adeò perditè viuendo, vt dedecori sint progenitoribus suis. Porro qui verberant, aut manus suas commaculant sanguine parentum, hi denique vbi parebunt? Si iustus vix saluabitur, vt inquit Petr. quid, precor, agent isti, quorum impietas commaculat omnem legem, naturalem, humanam, diuinã, amicitiarum, iustitiæ, caritatis? Nec deponit solùm affectum hominis: sed & omnium ferè quæ viuunt sub Sole, degenerans in naturam prorsus viperinã. Hæc equidem non attingerem, nisi subinde ita fieri exploratum haberẽ. D. Tamẽ nihil de parricidio, aut matricidio loquuntur verba præcepti istius. M. Esto. Verùm quotiescunque mandatum affirmatiuẽ præcipit actum aliquem, in effectu prohibet idem mandatum, omne id quod actui illi repugnat. Vnde qui præcepit honorãdos parentes pro loco & tẽpore, ille in effectu prohibuit, ne vnquam afficiãtur dedecore, iniuria, contumelia, aut tristitia.

D. Istud præceptũ quia affirmatiuum ligat sẽper, sed non ꝓsemper. Neque votorum soluẽdum, neq; matrimoniũ vt subuenias parẽtum necessitati. Hierony. tom. 1. epistol. 1.

Genes. 2.

Mãdatum istud præsupponit præcepta caritatis & iustitiæ.

Contumeliosi in parentes aut iniurij grauissimè peccant.

1. Petr. 4.

Prohibetur hic parricidia & matricidia.

Præceptũ affirmatiuum includit in se negatiuum.

Quomodo tria prædicta debeant singuli suis superioribus. CAP. V.



M. AT nunc applicemus ista etiam ad illos, qui licet non vulgò, tamen veraciter inter parentes numerandi sunt. Meministi qui nomine parentum intelligantur? D. Memini. nempe Episcopi, pastores, sacerdotes, doctores, prædicatores verbi, rectores Reipublicæ, tutores, & mater nostra Ecclesia Christi. M. His igitur debem' tria illa quæ sub verbo, honorare, cõprehenduntur: scilicet obedientiam, deinde & subuentionem in temporalibus, tertiò reuerentiam: vnicuique in gradu suo, & secundum meritum ministerij quod impendit. D. An hoc etiam testentur Scripturæ sanctæ? M. Abundè, Obedite, inquit, Apostolus, prępo-

Rectoribꝰ & superioribus debemus tria prædicta.

Hebr. 13.

præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt eum gaudio hoc faciant, & non gementes. Igitur honorandi sunt per spõtaneam obedientiam. Rursus ad Timoth. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura, Non alligabis os boui trituranti, &, Dignus est operarius mercede sua. Ergo patribus fidei ac religionis, hoc est, præpositis, pastoribus, Euangelistis, & doctoribus debemus præter obedientiam etiam subuentionem rerum temporalium. Quòd certè Apostolus admodum insigniter demonstrat ad Corinth. Primò ex lege naturali, deinde ex lege Mosayca, tertiò ex ordinatione Christi, dicens: Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dixit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Nã propter nos vtique scripta sunt quoniam debet in spe qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nescitis quoniã qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altario deseruiunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Hæc autem merito sufficere deberent huic loco, nisi perfidiæ ministri, vt vbique, ita hic quoque, conturbarent doctrinam veritatis. Quorum alij contẽdunt Apostolos & eorum successores prorsus nullam habere auctoritatem condendi canones aut leges: ideoq; Decretales apocryphas, nulliusque momenti. Alij dicunt Romano Pontifici, alijsque præpositis Ecclesiæ in nullo esse obediendũ. Alij verò non esse obediendum, nisi his, quæ præcepta inueniũtur in Scripturis sanctis. Alij insuper dogmatizãt, imperfectos quidẽ debere subesse: verũ eos qui ad perfectionis statũ iã promouerunt, non esse vlteriùs vlli humanę potestati subiectos. Alij denique contendunt obediendum esse laicis principibus, eorumque baiulis, propter dictum Apostoli ad Romanos 13. Non autem præpositis Ecclesiæ: eò quòd isti nullam habeant iurisdictionem, sed tantummodo verbi ac Sacramentorum ministerium. D. Et ego quidem multa audiui de eiusmodi, sed fugio & istos, & vniuersos sectarios, vel eo nomine, quia non consistunt in vno. M. Vna fides, inquit Apostolus, vnum Baptisma, spes vna vnius vocationis, vnus Deus, & pater omnium, vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, vnum Euangelium, & vnica sponsa Christi Ecclesia, in qua licet inuenire hæc omnia. Quãdocunque igitur aliqui aut variant atque dissentiunt inter se super doctrina fidei, aut aliud dicunt quàm Ecclesia, nec adferũt quod receptum ab initio, hucusque in publica traditione retentum est, hoc vno eoque infallibili argumento constat illos scismaticos esse, in quos pronunciat Apostolus dicens: Si quis vobis euangelizauerit pręter id quod accepistis, anathema sit. Non veniat, fili, anima tua in consilium eorum. D. Precor igitur trade mihi solidam aliquam instructionem aduersus eos qui eiusmodi sunt.

1. Tim. 5.

1. Cor. 9.

Deut. 25.

Quàm vanæ hæreses repugnant pręmissis.

Odiendi sectarij vel ea ratione quod non subsistant in vno.

Ephes. 4.

1. Timo. 2.

Argumentum infallibile cognoscendi sectarios.

Galat. 1.

Penes Episcopos & prælatos Ecclesiæ esse auctoritatem iurisdictionis. CAP. VI.

M. PRincipiò, certò certiùs constat, quòd Romanus Pontifex, cæterique Episcopi habeant veram potestatem, veramque iurisdictionẽ super alios sibi cõmissos. Primò ex eo quòd dicit Saluator Matth. 19. Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. D. Scriptura hęc loquitur de extremo iudicio. M. Nequaquam. Siquidem tempus illius iudicij extremi vocatur in scripturis, consummatio sæculi. Tempus verò Euangelij, quo vigere cœpit Baptismus, vocatur, Christo quidem regeneratio: Prophetis autem, futurum sæculum, dicente Esaia de Christo, Pater futuri sæculi: tunc vtique futuri, nunc verò præsentis: quia nunc fit regeneratio. Igitur in regeneratione, quæ exercetur sub Baptismo, potissimùm tunc cùm filius hominis ad immortalitatem, & thronum conscenderit Dei Patris, atque exinde sederit in sede maiestatis suæ, Tunc dico, & vos (quod adiuro vobis dicendo, Amen) sedebitis super duodecim sedes, id est, habebitis non vnam omnes, sed singuli suam cathedram, siue iudiciariam potestatem: nec quidem vacuam illam, & sine vsu, sed sedebitis actu iudicantes duodecim tribus Israel, hoc est, vniuersitatem populi credentis in Deum, qui tunc in duodecim tribus distributus erat. Tacet pro tunc de Gentibus:

M. In Ecclesia esse tribunalia & veram auctoritaté iurisdictionis.

Esaiæ. 9.

quia nondum aparuerat Apostolis mysteriũ hoc, de vocatione Gentium, quod post missum Spiritum sanctum aperuit Petro. Et quidem in regeneratione, cùm sederit filius hominis, &c. hoc est, quamdiu sederit filius hominis in sede maiestatis, exercẽs iudiciariam potestatem in omnes, durãte regeneratione, tamdiu sedebitis & vos pro tribunalibus vestris exercentes iudiciariam potestatem in omnes credentes, hoc est, vsque ad finem mundi: quia tunc cessabit regeneratio, & succedet sæculi consummatio. Quid potest dici expressiùs de iudiciaria potestate, quæ est in Ecclesia? Quòd si quispiam contendat ex scriptis Patrum hunc locũ Euangelij ad Ecclesiæ militantis gubernationem non pertinere, (quod nos certè non possumus inducere in animum nostrum) superaddes tum ea loca, quæ citra omnem controuersiam loquuntur de ea iurisdictione, quæ exercenda est in Ecclesia militãte: Et in primis hoc quod dixit Saluator, primùm Petro & eius successoribus: deinde omnibus Apostolis eorũque successoribus, Et ego, inquit, dico tibi Petre: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in celis. Dicit per verbum futuri temporis, Dabo: quia non tunc temporis, sed post resurrectionem dedit, dicens: Pasce oues meas, pasce agnos meos, tu me sequere. Te enim meo nomine vniuersalem pastorem instituo. Pastor indubiè habet potestatem super gregem suum: nã si non habet, pastor non est. Hæc itaque dicens Saluator nominatim Petro, dedit ei, & successoribus eius, irrefragabilem auctoritatem siue potestatem, super vniuersum populum Christianum. Et ne alij Apostoli essent sine auctoritate ac iurisdictione quisque super populum sibi concreditum, dixit etiam ad illos: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Vnde post resurrectionem suã Christus ascensurus iam in cælũ, dixit suis Apostolis his verbis, Pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos, hoc est, cum eadem potestate, ad eosdem actus, & ad eundem finẽ, qua & ad quos me misit Pater, & ego mitto vos. Ille dedit mihi suam potestatem, ego vobis communico meam, eandem scilicet illam, quam à Patre accepi, Et ne quis dicat potestatem hanc solũ esse in iurisdictione forensi, & non etiam in ipsas animas hominum, ulteriùs insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritũ sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt. Hæc sine dubio significãt, quòd Apostoli eorumque successores habuerint potestatem regendi Christi fideles auctoritate aliqua à Deo accepta. Quemadmodũ & Paulus dicit Act. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo. Obserua hoc loco quod Apostolus testatur, eos quos sibi successores ordinauerat Mileti, & Ephesi, à spiritu sancto positos esse Episcopos ad regendum Ecclesiam Dei. Ad regendũ inquit: nemo autem regit cõmunitatem sine auctoritate iurisdictionis. Cathedram iudiciariæ potestatis adeo non respuit Euangelium, vt præcipiat Christus seruanda esse, quæcunque secundum cathedrã dicta sunt, inquiens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciũt. Indubiè hęc verba non sunt damnantis cathedram, sed malam vitam illorum, qui sedent in cathedra: alioqui non dedisset præceptum faciendi quæcunque dicũt, id est, docent, decernunt vel statuunt. Hæc certè & eiusmodi loca certum est non posse de alia potestate intelligi, quam de ea quæ in terris est, & in hac mortali vita exercenda.

Act. 10.

Quòd summus Pontifex habet iudiciariam potestatem Matth. 16.

Ioann. 21.

Quòd Episcopi habeãt iudiciariam potestatem. Matth. 18.

Ioann. 20 Quòd habeant potestatẽ in foro conscientiæ.

Approbatur a Christo cathedra: damnatur tamẽ mala vita. Matth. 23.

Apostolos vsos fuisse potestate iurisdictionis in suos subditos. CAP. VII.



Ceterùm, an Apostoli sint vsi vlla eiusmodi potestate in populum? D.

M. Frustrà est calceus, inquit Aristot. cuius non est vsus, frustrà & sine caussa, quod impium est credere, collocasset Christus hanc potestatem in Apostolis eorumque successoribus, si nullum illius voluisset esse vsum. Et hoc, Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes: quid aliud est, quàm vos eritis actualiter exercentes iudicium potestatis Euangelicæ, tam diu quàm sedebit in sede maiestatis suæ Christus? Dicit enim, Sedebitis iudicantes, quod significat actuale exercitium potestatis. Sedet autem ille in sede maiestatis suę à die Ascensionis, vsque ad consummationẽ sæculi, hoc est, vsque ad diem iudicij extremi. Tunc porro finis, inquit Apostolus: quia tũc tradet Christus regnum Deo & patri, & erit Deus omnia in omnibus. Igitur quamdiu stabit mundus, erit vsus istius potestatis. Sed & Apostoli vsi sunt ea non infrequenter. Vsus est

Apostolos & eorum successores vsos esse iudiciaria potestate.

1. Cor. 15. Ponuntur loca vbi Apostoli vsi sunt sua potestate. 1. Cor. 5. 2. Cor. 2.

est ea Paulus in incestuosum illum Corinthiũ tradendo eum Sathanæ ad interitum carnis, vt spiritus ipsius saluus esset in die Domini nostri Iesu Christi. Vsus est eadem condonando illi absolutionem à peccato suo, dicens: Nã & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, vt non circunueniamur à Satana. Ibi nota quod dicit, In persona Christi. & dilce, Episcopos, si quid agant secundũ potestatẽ quã habẽt, hoc eos agere in persona Christi. Quod autẽ fit in persona Imperatoris, quasi a sacratissima ipsius Maiest. factũ, sine controuersia reuereri debet. Iterũ vsus est hac potestate in Hymeneum & Alexandrum propter illorum hæresim dicens: Quos tradidi Sathanæ, vt discant non blasphemare. Tradere Satanæ, est excommunicare. Porro excommunicatio in nascente Ecclesia, etiam visibilẽ habebat effectum per corporalem obsessionem Dæmonis: patet id I. Corinth. 5. & loco præallegato: vt vel sic palã cõstaret robur potestatis Ecclesiasticę, quã Christus reliquerat in terris: prout tunc quoque Spiritus sanctus dabatur visibiliter, & habebat sensibiles quosdam effectus, in linguis nouis, & prodigijs, & signis, ad maiorem certitudinem virtutis Euangelicæ. Nec obscurè vsus est sua potestate princeps Apostolorum Petrus in Ananiam & Sapphiram vxorẽ eius, qui ceciderũt mortui statim ad verbũ increpationis Petri, vt tantò terribilior esset omnibus auctoritas summi Pontificis, quantò expeditiùs operata est suum effectum. Vnde ibidem sequitur, Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc. Quin & hoc audi quàm constanter minetur Paulus suam auctoritatem in rebelles, dicens: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an caritate & spiritu mansuetudinis? Rursus, Ideo, inquit, hęc absẽns scribo, vt non præsens duriùs agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. Hæc verba an sint hominis habentis nudum ministerium verbi, & nihil vltrà iurisdictionis? Quid igitur minatur virgam? Quorsum allegat potestatem, quam dedit ei Dominus? Quorsum sic intonat ad Thessalonicenses, Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & nõ secundum traditionem nostram, quam acceperunt à nobis. Itẽ, Quòd si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur. Et ad Galatas primo, Sicut prædiximus & nunc iterum dico vobis, si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit? Quorsum mandat Ioannes, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis? Confitetur sanè vniuersa Ecclesia potestatem Ecclesiasticam datam esse in ædificationem, non in destructionem. Prout Paulus testatur de sua. Quòd si quis prælatorum huius temporis vtatur ea in destructionem Ecclesiæ, hoc omnes dolentes audimus, hoc & vehementer detestamur: nõ tamen propter hoc patiemur eripi nobis rem non minus necessariam, quàm bonam. Et vt omnes Scripturæ taceant, nõnne natura ipsa loquitur, ouem morbidam segregandam esse à caulis, ne totus grex pereat? Et cuius, precor, auctoritate segreganda? Nonne eius qui pastor est gregis? Pastor igitur Ecclesiæ, vel ex eo quòd pastor est, ipso iure naturæ potestatem habet eijciendi procul à caulis Christi morbidos & contagiosos Christianos. Si ignis pestilens percusserit membrum vnum aut alterum, nonne tempestiuè præcidendum est, ne contagio inficiat totum? Et cuius iudicio? Nonne Medici, qui eius rei peritiam habet? Incorpore itaque Ecclesiæ, si qui aut scelere ardeant, aut pestilenti doctrina, mox vitiaturi totũ, nisi arceãtur: cuius, precor, auctoritate eijciantur? An non illorum, qui clauem scientiæ acceperunt cum potestate iudicandi inter leprã & non lepram, corruptum & incorruptum, emendabile & inemendabile? cura totius corporis est penes caput corporis, cura gregis penes pastorem ipsius: est & pars omnis propter totum: non autem totum propter partem. Fouenda quidem pars debilis, quantum fieri potest, & curanda quæ tabem habet modis omnibus, oleo, vino, malagmate. Ceterùm si curationem non recipit contagiũm, iam excindenda venit, nę pereat totum propter partem: idque auctoritati eius qui præsidet toti. Quem certè fontem naturæ secutus Saluator noster dixit sponsæ suæ Ecclesiæ: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eũ & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi vt, &c. Sic de pede, eijce, abscinde, proijce, scilicet tu Ecclesia, per tuos Episcopos, & præpositos, quos habes. Expedit enim tibi magis ô sponsa mea Ecclesia, vt pereat tibi vnum membrorum tuorum, quàm vt totum corpus tuum in gehennam eat. Eandem quoque rationem tam naturæ quàm Saluatoris inse-

Marginalia: 1. Cor. 5. — 2. Cor. 2. — 1. Tim. 1. — Act. 5. — 1. Cor. 4. — 2. Cor. 13. — 2. Thes. 3. — Ibidem. — 2. Ioan. 2. — Matth. 5.

insequentes Apostoli, non solùm per semetipsos eiecerunt pestiferos à communione fidelium, sed & perpetuos canones eijciendi, siue excommunicationis suis successoribus præscripserunt. Primò contra hæreticos, dicente Paulo: Hæreticum hominem post vnã & secundam correptionem deuita. Item, Si quis vobis euãgelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Secundò contra vniuersos contumaces, eodem Apostolo statuente. Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & cum eo ne commisceamini, vt confundatur. Tertiò cõtra eos, qui notorijs criminibus obscurant siue commaculant celebritatem nominis Christiani, eodem Apostolo constituente ad hũc modum. Nunc autem scripsi vobis, scilicet pro canone, non commisceri. Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. D. Expedit ergo heremitam fieri, quia plerique hominum passim sunt eiusmodi malis irretiti. M. Haud dubiè, intelligit istud Apostolus de ijs qui tales sunt, non solùm facti perpetratione, sed aut iudicis sententia, aut publica reputatione ad infamiam vsque. Addit, Expurgate vetus fermentum. Item, Auferte malum, scilicet incestuosum illum Corint. ex vobisipsis. His si coniungerem sanctorũ Patrũ testimonia, dies me enarrãtem deficeret. Sed nec illis credituri essent, qui prædictis nõ credunt, in quibus est certius argumentum veritatis quàm in illis. Abeant igitur animarum latrunculi, qui contendunt Ecclesiæ pastores nihil habere potestatis aut iurisdictionis in subditos suos, nihil posse suis excommunicationibus in publicè criminosos, in contumaces, in perfidos, in seductores, cùm Apostolus Petrus in virtute suæ potestatis vel obiurgando quosdam exterminauerit de hoc mundo. Paulus quoque sic excommunicauerit, vt visibiliter tradiderit Satanæ ad interitum carnis. Denique Christus dicat, eum, qui auctoritatem Ecclesiæ, hoc est, prælatorum nõ audit, habendum esse velut ethnicum & publicanum, hoc est, velut eum qui non communicat nobiscum in bonis Spiritus sancti, fidei, ac religionis, neque in ciuilibus vsibus huius mundi extra necessitatem: prout constat ex 2. Canon. Ioannis, & 2. Pauli ad Thessalonic. quorum alter prohibet cibum eum huiusmodi sumere, alter vetat aue illi dicere. Eat nunc ille, quem Lutherũ vocant, & dicat excommunicationem non solum non metuendam esse, sed cum gaudio suscipiendam esse & procurandam. D. Profectò ego admodũ metuendum censeo, quod habet tam clarum testimonium in Scripturis, deditque tam euidens experimentum suæ virtutis sub manibus Apostolorum Petri & Pauli.

Canones auctoritatis exercẽdæ quos præscripserũt Apostoli.

Tit. 3.

Galat. 1.

1. Cor. 5.

2. Cor. 5.

Caussæ ob quas debeant & possint percuti fulmine excommunicationis contumaces & scelerati. CAP. VIII.



Nunc quoque attingamus aliquid de caussis ob quas licet rationabiliter vti fulmine excõmunicationis, aut alioqui seuerè ac palàm animaduertere in eos de quibus iam dictum est. D. An caussæ istæ Scripturis sint demonstrabiles? M. Admodum luculenter. Vna est: quia sic expedit corpori Ecclesiæ, ne totum pereat. Hanc expressit Saluator Matth. 18. Expedit enim tibi, sponsa mea Ecclesia, vt vnum membrorum tuorum pereat, quàm totum corpus tuum eat in gehennã. Hanc & Paulus expressit dicens: Modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate ergo vetus fermẽtum: nempe incestuosum illum, qui audet habere vxorem patris sui: qualis fornicatio nec inter Gentes auditur. Hanc quoque natura docuit opiliones, nimirum ideo morbidam ouem expellere, ne grex totus pereat. Secunda caussa est: ne boni communicent eorum operibus malignis, sicque in die Domini confundantur: Hanc tetigit Ioannes 2. Canon. circa finẽ dicens: Nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis: vt in die Domini non confundamini. Tertia est, vt cõfundatur is, qui excommunicatione secernitur. Et istã caussam expressit Apostolus scribens Thessalonicensibus in hunc modum, Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hũc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur. Ecce, vt confundatur, inquit. Non igitur oportet differre excommunicationem ne confundatur: immo ipsa eius confusio, debet esse finis intentus, quo scilicet vel eo modo pudefiat, & pudefactus redeat ad saniorẽ mentem. Sicut D. ille Ambrosius nequaquam distulit prohibere Theodosium Imperatorẽ ab ingressu templi, ne confunderetur: sed hãc confusionem magis intendebat, quo sic confusum Christo lucrifaceret. Quarta caussa est vt ceteri timorem habeant. Hanc caussam seueræ & publicæ redargutionis docuit Apostolus Timotheum dicens: Peccantes coram omnibus argue: vt & ceteri timorem habeant. Non solùm vt illi, sed etiã vt alij peccare metuant. Quinta, vt spiritus eius, qui excommunicatur, sit saluus in die iudicij. Ideo enim & in eos

M. Scriptura exprimit caussas ob quas licet excommunicare.

Prima caussa excommunicationis.

1. Cor. 5.

Secunda caussa.

Tertia caussa.

2. Thess. 3.

Quarta caussa.

1. Timo. 5.

Quinta caussa.

in corpore per obsessionem Dæmonis, & in bonis temporalibus per interdictum multari potest: vt saluetur anima ipsius, vexatione dante intellectum. Quam sanè caussam clarè insinuauit Apostolus dicēs: Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, iam iudicaui vt præsens, &c. tradere huiusmodi hominem Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Itaque excommunicatio fit, partim propter emendationem & salutem eius qui excommunicatur, partim propter communitatem credentium, ne inficiantur simili malitia, qui hactenus fuerant integri. Quapropter etiamsi in excōmunicatis nulla speretur emendatio: nihilominus prælatus Ecclesiæ vti potest & debet gladio censuræ Ecclesiasticæ in sceleratos, vt ceteri nō inficiantur, terreantur insuper seueritate disciplinæ, ne simile quid audeant. Hæc est vera & Apostolica doctrina, cui qui obgannit, Christo & Apostolis eius contradicit. D. Excōmunicatio si fiat ad emendationem eius qui excōmunicatur, ergo est medicinalis, & per cōsequens non metuenda. Insuper si tantùm feratur in sceleratos aut cōtumaces: ergo per eā nō traditur quis Satanæ: quia tales antea suo ipsorum scelere traditi erant. M. Medicinalis quidem est ijs, qui pudefacti resipiscunt: vt fecit Theodosius Imperator, fecerunt & Corinthij: sicut constat ex 2. epist. cap. 7. At eadem mirum in modum est exitialis ijs, qui in sua contumacia persistunt. Sed nec medicina venit computanda inter ea quæ per se expetibilia sunt: sed inter ea duntaxat quæ ob finem, & ex necessitate quæruntur. Quia vti corpori malè affecto est necessaria medicina, etiam si amara sit: ita corpori bene disposito eadem est inconueniens. Plerunque enim vim facit & lædit suis excedentibus siue repugnantibus qualitatibus. Ad secundam verò obiectionem dicimus, aliud esse venire siue incidere in manus aduersarij, aliud tradi in manus eius ab eo qui tradendi potestatem habet: aliud aliquousq; subiectum esse, aliud plenè ac prorsus venisse in potestatem eius. Itaque concedimus, excommunicatos, ante sententiam iudicis, venisse quidem hactenus in potestatem dæmonis sua malitia, quòd rei facti sunt gehennæ ignis, ad illius voluntatē damnandi. Et eo sanè modo Corinthium per incestum, Hymeneum verò & Alexandrum per blasphemiam, non dubitamus venisse in potestatem Satanæ, vel antequam traderentur à Paulo: non tamen plenè ac prorsus, quādiu adhuc manabant in gremio, & inter amplexus matris Ecclesiæ, sub alis, & protectione piorum, perpetuò intercedentiū pro delictis & negligentijs fratrum suorum. Verùm cùm excommunicarentur á Paulo, iam plenè ac prorsus quantùm fieri potest, per sententiam eius, qui vicem Dei gerit in terris, tradebantur Satanæ, penitus excussi de gremio Ecclesiæ, ac omni protectione subsidijsque, quæ illa indesinenter impendit pro suis membris: adeò, vt etiam visibiliter possideret eos cacodæmon. Dico autem & constanter dico ex Euangelio Christi, quòd non minùs potestatis habet Diabolus in excommunicatos, q̄ in ethnicos, & publicanos, ac quoslibet alios, qui foris sunt extra Ecclesiam. Immo plus habet potestatis in istos quàm in illos, quòd deteriores sint, & Deo abominabiliores, conculcantes sanguinem Testamēti, & contumeliā facientes spiritui gratiæ. An mentiebatur Apostolus cùm diceret, Tradere huiusmodi Satanæ? Certè si non tradidit aliter, q̄ priùs traditus erat, aliud egit, aliud egisse se significauit, quod est mēdaciū quoddam. An fefellit nos ipsius oratio dicēs: Quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare? Quomodo enim didicissent non blasphemare, nisi per hanc traditionem accepisset in eos Satanas apertiorē aliquam vindicandi & possidendi potestatem, quam priùs habuerat ex peccato blasphemiæ? Simile accipe. Sacerdos sceleratus suo scelere reuerà est reus mortis, reuerà obnoxius legibus quatenus membrum est communitatis: nihil tamen potest in eum prætor, ob priuilegia statui Ecclesiastico concessa, & protectionem Episcopi. Verùm vbi Episcopus tradiderit eum manui seculari, iam potest in eum prætor, vt in quemuis alium laicum. Sic propter priuilegia Ecclesiæ concessa per seruatorem Iesum, propter protectionem & subsidiariam opem eiusdem matris Ecclesiæ, non tantùm iuris ac potestatis habet Diabolus in Christianum, quantùm in Ethnicum: nisi postquam abscissus & traditus fuerit. D. Nec tum quidē vt apparet. Nam post excommunicationem nō plus infert mali, aut vexat magis Diabolus, quàm anteà. M. Intellige visibiliter, qualiter nec Ethnicum magis infestat aut agit q̄ Christianum. Dispensatio hæc est diuini consilij & longanimitatis, ꝙ neque hunc neque illum statim possideat Diabolus, strangulet, disperdat. Intereà vterque extorris à regno Christi, ad regnum Diaboli pertinet, citra differentiam, nisi quòd character Baptismalis in isto quidem manet, illo verò nunquam fuit. Itaq; vt finiā: si non est metuendū, procul fieri à pia matre, priusquam tibi sufficias: extrudi insuper de familia, & mensa domestica,

Marginal notes: 1. Cor. 5. — Excōmunicatio partim fit propter emēdationem eius qui excōmunicatur, partim propter præseruationem aliorum. — Obiectio prima. — Obiectio secunda. — Dilutio primæ obiectionis. — Dilutio secūdæ obiectionis. Aliud est incidere, aliud tradi ab Ecclesia in potestatē diaboli. — Plus potestatis habet diabolus in excōmunicatos q̄ in ethnicum hominē.

ca,atque eò extrudi,vbi nullum est pabulum vitæ:tertiò destitui præsidio, idque inter hostes capitales,iuratos, teque potentiores denique ἀθέους fieri, hoc est, sine Deo. Non enim est Deus dissensionis aut rebellionis, sed pacis. Si,inquam,hæc non sunt metuenda, reuerà nec excommunicatio metuenda erit. D.

1.Cor. 14.

Vtinam atque vtinam intelligerent hæc,qui audent polluto ore respuere tam sanctam,tam vetustam,tamq; Apostolicam atq; diuinam vitæ disciplinam meritò sanè metuerent nobiscum excommunicationem,haud secùs atque fulmen quoddam, quod ferit intus hominem: etiamsi foris in cute nullum sui relinquat vestigium. Verùm nunquid crudele est,suum fratrem abscindere prorsus,& abjicere ab Ecclesia,extra quam saluari non potest? M. Dum fit iure & per iustitiam,eiusq; auctoritatem qui habet commissam sibi Ecclesiasticam potestatem, nequaquam crudelitas,sed disciplina,sed iustitiæ executio nuncupari debet. Sicut & gladio interimere, aut laqueo, aut rogo, vel vndis, dum iure fit auctoritate publica,& pro malefactis, non tantùm caret crudelitatis vitio: sed & virtutis opus est,imò plurium virtutum: nempe iustitiæ reddentis vnicuique secundum meritum suum:& ordinatæ caritatis plus diligentis totum quàm partem, quæ est propter totum: atque ideo zelo iustitiæ vindicatiuę,auferentis partem vt præseruetur totum. Quod vtiq; totum magis diligere debet, etiam ex iustitia magis defendere tam præsul quàm prætor: quia vterque ex officio suscepto. Et hoc sanè pacto iustè vindicantur malefacta per potestatem quidem secularem, infligendo mortem corporalem: per potestatem verò Ecclesiasticam mortem spiritualem: Ecclesiasticâ, dico, noui Testamenti. Nam licet olim per Synagogam fieret etiam corporalis trucidatio rebellium hominum, quamdiu carnalis duraret circuncisio: tamen Ecclesia non nisi gladio spirituali ferit,inferendo mortem spiritualem, tantò magis metuendam, quantò mors spiritualis periculosior est morte corporali: Propter quod dicit Cyprianus epist. 11.lib.1.Interfici Deus iussit sacerdotibus suis nó obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebàtur,quando adhuc & carnalis circuncisio manebat. Nunc autē quia circuncisio spiritualis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur,dum de Ecclesia ejeciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cùm domus Dei vna sit,& nemini salus nisi in Ecclesia possit contingere. Hactenus ille.

Excómunicatio dū iure & debite exercetur nihil habet crudelitatis.

Ecclesia nó percutit nisi gladio spirituali.

An prælati Ecclesiæ possint nouas facere constitutiones,eaq; præcipere, quæ extra Euangelium sunt. CAP. IX.



Vnc prosequamur an virtute potestatis Ecclesiasticę possent Pontifex & Episcopi leges condere, & facere statuta siue constitutiones, quibus obligemur in conscientia. Præterea an possent pręcipere quid extra Euangeliū. D. Memini me audisse à quibusdam, constitutiones hominum esse doctrinas Dæmoniorum:immo Ecclesiasticos non debere vti verba pręcipiendi,nisi idem pręcipiant,quod Christus priùs præcepit in Euangelio. M. Quid audio?Siccine obtenebrati sunt?tantáne malitia obdurati: vt dum clamant vbique Scripturam, aduertere nolint quod in ipsis Scripturis nusquam non est obuium? Ex.15. Actorum constat Apostolos & seniores præcepisse,& pro lege statuisse ea ad quæ nullus priùs obligabatur ex Euangelio vel mandato Christi, videlicet, Vt abstineant ab immolatis simulacrorū,& sanguine,& suffocato. Et hàc suam constitutionem vocant impositionem, dicentes: Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris,&c. Et Paulus 1.ad Corinth. 11. cap. pro lege constituit, Viros debere orare nudato capite: mulieres autē velato capite: quod tamen anteà nulla Scriptura expresserat. Itē cap. 7. eiusdē epist. inquit, Nam ceteris dico ego,non Dominus, Si quis frater vxorem habet infidelem,& hęc consentit habitare cum illo, non dimittat illam,&c. Ecce præcipit,ac ordinat quod Dominus non præceperat. Subdens cap. 11. Si quis autem videtur contentiosus esse,nos talem consuetudinē non habemus,neq; Ecclesia Dei. Quod postremùm addidit, teste Hieronymo,ne quis diceret, Vbi scriptum est? Quomodo dicunt rebelles nostri temporis. Satis erat in exordio Ecclesię legitima auctoritate cōstitutum esse in ædificationē Christi fidelium. Si quis obstrepebat, aut ad Scripturam appellabat, Nos, inquit Apostolus, talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei. Adulterina Ecclesia malignantiū gaudet obstrepere maiorum sanctis cōstitutionibus. Nos autem filij pacis, sequamur ea quę pacis sunt, quæ vnionis & cōcordiæ. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. Si Apostoli habuerunt potestatem præscribendi canones perpetuos excōmunicationis, vt suprà ostendimus. Si insuper fecerunt firmas ac stabiles cōstitutiones super ijs rebus, de quibus anteà nihil erat pręscriptū aut ordinatum: indubiè habuerunt & potestatem præcipiendi, prohibendi-

M. An prælati possint facere leges & cōstitutiones.

Apostoli fecerunt nouas cōstitutiones pręter eas quas fecerat Christus.

bendique, etiam id quod neque præceptum, neque prohibitum fuit à Domino: vti patet ex vno illo verbo Apoſtoli, Nam cæteris dico ego, non Dominus, id eſt, Ego præcipio & ordino, ſuper quo Dominus nihil præcepit aut ordinauit. Item ex illo. 1. ad Corint. 11. Cætera eùm venero diſponam. Nam quod accepi à Domino, hoc & tradidi vobis, quoniam dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c. Verùm cetera, ſuper quibus ſcilicet à Domino nihil certi eſt conſtitutũ, ego eùm venero, diſponam: indubiè per certas conſtitutiones ſeu canones obſeruandos in Eccleſijs veſtris. Quàm multa autem fuerint ordinata & conſtituta ab Apoſtolis, de quibus anteà nulla fuerat facta ordinatio aut præceptio à Domino, ſatis fuſè demonſtrauimus tibi in primo libro, vbi egimus de traditionibus Apoſtolicis. D. De Apoſtolis non puto quenquam mortalium dubitare, quin habuerint poteſtatem præcipiendi, & puniendi, & conſtituendi. Verùm de Epiſcopis & Sacerdotibus controuertitur, An aliud poſſent quàm prædicare verbum Dei, & adminiſtrare Sacramenta. M. Principiò hoc donabis mihi, Timotheum & Titum non fuiſſe Apoſtolos. D. Libenter: quia multo tempore poſt Chriſtum acceſſerunt ad Euangelium, facti diſcipuli doctrinæ Apoſtolicæ, & tandem ordinati in Epiſcopos. M. Deinde donabis & hoc, videlicet, præcipere, arguere, increpare, corripere, eũ omni imperio, & coram omnibus, itẽ accuſationẽ aduerſus presbyterũ ſuſcipere vel nõ ſuſcipere, inſuper quę deſunt corrigere, adhæc conſtituere & per ciuitates preſbyteros, ordinare ſacerdotes, nõ eſſe hominis priuati, ſed eius, qui ius habet & poteſtatem ſuper alios. D. Nec illud videtur poſſe negari. M. Quoniam igitur Apoſtolus aperta Scriptura tribuit hæc Epiſcopis Tito & Timotheo, non poſſunt non conuenire eadem Epiſcopis noſtri temporis, qui eadem ratione & auctoritate Epiſcopi ſunt, qua illi. Quod autem illis tribuat prædicta, patet, dicit enim ad Titum cap. 2. Hæc loquere, & exhortare, & argue eum omni imperio. Nemo te contemnat. Cum omni imperio interpretatur Theophylactus, hoc eſt, eum ſeueritate & auctoritate. Item. 1. Timoth. 4. Præcipe hæc & doce. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Vbi aduerte, quòd rerum aliæ indigent doctrina & inſtitutione, indigent aliæ adhortatione, aliæ verò mandato. Veluti de rapina non exercenda, eſt præcipiendum, de virginitate ſeruãda eſt adhortandum, de credendis verò & colendis ritibus ſunt homines inſtruendi ac docẽdi. Propterea vtrũq; ponit Paulus, Pręcipe & doce: Præcipe quæ neceſſariò ſequenda ſunt, tẽporum varietate, & cõmuni fideliũ ſalute. Doce verò tam illa q̃ iſta, quæ in arbitrio cuiuſq; poſita exiſtunt. Quia autem cõmunis præſumptio & opinio facilè contemnit adoleſcentiam & iuuentam pręcipientem populo, aut nouum quid cõſtituentem: ideo, præcipe, inquit, maiori auctoritate. Nemo te cõtemnat: quia vbi de ſalute aliorum agitur, ibi nonnunquam opus eſt auſteritate: itaq; & eum fiducia impera pro meritis rebellium. Rurſum quoniam, inquit, ad maiores natu, quos præfecerat Mileti & Epheſi, ꝙ ipſos Spiritus ſanct⁹ poſuit regere (nota regere quod non fit ſine auctoritate iuriſdictionis) Eccleſiã Dei. Tertiò quoniam adhortatur Timotheũ, quem ordinauerat Epiſcopum, in hunc modum, Prædica verbũ, inquit, Nec illo cõtẽtus addit, Inſta opportunè, importunè. Nec ibi ſiſtit Apoſtolus ſed addit: Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Itẽ in priori epiſt. cap. 5. ſic ſcribit eidẽ Timotheo, Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere: niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Non dico omnino non recipias, quaſi nullam habeas iuriſdictionem: ſed non recipias niſi ſub duobus aut tribus teſtibus: vt ſententia quam poſteà pronuntiabis, legitima & irrefragabilis exiſtat. Quæ indubiè tribuunt Timotheo Epiſcopo poteſtatem citãdi, præcipiendi, cognoſcendi, iudicandi, abſoluendi, puniendi pro meritis cauſſæ. Nam quorſum Paulo monente, admitteret Timotheus accuſationem iudicialem, audiẽdo deſuper productos teſtes: niſi in eo fuiſſet poteſtas iuriſdicendi, hoc eſt, poteſtas faciendi, quæ cauſſæ merita poſtulant. Denique quoniam dicit, Peccantes coram omnibus argue: non quidem leniter, ſed vehementer, ſed eum debita ſeueritate, adeo vt ceteri timorem habeant. Quibus ſi addas rationẽ à rebus ſumptam, videlicet quòd Epiſcopi ſint reuerà paſtores gregis Dominici, & eadem facultate paſtores, qua Apoſtoli, vti ſupra demonſtratũ eſt. Paſtor autem eo ipſo quòd paſtor eſt, eurã habet gregis, eique incumbit pabulum dare, educere, reducere, cuſtodire regere, minari, prohibere, ſegregare denique quod contagione vitiare poteſt. Quæ ſanè omnia competunt ijs qui verè paſtores ſunt, in hoc ſuis manibus baculum paſtoralem tenentes, eò quòd per poteſtatem & imperium debeant continere in officio eos, qui alioqui diſcoli fierent aũt immorigeri. Dico autem quoniam ſi hæc ita ſe habent, conſequitur euidenti demonſtratione, penes Epiſcopos eſſe

1. Cor. 7.

Epiſcopos Apoſtolorũ ſucceſſores, feciſſe nouas cõſtitut. demõſtratur.

Act. 20.

2. Timo. 4

Epiſcopi habẽt poteſtatẽ citãdi, præcipiendi, iudicãdi, &c.

esse veram, legitimam, & Apostolicam auctoritatẽ, non solùm prędicãdi verbũ Dei & ministrandi Sacramenta, sed & arguendi, pręcipiendi, caussas audiendi, & ius desuper dicendi, cõstituendi insuper pro temporum locorumq; exigentia quę desunt, & ordinandi per ciuitates presbyteros. Quia & hoc cõmisit Tito Apostolus dicens: Huius rei gratia reliqui te Cretę, vt ea quæ desunt corrigas, (nõ enim omnia adhuc instituta erant per Apostolos) & cõstituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Eodẽ sanè modo quo ego, quæ desunt perficias: qui eadem in hac parte polles potestate, qua ego. Et hæc dicta de pastoribus & præpositis Ecclesiæ, qui nobis patres in fide & religione sunt, sufficiant. Quid autem ipsi patres vicissim debeãt filijs ac subditis suis, non est huius loci.

Tit.1.

Principibus & magistratibus deberi ea quæ hoc præcepto mandantur. CAP. X.

M. Debemus autem & Principibus ac Magistratibus eadem illa, quæ hoc mandato præcipiuntur, nẽpe, obedientiam, venerationem, subuẽtionem, potissimùm in eo, sine quo esse non possunt quod dicuntur, patres scilicet patriæ. D. Etiam huius expediret fieri demonstrationem ex verbo Dei. M. Principes Apostolorum Petrus ac Paulus scribendo, alter Israelitis in dispersione Gentium positis, alter Romanis, circunspectè cauent, ne Christiani occasione libertatis consecutæ per Christũ, gerant se pro exemptis à subiectione Principum secularium, fidelium vel infidelium. Petrus quidem his verbis, Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum: siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus tanquã ab eo (scilicet Deo vel Rege, potest enim ad vtrunque referri) missis ad vindictã malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei, vt bene facientes obmutescere faciatis imprudẽtium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Hæc ille. D. An hoc loco voluerit Petrus nos subditos omni homini, eò φ dicit, Omni humanę creaturę? M. Ne sic intelligatur, ideo subiunxit specificando, cui humanæ creaturę debeamus nos subdere, nempe Regi & Ducibus, relinquens idem dicendum de Magistratibus ac Præsidibus. D. Quare autem dixit sub hac forma, Omni humanæ creaturæ? M. Vt scias nihil considerandum in illis, φ φ humanæ creaturæ sunt constitutæ in loco Regis vel Ducis vel Magistratus: nõ an pij sint

Principibus & magistratib' debetur honor & obedientia.
1.Petri.2.

De illo, Subiecti estote omni humanę creaturę.

aut impij, fideles an infideles, in te propensi, an à te auersi. D. An infidelibus & atheis hominibus debeant parere ij qui sunt Dei & vitæ æternæ filij? M. Hoc isto loco ex proposito docet Archiapostolus dicens: Sic est voluntas Dei, vt obmutescere, &c. Ideoque dixit, Omni creaturæ, Regi vel Duci, qualis qualis fuerit, fidelis vel infidelis: idq; propter Dominum, φ à Deo sit illorum potestas gubernandi, & sciat quisque hac relatione teneri se in conscientia ad eiusmodi subiectionẽ, vti iam ex Paulo clariùs audies. Docet enim Romanos in hunc modum: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt: ipsi sibi damnationẽ acquirunt. Nam Principes, &c. Omnis anima, inquit, tum vt videatur significasse nullum omnium viuentium, ne fidelem quidem, neue eum, qui prouectus apparet ac perfectus in fide, exemptũ esse ab hac ordinatione Dei & Apostolica: tum vt intelligamus non solùm res nostras, nostraque corpora, sed & animas nostras debere subijci ad obediendũ potestatibus sublimioribus, hoc est, ijs qui in aliqua potestate sunt: vt sunt Reges, Duces, Magistratus, Præsides, Prætores: siue illi fideles fuerint siue infideles. Addit pro ratione, Omnis enim potestas (omnis, inquit, citra exceptionem infidelium vel impiorum) à Deo est. Quæ autem sunt, supple, potestates, à Deo ordinatæ sunt.

Rom.13.

D. Putabam ego odisse Deum potestates & dominationes, quæ exercentur ab impijs & infidelibus hominibus. M. At longè aliud putat D. Paulus definiens eas ab ipso Deo esse: etiamsi mali sint qui eisdem funguntur, prout hoc lucidissimẽ declarant aliæ Scripturæ. Nam Osee 13. Dominus prouocatus idololatria populi dicit. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. Rursum Esaiæ.3. Et dabo, inquit Deus, pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Sic & Elihu Iob.34. pronuntiat de Deo, quòd regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Hęc in istis Scripturis. Ex quibus certum est, tam à Deo esse potestatem qua præsident mali, quàm eam qua præsident boni: secundum illud Hieremię, Et dabo vobis pastores iuxta cor meũ. Prosequitur autem intentum suum Apostolus, atque concludit in hunc modum, Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quod certè ne parui æstimet quispiam, adiungit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationẽ acquirunt, hoc est, resistendo peccant peccatum,

Tã malis principibus obediendũ q̃ bonis.

Hiere.3.

tum, quo digni fiunt damnatione: nimirum grande peccatum, quod mortale aut damnabile appellamus. Itaque constat ex his dictis Apostolorum Petri & Pauli nos ex conscientia & sub pœna peccati mortalis, debere subditos esse nostris Principibus ac Magistratibus, ad obediendum obuiè & exactè: adeò vt idem Apostolus scribat Tito Episcopo, dicens: Admone illos, scilicet Cretenses, principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire (quasi dicat Non expectent voculas istas, sic iubeo, sic impero, aut sic ordino, vel constituo tibi: sed mox vbi dictū fuerit, obediant, hoc est, sint quàm obedientissimi) ad omne opus bonum paratos esse. D. Quid si præcipiant quod est cōtra verbum Dei, aut contra honestatem, aut contra iniunctum à Deo ministeriū? M. Hic certè oportet prōptum habere, vt dixi suprà, & in corde, & in ore illud Apostolicum, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Quando iusserunt Principes Iudæorum Apostolos venire in cōcilium, venerunt: quando iusserunt secedere extra concilium, rursum paruerunt: quando autē iussi sunt, nō amplius docere in nomine Christi, tunc demū responderunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Quapropter dum iubent, quod ad gubernationē Reipublicæ spectat, nec religioni officit aut pietati, neque facultatem iurisdictionis suæ excedit, parendum est. Quando verò iubent quod contra Deum est, aut animarum salutē, respondendum est, Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quę Deo placent, & saluti nostrę necessaria sunt, non prosequi. Debēt itaque subditi suis dominis secularibus obedientiam: nec sanè id solum secundum Apostolum propter iram, hoc est, punitionem: quia scilicet gladium portāt, & vindices sunt in iram eis qui malè agunt, sed etiam propter conscientiam quæ læditur peccato per inobedientiam, etiamsi ille non inferat iram siue punitionem. Debent præterea eisdē subuentionem in eo, sine quo patres siue tutores patriæ esse non possunt, vti quàm apertissimè declarat Apostolus in subsequētibus verbis dicens: Ideo enim & tributa præstatis. ministri enim Dei sunt: in hoc ipsum seruientes. Obserua rationem Apostoli. Ex eo namque quòd incumbunt diuino ministerio ad vtilitatem Reipub. vult ipsis soluenda esse tributa, hoc est, ea quæ singulorum est cōtribuere in hoc, vt Principis ministerium, quod Dei vice subeunt, implere valeant. Ex illo concludens, Reddite ergo omnibus debita: cui tributū, tributū: cui vectigal, vectigal: cui timorē,

Tit.3.

Nullis obediendū cōtra iustitiā aut veritatem.

Act.5.

Act.4.

Rom.13.

Ibidem.

timorem: cui honorem, honorem. Debent enim & tertio loco subditi principibus suis timorem simul & honorem. Timorem quidem propter potestatem, nō enim sine caussa gladium portat Princeps, inquit Paulus, Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit: tibi verò in bonum, in laudem, & trāquillitatem, si bene egeris: Honorem verò propter status sui eminentiam, nā locum tenentem Dei agit. Quod & D. Petrus docuit his verbis, Omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Quanquam enim dixerat generatim omnes honore prosequendos: tamen subiungit speciale præceptum honoris peculiariter exhibendi principibus, dicendo, Regem honorificate eò q̄ specialis vrgeat ratio ad honorandum eosdem, quòd pro Deo gubernent, vicem Dei gerentes inter homines.

Subditi debent principibus timorē & honorem.

1.Pet.2.

Summatim qui peccent contra hoc mandatum. CAP. XI.

Repetat dominus compendio quodam, qui sint cōputandi inter trāsgressores huius mandati. M. In primis patricidę, matricidę, & qui verberibus, aut contumelijs, aut iniuria, aut irrisionibus, aut scommatibus, aut alio quouis incommodo vel dehonestamento parentes afficiunt. Deinde qui parentibus non impendunt loco ac tēpore congruis reuerentiā & honorē. Adhæc qui monitis ipsorū ac mandatis, in his quæ paternā facultatē non excedunt, haudquaquam parent. Itē qui non subueniunt necessitatibus parentum, vbi & quādo possunt, eoq; modo quo possunt. Atque hæc quidem siue vnum istorum commisisse in patrem, auum, proauum, atauum, matrem, auiam, proauiam, ataviam, est præuaricatorē esse huius diuini mandati. Similiter quàm grauissimè impingunt in hoc mandatum, qui sanguinem fundunt, aut vitæ, & famæ, aut prosperitati insidiātur eorum, quos Deus posuit in Ecclesia Episcopos, vel Pastores, vel Ecclesiastas, vel mystas, vel Sacramentorum ministros, aut eisdem honorem, vel obedientiam, eámue subuentionem, quæ est necessaria officio implendo, quo patres sunt, aut alioqui ipsis ex fundatione debetur, non impendunt. Quique hæc eadem non impendunt Ecclesiæ Christi, quæ mater nostra est. Potissimùm autem qui constitutiones Ecclesiasticas derident, lacerant, conculcant, reuelātes, vbi vbi possunt, nuditatem ac lapsus eorum, qui præsidēt in Ecclesia: non aliter quam impudentissimus Cham ostendit fratribus suis veren-

D.

Genes.9.

verenda patris sui. Peccant denique contra hoc mandatum, qui Principibus, aut Magistratibus honorem denegant, aut obedientiam, vel iisdem subtrahunt ea subsidia, sine quibus patres patriæ esse non possunt: & quidem grauissimè, si illos incommodo, dedecore, contumelia, infamiáue afficiant sparsis à tergo ipsorum quæ non oportet.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS SEXTI.

Quid sit viuere, quid occidere, & quòd non prohibetur hic occisio quorumlibet viuentium, sed hominis duntaxat. Cap. I.
Quòd animæcidæ, hoc est seductores, directè peccent contra hoc mandatum. Cap. II.
Principes interimendo maleficos non peccare cōtra hoc mandatum. Cap. III.
Non solùm manum prohiberi hoc mandato, sed & animum. Cap. IIII.
De his qui rei pereuntium efficiūtur, ex eo quòd non præseruant dū possunt & debent. Cap. V.
Non omne bellum illicitum esse, quamuis multi in eo interimantur. Cap. VI.
Quæ requirantur ad bellum iustum. Cap. VII.

TRACTATVS SEXTVS.

Quid sit viuere, quid occidere, & quòd nō prohibetur hîc occisio quorumlibet viuentium, sed hominis duntaxat. CAP. I.

D. Quintum mandatum est, Non occides. M. Sub illis præcisè verbis, Non occides, præcipitur istud mādatum, non solùm in Decalogo legis, sed etiam in nouo Testamento. Nam Saluator enumerat & istud mandatum inter ea quę sunt necessaria ad salutē, tempore Euangelij, dicens: Si vis ad vitam ingredi serua mādata. Interrogante verò adolescente, Quæ? Dixit inter alia, Non occides, siue Non homicidium facies, sicut hoc concorditer tradunt tres Euangelistæ. Verùm quid significat vox, occidere? D. Occidere est vitam rei viuentis interimere, seu adimere. M. Bene: at nunc duo tibi aduertenda sunt, prius est, vnde habeant viuētia quòd viuunt: posterius, in cuius dominio sit viuentium vita. Quibus diligenter consideratis, mox videbis, quæ viuentia occidere liceat, quæ non: secundò cuius generis peccatum sit homicidium: tertiò, an omnis qui interficit hominem, peccet in istud mandatum. D. Viuentia quòd viuant, indubiè à Deo habent, & ab ijs, à quibus progenita sunt. M. Quidquid viuit, ex Deo viuit, per Deum viuit, nec potest vel momentum vnum viuere, sine Deo. Qui generant, cooperatores Dei sunt, & suū quidē complent officium, Deus autem esse viuificū inspirat, fouet, adauget, & quantùm vult, & quamdiu vult. Ad cuius probationem sufficit vnica illa assertio Pauli, Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sęcula sęculorum, Amen. Non dubito quin scias ex Physica ratione quid sit viuere. D. Viuere est operationes vitales exercere. Est vita sine sensu, vt in plantis. Est vita cū sensu, vt in brutis animalibus. Est deniq; vita coniuncta cum sensu & iudicio, vt in hominibus. M. Addere oportebat, Et hæc vita hominum est duplex: altera humana, pēdens ex puris naturalibus, ex anima scilicet & potentijs eius. D. Scio. Nam secundū definitionem Arist. principiū vitę est anima. M. Altera vita hominis est sancta & quasi diuina, procedens ex pretiosis illis donis Dei, qui bus efficimur consortes diuinæ naturæ, secūdum Apostolum Petrum. Vbi anima coniuncta cū corpore glutino naturæ, ibi vita corporalis siue naturalis. Vbi verò Deus coniunctus cū anima glutino fidei & caritatis, ibi vita verè sancta vereq; Christiana, quę secundū Deum est. Nunc autem qui aufert vegetationem à plantis, interficit plantas: qui aufert ab animalibus sensum, interficit animalia: qui verò diuidit animam rationalem à corpore, occidit hominem. Porrò qui facit aberrare à virtute, diuidens inter Deum & animam hominis per peccatum, is occidit animam, sitq; veraciter animæcida. D. De plantis ac brutis, hic nulla, vt puto, est quæstio. Nam interficimus animalia, quisq; sua, & sine culpa sumus. M. An sine culpa esse potest destruere opus dei? Brutum animal tam est opus Dei, quā homo. Meæ, inquit Deus, sunt omnes feræ siluarū, iumenta in montibus, & boues, & oues, & vniuersa pecora campi. D. Attamen confido nihil peccare nos interficiendo bestias nostras. M. Rectè quidem confidis. Quia licet omnia sint Domini, tamen quæ tu possides, tua sunt: & quæ ego possideo, mea. Non vtique ex natura rei, sed ex donatione viuentis Dei: quæ nisi intercessisset, profectò interficere non liceret. D. Et quando, vel vbi facta est ista donatio? M. Genesis primo, dicente Domino ad Adam, Subijcite terram, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terrā. Iterū Gen. 9. Teror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cęli, cū vniuersis, quę mouentur

Marginalia: Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18. — Quid occidere. — Vnde viuētia habēt quòd viuant. — Rom. 11. — Quid sit viuere. Multiplex vita. — Duplex vita. Naturalis. — Sancta & diuina. 2. Pet. 1. — An interficiēs animalia sit sine culpa. Psal. 49. Psalm. 8. — Quomodo animalia nostra sunt nostra, sed donatione Dei.

uentur super terram. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum. Quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Ex quibus luce clariùs constat, quòd Deus tradiderit omnia humi nascentia, cunctaque animantia mundi in potestatem hominis: non abdicando à se dominium, sed in te transferendo vsum, & dispensationem. Constat secundò ex eisdem, te ante illam Dei traditionem, nullam omnino habuisse potestatem, neque in humi nascentia, neque in vlla animantia mundi. Quia si anteà habuisti, quid opus erat traditione hac vel donatione Dei? Quod autem nec sic donauerit & tradiderit tibi, vt à se abdicauerit dominium earundem rerum, patet ex illo Psalmistæ suprà citato, Meę, inquit, sunt omnes feræ siluarum, &c. Quapropter ea quę tu possides, & tua sunt, & Dei sunt: aliter tamen tua, aliter Dei. Apud Deū est dominium potestatis ac naturale: apud te verò dominium dispensationis, vt in vsum tuum, aliorumque dispenses, ad laudem & honorem ipsius Dei. Quare qui interficit etiam sua, & non per viā discretæ dispensationis, peccat tanquam seruus nequam, & iniquus dispensator rerum domini sui. D. An peccet violando istud præceptum? M. Non: quia in hoc mandato prohibetur tantummodo occisio hominis. D. Vnde hoc constat, cùm dicat præceptum absolutè, & sine addito, Non occides? M. Constat ex Euangelio Matthęi pronuntiantis idem mandatum sub his verbis, Non homicidium facies, quasi interpretando verba legis: Marci item & Lucæ. Vt dum alibi dicitur, Non occides, subintelligamus hominem, hoc est, non homicidium facies: ad imaginem quippe Dei creatus est homo, non piscis, aut bestia terræ. D. Erit igitur superfluum, quod suprà dixisti de interfectione animæ: quia anima non est homo.

Bona nostra, & nostra sunt, & Dei: aliter tamen Dei, aliter nostra.

Qui sua animalia interfecit indiscretè, peccat, sed nō cōtra hoc mandatū.

In hoc mādato prohibetur duntaxat occisio hominis.

An hic prohibeatur interfectio animæ per seductionē:

Quòd animæcidæ, hoc est, seductores directè peccent contra hoc præceptum. CAP. II.

M. FOrma est quæ dat esse rei. In anima verò rationali, velut essentiali forma, est totū esse hominis: adeò vt Euangelium sæpius ipsam vitā hominis, vocet animam. Et dicimus rectè Sanctos in cælo esse: quia eorum animæ in cælis sunt. Vnde qui saluat animam hominis, saluat hominē: qui perdit animā hominis, perdit hominē. Quādoquidē ad sanctificationē animę, cōsequitur omnis totius hominis salus, tā in corpore q̄ in anima: ad internitionē quoque animæ, consequitur omnis mors: hominis, mors prima, mors secunda, mors in mente, mors in affectu, mors in corpore, mors temporalis, mors æterna, prout suprà declarauimus. Quamobrem, sicut rectè parentes vocantur, quicunque gratiam Dei instillant in mentes hominum, vt audisti in quarto mandato: ita veraciter sunt appellandi homicidę, quicunque hortatu, consilio, auxilio, seducūt bonos in peccatum mortale. Nam peccatum stimulus mortis est, secundum Paulum: verè occidens, dum transit ad consensum animę, dicente Sapiente: Homo per peccatum occidit animam suam. Item, Os quod mentitur occidit animam. Et hæc certè occisio tantò est nocentior, quantò plus habet nocumenti. Siquidem præter interitum animæ & corporis, adfert etiam exilium perpetuum à regno Dei, adfert & damnationem interminabilem, & supplicium æternum, in loco tenebrarum, & igne inextinguibili, vbi erit flet* & stridor dentium. D. Deus bone, quantum malum faciunt qui seducunt quempiam ad peccandum. M. Quantò plus mali faciunt seductores illi, qui lupos agunt in grege Domini, co, sub pellibus ouium, & sparsis vndequaq; hæresibus infecant, mactant, perdunt millia eorum quos Christus multo sudore quęsiuit, pretioso suo sanguine redemit. Et illi quoq; qui replent mundū scandalis ad subuersionē pusillorum, etiamsi non malè doceant: vt faciunt, prôh dolor, quidam interimentes eos, quos ex officio pascere debebant. Dicens Saluator: Qui scādalizauerit vnū de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, vt mola asinaria suspendatur in collo eius, & demergatur in profundum maris, magnitudinē exprimit delicti, per id quod dicit, Expedit ei vt suspendatur mola, &c. Quale genus supplicij, annotante D. Hieronymo, pro consuetudine erat paratum grauioribus sceleribus. Ceterùm si hæc pœna pronuntiata est per Saluatorem, in eum qui solum vnū de pusillis scandalizat: quæ, obsecro, pœna expectanda erit illi, qui non solùm vnum interimit per malā doctrinam aut scandalosam vitam, sed plures, sed mille, sed sine numero. Addit Saluator, Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniāt scandala. Veruntamen væ homini illi, per quē scandalum venit. Profectò sonat væ in Scripturis comminationem æternæ damnationis, quo supplicio nihil potest esse grauiùs. Sed nunc dicamus de corporali homicidio.

Ioan. 16. & 13. Act. 20.

Qui conuertit aliquem ad Christū, pater ipsi* dicitur: ita qui seducit, rectè homicida vocatur.

1. Cor. 15.

Sap. 16. Sap. 1.

Matth. 18.

Principes, interimendo maleficos non peccare contra hoc mandatum.

CAP. III.

D. Miror si sine peccato esse possunt Principes,& Balliui eorum,qui interficiunt maleficos, nunc gladio, nunc laqueo,aliquando vndis aut rogis:cùm dicat præceptum simpliciter,& ad omnes, Non occides, M. Quod faciunt Principes in executione iustitiæ, Dei auctoritate faciunt, non sua cupiditate, Scriptura dante eis in hoc, non solùm publicā potestatem,sed & mandatum, Maleficos non patieris viuere.Item, Princeps huius mūdi non sine caussa gladium portat, Dei enim minister est,vindex in iram ei,qui malū agit. Imposuit autem Deus hoc mandatum quod tractamus nō sibi, sed homini. Potest igitur interficere vel per se, vel per ministeriū hominis pro sua voluntate:etiam vbi nullū est crimen,nullàue culpa,in eo qui interficitur. Siquidē Deus nō arctatur vllis huiusmodi legibus, neq; enim arctari potest. Super omnia est, auctor omnium, Dominus omnium, habens omnia in sua potestate,suaque libera voluntate. Patet istud de Isaac,in quo nullum erat crimen,quē nihilominus pater eius Abraham interfecturus erat, nihil metuens contrahere culpam ob eam caussam, quia sic Deus factū voluit. Homini imposuit Deus mandatum,prohibēs ne audeat occidere is, qui solùm homo existit,nulla fungens inter alios potestate aut legatione pro Deo. Porrò vbi homo eleuatus est ad eum locum,vt minister Dei sit,pro Deo gladium portans,ad defensionē pacis & tranquillitatis publicæ iam si interficiat in executionem iustitiæ,non tam ipse interficit,quàm Deus siue iustitia publica. Vnde talis interfectio vocatur potiùs executio iustitiæ,vel vindicatio in eos qui malè agunt:& tantum abest à peccato,vt sit veraciter actus iustitię vindicatiuæ, actus insuper veræ caritatis erga Rempublicam, ne scilicet opprimatur maleficentia sceleratorum hominum, modò suis circūstantijs ad rationem virtutis requisitis, debitè vestitus fuerit.Potest etiam fieri,vt qui non portat gladium, nec minister est publicæ iustitiæ, aliquando zelo & Spiritu Dei inflammatus, erumpat in vindictam sceleratorum hominū. Sicut fecit Phinees,& meritò eiusce facti cessauit quassatio. Sicut fecit & Elias interficiēdo sacerdotes Baalā. Et quinquagenarium Principem cum quinquaginta qui cum eo erant, & hoc quidem secundo. Verùm eiusmodi factum, nunc tēporis nemini indulgeri debet, nisi manifestè constet, vel ex vita ipsius,vel ex modo faciendi, vel ex diuina approbatione, veraciter zelo Dei factū esse. Quoniam autem Scriptura testatur Deū odio habere omnem temerariam effusionem

Executio iustitię nō est contra hoc mandatum.
Exod. 22.
Rom. 13.
Præceptū hoc Deus imposuit homini, non sibi.
Genes. 22.
Interfectio quā princeps facit non propriè vocatur homicidium.
Num. 25.
3. Reg. 18.
4. Reg. 1.
Valde cauendū ministris iustitiæ ne quid temerè agant.

sanguinis, diligenter etiam circumspiciendū est omni Magistratui & Principibus,in negotijs,vbi de sanguine fundendo disceptatur,vt consideratè agant, & non nisi iustè iudicent ad mortem, & piè. Iustè autem iudicat, qui iuris ordine seruato,secundū allegata & probata legitimum iudicium profert: sic vt nec sententia anteuertat cognitionem,nec cognitio præludat reo defensionem. Hinc in Deuteronomio pręcipitur:Iustè quod iustum est, persequeris. Piè verò iudicat, qui non odio personæ, sed solius iustitiæ zelo, tuendæque tranquillitatis publicæ amore,malefactorem punit,dolenter præscindens partem pestilentem,vt totum præseruet. Qui enim abruptè iudicat, aut legibus ad priuatum odium cōmodúmue abutitur, seu ex cupiditate alicuius vindictæ,aliòue sinistro affectu,vel pœnā, vel modum pœnæ excedit, is dubio procul peccat contra hoc mādatum: etiamsi alioqui dignus sit morte ille quem interficit.

In criminalibus iustè iudicandū & piè.
Deut. 16.

Non solùm manum prohiberi hoc mandato, sed & animum. CAP. IIII.

De isto mandato quid tibi apparet, manum ne solùm prohibet à sanguine proximi,an etiam animum? M.
D. Puto ego prohibere interfectionem hominis,non aliud. M. Iudaicus intellectus est iste, prout pulcerrimè ostendit Saluator dicens: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo: reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit,fatue: reus erit gehēnę ignis. B. August. contra Faustum tractans hūc locum docet, quòd Iudæi, quia non intelligebant homicidium esse nisi interemptionem corporis humani, aperuit Christus etiam iniquum motum ad nocendū fratri in homicidij genere deputari,vt pleniùs in August.poteris legere. Est autem primus gradus ad lędendum proximum,ira in animo concepta, quæ nihil aliud est,quàm motus animi in vindictam pronus. Secundus gradus, confusa vox indignationis erumpens, quam Dominus vocat racha. Tertius,manifesta cōtumelia,vt est dicere, fatue, aut simile quid, à qua solet procedi ad verbera,per verbera verò ad interemptionē. Quos tres gradus prohiberi mandato non occidendi, demonstrat planè modus procedēdi Saluatoris:quia post mandatum non occidendi subiungit per aduersatiuam dicens: Ego autem dico vobis, Quia omnis qui irascitur,&c. Nō ergo solùm peccat in hoc mandatū,qui homicidiū manu com-

Iudaicum intellectū reprehendit Saluator.
Matth. 5.
Omnis affectus ad nocendū fratri cōputatur in genere homicidij.
Primus gradus ad lędendū proximū.
Secundus gradus.
Tertius gradus.

committit, sed etiã qui irascitur fratri. Quod tamen intelliges de ea ira, quæ lædendi affectum coniunctum habet, alioqui si quis ex caussa & zelo iustitiæ irascatur, prorsus sine cu pa est. Nunc autem tu tecum collige. Nam si ira hic intelligatur prohiberi secundum interpretationē Saluatoris, quantò magis odium quod est velle alteri malum, etiam si te non læserit, & inuidia quæ est nolle alteri bonum, etiamsi tibi benefecerit. Etsi isti violant præceptum, vt violant, sicut satis cõstat ex verbis Saluatoris, quantò magis illi, qui lædendi animo inuadunt, aut verberant, aut mutilant, aut vulnerant, aut quoquo modo animam in sanguine quærunt, etiamsi nõ occidant. Item qui diris vtuntur deierationibus in proximum, & execrationibus, dicendo: Perdat, eradicet illum Deus, pereat, intereat, plaga hæc aut illa eum inuoluat. Quales execrationes in proximum, præter hoc ꝙ violant istud mandatum imprecando proximo mortem, etiam faciunt contra secundum præceptum, quòd vsurpent sibi nomen Domini non solùm in vanum aut frustrà, sed etiã malitiosè in interitum fratris, quem Deus diligi iubet. Vnde huiusmodi deierationes, aut duplicia sunt peccata, aut non minora duplicibus: maximè si maleuolo & deliberato fiat animo. Alioqui quod ex surreptione & sine affectione mali fit, alleuiationem criminis habet, non tamen prorsus sine culpa est. D. Isti tamen non occidunt: nam manet viuus is, cui irascuntur, aut mala hæc imprecantur.

Inuasio & læsio corporalis est contra istud mandatum.

Diræ imprecationes mortis aut plagarũ sunt cõtra istud mandatũ.

D. Qui aliquid habet in voto, vel affectu, is hoc ipsum habet aliquo vsque siue aliquo modo. Nam Confessio in voto, Baptismus in voto, melior vita in voto, veraciter operantur salutem, dum Sacramentum foris adhiberi non potest. Sic quod voto vel affectu quis facit, id aliquo modo facit. Etenim puella quę affectu cognoscit virũ, aliquo modo cognoscit: nec dici potest iã virgo & mẽte & corpore incorrupta. Hinc virgo Maria respõdebat Angelo, Quoniam virũ nõ cognosco. Quod indubiè nõ est intelligendũ solùm de actuali commertio carnis: nam quòd tali cognitione non cognosceret virum, Angelo ad oculum patebat: sed virum non cognosco, vllo scilicet modo, quo cognitio fieri potest, non actu, non affectu, non meditatione mentis, neque in præsenti, neque proposito aliquo extendente se in futurum. Ad propositum igitur nostrum. Qui malè vult proximo, qui exardescit in sanguinem ipsius, qui mortem ei imprecatur, is aliquo modo mortem proximi operatur, etiãsi corpus eius nondũ contingat. Vnde in hoc præcepto ac similibus particula illa negatiua, Non, negat absolutè omnem modũ, quo potest vel coram homine, vel coram Deo fieri interemptio. Deus autem intuetur cor, nedum manum. D. An igitur reputatur coram Deo pro facto, quod solo fit affectu? M. Indubiè ita: si adsit plenus cõsensus mentis, & ꝙ opus nõ subsequatur est vel propter metum, vel propter impotentiam. Probatur istud primùm ex eo, quia mens principatum tenet in homine: nec enim differt homo, nisi iudicio à brutis. Secundò, quia expressissimè testatur Saluator, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iã mœchatus est eam in corde suo. Ex quibus clarè vides Saluatorem in Euangelio nihil adiecisse ad præsens mandatum, sed magis expressisse germanum sensum mandati. Quòd autem ibidem expresserit varias pœnas, ideo est factum, quia varius est modus transgrediëdi, nec omnis modus idem habet nocumentum, aut eandem malitiam. Qui irascitur solùm, nihil lædit proximum, licet offendat in Deum per inobedientiam, & ordinem turbet caritatis. Vnde docet B. Augustinus tractans hunc locum, quòd vti gradus sunt in istis peccatis, ita tres sint gradus reatus, iudicij scilicet, concilij, & gehennæ ignis. In quibus per gradus quosdam procedit. Saluator à leuioribus ad maiora. Nam in iudicio adhuc locus defensioni datur: ad concilium autem pertinere videtur sententiæ prolatio, quando inter se iudices conferunt, quo supplicio eum damnari oporteat, quem constat esse damnandũ. In gehenna verò ignis, certa est damnatio, & pœna damnati. Vnde patet quantùm intersit inter iustitiam Pharisæorum & Christi. Hæc ex August. sparsim collegimus. Tu verò si placet, vide ipsum Augustinum.

Quomodo præfati occidant, etiãsi corpus nõ tãgant.

Qui habet aliquid in voto, aliquo modo habet illud.

Sic qui affectu aliquid facit, facit aliquo modo. Luc. 1.

Corã Deo pro facto reputatur quod solo fit affectu.

Matth. 5. Non adiecit Saluator, sed expressit germanũ sensum præcepti.

De his qui rei pereuntium efficiuntur, ex eo quòd non præseruant dum possunt & debent. CAP. V.



AVdistine illud, Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti? D. Frequenter. M. Igitur contingit transgressorem fieri huius mandati, etiamsi nulla adsit inuasio, aut læsio, aut imprecatio, dira, aut odium, aut maleuolentia, tantummodo si quem vides extremè laborantē fame, non pascis, licet habeas vnde possis. D. Hoccine est occidere? M. Prorsùs. Quid enim interest manũne inferas mortem, an subtrahas, sine quo vita subsistere non potest? D. Equidem nihil ei subtraho rerum suarum, solummodò non porrigo quod meũ est, &

M.

Peccãt cõ tra hoc mandatũ qui non subueniũt fratri ne. cessitatem habenti. 1. Ioan. 3.

est, & iure retinere possum. M. In casu non dico indigentiæ fratris sed necessitatis, panis tuus qui tibi superest, fit eius quem vides necessitatem pati, sibique debetur optimo potentissimoque iure naturæ. Quare si non porrigis eo casu quem Ioannes Apostolus vocat necessitatem, Theologi verò paulò expressiùs ad informationẽ simplicium, extremam necessitatem, violenter detines alienum, atque violas ius, quo obstringeris & communi rerũ matri naturæ auctori Deo: cuius faciemus demonstrationem proximo tractatu. Tua igitur crudeli detentione factum est vt moreretur: igitur occidisti. Nec vnum tantùm occidisti, sed facto vno duos simul interemisti: nempe illum qui fame perijt, teque ipsum qui non dedisti, si eo vsque iustus etas: illum quidem in corpore, te verò in anima, dicẽte eodem Apostolo: Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? Si verò nõ manet in eo ob illam impietatem, neque caritas Dei, neque proximi, igitur sibimet ipsi mortem infert. Certa etenim est hæc regula Apostolica, Qui non diligit, manet in morte. Neque istud tantummòdo intelliges de pane materiali, sed & de pane spirituali verbi Dei. Qui enim ob reconditos thesauros eruditionis idonei sunt illuminare multos ad iustitiam, & certò sciunt ac vident perire multum populum fame verbi diuini, nec tamen se populo impendunt, quomodo caritas Dei manet in illis? aut quomodo poterunt excusari à transgressione huius mandati? Legistine illud Ezechielis, Sanguinem eius de manu tua requiram? D. Legi, & videtur ad Episcopos dictũ, qui nõ annuntiãt populo Dei scelera ipsorum. M. Speculatores domus Dei, ad quos illic est sermo, dicuntur, qui in eminenti sunt specula constituti, vnde porrò ventura prospicere valent, curamque gregis Dominici gerere, vt Episcopi, Pastores, Prophetæ, Euangelistæ. Tales igitur si silentio prætereant ea quę dicta oportuit, quo populum à pullulante impietate auertant, etiã si vita ipsorum, reliquaque doctrina inculpata sint, rei fiunt transgressi mandati istius, sanguinemque pereuntium requiret Dominus de manibus ipsorum. Exempli gratia, Surgit & accrescit in cordibus multorum impietas, qua vel leue vel nullum ducunt peccatum adulterium, quæue suffragia viuorum pro defunctis aut Sanctorum venerationem, aut Missam tremendi mysterij sacrificium, aut Eucharistiæ Sacramentum, aut piorum operum merita, aut alia abrogata volunt, speculatore idipsum animaduertente, nec tamen ipse quidquã aduersus huiusmodi producit, etiamsi tempus, locus, Euangelij materia, piorumque vota postulent, instituendo populum doctrina sana circa eiusmodi materias: sed reliquis inoffensè annuntiatis, hæc sola velut sicco pede pertransit, ne prurientẽ auribus populum offendat, offendendo verò perdat, quam quærebat, gratiam, aut laudẽ, aut escam. Profectò ad hos loquitur Dominus horrendum illud Ezechielis, Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Non vtique minùs seuerè, quam si tu tuis ipsius manibus illum trucidasses, fundendo sanguinem eius in terram. Nec secùs metuendum est dictis speculatoribus illud Act. quòd Paulus dixit ad maiores natu congregatos Ephesi, in hunc modũ: Quapropter cõtestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Dicit, Omne consilium Dei, hoc est, omne illud quod consilio Dei reuelatum est mundo super animabus saluandis: non partem, inquit, duntaxat consiliorũ Dei, sed omne, sed totum consilium Dei: neque ea solùm consilij Dei quæ auidè & perlibenter audiuntur, sed & acria, & amara infundens in vulnera vestra, oleum simul & vinum, vti fecit benignus ille Samaritanus curaturus hominem ad necem vsque vulneratum. Væ mihi, inquit Apostolus alio loco, si non euangelizauero. Adiungẽs has duas clausulas, Necessitas enim mihi incũbit, Dispensatio mihi credita est. Væ igitur & illi, qui nõ euangelizat id circa quod accrescit impietas, subuertens suo silentio paulatim magis ac magis animos plurimorum. Vę dico, quia dispensatio annuntiandi illi concredita est, cùm præsul fieret, aut pastor, aut Euãgelista, iamque necessitas ei incumbit, non solùm ex lege caritatis, sed etiam ex iustitia, propter prouinciam cũ suis emolumentis susceptam.

Ezech. 3. — 1. Ioan. 3. — Ibidem. — Quomodo peccẽt Episcopi & pastores, qui fraudant populum necessario pabulo salutis. — Ezech. 3. — Ezech. 3. — Act. 20. — 1. Cor. 9.

Non omne bellum esse illicitũ, quamuis multi in eo intermantur. CAP. VI.



QVi irascitur fratri, qui odit illum, qui maledicta aut execrationes cõgerit in quempiam, qui seducit in peccatum, qui scandalizat, qui interimit, qui mutilat, aut quouis modo sanguinẽ proximi fundit, suadente Diabolo, qui denique non præseruat à morte, quem præseruare potest

D.

potest & debet, quisque horum violat omnipotentis Dei mandarũ de non occidendo, vti demonstratum est. Quid igitur dicemus de bello, in quo non vnum duntaxat ex his, sed omnia, sed cumulatim, aliaq; infinitis modis peiora contingunt? Dici enim nõ potest, quãta fiat in bello iuuentutis corruptio sanguinis effusio, strages animarũ, pro quibus Christus mortuus est, quàm praeclara corpora, quàm truncata reuertantur à castris, quot latrocinia, quot stupra, quot sacrilegia, quot item. M. Satis est. Nam centum si tibi linguae, oraque centum essent, non posses exprimere mala illa, & incõmoda, quae secũ adfert bellum. D. Ideo hoc mandato videtur planè prohibitum bellũ, neque vllo pacto gerendũ, potissimùm inter Christianos. M. Caue ne sic dicẽdo Manichaeus fias, aut Oecolampadianus, aut Lutheranus: hi enim omnes bellum improbant, sed diuersimodè. Manichaei quidem adeò in vniuersum damnabant omne bellum, vt reprehenderent ipsum Moysen & Iosue. Et quidem insulsissimè: erant enim illi dũtaxat executores diuinę iussionis, qua voluit Deus exterminatam gentem contaminatricem terrae in scelere multo. Si autem non peccat lictor, exequendo iustam sententiam praetoris, multò minùs peccabant illi habentes expressum mandatum Dei sic exterminãdi populum terrę, vt neque magno, neq; paruo, neque mulieribus parcere possent, neque innocuae aetati pendentium ab vberibus matrum, prout luce clariùs patet in veteri Testamento. Oecolampadius verò paulò modestior illis, dicebat tempore mansuetudinis Euangelicae, non licere Christianis bellum gerere. Lutherus denique asseruit nõ planè illicitũ esse bellum: sed Christianos bellare contra Turcas voluit penitus esse prohibitum: quod hoc sit, vti dicebat ipse, rebellare voluntati dei, visitãtis & corrigẽtis iniquitates nostras per illos, tanquã vltionis suae ministros. Quasi Christianus in Christianum bellum posset gerere, non autem contra canes, & atheos homines, hoc est, Turcas, & alios aduersarios fidei. At isti quoniam non consistunt in vno, ideo ex Deo esse non potest doctrina ipsorũ, vt diximus suprà: neq; fidem docent, sed sensus sui figmentũ, hoc est, ficta fide negotiãtur in populo. Aliud tradũt Scripturae sanctae, ordo quoque naturae, & vniuersitas omniũ Patrũ. D. Augustinus contra Faustũ Manichaeũ lib. 22. cap. 74. & quatuor alijs sequentibus, exactè tractat hanc materiam dicens in effectu, Praecursor Ioannes Baptista, quando militibus interrogantibus, Quid faciemus & nos? respondit, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris, non damnauit bellum, aut militiam, sed magis approbauit. Sciebat enim eos cùm militarent non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarũ, sed salutis publicae defensores. Alioqui respõdisset eis, Arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Eodem quoque argumento demonstrat August. non omne bellum esse illicitum Sermone de puero Centurionis. Pergit autẽ libro praedicto contra Faustum, hoc modo, Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere, timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, haec sunt quae in bellis iure culpantur, quae plerunque ita culpantur, vt etiam iure puniantur. Aduersus violentiam resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iustè ordo ipse constringit. Hoc sanctissimi simul & doctissimi viri dictum, fundatum in ratione, commonstratum insuper ex sermone Ioannis Baptistae, sit tibi fili pro millibus, contra omnem turbam haereticorum damnantium bella. Est regula iuris, Vim vi repellere licet. Cui addit glossa, Seruato moderamine inculpatae tutelae. Cur igitur non licebit Principi & communitati, repellere bellum illatum, contrabellando: modò incommoda ab August. narrata vitet, quantùm potest? Nihil naturalius, nihil antiquius esse potest, quàm sui conseruatio. Nemo igitur dicere potest illicitum esse bellare per viam defensionis. In hoc enim princeps sceptrum obtinet, & diadema gloriae inter subditos, in hoc illi tributa praestantur, & vectigalia, teste Apostolo ad Romanos, vt gladium portet, vibret, & extendat in eos, qui populum, cui praefectus est, aut scelere, aut armis conturbant. Secundò constat omnino licitum esse bellum, etiam per viam inuasionis susceptum, quando incolarum rebelles nolunt custodire legitima regni: potissimùm quando malitia quadam religionis statum aut vitiant, aut inuertunt. Tunc enim non solùm expedit ad arma conuolare, sed & oportet: praecipuè si multi sint qui cristas erigunt, si potentes, si muris inclusi, si integrae decapoles sint aut prouinciae, quibus vnus aut alter lictorum sufficere non potest. Tunc, dico, oportet omnibus viribus, omni-

Mala quę adfert bellum exprimi nõ possunt.

Haeresis eorũ qui improbãt bellum.

Manichęi

Oecolãpadius.

Lutherus.

Doctrina veritatis de bello.

Aurea sententia August.

Regula iuris.

Bellũ defensiuum indubiè iustissimũ est.

Rom. 13.

Bellũ vindicatiuũ in eos qui malè agũt, indubiè est licitum.

omniq; apparatu occurrere, dū malum adhuc in foribus est, ne transeat ad medullam. Iuxta illud:

Venienti occurrite morbo,

Serò medicina paratur.

Dum mala per lōgas conualuēre moras.

Rom.13. Istud autē Principem posse, & debere, docet clarè Apostolus, ostendens, quoniam hoc cęlitus potestatē accepit, & in hoc gladiū portat, factus minister Dei, in hoc ipsum seruiēs. Exod.22. Istud quoq; posse Rempub. perfectā, ostendit Polit.3. Aristoteles ex eo principio, quod omnis Respub. perfecta, debet esse sibi sufficiens, alioqui nō posset subsistere. Ex quo consequitur talem Rempub. habere potestatem non solùm defendendi se, qualem habet res omnis, sed etiā & vindicandi se de oppressoribus ac tyrannis, etiam per indictum bellū: maximè si desit superior, qui possit ac velit imponere finem 1.Mach.9 malo. Cui astipulantur gesta heroum veteris Testamenti Ionathæ & Simonis contra filios Iambri, qui fecerunt vindictam sanguinis fratris sui Ioannis. Quod autem dico de communitate, hoc & de Principe perfectæ communitatis intelligi debet.

Quæ requirantur ad bellum iustum.
CAP. VII.

M. Vt iustè indicatur bellū, tria requiruntur.



T autem iustè indicatur bellū, requiruntur tria, Primū, auctoritas vel Principis, vel Reipub: perfectæ. Siquidē ordo naturalis, inquit Augustinus cōtra Faustum, mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principes sit. Secundū, causa iusta, vt ij qui impugnantur, reuerà ac sufficienter eo mereantur eiusmodi impugnationem. Lib. quest. super Iosue cap.10 Solent enim rectè eodem August. iusta bella diffiniri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est: quia vel vindicare neglexerat, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniuriā ablatū erat. Tertium, recta bellandi intentio, vt scilicet spectetur proprius finis belli: finis autem belli, pax est, docente August. in hunc modum: August. ad Bonifa. & lib 19 de Ciuit. Dei cap.12 ac alijs locis. Non quæritur pax, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto bellator pacificus, vt eos quos bellādo expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas. Qui Qui auctores belli peccēt cōtra hoc mandatū. igitur bella suscitant vel absque debita auctoritate, vel absque sufficiente caussa, nepe pro cespite, aut pugillo terræ, castello, aut oppidulo, ex quibus neutiquam pēdet salus aut defensio regni: vel, quod ijs est grauius, ex cupiditate dominandi, meraque crudelitate, grauissimè peccant contra istud mandatum. Nec solùm ipsi, sed & omnes qui suadent, vel instigant, aut consentiunt in huiusmodi bellum. Nam & isti indubiè debent Deo tot mortes, quot iniusta homicidia in eiusmodi bellis eō mittuntur, tot restitutiones rerum ablatarū, quot ibi rapinæ exercentur & depopulationes. Quia iuxta regulā Apostoli, Non solùm Rom.1. digni sunt morte qui faciunt, sed etiam qui consentiūt facientibus. Christiani itaque qui legitimè bella gerunt, non plus offendunt eōtra hoc mandatum, quàm Magistratus interficiens maleficos. D. Quid igitur dicemus Matth.5. De verbis Christi, nō resiste re malo. ad doctrinam Christi, Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram? M. Hæc dicta sunt à Saluatore secundum phrasim popularem, qua tunc temporis significabatur tam debere alienum esse animum nostrum à vindicta, vt potiùs alterā maxillam præbendam cogitaremus, quam velle vindicare illatum malum. Aut si magis placet, dicito sicut B. August. super hoc disseruit in sermone Domini in monte, docens hæc Domini mandata semper seruanda esse in præparatione animi: vt scilicet simus parati animi sic agere, nimirum tum quando promotio fidei, salus publica, vel lucrum animarum id exigere videbitur. Verùm quando vel necessitas publica, vel salus illorum, quorum curam suscepimus, vel eum quibus agimus, aliud expostulat, ad arma concurrere licebit: potissimùm si desit alius pacis tuēdæ modus, aut possit aliquo modo sperari illud August. ad Marcellinum dicentis. Cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala volūtas, velut hostis interior, roboratur. D. Dicitur tamen quòd arma Christianorum sunt Arma Christianorū, preces Sanctorū. sed & gladi', & baculus pro necessitate. orationes Sanctorum, quasi precibus ad Deū fusis præliandum sit discipulo Christi, nō ensibus, hastis, aut bōbardis. M. Obserua obsecro in Exod. cap.17. qualiter, Moyse orante, in mōte, vincitur Amalech gladio Iosue. Christianus igitur dum necesse est, præliari debet Exod.17. 1.Mach.3. in primis oratione, Quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Nihilominus etiam gladio: quia nisi fortiter egisset gladio Iosue, non vicisset oratione sua Moyses, interim & hoc obserua, quod addit textus, Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel, Sin autem paululùm remisisset, superabat Amalech. Hæc dico obsecra, & intelliges hominem pendentem ex Deo, vti pendet omnis Christianus, debere pugnare orationibus atque armis, magis tamen oratio-

orationibus, quàm armis. Vnde quoties princepi bene Christiano nũ vrgetur ad bellũ, mox clerum ac populum inuitat, rogat, inducit ad orationes, & supplicationes sedulò prosequẽdas. Sicut Bonifacius Comes per epistolam D. Augustinum orat, imminente sibi bello, vt preces fundat ad Dominum, pro populo suo pugnaturo, vt Deus, inquit, iacula in hostes dirigat nostra, ac se ipsi trucident mutua cæde. Ad quam Bonifacij epistolam respondet D. Augustinus in hunc modum. Graui depugna conquereris: dubites nolo, vtile tibi tuisque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris: quia quãdo pugnatur, Deus apertis oculis spectat, & partem quã inspicit iustam, ibi dat palmam. Quoniam autem Saluator docet: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Item, Ego autem dico vobis, non resistere malo: profectò felix est illa communitas, in qua non alia ratione pertractantur bella, quàm inter ægrotos fortia medicamina, inter insensatos vincula, inter leges, mortis decreta. Quibus equidem ne verbum addere volo: nam quæ dixi sufficiunt.

Augustin. epist. 19.

August. Bonif. Comi. epist. 194.

D. Saltem summatim repete, qui sint annumerandi inter præuaricatores huius mandati. M. Homicidæ, latrones, traditores, percussores, sitientes sanguinem proximi, insidiatores vitæ alienę, & qui imprecantur alijs dira, mortem, aut plagas, auctores & consultores bellorum iniustorum, falsi doctores, pseudoprophetæ, pseudoeuangelistæ, lupi voraces in populo, seductores ad malum, vel detinentes in malo: non defendentes ab oppresione, quos ex officio defendere debent, non annũciantes populo scelera sua, & errores suos, postquam annuntiandi prouinciam susceperunt. Singuli enim horum occidunt vel hominem vel animam hominis. Siquidem hominem, rectè homicidæ: si verò animam, animecidæ dicuntur, & per consecutionem homicidæ. Vtriq; meritò rei huius mãdati, quia proximo caussa mortis sunt, Domino præcipiente, Non occides.

ELENCHVS CAPITVM
TRACTATVS SEPTIMI.

Quid sit mœchari aut adulterare, & quàm graue crimen sit adulterium. Cap. I.
Quid tradat Euangelium de adulterio. Cap. II.
De alijs speciebus libidinis qua ratione contineantur in nomine adulterij. Cap. III.
De simplici fornicatione. Cap. IIII.
De concubinatu. Cap. V.
De alijs speciebus libidinis. Cap. VI.
De osculis ac lusibus alijsq; præludijs libidinis. Cap. VII.
Quo consilio quàm optimè euitari poterunt opera carnis. Cap. VIII.

TRACTATVS SEPTIMVS.

Quid sit mœchari aut adulterari, & quàm graue crimen sit adulterium. CAP. I.



Non mœchus. M. Subintellige, eris aut fis. Nam Decalogus sic habet, Non mœchaberis: Euangeliũ autem, Non adulterabis. Enumerat enim Saluator etiam istud mandatum inter ea quæ sunt necessaria ad salutem pro tempore legis Euangelicæ. Quare non solùm est mandatum legis, sed etiam Euangelij. Verùm quid propriè significant ista, Mœchus, Mœchia, Mechari? D. Græci vtuntur istis vocabulis ad significandum adulterium. M. Et quid est propriè adulterium: Nam in Euangelio dicitur, Non adulterabis? D. Adulter dicitur ab eo quòd alter coniugatorũ ad alterum vadit, transferendo vsum corporis ad nõ suum coniugem. Inde verbum adulterare, significans arte aliqua rem sinceram corrũpere. M. Inde quoq; adulterium, quo significatur illicitus vsus carnis, fraudãs matrimoniũ: quando scilicet maritus cognoscit aliã præter vxorem suam, aut vxor aliũ virum admittit præter maritum suum. Tales enim vitiant, & adulterant, hoc est, corrumpunt legitima coniugij, quæ ab initio cælitus sancita fuere.

D.

Exod. 20. Matth. 19.

Quid propriè significent Mœchus & Mœchari.

Quid adulterium

D. Audio frequenter, valde graue delictum esse adulterium. M. Delictum, inquis? quin potiùs crimen est, siue enorme scelus, animaduersione publica dignum. Olim loquens ad filium suum S. Thobias: Fili, inquit, præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Ecce crimen vocat adulterium, non delictum quod est leuius. Est autem crimen peccatum enorme, querela, id est, accusatione & damnatione dignum. Et verè pelagus omniũ malorum est adulterium. Per adulterium violatur ordo naturæ primitus institutæ, quem Deus conditor in humana societate esse voluit: ab initio enim faciens hominem, masculum & feminã fecit eos, vt esset vna vnius mariti vxor, nec alter ab altero diuideret carnem suam, vt infrà audies. Per adulteriũ turbatur Euãgeliũ Christi, qui reuocãs coniugiũ ad puritatẽ sui instituti dixit, Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Qui autem adulteratur, separat quantũ in se est, quod Deus cõiunxit. D. Quinimo adulter manet cum vxore, illamque pro cõpare habet: quomodo igitur separat quod

Crimẽ est potiùs adulterium quàm delictum.

Tob. 4.

Quod iniuriæ & deformitates sint in adulterio.

Genes. 2. Matth. 19. Ibidem.

coniunxit Deus? M. Manet quidem cohabitatione cum vxore, & vinculo matrimonij coniux eius: verùm, quantum in se est, contra institutum naturæ, & Christi ordinationem diuidit carnem suam ab vxore, faciens se vnũ cum scorto dicente Apostolo: An nescitis quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? Si vnum corpus factus est cum meretrice, ergo non est ampliùs vnus vnius vxoris, aut vna caro cum illa, iuxta legitima matrimonij. Tertiò per adulterium fit iniuria Sacramento: quoniam adulter tollit à coniugio, quantum in se est, sanctitatem Sacramenti & significationem. Siquidem inseparabilis vnio viri vnius cum vna femina significat inseparabilem vnionem Christi cum Ecclesia. Quam significationem exprimit Apostolus ad Ephesios 5 dicens: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Quartò per adulterium fit grauis iniuria consorti siue coniugi, quoniam furtiuè & iniquissimè subtrahit illi fidem casti matrimonij: quod plus est, subtrahit hoc ipsum, cuius plenam potestatem sacrosanctè ad coniugem transtulerat, dicẽte Apostolo: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi. Quæ iniuria incomparabiliter grauior est, quàm si furaretur vxori suę pecuniam, vestes, aliáue clenodia ipsius. D. Quid si alter coniugum consentiat: sicut legimus quòd Sara dedit ancillam suam in sinum Abrahæ viri sui, eò quòd ipsa senuisset? M. Potest vterque coniugum cõsentire alteri inducias ab vsu matrimonij, vt vacent orationi 1. ad Corinth. 7. Verùm vt carnem suam iungat cum altera, nequaquam consentire potest propter naturæ institutum, Dei quoque & Christi ordinationem, de qua diximus. D. Tamen legimus sic factum ab vxoribus sanctorum Patrum. M. Quod factum est tunc, factum est Deo annuente, seu potius conniuente propter fidei propagationem & significationem. Nũc verò reducto matrimonio per Christum ad primæuam suam puritatem, nullo prorsus modo id ampliùs fieri potest. Quintò per adulterium violatur iusiurandum legitimè interpositum, quo sibi mutuò sanctè ac publicè adiurauerunt fidem matrimonialem dicentes: Ita me Deus adiuuet, S. Maria, & omnes sancti Dei, submittentes se sacrificio Missæ, vt tanto sit firmius, tantoque sacratius iuramentum quod emiserũt. Vnde periuri & infames sunt omnes, qui se polluũt adulterio, & meritò non deberent vltrà, admitti secundum iura ad locum vllum, vel officium honoris, veluti ad Prætoriã aut Senatoriam dignitatem. Cui enim fidem seruabit, qui Deo, & propriæ vxori fidem non seruat? Cui non erit iniquus, qui sibi iniquus est? Nam vxor caro viri est. Denique quod tã dem iuramentum inuiolabile erit illi qui violat iusiurandum, quod publicè, quod in loco sacro, quod benedictione sacerdotali consecratum est? Sextò per adulterium fit quasi iniuria prolibus, quæ concipiuntur ex adulterio, aut concipi possunt. Quandoquidem secundum iura pro nothis reputantur, nec successione bonorum gaudere possunt in vindictam criminis paterni, plerunque pereuntes miseria & egestate, vt pulcrè prosequitur Salomon. Sapient. 3. & 4. cap. dicens: adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita, à vento commouebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. D. Tantúmne mali & iniuriarum est in vno actu adulterij? M. Immo multò ampliùs mali. Etenim adulterium conturbat adeo pacem & tranquillitatem Reipub. vt vix posset aliud crimen magis: quid enim non mali surgit de adulterio? Hinc zelotypia, inuidiæ, odia, decoctio bonorum, infamia, persecutio, traditio, homicidia, veneficia, vxoricidia, cæcitas cordis, obstinatio. Adulterium trucidauit Ioannem: misit Ioseph castitatis speculum in carcerem: generosum item militem Vriam cum multis alijs, manibus hostium sic obiecit, vt mori debuerit: Sampsonem insuper virorum fortissimũ in potestatem Philistijm tradidit, viribus exutum, cæcitate deformem: Salomonem quoque, quo nemo vnquam sapientior, idololatrare coegit: denique Dauidem iustitiæ & mãsuetudinis singulare exemplar, plusquam trecentorum homicidiorum reum effecit. Hæc ex Scripturis. Deficiet autem me dies, si enarrare velim omnia mala, quæ de se gignit adulteriũ. D. Certè meritò deberet atroci supplicio puniri tantum tamque enorme crimẽ. M. In veteri lege præter mortem æternam, quæ est commune stipendium omnium mortalium peccatorum, cælitus constitutum est adulteris tam viris quàm feminis supplicium mortis corporalis. Nec isto contenta lex adiecit prætereà maledictionem dicens: Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, ma-

ledictum

1. Cori. 6.
Ephes. 5.
1. Cor. 7.
Adulteriũ nõ potest fieri necde consensu alteri° partis.
Genes. 16.
Olim permissa pluralitas vxorum.
Matth. 19
Adulteri sunt periuri.
Ephes. 5.
Matt. 14.
Genes 39.
2. Reg. 11.
Iudic. 16.
3. Reg. 11.
2. Reg. 11.
Adulteris constitutum erat suppliciũ mortis in lege.
Leuit. 20.
Deut. 22.
Deute. 28.

ledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ terræ tuæ, &c. scilicet si non custodieris istud de non adulterando, & reliqua mandata domini Dei tui. Insuper horrendis quibusdã plagis visitauit Deus peculiariter hoc crimen in exemplum omnium viuentium, vti est videre in Genesi, libris Regum, ac alijs historijs Scripturæ sacræ. Adhæc in omni gente, etiam apud Barbaras nationes legitur adulterium fuisse punitum morte corporali, ratione naturali sic suggerente. Et ô omnipotens Deus tibi querelas cum lacrymis deponimus super negligentia maiorum prouinciæ nostrę in puniendo tantum tamque perniciosum malũ.

Quid tradat Euangeliũ de adulterio. CAP. II.

D.

Quid dicat Euangelium de adulterio.

ET Euangelium quid precor dicit de adulterio? M. Primò, quòd sit peccatum communicans & coinquinans hominem, Matth. 15. hoc est communem siue profanum, spurcum, & immundum efficiens, & per consequens, inidoneum futurę vitæ. Secundò, quòd is qui adulterium committit, iudicabitur Dei iudicio, ad Heb. 13. Tertiò, quòd hominem extorrem siue exulem facit à regno Dei & Christi. 1. Corint. 6. Nolite, inquit Apostolus, errare, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque

1. Cori. 6.

molles, &c. regnum Dei possidebunt. Quartò, quòd tollit membrum Christi, & facit ex eo membrum meretricis. Diuidit igitur & separat à Christo. Satis de hoc. Siquidem certum est adulterium esse malum vehementer sceleratum: plenum iniuriarum, plenum infamiæ, plenum abominationis, omni lege prohibitum, naturali, diuina, humana, in Decalogo, in Euangelio, in sanctionibus Imperatorum, in canonibus Ecclesiæ. His tamen nihil obstantibus, etiam adulteri inuenerunt suæ defensionis patronos: adeo obcæcat fœda libido, vbi hominẽ semel occupauerit. Docuit Simon Magus, de quo Simone in Actis Apostolorum fit mentio, licitum esse promiscuũ feminarum vsum. Idẽ docuit Saturninus quidam in Syria: idem & Nicolaitæ. Idem deniq; docuerunt Adamitæ, & Vvaldenses, & quidã impuri homines nostri sæculi, quorum alij vocantur Badiani, alij Dauidistæ, alij præcursores Antichristi. Qui omnes tradiderunt, & adhuc quidam ex ipsis tradunt, quod quisque qua velit muliere vti potest sine peccato: homines profecto reprobi, cæci, corruptores, nedum corrupti: qui & Deo, & Christo, & Sacramento, & naturæ, & publicæ honestati, ac proprijs denique corporibus iniuriam faciunt, corrumpentes quidquid cælitus, quid-

Hæreses defendentes adulteria.
Lib. 3. cap. 29. Histo. eccles.
Tertullianus.

quid humanitus, aut ab ipsa natura in legitimum vsum generationis constitutum est, tam in præiudicium prolis, quàm ad subuersionem totius honestatis. Quorum haud dubiè finis erit interitus sine fine, & opprobrium illorum non delebitur ab eis in æternum. Quos Apostolus Petrus pereleganter depinxit suis coloribus, dicens: Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribũt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes, diei delicias coinquinationis & maculæ, delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Nihil opus est hic multis rationibus, vt error seu potius insania istorum conuincatur: quia per se nota est. Nam quid opus est ratione aduersus id, quod nulla omnino subsistit ratione? Gladijs vtendum est & ignibus potiùs quàm argumentis aduersus eos qui eiusmodi sunt. D. Sic apparet.

2. Petr. 2.

De alijs speciebus libidinis qua ratione contineantur in nomine adulterij. CAP. III.



T nunc videamus de alijs speciebus libidinis, quæ sunt fornicatio, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, mollities, Venus mascula, bestialitas, an similiter prohibeantur hoc mandato? D. Apparet quod non. M. Et quare non? M. Quia præceptũ datur sub his verbis, Non mœchaberis, Non facies adulteriũ. Aliud autem est mœchari, aliud fornicari. M. M.
Vt Gręcis μοιχᾶν, ita Latinis adulterari verbũ est generale ad omnem corruptionẽ. Nam vt monetam adulterant qui eam vitiant: & adulterant verbum Dei, qui illud non sincerè prędicant, sicut Apostolus dicit. Ita adulterãt legitimum vsum generationis destinatum à natura ad multiplicationẽ generis humani, quicunque illum vitiant, aut quoquo modo corrumpunt. Est autem legitimus vsus generandi ille, quem instituit Deus condendo genus humanum Genes. 2. Et Christus comprobauit, Matth. 19. dicens: Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos, & dixit, Propter hoc, dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Hæc igitur sunt legitima matrimonij, nẽpe vt caussa multiplicandi genus humanum, sint simul masculus & femina, vnus cũ vna, vnius viri vna sit vxor; idque coniun-

Verbum adulterari commune ad omnem corruptionem.
2. Cor. 4.

Legitima matrimonij.

ctionę

ctione adeo indiuisa, vt duo sint in carne vna: immo iam non duo, sed vna caro. Neque pos set quisquam mortalium quacunque fulgeat auctoritate, seiungere quod Deus coniunxit. Itaque omnis vsus carnalis copulæ, qui est præter hoc constitutum Domini, hoc est, extra sanctiones istas matrimonij, vitiat ac corrumpit legitima institutæ generationis. Nam voluit Deus coniugium duorum, esse vnicum medium multiplicandæ prolis. Hoc vnum in Adam & Heua est inceptum, hoc vnum posteritati donatum, solùm hoc in Euangelio comprobatum est per Christum dominum nostrum, Matthæi 19. Quapropter quidquid est in vsu carnis extra has sanctiones coniugij, illegitimum, reprobum & adulterinum vocari debet. Nam sicut numus adulterinus dicitur, qui non habet approbationem Principis: ita adulterinus est quicunque actus carnis non habens approbationem legis diuinæ ab initio institutæ, & à Christo in Euangelio comprobatæ. Vnde qui dixit, Non adulterabis, non solùm prohibuit illud adulterium quod facere possunt, qui matrimonio iuncti sunt: sed absolutè omnem adulterinum concubitum à quibuscunque fiat. Nam omnis talis vitiat legitimum vsum generationis. D. Nec ego veri dissimile puto, adulterinum dici, omne quod non habet approbationem legis. M. Nihil dubites de hac re, quia certò certius est quod dico, nec aliena doceo, sed sequor D. Ambrosium sic docentem in libro de Patriarchis, Non hoc, inquit, solùm est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij. Porro non habet potestatem coniugij, quidquid non est secūdum legitima generationis, à natura & Deo instituta.

De simplici fornicatione. CAP. IIII.



M. Nunc autem incipiamus demonstrationē de simplici fornicatione, quæ est commistio soluti cum soluta, vtroque alteri consentiente. D. Certe de hac dubitant nonnulli an sit peccatum: nam vterque liber est, & quod fit, de vtriusq; procedit beneplacito, citra iniuriam cuiuscū que: quid igitur mali commiserunt? M. Rogas quid mali commiserunt? Iam audisti. Corruperunt legitimum vsum generationis, adulterātes quod exlitus primùm à Deo, dein de à Christo constitutū erat. Insuper violauerunt ordinem naturæ primitus institutæ. Tertiò egerunt cōtra bonum prolis. Quartò peccarunt in proprium corpus. In quibus profectò offendunt multò grauius Christiani quàm

An fornicatio sit peccatum

Quæ mala sint in fornicatione.

Ethnici. Si mihi nō credis, saltē crede Apostolo Christi, qui sic habet, Fugite fornicationē. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autē fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra, templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Vidésne quàm multa mala sint in fornicatione maximè Christianorum? Primùm profanatio proprij corporis, quod consecratū erat in templum Spiritus sancti. Secundò contrectatio rei alienæ inuito domino: quia nemo est suus, sed domini, emptus pretio magno, vt seruiat nō fornicationi, sed domino. Tertiò dehonestatio membri Christi: vnusquisque enim nostrûm per fidem & Baptisma aptatus est in membrū Christi: quādo autem se iungit scorto in turpitudine, fit statim impuræ meretricis membrum. Hæc itaque mala concurrunt in actu simplicis fornicationis. Et hæc qui faciunt, an precor nihil cōmittunt mali? At dicito mihi, repugnare voluntati Dei, nónne malum est? Hæc est autē voluntas Dei sanctificatio vestra: & abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij. D. Verùm, an verba illa Apostoli comprehē dant simplicem fornicationem? M. Ne dubites, alioqui connumerasset etiam illas iniurias, quæ adulter compari suæ facit. Vt autē nemo dubitet, an sit illicita simplex fornicatio, Scriptura noui Testamenti in sua prohibitione coniungit vtrunque, fornicationem scilicet & adulterium, clarissimè definiens de vtroque quòd sit peccatum mortale, subijciē dum iudicio Domini ad Heb. 13. Nam fornicatores & adulteros, inquit Apostolus, iudicabit Deus. Vtrunque enim communicat siue coinquinat hominē, dicente Saluatore: Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeūt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Quod Marcus dicit, Hæc sunt quę communicant hominem, hoc est, immundū ac spurcum, atque profanum faciunt. Vtrunque insuper excludit à regno Dei, Nolite, inquit Apostolus, errare: quia neque fornicarij neque idolis seruiētes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebūt. Audisne in his

1. Cor. 6.

1. Thes. 4.

Matth. 15

Marc. 7

1. Cor. 6.

in his testimonijs, tam fornicationem quàm adulterium nominatim à Christo, & Apostolo eius annumerari inter peccata damnabilia quæ consueto vocabulo dicimus mortalia? Hinc idem Apostolus exhortatur Corinth. dicens. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis, scilicet filijs Israël, fornicati sunt, in deleto eum filiabus Moab, & ceciderunt vna die viginti tria millia. Fili non potest esse paruum malum, quod tam horrenda plaga punitur celitus. Quapropter Apostolus multa cum vehementia inculcat dicens: Fornicatio autem & omnis immũditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rẽ non pertinet: sed magis gratiarũ actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immũdus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Addit præterea, Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hęc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Astipulatur quoque Apostolus Ioannes in sua Apocalypsi de fornicatoribus dicens: Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulfure, quod est mors secunda. Quid apparet nunc tibi? An non multũm mali in se contineat fornicatio? D. Profectò non potest non esse ingens malum, cuius pars erit in stagno ignis & sulfuris. M. Præterea, anne satis expresse sit prohibita simplex fornicatio? D. Satis superq́; Cùm enim Scriptura nominet vtrumque, dicendo: neque fornicarij, neque adulteri regnum Dei possidebunt: nemini dubium esse debet, quin vtrũque in sua specie voluerit Deus esse prohibitum.

1 Cor. 10. Num. 25. Num. 25. Ephes. 5. Apoc 21.

De concubinatu. CAP. V.

Si ita se habent quæ dicta sunt, vbi parebunt concubinarij, qui non semel fornicantur, atque iterum, sed indesinenter noctè dieque, & quoties lubet? M. Certè hos manet ille locus vbi nullus est ordo, sed sempiternus inhabitat error. Hi enim extra matrimoniũ quasi matrimonialiter viuentes, conuictu, domo, thoro, rerum denique & corporum vsu indiuidui, omnia quæ matrimonij sunt sibi vsurpant, præter institutum Dei ab initio factum inter masculum & feminam, bonum prolis & sanctiones Sacramenti. Siquidem hæc tria oderunt: reliqua verò quæ ad libidinem spectant, laudant, volunt, amplectuntur, non obstante iniuria prolis, non Dei & naturæ instituto, non positiuæ legis prohibitionibus, nõ scandalis, non periculis mortis, quibus inuolui subito possent, non statu damnationis, in quo sunt quamdiu sic sunt, non dehonestatione suarum personarum, parentum, ac familiarium: quoniam infames habentur, quicunque tales sunt, denique non obstante iactura temporis, ætatis, bonorumque operum. Nã quamdiu sic sunt, nullum possunt habere meritum bonorum operum, etiam si singulis diebus audiant sacrum, & substantiam suam omnem distribuant in eleemosynas pauperũ. Hoc tamen intellige de operibus quæ veraciter bona sunt, id est, Deo grata ac cara ad remunerationem futuræ vitæ. Quamdiu enim displicet persona propter statũ peccati mortalis, actus eius grati esse non possunt ad futurã remunerationem. Ex his facile est considerare, quàm concurrant in concubinatu multa, quæ aggrauant peccatum fornicationis. Præter hoc enim quòd assiduè fornicando, assiduè peccant contra hoc mandatum, etiam ipse status per se malus est, quia est constans perseuerantia illiciti concubitus, repugnans instituto diuino & Sacramento, iniquus semini nascituro, perturbans non parum communitatem, quod illegitimus sit, scandalosus, & infamis, & ob hæc atque eiusmodi specialiter damnatus. Hinc August. Serm. 243. Coram Deo, inquit, & Angelis eius contestor atque denũcio vobis, ista mala semper prohibuisse, & nunquam ei placita fuisse, quia præcipuè temporibus Christianis concubinas habere nunquam licuit, nunquam licebit. Idem habet alijs in locis. Similia etiam legere licet apud D. Ambrosium, lib. de Patriarchis & 32. quæst. 4. Quantum verò pertinet ad concubinatum clericorum, vide decreta Pontificũ & Conciliorum: in primis Innocentij secundi 28 dist. cap. Decernimus: vbi inquit, Decernimus, vt hi qui in ordine subdiaconatus & suprà, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Ecclesiastico beneficio careant. Cùm enim ipsi templum & vasa Domini ac sacrarium Spiritus sancti esse debeãt & dici, indignum est eos cubilibus & immundirijs seruire. Simile decretum inuenies dist. 81. capite. Maximianus. Item in Decretalibus libr. 3. titulo de vita & honestate clericorum cap. Vt Clericorum. Et titulo de cohabitatione clericorum ac mulierum capit. Clericos. & cap. Sicut ad. & cap. Si autem. Sed quid his immoror? Cùm sacræ Scripturæ, quæ prohibent omnem commistionem carnis extra sanctiones matrimonij, prohibent insuper scandala quibus offenduntur fratres, sufficienter demonstrent, concubinatum malum esse, eò quòd includat incentiuum quoddam libidinis assidua per diem ac noctem sub eodem

tecto

tecto consuetudine ac familiaritate, & continuationem rei illicitæ, & apertum scandalum communitatis. Igitur vt concludam, concubinatus non solùm includit peccatum fornicationis, sed addit statum peccati mortalis: qui vt in se malus, ita quoque in primis ac specialiter est vitandus. Et propterea ad sui verã pœnitentiam exigit non tantùm omissionem actus carnalis, sed & recessum à tali statu: sic vt abijciat scortũ à conuictu & cohabitatione, omníque familiaritatis consuetudine, nedum à thoro suo ac thalamo. Vt autem prædictum malũ incontinentiæ potissimùm concubinatus, pertinentiùs expurgaretur à clero, decreuit Ecclesia in Cõcilio generali, cui præsedit Innocentius, aduersus negligentiã Prælatorum in hunc modum. Prælati verò qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maximè obtentu pecuniæ vel alterius cõmodi temporalis, pari subiaceant vltioni, népe illi, quæ eadem decretali decernitur aduersus Presbyteros incontinentes, titulo de vita & honest. cleri. cap. Vt clericorum.

De alijs speciebus libidinis. CAP. VI.

[D.] DOmine, fornicationes nónne omnes sunt eiusdem speciei? M. Nequaquam. Quoniam qui fornicando tenetat florem virginitatis atque corrumpit, huius fornicatio fit stuprum: & est tantò sceleratior, quantò irrecuperabilius est ornamentum virginitatis, quod abstulit. [Fornicationes nõ sunt omnes eiusdẽ naturæ. Stuprum.] Vlteriùs, stuprum fit duplo adhuc grauiùs, si quis violet virginem alteri viro iam desponsatam: quale stuprum olim supplicio mortis puniebatur, dicente Domino, Si puellam virginem desponderit vir, & aliquis inuenerit eã in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam ciuitatis istius, & lapidibus obruentur. [Deut. 22.] Si in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens cõcubuerit cum ea, ipse morietur solus. Secundò, quando quis fornicationi addit raptum contrectans violenter mulierem inuitam, crescit scelus, fitque crimen morte puniendum. [Raptus.] Nam si filius mortis est, qui vim infert bonis temporalibus, multò magis ille qui de meo corpore & de ornamento castitatis meæ rapinam facit. Fuit olim hoc delictum grauissimè punitum in Sichem filio Emor principis Sichemorum, quem Deus cum patre suo, & tota ciuitate plaga maxima percussit propter raptum Dinæ filiæ Iacob. [Gene. 34.] Item in Amnõ qui vi oppressit Thamar sororem suam. [2. Reg. 13.] Tertiò quando quis libidini suæ adeò nullum ponit modum, vt nec sanguinis, nec affinitatis, nec publicæ honestatis rationem habeat, huius libido vocatur incestus. Incestus, inquam, quandoque tam enormis, vt Apostolus propter eum tradiderit incestuosum Corinthiũ Sathanæ, ad interitum carnis: [1. Cor. 5.] grauiter coarguens Corinthios quòd pertulerint in sua societate hominem, qui tantum scelus operatus erat, his verbis, Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gẽtes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit, &c. Plura de hoc genere fornicationis habentur Leuit. 18. & 20. Est etiam incestus quidam prorsus sacrilegus, quando quis violat virginem Deo sacram per votum castitatis: [Incestus sacrilegus.] qualem solent etiam Gentes mortis supplicio punire, vt patet de virginibus Vestalibus. Porrò si monachus, sacerdos, vel Episcopus se polluit libidine cum scorto, huius fornicatio rectè sacrilegium vocari potest: [Sacrilegiũ] eò quòd rem Deo sacram cõtra votum, vel contra institutionem Ecclesiasticam in scelere turpitudinis profanat, faciens ex se vile membrum profani scorti: duplo quidem sceleratius sacrilegium, si ipsum operetur cum virgine Deo sacra. Præter hæc autem inuenitur in libidinibus & alia quædam species, quam vocant peccatum mutum, [Peccatum contra naturam.] eò quòd tam sit offensiuum piarum aurium, & innocuæ pubertatis, vt de illo ne loqui quidem fas sit ad promiscuam plebem. [Genes. 18.] Clamat enim in cælum magnitudo huius sceleris, horroreque concutit naturam, & stupere facit circunstantes parietes, saxa, aërem, Solem, vincens turpitudine omnem immunditiam, scelere omnem iniquitatẽ: adeoque obcæcans, vt vir, contra omnem instinctũ naturæ, in virum, femina in feminam, homo nonnunquam in bestiam scelus operetur. Putat quidam sollennis auctor, hominem eò insaniæ non posse derelinqui à Deo, nisi prius in perfidia & insipientia cordis sui ita apostatare cœperit à Deo, vt sic sentiat, sicque viuat quasi non sit Deus. Vbi perfidia, vbi apostasia, vbi idololatria, vbi regnare solet scelus hoc contra naturam, de quo loquimur: & quo Gens longiùs aberrauerit à Deo, eò magis huic nefando malo inuoluitur. Vti satis luculenter tradit Apostolus, dicens: [Rom. 1.] Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tra-

didit illos Deus (nota, Propter quod) in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiat corpora sua in semetipsis. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendaciũ, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam: Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu feminæ, exarserũt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobũ sensum, vt faciant ea quæ non conueniũt, &c. Quidam, dico, celeberrimus ac vetustus auctor in suis Commentarijs super hunc locum Apostoli scribit, Non posse nationem aliquam, aut priuatum hominem eo dementiæ derelinqui à Deo, vt hoc genere fœtere incipiat: nisi ipse cœperit prius perfidia quapiam aut infidelitate apostatare à Deo. Non enim coëunt tam fœdæ ac variæ libidines, nisi eum perfidia & infidelitate. Quapropter ô tu vicina natio, quæ semper eximia quadam nobilitate generosa fuisti, ceteris armorum vsu, ceteris fide, ceteris animi constantia multo præstantior, quò te prostrauit perfidorum monachorum apostasia, docens te mollem fieri, quod priùs nesciebas, adeoq; libidinibus tuã generositatem fœdare, vt etiam de nefanda Venere infamis esse incipias? Vtinam falsò, confido autem quòd falsò. Ceterùm si es, qualem te rumor prædicat, certissimũ habe ex dicta epistola Apostolica ad Rom. quam tantopere colis, te quoque desertricem factam Domini Dei tui, tamq; defecisse in perfidiam non modicam, à tempore quo cœpisti recipere desertores monachos, eosque colere velut vascula Spiritus sancti, qui & pleni erant omni spurcitia & præter mollia suauiaque carnis, nihil te docuerunt, contempta, vituperata, reiecta denique puritatis doctrina sanctorum Patrum tuorũ: qua antea illustris eras. At reuertamur vnde digressi sumus. Scelus illud contra naturam, de quo dicere cœperamus, factum est spectaculum mũdi cùm Deus subuerteret Sodomam & Gomorrham ciuitates nobiles, cum vniuersis oppidis ac vicis, omnique anima viuente quæ in ipsis erat, pluens ignem & sulfur de cælo, donec concremaret & demergeret in profundum. Qua autem pœna punierit lex vetus eandem abominationẽ, habes Exo. 22. & Leuit. 18, & 20. Hactenus de crassa illa libidine, quæ nomine caret, quia fœdior est, q̃ quæ nominari debeat. D. At explica, quæso, paulò specialiùs qualitatem huius vitij. M. Non faciam. Quia nõ expedit neque tibi, neque alijs, qui fortassis hanc nostram disputationem lecturi sunt. Nullus est adeo non homo, quem non torqueat cõscientia facti, post commissum crimẽ, nullus adeo vecors, vt nõ pudeat se sui feruore recedente. Nemo enim audet in publico, turpe igitur iudicatur ab omnibus. Quare nec opus est hic multa instructione, sed vnusquisque sui custos, suique iudex esto. Pulcrum enim ac prudẽs illud quod Græcis erat in ore, γνῶθι σεαυτὸν, id est, nosce teipsum. Custos tuipsius esto, naturæ fabricam perpende, & memineris te huius debere ordinem sequi, non inuertere.

Genes. 19.

De osculis ac lusibus alijsq; præludijs libidinis.

CAP. VII.

DE osculis autem ac lusibus, quos parit non raro sui impotẽs ignis amoris, quid precor dicem? M. Sicut hic prohibentur adulteria & fornicatio, ac fœda illa libido, de qua dictum est: ita & impudicitia, immunditia, luxuria, etiam inebriari vino, in quo teste Apost. est luxuria: maximè in eis qui post pocula nihil eructant præter libidinem. De quibus Apost. ad Galat. dicit: Sicut prædixi vobis, & nunc prædico, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non cõsequentur. Secundò turpiloquium, & scurrilitas, quæ secundum eundem Paul. nec nominari debet inter vos, sicut decet Sanctos. Tertiò oscula, non quidem illa sancta, quę nuntia sunt mutuæ caritatis, de quibus Apost. Petr. Salutate inuicẽ in osculo sancto: sed impudica illa, quibus solet oppignorari Venus. Denique cãtiones lubricæ, choreæ, lusus, tactus, & quæcunque præparant viam ad illicitum vsum carnis. D. Tamen ista non sunt adulteria. M. Ita nec ligna sunt ignis: veruntamẽ ex collectis lignis bonis cõponitur ignis. Nõ sunt quidem hęc adulteria: attamen per actus hos construitur in impuris hominibus adulterij ludus. Mirum enim quàm transmittant sese hinc inde amantium spiritus per oscula, tactus, oculum nequam. Et oculus meus, inquit Propheta, deprædatus est animam meã. Exemplum habes in Dauide, quẽ conspectus traxit in adulterium Bethsabeę. Hæc igitur & huiusmodi ad adulterandum vsum legitimæ generationis vehementer disponunt, incitãt, inflammant, Vnde si audet Saluator constanter pronuntiare, Quicunque viderit mulierẽ ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est in corde suo, hoc est iam adulteriũ commisit in

D.

Impudicitia. Commessationes. Eph. 5. Galat. 5. Stultiloquium. Scurrilitas. Ephes. 5. Oscula impudica. 1. Petr. 5. Cãtiones lubricæ. Choreæ.

Threo. 3.

2. Reg. 11.

Argumentũ ex scripturis. Matth. 5.

corde suo: cur non & nos inferemus hoc modo, Igitur qui osculatus est mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Rursum, Ergo qui lusit propè, qui choreas simul duxit, qui miscuit pedes, iam mœchatus est in corde suo: si modò idipsum fecerit ad concupiscendum eam, hoc est, ad illum finem, vt concupiscentiam vel excitet, vel expleat: nam quid dicendum sit de ipsa concupiscentia, in præcepto vltimo explicabimus. Dic mihi quid opus est impetu, vt mittas saxa deorsum? D. Nihil: quoniam suo pôdere ruunt. M. Igitur qui addit impetum, omnino vult vt ruant. D. Hoc certum est. M. Porro sensus & cogitatio humani cordis per se in malum prona sunt, principaliter in opus concupiscentiæ, non minus quàm saxa in motum deorsum. Qui igitur addit oscula, lusus, aliaque incitamenta lasciuiæ, & dicit, Nolo quod reliquum est, Quid tibi apparet de illo? D. Certè quòd cum ratione insaniat, non minus quam ille, qui addit oleū igni, & dicit, Nolo vt ardeat. M. Ex istis igitur satis intelligis, mandatum quod prohibet adulterium & fornicationes, etiā prohibere oscula, tactus, lusus lasciuos, aliaq; prouocamēta libidinis: quoniam in istis quæruntur, & appetuntur illa. Tu igitur fili fugies propter mandatū Dei, non solùm eius quæ in carne est concupiscentiæ corruptionem: sed & vniuersa illectamenta in eâdē. Dulce quidē amor & Veneris vsus: verū nouissima ipsius amara quasi absynthiū: ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans, nempe famam, Eccl. 9. Substantiam, Luc. 15. Cor, Osee. 4. Corpus, Iudic. vlt. 2. Reg. 13. Animam ac totum denique hominē 1. Cor. 6. ad Gal. 5. ad Eph. 5. Quodque omniū pessimum est, conuersionem cordis ad Deū prorsus retardat, faciens Dei ac cælestium recordationem homini grauem, Propheta dicēte: Non dabunt cogitationes suas vt reuertātur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt.

Quātum malorum fit amore lasciuo. *Prouer. 5.* *Osee. 5.*

Quo consilio quàm optimè euitari poterunt opera carnis. CAP. VIII.

D. AT quis hæc euitabit, maximè cùm omne pondus naturæ eò inclinet? M. Fuge, Deum obsecra, otium vita ac crapulas, & euasisti. A vetustis & quidem sapienter dictum legitur,

Quare ociū & crapula sint fugienda.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Et rursum.

Quæritur Aegisthus quare sit factus adulter,
In promptu caussa est, desidiosus erat.

Et illud, *Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

Vt enim pudenda membra ventri, ita luxuriæ otium & crapula proxima sunt. Nec fouent tantummodo vsitatæ Veneris ignem, sed etiā velut impetu quodam protrudunt in innaturalitates, quas pudor est nominare, vti disertè testatur Ezechiel hæc olim præbuisse Sodomitis ansam fœditatis suæ, dicēs: Ecce, inquit, hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarū eius. Et manū egeno & pauperi nō porrigebāt, & eleuatæ sunt, & fecerūt abominationes corā me, & abstuli eas, sicut vidisti. Certa regula est, vbi vinum & ebrietas, ibi effigies quidem hominis, sed nulla cordati viri proprietas. Vbi otium, ibi magnum partis concupiscibilis negotium. Quod quid potest aliud quàm generare opera carnis? Opera verò carnis quid præter mortem? Nam prudentia, inquit Apostolus, carnis (ac si diceret, electissimum quod in carne inuenitur) mors est. Dixi præterea, fuge: non enim sufficit declinasse otium & crapulam, nisi & longè fugias pepulorum consuetudinem. Quoniam non potest neque cæcias nubes, neque adamas ferrum trahere ad se efficaciùs, quàm rapit mulier propè ludentis animum. Dicit enim Sapiens: Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Docet experientia incendi ignem, quando approximat stipula. Vnde sanctus quidem heremita ægrotans exclamabat contra aduenientem feminam, Tolle, tolle stuppam, adhuc est igniculus. Hinc & diuus Hieronymus, Flammigero, inquit, igne pereutit femina conscientia pariter habitantis. Tu igitur, fili, fuge, fuge inquam, consortia feminarum. In fuga enim est victoria: in lucta verò indubitatum salutis, nedum pudicitiæ discrimen. D. Quid si fugiam ad eremum, aut monasticam solitudinem? M. Hoc consilium in primis probat vita Sanctorum, vt constat ex ūdis historijs: sed audi D. Hieronymum iam in eremo habitantem. O quoties ego, inquit, ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quę exusta Solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis, situm Ethiopissæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset: nuda humo ossa vix hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes mōnachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehen-

Ezech. 16. *Rom. 8.* *Cur fugiē dū in pugna carnis* *Prouer. 6.* *Hiero. ad Eusto.*

gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tãtùm socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mẽs desiderijs æstuabat in frigido corpore. Hęc & plura alia Hieronymus, lege precor totam epistolam. Si autem sustinent ista, qui semoti in vasta solitudine, ab hominum consuetudine & aspectu, atque exeso iam corpore, solis cogitationibus oppugnantur: Itaque nec fugisse hęc omnia satis erit, vt sis verè continens & corpore & mente, nisi adsit tibi indesinenter supplex oratio ad Deum, qua impetres velut auxiliarium præsidiũ ab illo, qui dixit Apostolo laboranti sub stimulo carnis. Sufficit tibi gratia mea. Siquidẽ expressè pronunciat Sapiens: Non possem esse continens, nisi Deus det. D. Igitur nõ est in hominis potestate continentem esse. M. Non magis quàm vincere mundum, aut instum fieri, vel sapientem: attamen vicerunt mundum non pauci vt patet ad Hebreos 11. Sapient 5. Apocalyp 10. Adeo vt audeat Ioannes Euangelista dicere vniuersaliter: Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Cui datum est vincere mundum per fidem, is an nõ per eandem vincet carnẽ propriam? Alioqui quomodo vincit mundum? Nam caro eius pars vna est mundi. Et quis iustus per se? Quis sapiens per semetipsum? D. Prorsus nemo: nemo enim hæc esse potest sine fide: fides autem est donum Dei. M. Sunt tamen iusti multi, multi quoque continentes nec defuere vnquam in Ecclesia sapientes. Modum autem quo possumus nos tam facile quàm illi esse iusti, sapientes, atque continentes, intelliges, si coniungas duas duorum Apostolorum sententias, alteram Pauli dicentis: Omnia possum in eo qui me confortat: alteram Iacobi, Deus dat omnibus affluenter, & non improperat. Igitur cùm nihil possumus ex nobis, possumus tamen omnia, & mundũ vincere, & iusti esse, & continenter viuere, in eo qui nos confortat suarum gratiarum auxilio, quique orationum instãtia pulsatus dat cito, datque omnibus affluenter, & non improperat. Si quis igitur indiget sapientia, postulet à Deo, inquit Iacobus, postulet autem in fide nihil hæsitans, quasi diceret: Nemo indiget, nisi qui vult indigere. Nam si vel postulare velit in fide, faciendo quod in se est, vltra egenus non erit. Indubiè continentia donum Dei est, nec potest quisquam continere, nisi Deus dederit. Porro Deus rogatus siue postulatus in fide, dat omnibus affluenter, quo donante, potest homo omnia, etiam continentissimè viuere. D. Ergo ex Deo pendet continẽtia nostra. M. Nihil veriùs: non tamen ex solo Deo, sed etiam ex nobis, quia bonis donis Dei sæpè vel nõ vtitur vel abutitur peruersitas humana: verũ absque dono Dei nequidquam effecerit conatus noster in hac parte. Prout infra latiùs explicabimus. D. Precor autẽ, repete adhuc semel summatim, quinam peccent contra hoc mandatum. M. Immo dicam verbo vno. Præuaricantur hoc mandatum omnes qui adulterant siue corrumpunt aut vitiant legitimum vsum generationis ab initio institutum: adulterant, dico, vel mœchia, vel fornicatione, vel stupro, vel incestu, vel raptu, vel sacrilegio, vel alio quopiam genere Veneris. Præterea qui carnem exercent nequiter, adeò contra vel præter naturam, vt ex eo genere actus nequeat fructus expectari. Tertiò qui præparatoria quędam tractant in osculis, in lusibus in turpiloquio, &c. eo animo vt ad opus transeant.

Ad orationẽ velut ancorã sacrã confugiendum.
2 Cor. 12.
Sapient. 8.

Nõ est hominis in potestate continentẽ esse magis quàm vincere mũdum.
1. Ioan. 5.

Philip. 4.
Omnia esse possumus in eo qui nos cõfortat.
Iacobi. 1.

Ibidem.

Continentia donum Dei est.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS OCTAVI.

Quid nomine furti intelligatur. Cap. I.
Ea quæ hoc mandato prohibentur etiam iure naturæ prohibita esse. Cap. II.
Quæ sit diuersitas inter ius naturale, ius gentium, & ius ciuile. Cap. III.
Ius naturale primæuum antiquius esse & Immutabilius iure gentium, & quæ hinc consequantur. Cap. IIII.
Opus esse alia disciplina, alijsq; legibus tempore naturæ corruptæ, quàm tempore naturæ integræ. Cap. V.
Quid dicendum sit de communione rerum, & proprietate earundẽ ex Scripturis sacris. Cap. VI.
De varijs modis contrectandi alienũ inuito domino nonnunquam vel absque omni transgreßione huius mandati. Cap. VII.
De ijs qui in necessitate occupãt aliena. Ca. VIII.
Quale peccatum sit furtum, & cuius malitiæ. Cap. IX.
Non omnia furta esse eiusdem generis & malitiæ. Cap. X.
De furtis Simoniacis. Cap. XI.
De plagiarijs, peculatoribus, abigeis, institoribus, &c. Cap. XII.
De vsurarijs. Cap. XIII.
De vsuris quæ implicitè & clanculum committuntur. Cap. XIIII.
De furtis quæ committuntur contra iustitiam distributiuam. Cap. XV.

TRACTATVS OCTAVVS.

Quid nomine furti in hoc præcepto intelligatur. CAP. I.

D. Non furtum facies. M. Sic habet Scriptura Exod. 20, & Deut. 5 Sic quoque habet Euãgelium, Matth. 19. Lucæ. 18. Marc 10. In quibus locis Saluator enumerat & istud mandatum inter ea quę sunt necessaria ad salutem pro tempore prædicati Euangelij: ne quis existimet tãtum esse veteris legis mandatum. Nec opus est hic multa interpretatione huius mandati: scis enim quid sit furtum, & quid furari. D. Quidam auctores putant fures dictos à furuo quod Romani atrum appellauerũt, eò quod per obscuras atque atras noctes, opportuna sit eius mali effectio & perpetratio. M. Idẽ docet Isidorus antiquus & eximius scriptor. D. Alijs tamen magis placet furem à fero deriuari: quòd ferat, id est, auferat res alienas. Alij à Græco φῶρ deductum volunt. M. Parum refert vnde dicatur. Hoc tantummodo certum habe, quod furtum sit occulta acceptio vel detentio rei alienæ inuito dño. Continet autẽ in se duas malitias, nempe violationem iustitiæ, cuius est reddere vnicuiq; quod suum est. Nam furtum est occupatio rei non suæ cum iniuria alterius: dolum insuper ac fraudem quam facit fur occultè & quasi ex insidijs inuadẽdo alterius bona. Et hac ratione distinguuntur furtum & rapina: quòd rapina sit manifesta, furtum occulta: rapina fit per violentiam, furtum verò per astutiam. Venit autem ad has duas species reducenda omnis iniusta contrectatio rei alienæ. Nam si occultè fiat per fraudem vel astutiam, per insidias, per simulationes vel dissimulationes furti nomine appellari potest. Si verò fiat violentia si aperto marte, si concussione, aut precibus armatis (quales exaudiuntur, non quia supplices sunt, sed quia in promptu habent extorsionem nisi exaudias) recipit in se nomen rapinæ. Insuper quando contra ius & æquitatem quis perdit rem proximi sui, destruit, annihilat, ad alteram harum specierum reduci debet. Nam quando fit occultè, & per insidias, furtum est, quantùm ad illum qui patitur iniustum, etiamsi auctor damni, nihil inde vtilitatis accipiat. Quando verò fit manifestè & per potentiam, rapina dici potest. D. Cæterùm vtrum horum duorum magis est ostensiuum diuinæ maiestatis? M. Est rapina multò grauius peccatum quàm furtum: quia non solum infert damnum rebus: verumetiam nõ modica afficit ignominia personam possidẽtis per violentiam & incussum metum. Quod haud dubie grauiùs conturbat tranquillitatẽ publicam, quàm clancularia surreptio rerũ. D. Iudicat ergo rectiùs hac in re Hispanus q̃ Germanus. M. Quare hoc? D. Quoniam vt dicitur, apud Hispanos omnia tutissima sunt in campo, nulla ibi violenta deprædatio: apud Germanos verò non item. Contrà in Germania sub tectis etiamsi æs effundas in atriũ, tutissimum tibi manet: at in Hispania vel in domo sub tutela hospitij, si quid exeat de sub custodia manuum tuarum, perit tibi & euanescit non minus subtiliter, quàm si arte magica sublatum foret. M. Diuersæ sunt diuersarum regionum proprietates: nihilominus gens vtraque vtrũque pro malo & iniquo habet: quia vtrunque repugnat tam caritati q̃ iustitiæ. D. An igitur omnia quæ tam rapinæ quàm furti nomine intelliguntur, sint prohibita hoc mandato? M. Omnia planè ne vno quidem excepto. D. Quomodo autem id intelligam? mandatum enim sub his datur verbis, Non furtum facies. Differt autem rapina à furto, ergo videntur hic non prohiberi rapinæ? M. Respõdet B. Aug. dicẽs: Furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ: nõ enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed vtiq; à parte totũ intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur. Quapropter hoc loco, sicuti sæpius in Scripturis, à parte totum intelligendũ venit: nempe sub furti nomine omnis iniusta contrectatio rei alienæ, sit violenta, sit occulta, sit extorta per potentiam, sit fraudulenter aut quouis modo facta. Nec istud mirum videri debet in professione Euangelica: nam & Iurisperitis nomẽ furti accipitur generaliter. Quoniam libr. 1. ff. de furtis sic describitur, Furtum est rei alienæ contrectatio. Verùm vt nullum maneat dubium, an fraudes, & rapinę, & concussiones sint prohibitæ lege Euangelica, Saluator Marci 10. sic inquit, Præcepta nosti, Ne adulteres, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris. Subiungens post præceptum de non furando, mandatum hoc, Ne fraudem feceris. Similiter Apostolus 1. ad Thess. 4. Ne quis, inquit, supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus. Idem quoque Apostolus 1. ad Corinth. 6. Nolite errare, neque fornicarij, &c. neque fures, neque auari, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Mandat insuper Ioannes Baptista militibus, dicens: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris. Omnia igitur hæc prohibita sunt expressè in lege Euangelica, omniaque sub nomine furti intelliguntur prohibita in Decalogo.

Quid furari, et quid furtum.

Furtũ continet in se duas malitias.

Rapina est grauius peccatum quàm furtum.

Hoc mandato prohibentur tam rapinæ quàm furta.

Aug. lib. 2. quæst. 79 super Exo.

Fraudes, rapinas, cõcussiones prohibitas esse, probatur manifestis scripturis

Lucæ 3.

Ea quæ hoc mandato prohibentur, etiam iure naturæ prohibita esse. CAP. 11.

Verùm

D.

An furta & rapinæ sint prohibita iure naturali.



Verùm an iure aliquo naturali sint hæc eadem prohibita? M. Decalogus nihil aliud est, quàm expressa quædam determinatio iuris naturæ, prout suprà declarauimus. Cæterùm cur hoc quæris, aut quare de illo dubitas? D. Ideo quæro, quòd sint qui dicant, Omnia bona mundi huius, debere omnibus esse communia: illaque duo meum & tuum oportere explosa esse à cōmunitate, velut ea, propter quæ veniat omne dissidiū. M. Eòne tendis? Augebo igitur & ego hanc tuam difficultatē vt clarius tandem elucescat veritas. Prorsus consentaneum videtur, vt qui ad mutuam vitæ societatem nati sumus ab vna natura, velut communi omnium matre, rebus vnius parentis vtamur communiter. Nec fingat quisque sibi proprium, quod omnium vsibus eresatum, omnibus citra distinctionem dedit genitrix natura. Neque solent istud vrgere solummodo infimæ notæ homines, sed & docti atque sapientes. Nam Plato Dialo.5. de Repub. ac alijs locis, censet eas Respublicas fore beatissimas, vbi quod in prouerbio est, de rerum communione, quàm maximè fieri potest, à ciuibus obseruetur, nimirum illud, Amicorum communia esse omnia, nec alterum altero ditiorem. Seneca insuper imitatus sententiam Platonis, & verba, iudicat homines quietissimè in terra victuros, si hæc duo verba, Meum & Tuum, de medio sublata forent. Nec defuerunt inter Barbaras nationes, qui Respublicas ita constituerunt, vt nemo quidquam proprij haberet. Refert enim Strabo libr.7. Geograph. suæ talem Rempub. tenuisse Mymades gentem Scythicam. Et testatur eos tā præclare defendisse eam Rempub. vt Hesiodus libro suo de terræ ambitu, dixerit, eos exteris inexpugnabiles & inuictos fuisse: hanc præcipuè ob caussam, quia nihil possidebant cuius conseruandi caussa iugum hostium, sicut fit, subire vellent. Quibus si quis addat facta dictaque Christi & Apostolorum, Matth. 4.5.19. Lucæ 14. Act.2 4. videbitur inuictum fecisse argumentum cōtra proprietatē rerū: maximè quo ad populum Christianum. Siquidem Acta Apostolorum luculenter testantur quòd omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat. His certè alijsque argumentis, malè tamen intellectis, primùm Adamitæ, post illos Apostolici, nunc denique nostro sæculo Anabaptistæ contendunt debere omnia omnibus esse communia: asserentes fures esse & raptores contra hoc mandatū, eos qui præsumunt sibi aliquid esse propriū de bonis huius mundi. E diuerso autē non minus inuicto argumēto defenditur proprietas rerū ac possessionū per ius gentium, omniaque iura diuina & humana tam ciuilia quàm canonica, quibus apertè definitur iniquum esse & iniustum, si quis inuadat aliorū possessiones. Atque eam ob caussam veluti fures & raptores habent sectarios istos, qui volunt omnia omnibus esse cōmunia. Nihilominus docet ratio, & probat Scriptura sancta, ac Patrū traditio, quòd impij sint & iniusti, & grauiter offendentes in hoc mandatū, qui sic vendicant sibi proprietatem rerum, vt nolint sua communicare ijs, qui veraciter necessitatem patiuntur, seu, vt alij dicunt, ijs qui in extrema sunt necessitate. Vides fili q̄ bonā moueris difficultatē. D. Et huc certè magis pertinentē, vt audio, quā credebam. M. Itaque oportet eā à fonte resoluere, vt vis mandati huius, & latitudo notior fiat. Tu attentus esto. D. Faciam. M. Canon decreti, vocat ius naturale, quod est cōmune omniū nationum, eò quòd vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur: vt viri & feminæ cōiunctio, liberorum successio, cōmunis omnium possessio, acquisitio eorum quæ cælo, terra, marique capiuntur, violentiç per vim repulsio. Hucusq; ex textu Decreti. Sunt igitur hæc & eiusmodi iuris naturç: nō quòd ius naturale sic prçcipiat, sed quòd adeò sint consinia instinctui naturali, vt à nulla vnquā natione sint habita iniqua aut impia, quin potiùs iusta cōformiaq; secundum naturā, rationi consona, æquitate plena: non quòd, vti dixi, ius naturale præcipiat vt ita fiat, sed quòd approbet velut bonū si ita fiat, cōmuni eorū qui faciunt consensu aut voluntate. Nam si vim vi repellere est iuris naturæ præcipientis: malè igitur egerūt primùm Christus, deinde Apostoli ac Martyres, nō repellentes quantum in se erat, illatas Tyrānorum violentias. Item si maris & feminæ cōiunctio sic est iuris naturæ, vt præcepti habeat obligationem: peccauit igitur cōtra ius naturæ Ioannes Bapt. q plus est, Saluator mūdi Christus dominus, errauit quoque Apost. docens Corinth. in hunc modum: Qui matrimonio iūgit virginem suam, bene facit, & qui nō iungit, melius facit. Et, Mulier alligata est legi, quāto tēpore vir eius viuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege. Cui autem vult, nubat, tātum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. An Apost. hæc cōsulat cōtra præceptū iuris naturæ? Nequaquā. Verùm illi æquitati quam approbat natura in cōiunctione maris & fe-

Plato.

Argumentū à Philosophorū contra proprietatem rerū

Argumenta ex Scripturis contra proprietatem rerū

Argumenta in contrarium.

Quid ius commune

Quomodo cōmunis rerum possessio sit iuris naturæ.

1.Cor.7.

& feminæ, superaddit Apost. quòd melius est & diuinius, nempe virginitatem ac vidualem castitatem. Hæc autem dixi, vt similium coniunctione lucidior fiat veritas quam inuestigamus. Quoniam quidem eodem prorsus modo communis rerum possessio attribuitur iuri naturali: non quòd ius naturę dictet vel pręcipiat omnia possidenda esse cõmuniter, & nihil esse vlli habẽdum velut si proprium: sed quòd probet id si fiat quòdque secũdum ius naturæ, nulla est facta distinctio rerũ aut possessionum: quin potiùs hęc est per humanum condictum ex communi omnium nationum iudicio, quod ius gẽtium vocatur. Vnde proprietas possessionum, non est contra ius naturæ, sed iuri naturali superaddita per inuentionem rationis humanæ, quòd sic conueniat tranquillitati publicæ inter multos variè affectos homines. Natura etenim nihil præcepit de possidendis rebus communiter: tantùm dedit bona mundi huius in vsum hominũ. Quæ si communiter possideantur vti citra distinctionem donata sunt, habet hoc natura velut æquum & consentaneum, relinquens quod amplius est dispositioni rationis humanæ. Quapropter nõ delinquunt contra hoc mandatum, neque peccant contra ius naturæ, qui buno titulo possident proprium. Neque rursum peccant in ius gentium, qui spõtanea voluntate possident omnia communiter.

Natura nõ præcipit cõmunionem rerum.

Quæ sit diuersitas inter ius naturale, ius gentium, & ius ciuile. CAP. III.

M. T autem penitus intelligas pręmissa, debes diligenter aduertere, Primò quid sit ius naturale, quid ius ciuile, quid ius gẽtium. Secundò, quomodo prior est natura, deinde conuictus hominum & societas: priùs quoque ius naturale, deinde ius gẽtium & omnis denique politiua ordinatio. Tertiò, quòd alia disciplina, hoc est, alijs legibus continenda est in officio natura corrupta, alijs natura integra Quantum verò ad primum, obseruabis quòd sicut vox medicina significat primò remedium quod datur infirmo sanãdi gratia. secundò ipsam artem medicam, qua paratur tale remedium. Sic vocabulum ius ex impositione, significat quidem ipsum iustum siue rem iustam: deinde vero deriuatum est ad significandum artem siue vim qua cognoscitur ac definitur quid sit iustum. Hoc vero loco quando ius diuiditur in ius naturale, ius gentium, & ius ciuile, accipitur in secundo significato. Porro quid æquum sit ac iustum, inuenitur in quibusdam definitum ex naturali affectione seu instinctu omnium hominũ immo omnium animantium, & vocatur ius naturale. In quibusdam ex cõmuni omnium nationum iudicio, & vocatur ius gentium. In quibusdam ex legibus superiorum auctoritate latis, & subditorum consensu receptis, & vocatur ius ciuile. Vnde ius naturale est quo impellimur omnes, & commouemur ad agendum quod oportet, siue æquum est, habens duas partes. Quarum altera est affectio naturalis conseruandi se, altera mens qua rerum necessitatem perspicimus, illique sic consulimus, vt tranquillitas & societas in hac vita retineri possit. Illam vocant Iurisconsulti instinctũ naturæ, Philosophi vero ὁρμὴν φυσικὴν qua impellimur ad studium curamque nostri conseruandi, & eorum quæ ad nos pertinent. Nã secundum Aristotelem, quælibet res contendit esse, & quantum fieri potest, suam speciẽ conseruare. Itaque Iurisconsultus lib. I. Parag. Ius naturale. ff de iust. & iur. definit, Ius naturale esse tale quiddam, quod natura omnia animalia docuerit. Sicuti manifestè videmus omnia animalia magno impetu naturæ rapi ad curam sui, suique propagationem, & ad conseruationem eius quod ex se natum fuerit. Non opus est hîc testibus aut exemplis: res etenim per se nota est. Mentem verò vocamus illud rationis iudicium, quod nobis diuinitùs inditum, nobiscum nascitur. Vnde naturalis notitia iusti, est vis quædam in animis hominum, qua, non admoniti, per se æquum & iniquum naturaliter intelligunt. De qua loquitur Apostolus ad Romanos. 2. dicens: Cùm enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & cogitationibus inter se inuicem accusantibus aut etiam defendentibus. Sunt enim quædam sententiæ, inquit Cicero, tanquam dedicata simulacra, per quas naturaliter inuitamur ad agendum iustè, dehortamur ab iniusto. Atque harum in nobis tanta vis est, vt nos cogant nolentes & inuitos, non tantùm in alijs, verùm etiam in nobis ipsis, damnare iniquum, collaudare quod æquum est & rectũ. Hinc Salomõ: Secura, inquit, mẽs (scilicet sibi nullius cõscia mali) iuge conuiuium. Et Saluator, Vermis eorum non moritur. Vermis, id est, remorsus conscientiæ, quæ est sibi conscia mali, nõ moritur, ne in damnatis quidẽ: tã est cõnaturalis homini, iusti iniustiq; notitia quædã, semper assistens velut custos naturæ, mirè afficiẽs post boni executionẽ, incessanter quoq; pudefaciens post delicti perpe-

Quid significet vocabulum, Ius

Differentia inter ius naturale, ius gentiũ, & ius ciuile.

Ius naturale habet duas partes.

Prouer. 15.

Marc. 9.

perpetrationem. Vocatur autem naturalis ista iusti iniustique notitia à Psalmista, lumen vultus Domini signatum super nos: ab Apostolo, lex, qua Gentes, quæ legem non habent, ipsi sibi sunt lex: à Philosophis verò & nonnunquam Iurisperitis, Ius naturale simpliciter: à quibusdam verò ius naturale secundarium: nam primarium vocatur illud, quod natura docet omnia animantia, non solùm homines: in legibus denique Romanis, vocatur ius gentium, tanquam id, quod naturalis ratio inter omnes gentes constituit, & apud omnes populos pariter custoditur & obseruatur. Vnde Caius Iurisconsultus, Quod naturalis, inquit, ratio inter homines constituit, id apud omnes gentes custoditur, vocaturque ius gentium.

Psalm. 4. Rom. 2.

D. Igitur ius gentium, nihil differt à iure naturali. M. Differt à iure naturali primæuo, vt Iurisconsultus inquit, quod illud omnibus animantibus, hoc verò solis hominibus inter se commune est. Verùm à iure naturali secundario, quam mentem vocamus, & inest ex lumine signato super nos, omnino non differt, sicut docent præcedentia: maximè diffinitio Caij Iurisconsulti. Ius autem ciuile est quod efficiunt leges, quæ auctoritate publica editæ subditorum consensu receptæ sunt. Et hoc quidem ius in alijs atque alijs prouincijs diuersitatem sortitur, pro nationum qualitate. Verùm ius naturale primarium & secundariũ, quod & ius gentium appellamus, apud omnem vbique populum, vnum & idem est, nec immutari potest. Prout legitur matrem Dionysij Tyranni Siciliæ, cùm natus ex se filius sibi inferret stuprum, dixisse, Tyrannum quidem posse leges ciuiles mutare: sed iura naturalia prorsus tollere, omnino non posse. Valde autem elegáter docuit Marcus Tullius lib. 3. de Repub. dicens: Est quidem vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, cõstans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat: quæ tamẽ neque probos frustrà iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando mouet. Huic legi nec propagari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum, aut per populum solui hac lege possumus. Neque est quærẽdus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore vna lex & sempiterna, & immutabilis continebit. Hæc Cicero. Satis hinc intelligis, quid sit naturale ius gentium, quàm immutabile, quàm sempiternum.

Ius ciuile.

Ius naturale primæuum antiquius esse, & immutabilius iure gentium, & quæ hinc consequantur. CAP. IIII.



D. Vnc vellem declarares mihi id quod secundo loco propositum erat, videlicet priorem esse naturam: posteriorem verò conuictum hominũ & societatem. M. Sex diebus creauit Deus vniuersa, cælum, & terram, & omnia quæ mũdi circulo continentur: Hominem quoque, masculum & feminam fecit eos, à quibus disseminatum est vniuersum genus hominum. Prius igitur natura in protoplastis parẽtibus, deinde post multiplicationem, conuictus plurium, posteà ciuitas, hoc est, populus legibus sociatus, prout Cicero definit, atque exinde regnum, hoc est, populi seu ciuitates diuersæ sub vno moderatore fœdus & societatem habentes. Est autem natura, communis mater omnium hominum, quæ habẽs omnes æqualiter in visceribus suis, omnia sua bona effundit atque largitur citra vllam diuisionem aut distinctionem in communem vsum omnium illorum, quos velut sua propria pignora habet, hoc est, hominum. Siquidem omnia propter hominem condita, homo autem propter Deum, vti præclarè quidem dixerunt Stoici: multò autem præclariùs Scriptura sancta. Vnde donatione naturæ omnia sunt communia, hoc est, citra diuisionem & distinctionem data. Ex qua quidem donatione quæsitum est singulis personis ius quoddam indelebile, occupandi tantum de bonis naturæ communis parentis, quantum sufficere potest necessitati. Porrò eùm inciperet homo fieri populus, essetque iam non vnus atque alter homo, sed familia, sed ciuitas, sed regnum, tũc demum accessit ius gentium, ex cõmuni conditu cõmuniq; iudicio omnium, inducens proprietatem rerum, vt hoc esset meum, illud verò tuum. Commune enim iudiciũ hominũ perpendens nõ idẽ lumen discernendi, neq; eandem industriam cõseruandi esse in omnibus: sed in alijs quidem maiorem, in alijs verò minorem, in multis ferè nullam circa res communes vtiliter contrectandas: esse præterea miram inæqualitatem affectuum & deprauationẽ, adeoque reflexum vniuscuiusque amorem in se, vt omnes quærerent quæ sua sunt, nulli verò aut vix pauci quod aliorum est, vel communem habet vtilitatem, æquum iudicauit, vt quod quisque occupauerat, vel industria sua consquisierat, velut suum, sibique proprium retinere posset: idque propter tres caussas. Quarum prima est, Ne neglecta perirent, quæ natura profusissimè donat, paucis sincerè intendentibus in id quod alijs secũ commune est.

Quando intrauit mundum ius naturale.

Natura est cõmunis mater omnium.

Ius gentiũ induxit proprietatẽ rerum propter tria.

secunda, vt longiùs abesset confusio, quæ cötingere solet, vbi quilibet de quibusuis disponendi ius sibi præsumere potest. Tertia, vt magis pacificus atque tranquillior esset conuictus hominum inæqualium, rarò eòdem tendentiũ, nullo alterum turbãte in eo quod occupauerat, aut velut suum exercere cœperat. Has, dico, caussas, aliasque perpendens mens hominum ex lumine naturali, superaddidit ex communi condictu diuisionem rerum, dans vnicuiq; ius possidendi velut proprium, quod sibi in sortem venerat. Verùm commune hoc iudicium hominum, & natũ ex eo ius gentium, sicut presupponunt ipsam naturam, ipsum quoque hominem esse & viuere, ita etiam præsupponunt sufficientiam ad necessarium vsum singulorum. Quapropter & ius possidendi proprium, presupponit primæuum illud ius naturæ, quo iustum est, vt singuli sicut sunt viscera communis naturę, ita et habeant de cõmunibus bonis eiusdẽ naturæ, quantũ sufficit necessitati. Vnde quoties aliqui necessitatem patiuntur, hoc est, extremè egẽt, toties debet quod propriũ est iure gentium, redire ad communẽ vsum eorum qui egent, quantũ sufficit necessitati. Debet, dico, propter primæuum ius naturę, quod vt prius est iure gentium, ita quoque indelebilius atque perennius manet. Exempla huius rei vbique ad manũ sunt. Nam puteus aquarum quem fodi in domo mea, mihi vtique proprius est: attamen si casu omnibus vicinis meis defecerint aquæ, puteus meus mox omnibus communis esse debet. Haud dissimiliter in ciuitate quæ graui & longa affligitur obsidione, bona diuitum communia fiunt pauperibus ad sufficientiam necessitatis. Frumentũ quoq; quod collegi in horreum meũ ex proprijs meis possessionibus, meum solius est iure gentium: tamen si per caritatẽ omnibus deficiat annona, frumentum meum omnibus cõmune esse debet iure naturę. Quẽadmodum si quis in deserto, vel naui, solus panem habet, is cogitur iure naturæ suum panẽ facere cõmunem alijs, tã quoad vsum, quàm quoad proprietatem: cedit enim ius gentium propter necessitatem: bene intelligendo, ꝙ dum est vnde posset proximus iustum precium reddere pro eo quo eget, & tempus reddendi pretium intercedit, tam diu non habere eum omnimodam necessitatem. Quam si non habet, certè quod meum est iure gentiũ, illius fieri nõ debet me inuito, propter vllum ius naturę. Quoniã ius naturę licet cõmunionẽ rerum approbet: tamen non præcipit: cæterùm dictat autem & præcipit communicanda bona mundi pro necessitate: qua reuerà occurrente tum demũ cedit ius gentiũ iuri naturę.

Ius gẽtiũ cedit iuri naturæ.

Opus esse alia disciplina, alijsq; legibus tempore naturæ corruptæ, quàm tempore naturæ integræ. CAP. V.



M. Nunc transeamus ad tertium præpositum, videlicet, quòd alia disciplina alijsq; legibus eget natura corrupta quàm integra. D. Longè distare corruptum ab incorrupto vtrumque posse istud, ad quæ illud impotes manet, luce meridiana clariùs est. M. Natura integra, per se in officium spontanea, nusquam non ducitur virtutis amore: peccato verò vitiata & dissidet secum, & passionibus agitur magis quàm agit iudicio, vulneribusque saucia, nõ potest perficere etiam id quod vult, dicente Apostolo: Velle quidem adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Tantum abest, vt per se surgat ad omnia quæ meritò præstare debet. Si natura mansisset integra, hnc est talis, qualis ab initio condita erat, dubium non est, quin rerum omnium communio, atque vera libertas inter homines conseruari potuissent. Verùm postquam per peccatum primi parentis, cœpit esse natura humana & ad bonum impotens, & ad vitium prona, varijs insuper ardere concupiscentijs, adeò vt neque diuites satiare potuerint rerum copiæ, neque reges regna: non vnum Alexandrum totius mundi vastitas, inciperetque illud: Non hospes ab hospite tutus: Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est (Nam Cain qui fuit primus fructus naturæ corruptæ, trucidauit fratrem suum Abel, vel absque caussa) tunc mens, pars melior hominis, cœpit ex ingenita recti notitia iudicare æquum esse & consentaneum, vt sub certis titulis fieret rerum appropriatio, nimirum occupatione, captiuitate, inuentione, natiuitate, alluuione, plantatione, satione, cultura, traditione. Decernens peruersum esse & iniquum, atque iniustum dignaque animaduersione puniendum, si quis alterum in re sua turbaret, postquam aliquo dictorum titulorum eam possidere cœpisset. Augescente verò numero hominum magis ac magis, qui sapientiores erãt, vt Solon, Crates, Socrates, Cato, alijque moderatores populi, multis experientijs edocti, quòd ne sic quidem satis obuiatum esset iniurijs, circumuentionibus, alijsque malitijs iniquorum, suo superaddidère leges ciuiles de consensu cõmunitatis. Quæ & ipsæ habent suos titulos quib⁹ acquiritur res, possideturq; velut propria,

Multa per se potest natura integra, quæ per se nõ potest natura corrupta.

Rom. 7.

pria, vt vsucapio, præscriptio, donatio, testamentum, legatum, fidei commissio, arrogatio. Difficultates autem quæ circa eiusmodi surgunt titulos, iurisperitis relinquo: habet quoque sua edicta, statuta, & prohibitiones: ne alter alteri fiat damni caussa in re sua. Tertiò, suas pœnas maiores minoresue, pro quantitate delicti. Nam alios puniût pecunia, alios carcere, alios exilio, quosdam de vita tollunt, vel propter solam proprietatis turbationem. Vt est videre, discurrendo per libros iuris ciuilis. Ceterùm neque titulis his, & edictis, neq; pœnis aut comminationibus fuisset opus, si natura mansisset integra & incorrupta. Quapropter malitia hominum, magis quàm pura naturæ inclinatio, coëgit sapientes, vt discernerent æquam esse rerum proprietatē, & disciplina seueriori animaduertendum in eos, qui eandem turbare præsumerēt. Intellexisti quæ dico? D. Etiam, nempe ꝙ communis rerū possessio sit iuris naturæ: proprietas autem & distinctio rerum, iuris gentium, ac legum ciuilium. M. Sic tamen, quòd neque illam ius naturæ, neque hanc ius gentium ponat in obligationem, singulis habentibus sufficientiam ad vsum necessitatis. Sed vtrunque ius suam partem approbat, & velut æquam & consentaneam habet. Repetam simile superiùs allegatum. Maris & feminæ coniunctio, est iuris naturæ, virginitas verò legis Euangelicæ: attamen neque illam præcipit natura, neq; hanc Euangelium. Sed vt istam velut sanctā, & præludium quoddam illius supernæ atque Angelicæ puritatis probat Euangeliū, dicente Christo: Cùm à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælis. Ita illam ab initio velut æquam probauit natura, nullum tamen astringens ad coniunctionem matrimonialem, nisi fortè in casu necessitatis, quo alioqui cessaret sufficiēs propagatio generis humani: quemadmodum ius naturæ nulli imponit obligationem communicandi sua bona, nisi tum demum, quādo occurrit casus extremæ indigentiç. Quam ob caussam superiùs adieci, Habentibus singulis sufficientiam ad vsum necessitatis. Aliud simile. Quæ pater moriens relinquit filijs suis bona, indiuisim & indistinctim, sunt omnium filiorum communiter, nec dici potest de vlla parte, hęc illius est, & nō alterius. Verùm postquam per mutuum condictum facta est diuisio hereditatis paternæ, iam vnicuique pars sua sic facta est propria, vt non sit alterius. Et si exinde alter alterius partem inuadat, fur efficitur, aut raptor, peccans contra hoc mandatum. Vnde sicut se habet mutuum condictum fratrum ad ius successionis; ita se habet ius

Neq; ius naturale præcipit cōmunionē rerū, neque ius gentium proprietatem.

Marc. 12.

gentium ad ius primæuum naturæ. Et sicut ius successionis non imponit fratribus necessitatem possidendi communiter bona communis patris: relinquit tamen libertatem hoc ipsum faciendi si velint. Sic ius naturæ non imposuit vnquam præceptum possidendi bona naturæ communiter: reliquit tamen, prout adhuc sub tempore Euangelij, libertatem, hoc ipsum faciendi ijs, qui spontanea voluntate habent omnia inter se communia, de quibus statim agemus. D. Sed hoc mirum, quempiam fieri rerum furti, per hoc quòd rapit bona fratris sui, viso, quod sibi à patre relicta fuerint, & iure successionis sint quasi sua. M. In diuisione hereditatis, per mutuum condictum cedit vnuiquisque iuri suo, quoad partem alterius, lege publica approbante talem cessionem. Quapropter si postea inuadat, fit occupator rei alienæ, in quam ius nullum habet. Ideoque fur: quia furtum est occupatio rei alienæ. Eodem ferè modò per diuisionem bonorum mundi huius, factā ab olim ex mutuo condicto cessit vnusquisque iuri suo, quod ex conditione naturæ habuit quoad id, quod in sortem alterius venit: communi iudicio omnium, hoc est, iure gentium approbante talem cessionem. Quapropter quoties nunc quis aufert rem alterius, toties committit furtum, peccans contra ius gentium, hoc est, contra ius naturæ secundarium, & contra hoc mandatum Domini. Cessit, inquam, quantum cedere in sua erat potestate. Quod addo propter casum extremæ necessitatis: quia in nullius potestate esse potest, abdicare à se ius eorum, ex quibus necessario pendet conseruatio vitæ suæ. Vnde redactus ad extremam egestatem, ius habet, illoque iure vti potest, occupandi tantum de bonis alterius, quantum sufficere potest extremæ suæ necessitati: non autē vltrà. Si enim plus accipiat, quàm necesse erat, fur efficitur, & transgressor iuris gentium: quod non cedit primæuo iuri naturæ, nisi quantum necessitas requirit.

Quid dicendum sit de communione rerum, et proprietate earundem ex Scripturis sacris.

CAP. VI.



AT quid dicemus de proprietate rerum, & communione earundem ex literis sacris & iure diuino? M. Idem quod diximus hucusque, & pœnè eodem modo. Nam conditor mundi Deus, ab initio dedit homini bona mundi huius, citra vllam diuisionē & distinctionem, vt expressè habes Genes. 1. & 9. cap. Omnia enim D.

condi-

1.Cor.3. condita sunt propter hominem, hominique in vsum donata: adeò, vt dicat Apostolus, Omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus verò Dei. Et id sanè quasi in communi, absque eo, quod vni plus, alteri minus: vni hoc, alij aliud assignaretur. Ex quo indubiè quæsitum est vnicuique ius quoddam, plus quàm humanum, aut naturale, habendi tantum de rebus mundi huius, quantum sufficere potest necessitati. Quòd Ius nulla lex, nulla ordinatio positiua superueniens, delere potest. Nihilominus faciens Deus hanc donationem nusquam præcepit, vt homines quæ sine diuisione donata erant, indiuisim & in communi possiderent. Quin potius incipiente multiplicatione generis humani, mox etiam incepit diuisio & proprietas rerum: testante Scriptura, quòd Abel obtulit Domino de primogenitis gregis sui, Genes. 4. Et Cain de frugibus suis. Abel pastor ouium erat, Cain agricola, & possessor fructuum terræ. Ecce, meum & tuū ab initio vsque mundi, sicque vlterius crescentibus familijs, creuit occupatio, creuit distinctio rerum, creuit proprietas possessionum, communi iudicio hominum superaddente ad communem donationem Dei, meum & tuū, etiam in viris sanctis. Quod adeò non repugnat diuinę donationi, vt in Biblijs sacris nusquam non sint obuia, meum, tuum, emptio, venditio, mutuum, commutatio, donatio, possessio. Quod plus est, Deus ipse vallauit Iob bonis terræ super omnes coætaneos suos, eratque possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis. Dixit quoque Deus ad Abraham, Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo in sempiternum. Igitur terra illa Palestinæ facta est Abrahæ propria possessio, etiam Dei donatione. Sed & Abraham dixit ad Lot fratrem suum, Ne quæso sit iurgiū inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est, recede á me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Vides quòd etiam inter fratres, & sanctos fratres, qui Patriarcharum nomine digni sunt inuenti, non habebatur cōmunis rerum possessio, sed erat inter eos meum & tuum? Habes insuper Genes. 10. quod à filijs Noë diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secūdum linguam suam & familias in nationibus suis. Adhæc à Iosue diuisa est filijs Israël terra sancta in funiculo distributionis: quam tamen Deus dederat Abrahæ & semini eius citra diuisionem, vt patet euidenter ex

Ius primæuū naturę nulla lege aut ordinatione deleri potest.

Meum & tuū fuerūt inter homines ab initio mundi.

Iob.1.

Genes. 13.

Proprietas rerum probatur licita Scripturis vet. Test.

Scripturis præallegatis. Immo discurrendo per totam historiam veteris Testamenti, vix inuenimus aliquem Sanctorum aut Patriarcharum, qui non habuerit proprium. Quin potiùs inuenimus quòd Deus ipse dans legē de cælo in manu Moysi, multifariam, multisque modis approbauit possessionū proprietatem, decernens leges, minas quoque & supplicia in eos, qui turbatores deprehenderentur eiusdem. Quid enim aliud est quòd in Decalogo prohibetur furtum, & concupiscentia alieni, quàm quòd Deus velit cuique suum sibi manere tutum? Quid quòd iubetur reddere duplum, aut quadruplum, aut septuplum eius, quod quis furatus est, nisi vt propter magnitudinem pœnę quisque abhorreat inuadere alienum? Est igitur manifestū, quòd tempore legis, diuino iure licuit habere proprium. In nouo quoque Testamento præcepta Euangelica de furtis, fraudibus, rapinis, concupiscentijs, circumuentionibus non perpetrandis, manifestè præsupponunt proprietatem rerum pro tempore Euangelij. Insuper quando Saluator dicit, Mutuum date, nihil inde sperantes: subindicat apud mutuantem esse rei suæ proprietatem. Item, quando dicit: Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? Videte, inquit, & cauete ab omni auaritia. Non autem dicit, Cauete à proprietate rerum: quod tamē eo loco dicendum erat, si est illicita. Quam sanè non esse illicitā, apertissimo argumēto probauimus ex Actis Apostolorum. Nam Act. 5. Apostolus Petrus ad Ananiam conferentem partem pretij agri sui, quem vendiderat, in cōmune, ante pedes Apostolorum, dixit: Anania, Nónne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate? quasi diceret: Anania, ager tuus, reuerà, sua fide, tuus erat, tibique manebat, donec eū venderes, & eùm venundatus esset, etiam pretium ipsius adhuc in tua potestate erat, Christianus esse poteras, & Deo fieri carus, seruatis possessionibus tuis. Quare ergo posuisti in corde tuo hanc rem: videlicet vt conferres in commune partem pretij, pro integro pretio, mentiendo Spiritui sancto? In quo vno erat tota ratio peccati Ananiæ: non vtique in possessione proprietatis, nō etiam in venditione, aut in eo quod partē pretij seruaret: sed quod partem pretij offerret pro toto, mentiendo Spiritui sancto, & fraudando communitatem in qua (quia singuli totū quod habebant conferebant in commune) singulorum necessitatibus de communibus ministrabatur, prout cuique opus erat. Approbauit igitur B. Petrus proprietatem rerum in homine Christiano, redarguens fraudem Ananiæ mentientis. Insu-

Proprietas rerum probatur licita Scripturis nou. Test.

Luc. 6.

Luc. 12.

Insuper Cornelius centurio factus fidelis, licet vir diues esset, non legitur tamen compulsus fuisse communicare alijs suas possessiones. At quid tempus perdo in re manifesta? Tantùm volo, vt duo hæc insculpta menti retineas: nempe; nulla vnquam lege iuris naturæ, aut Euangelij fuisse præceptam communem rerum possessionem. Deinde iure gentiú, iure quoque diuino tam legis Moysaicæ quàm Euangelij, & humanis constitutionibus, semper approbatam fuisse & esse rerum proprietatem. Sic creditum, sicq; semper doctum fuit ab initio nascentis Ecclesiæ hucusque. Sed & communi consensu Christiani orbis ab æuo receptę sunt leges ciuiles per omnem Ecclesiam. Quapropter debet Christianus illis in diuisione rerum acquiescere, & iuxta eas commercia rerum exercere, modis insuper acquirendarum possessionum, qui ab illis traduntur pacificè vti. Decet enim bonú ciuem, vt solicitè custodiat quod moribus & consuetudine introductum est, nec vlli Iuri reperitur contrariú. l. De quibus. ff. De leg.

Aliud argumentú. D. At quid dicemus ad sententiam Philosophorum Platonis & Senecæ, cuius suprà meministi? M. Quòd satis quidem per se speciosa fuit illorum opinatio de communione rerum, præsertim ipsis, aut non intelligentibus naturalem totius humanæ naturę corruptionem, aut arbitrantibus quòd suis philosophicis præceptis possent affectus hominú incorruptos facere. Quod q̃ sit impossibile, vti luce clariùs docet Euangelium: ita palàm demonstrat experientia sumpta sub lege veteri. Quoniam ne illa quidem lex, quæ cælitus ab ipsomet Deo data fuerat, potuit homines iustos facere, aut incorruptos. Si enim ex lege est iustitia, inquit Apostolus, ergo Christus gratis mortuus est. De quo diximus libro primo. Aspiciebant igitur illi Philosophi á longè, quid foret optimum, verùm vnde fieret hoc ipsum, præstare non potuerunt. Potuerunt autem Christus & Spiritus Dei sanctus. Quapropter ipsis reseruatum esse oportuit peculiare hoc & eximiú genus vitæ, quod sine magnis muneribus Dei in vsu hominum esse non potest.

De varijs modis contrectandi alienum inuito domino, nonnunquam vel absq; omni transgressione huius mandati. CAP. VII.

M. X præmissis consequitur, primò q̃ sit transgressor huius mádati, quicunque facit alium non habere, quod alioqui suum est, aut sibi debitum aliquo legitimo titulo iuris naturæ, iuris gentium, aut ciuilium legum: quocunq; modo id faciat, clanculum vel palàm, dolo aut fraude, auferendo vel detinendo, prout faciunt qui restituenda non restituunt, vel destruendo, vel annihilando, prout faciunt incendiarij, depopulatores, malefici. D. Quid si quis per seipsum non faciat, suadet tamen, aut consulit, vt fiat? M. Regula Apostolica quam Paulus ponit ad Romanos primo, sic habet: Non solùm digni sunt qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Igitur non solùm rei sunt furti, qui auferunt aut detinent alienum, sed etiam quicunque consentiunt auferentibus vel detinentibus. Consentiunt autē proculdubiò qui auxiliú præbent vel consilium, potissimùm qui mandant, suadent, vel hortantur, insuper qui occultant, recipiunt hospitio, aut non manifestant. Item qui nō impediunt aut prohibent, intellige, vbi & quando ex officio prohibere vel impedire debent. D. Quid si consentiat is cuius res detinetur? M. Rursum docet regula iuris, quòd scienti & consentienti non fit iniuria: modò consensu sit liber. Alioqui si ob necessitatem quā aliàs euitare non possum consentiá, aut si minis, vel metu cadēte in constantem virum consensum à me extorqueas, etiam si dico. Tolle, do tibi: non tamen ob id cessat iniuria. Talis enim consensus non est liber: sed fit duntaxat vt vitam redimam, aut maius incommodum vitē. Vnde quod datur vsurario vltra sortē, furtú est, & peccat ille accipiēdo cōtra hoc mádatú: quia nō liberè datur, sed cōpellente necessitate: vt scilicet, pauper homo accipiens ad vsuram, maius malú euitet. Itē quod datur vt redimas iniustam captiuitatē, non fit illius qui accepit: sed rapina illi est contra hoc mandatum. Sic quod das latroni, vt corp⁹ serues. Quod Principi in gabellis iniustis aut impositionibus, ne via facti in reliqua manú mittat. Quod aduersario, vt iniquę litis vexationē redimas. Quod iudici: quod Aduocatis, quod Procuratoribus propinare cogeris vltra iustá mercedé laboris, alioqui nō audiendus in iustitia: hæc & similia das quidē, & cōsentis in alienationem rei tuę. At quoniá reuerá esset in te dissensus, & dare omnino nolles, nisi vrgeret præsens necessitas: ideo illi iniustè accipiút, peccantes contra hoc præceptú, & restituere tenétur. D. Ergo peccant prætores, dum púniunt rerum confiscatione: fiunt enim eiusmodi confiscationes, illis qui mulctantur, prorsus inuitis & reclamantibus. M. Etiam huic difficultati diluendæ sufficit vna illa regula iuris perelegans, Nemo damnum facit, qui id facit, quod facere ius habet. Damnum enim aut iniuria propriè dici debet, quod cōtra legem aut ius infertur, vt is qui lege non per-

De his qui præbēt auxilium vel cōsilium.

De his qui extorquent per vim, metú, aut necessitatē.

De baliuis auferentibus per confiscationē.

permittente aliquid facit, damnum facere vel iniuriam intelligatur: facit enim quod facere ius non habet. Vnde Magistratus vel Prætor si vi quadam cõfiscet bona maleficorũ, in iniuriam non redundat, neque ob id tenetur ad restitutionem: facit enim quod facere ius habet. Verum quidem est, quòd inuito beneficium non præstatur: attamen in inuitum pœna iustè decernitur, si delicti meritum sic postulet. Itaque qui plectuntur rebus suis, sicut qui capitis damnantur vel exilij: licet dissentiant actu volito, consentiunt tamen actu debito: eo quòd Deo iustitiæque publicæ omnia subiecta esse debeant, tã bona quàm corpora, & tam corpora quàm bona. Iudex autem damnans aliquem rerum suarum secundum iustitiam: non hoc facit vt Petrus aut Paulus, hoc est, tanquam persona priuata, sed vt minister Dei & communitatis: quare in tali facto, nec fur nec raptor censeri debet, sed executor iustitiæ publicæ. Idem dicendum est de rapinis & deprædationibus quas faciũt in iusto bello milites: quoniam ministri sunt iustitiæ vindicantis aduersariorum malitiam, quare non peccant contra hoc mandatum, neque ad restitutionem tenentur. Secùs autẽ dicendum de iniustis bellis. Nam iniusta bella, quid aliud sunt, quàm latrocinia: quàm rapinæ? quam furta? Prout lepidè dixit pirata quidam ad Alexandrum Magnum: Ego, quia parua scapha ago, pirata dicor: tu verò quia triremibus agis, imperator: Idem tamen agimus, speciosum scilicet iniquitatis ludum. De bellis autem quæ licita, quæque iniqua sunt, diximus abundè satis in præcepto, Non occides. De populo verò Israëlitico spoliante Aegyptios in exitu de Aegypto, iam non difficile erit respondere, quoniam damnum nullum intulerunt, neque iniuriam fecerunt Aegyptijs. Nemo enim faciens id quod facere ius habet, damnum aut iniuriam facit. Israël autem ius habuit faciendi quod fecit, Deo donante potestatẽ vt spoliarent Aegyptios, Exod. 11. & 12. Voluit enim Deus, vt filij Israël exeundo spoliarent Aegyptum, vtque possiderent terram Chanaan interfectis habitatoribus eius, vastarent quæ ipse vellet, seruarent sibi in vsum quæ vellet, distribuerent inter sese quomodo ipse vellet. Vt sic palàm declararet se dominum mundi esse, & vniuersorũ quæ in mundo sunt: adeoque merum ac plenum apud se esse dominium omnium: vt nemo dicere debeat, Cur fecisti sic? Iusto siquidem iudicio facit Dominus vniuersa quæ facit: quare hominis non est interrogare, Cur fecisti sic? Nam Abraham accipiens mandatũ interficiendi filium suum Isaac, non interrogauit Dominum, Quare ita? Quid fecit? Aut, Quid peccauimus ipse vel ego? Satis namque esse debet homini, Dominum sic præcepisse, Domini sic esse voluntatem. Nihil tam inculpatum, q̃ quod Domini fit iussione. Nihil tã iusto titulo possidetur, q̃ quod Dei donatione habetur. Si tua mihi donaret Deus, etiã te inuito raperem, nec reus fierem alicuius mali.

De ablatis in bello iusto.

De spolijs Aegyptiorũ factis per Israëlitas.

De ijs qui in necessitate occupant aliena.
CAP. VIII.

Ex præmissis consequitur & illud, quòd laborans extrema egestate, si apprehendat alienum, ipsa apprehensione suum facit quod apprehendit, nec delinquit contra hoc mandatum, neque damni auctor haberi debet. Patet per eandem regulam iuris, Nemo damnum facit, qui id facit, quod facere ius habet. Porrò iste per necessitatem in qua est verum ius habet à lege naturali faciẽdi quod facit. Omnia enim in necessitate sibi communia sunt, quantũ sufficere potest necessitati, vt doctum est suprà. D. Quid si nolit is cuius cibũ aut vestẽ apprehendit? M. Nihil impedit. Quid enim si malus sit ille, impius aut iniquus? Certè iste ea necessitate pressus, potius ius habet apprehendendi, q̃ ille possidendi. Antiquius siquidem est & immutabilius ius naturę q̃ ius gentium aut ciuile. Quare vt ius gentium, ita & ius ciuile cedere debet, superueniente necessitate, prout superiùs declaratum est. Debet igitur ille cui aufertur, esse contentus. Quòd si repugnat, non solùm impius est in proximum, sed & iniquus. Quapropter constitutus in extrema indigentia, hoc est, verè necesse habens, si supplex petat à diuite subuentionem, & deneget diues, indubiè ille diues denegando fur efficitur & raptor, peccás expressè cõtra hoc mandatum. Detinet enim iniustè alienum, alteri optimo iure debitum, non minus q̃ ille, qui post expiratum terminum, in mora est soluendi debitum. De quo infrà latiùs. Et hanc ob caussam diues Epulo, non solùm impius erat, sed & iniustus, non dans Lazaro petenti in extrema necessitate. Iacebat enim ante fores, nam stare impotens erat, vlceribus plenus, ita famens vt de micis cadentibus de mẽsa Epulonis cuperet satiare latrantem ventrem. An non hoc erat esse in extrema, vt vocant Scholastici, necessitate: iacere humi præ debilitate, quam egestas attulerat, hominem vlceribus plenum, ita famentem, vt appetitus se extenderet ad cibum canum, hoc est, ad micas in terram decidentes, quas alij cõculcant pedibus? Ius igitur erat apud

M. Constitutus in necessitate extrema, si rapit aliena, non peccat.

Qui negat cõstituto in necessitate, iniquus est, nedũ impius.

apud Lazarum petēdi, imò rapiendi si potuisset. Econtrariò magna impietas, magnaque iniustitia apud Epulonem non dantem, imò non soluentem quod debitum erat Lazaro: quapropter & meritò dicitur sepultus in inferno, Luc. 16. Nec excusat, si quis cogitet, Sūt multi alij fortassis me ditiores qui subuenire poterunt: nam diuitē Epulonem hoc ipsum non excusabat. Quandoquidem dicendum erat ipsi, O Epulo tu nunc cognoscis statum istius extremè indigentis, tibi pręsens est, à te petit sibi bono iure debitum: habes pręterea tu vnde possis (nam epularis quotidie splendidè) & vides, hoc est, clarè cognoscis, reuerà esse necessitatem, nedum indigentiam in petente. Igitur si non das, in mora es non soluendi, & ideo detentor alieni, violās ius naturæ, & præuaricator efficeris huius mandati, imò homicida si ille necessitate pereat: iuxta illud Ambrosij, Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti. Et sanè multò crudeliùs latrone: quoniam ille non interficit, nisi spe magnæ prædæ: tu verò fame necas hominem tibi supplicem, idque ne vnius panis incommodum feras: nuditate contabescere permittis, malens vestem tuam tinearum esse cibū, quàm fraterni sanguinis tegumentum. Nunc facilè erit intelligere quàm verè iuxta ac ardenter locuti sint in hac materia eximij illi doctores Basilius Magnus, B. Ambrosius, D. Bernardus. Basilius quidē hoc modo, Quis, quæso, auarus? Ille qui paruo, & eo quod satis esse debet, non est contentus. Quis verò peculator? Ille qui aufert aliena. Tu ergo non auarus? Non tu peculator, cùm ea quæ ad dispensandum distribuendumq́; receperis, tibi propria facis? Num qui vestē diripuerit, spoliator nominabitur: qui autem nudum nō texerit, modò possit, alterius cuiusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis quem tu retines: nudi est vestis quam in arca custodis: discalceati calceus qui apud te marcescit: egentis argentum quod tu in terram fodis. Denique tot affers iniurias hominibus, quot deseris cùm iuuare possis.

Basilius ser. 1. in diuites auaros.

Ambrosius verò vbi tractat illud Euangelij, hominis cuiusdā diuitis vberes fructus ager attulit, dicit hoc modo: Non minus est criminis habenti tollere, q̃ cùm possis, & abundas, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorū redemptio & absolutio pecunia quā tu in terrā defodis. Tot re ergo scias inuadere bona, quod possis pręstare, quod velis. Hęc ille. Et D. Hieronymus sic dicit, Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. D. Hæc opinor dicunt sancti illi patres de ijs, qui arctissima anguntur necessitate. M. Et de illis hucusq́; nos locuti sumus. Certum enim est, hæc & eiusmodi non dici de vulgo mendicātium.

Ambros. serm. 81.

De vulgo mendicātium.

Nam illi frequenter & suauiùs acquirūt, q̃ alij cōmunis fortunæ populares, & minus esuriunt. Licet enim ostiatim mendicātes non habeant ad pompam, habent tamen ad sufficientiam, sæpè non minus q̃ agricolę, aut populares opifices: ipsi quidem assiduè mendicādo, agricolę verò ceteriq́; opifices indesinenter laborando. In eo sanè agricolis artificibusq́; feliciores, quòd otiosa mendicitas minus habet sudoris, minus etiam anxietatis, q̃ agricultura, aut ars manualis. Longè profectò aliter dicendum est de ijs qui egent rebus ad vitam necessarijs, seu verè necesse habent. Pallent labia fame, cibum tamen nullum habent: nudi sunt, attamen vrgente frigore, necessario cooperculo prorsus carent. Aut vir languet, aut mulier proxima est partui, tamē ferè nihil adest eorū quę necessaria sunt: alget focus, vacat prōptuaria, ad requiē nihil quod supponatur, nihil quod superponatur. Neq; putare debemus extremā tūc solùm esse necessitatem, quando quis iā fame moritur, aut perit egestate. Hęc enim nō extrema, sed veriùs exterminij necessitas dici debet: quinimmo interitus est, nec ampliùs necessitas vocari potest. Nemo enim eget, aut necesse habet ijs, quę iā prodesse non possunt. Morituro etiā si regias dapes adferas, nihil subuenis: perijt appetitus, perierunt viscerum vitalia officia, nihil iā capit cibi, sed nec capere potest. Quare non his rebus pro eo tempore eget, sed magis Christi Sacramentis, bonaq́; informatione, & consolatorijs verbis atq; oratione.

Quādo sit extrema necessitas.

Quæ si tunc neget pastor, aut illi quorum interest ministrare, indubiè & ipsi fures sunt & latrones, denegantes huic quod iure diuino ei debitum est, tantò crudeliùs peccantes contra hoc mandatum, quantò anima præstantior est corpore, & diuiniora sunt bona gratiæ bonis transitorijs huius mundi. Nec minus peccant cōtra hoc mandatum Episcopi, ecclesiarum curatores, qui non pascunt populum sibi commissum, verbo, Sacramentis, & disciplina, vti oportet: sed patiūtur eos contabescere fame verbi diuini, aut defectu Sacramentorum vel disciplinę: sicuti infinitę Ecclesię nunc derelinquuntur in extrema necessitate, multis in ęternum pereuntibus, non ob aliud q̃ propter defectum pabuli & congrui ministerij. Fili, sint tibi hęc dicta pro regulis, Pasce pane tuo fame morientem: si non pauisti, occidisti. Pasce verbo Dei subditum tuum morientem defectu eiusdem: si non pauisti,

Quando peccēt pastores & episcopi contra istud mandatum.

uisti, occidisti. Pasce Sacramento: si non pauisti, occidisti eum qui moritur defectu Sacramenti. Consolida infirmum in fide: si non consolidasti, occidisti pereuntem. Recollige errabundū: si non recollegisti, occidisti. Vesti nudum: si nō vestisti, occidisti, si nuditate pereat. Verùm subintellige in omnibus his, modò habeas, vnde possis: maximè, modò eo cō stitutus es loco, vnde debeas: non solùm ex lege pietatis, sed etiam ex officio & per consequens ex iustitia, qua teneris officio suscepto satisfacere. Omnia enim hęc, panis tuus, vinum tuum, vestis tua, sunt alijs cōmunicanda ex iure naturali dum necesse habent. Itē verbū Dei, Sacramentum, instructio in fide omnibus indigentibus cōmunicari debēt, in primis ab ijs qui præsidendi potestatē acceperunt. Væ enim incūbit eis, si non faciunt: & quidem væ duplicatum, si cessantibus ipsis pereant illi. Sanguinem illorum, ait Dominus, de manibus ipsorum requiram. O quàm graue onus est cura pastoralis, quamque horrenda pericula latent sub specioso præsulatus titulo. Sed de his hactenus. D. At quæ est propriè extrema necessitas? M. Est vera necessitas, qua neque maior, neque diuturnior esse potest, quin allatura sit verisimiliter ingens malum, nēpe defectionē vertiginē, morbū, apostemata, aut alia eius notæ periculosa incōmoda: aut quin cogat personā subijcere sese manifesto discrimini, vel notabilem subire infamiā, aut distrahere omnia quæ habet etiam instrumenta artis suæ, quibus distractis neque sibi, neque suis prolibus alendis sufficiens erit. Dum autem hæc vel eiusmodi prorsus incumbunt ex defectu rerum quibus necesse habet, iam rectè vocatur extrema necessitas, cui ex obligatione iuris naturę teneris subuenire de abundantia tua, siue de eo quod superest tibi: maximè si humiliter postulatus fueris. Alioqui detines alienū secundum Ambrosium: & iniuriam facis secundū Basilium: nec potest in te manere caritas Dei secundum Ioannem Apostolum. Quid nunc tibi videtur? An superfluum erat quod digressi fueram* ad explicationē discriminis, quod est inter ius naturale, ius gētium, & ius ciuile?

Quæ sit necessitas extrema.

D. Nequaquam. Quoniam ex illo constat fures & raptores fieri, qui citra necessitatem inuadunt bona aliena, dicentes omnia debere omnibus esse communia. Item fures fieri & raptores qui alijs necesse habentibus non porrigunt, quo citra notabile periculum sui & suorum carere possent. Et vtrosque transgredi istud mandatum. M. Bene est. Infrà adhuc plura colligemus ex eadem distinctione. at nunc pergamus ad alias difficultates.

Quale peccatum sit furtum & cuius malitiæ. CAP. IX.

D. DVo hoc loco interrogare debeo. Primum, An furtum sit peccatum mortale, mergens animam ad interitum? Secundum, An furta sint omnia eiusdem naturæ & malitiæ? M. Quantum ad primum exactè satis & pertinenter, nec non consolatoriè scribit doctus Caietanus, cuius hæc in effectu sunt verba, Furtum, hoc est, occulta acceptio alienæ rei inuito domino, peccatum est mortale ex suo genere: quia iustitiam violat contra caritatem proximi. Potest tamen esse veniale propter imperfectionem actus, vel ex parte primi motus, vel ex parte paruitatis rei: quia modicum pro nihilo reputatur: non enim reputatur quis læsus in rebus suis ex eo, quòd res minimi momenti sublata est, vt pomum vnum aut alterum, vna aut altera rapa, vel virgulæ aliquot de arboribus ad parādas scopas. Sunt autē quatuor circa furti peccatum aduertenda. Primum animus furandi. Qua in re ne erres, intelligendo, si quis surripit pomum, peccet statim mortaliter, eò q habeat animum furandi pomum illud, error est iste. Siquidem animus furandi, importat animum inferendi nocumentum proximo. Non vocatur autem propriè nocumentum, si est nocumentum secundum quid, quale est nocumentum in re minima. Et propterea per animum furandi, intellige solummodo animum surripiendi aliquid notabile. Vnde si quis surripiat aliquid minimum, neutiquam habens animum surripiendi quod notabile est, & verè damnificaret, vel inter viros alioqui cordatos amicitiam solueret, is excusatur à furto mortali. Si autem paruum surripit, ita tamen quòd si posset, notabile aliquid subduceret, proculdubiò animo egit furandi, & peccauit ex furtiuo animo mortaliter. Et hinc habes, vnde furta famulorum famularumque excuses, quando domi comestibilia surripiunt vt comędant. Sunt enim communiter peccata venialia, & aliquando nullius omnino culpæ, potissimùm quando vrget naturę necessitas, & herorum inhumana est tenacitas. Signum autē animi non furtiui est, si non permagni æstimat accipere, ea de caussa, quoniā modicū est quod accipit. Sunt interim hęc minima summopere pręcauēda & studiosè corrigenda, maximè in iuuentute. Sensus etenim & cogitatio humani cordis per se in malū prona, fiunt vel modica assuefactione multò propensiora. Aquarum licet singulæ vndę non nisi modicum atterant terrā: tamen assiduitate vel aggeres rūpunt profluunt.

Furtū est peccatum ex genere mortale. Quibus de caussis furtū fiat peccatum veniale.

Quatuor cōsiderāda circa peccatum furti. Animus accipiēdi, quia modicū est, non est propriè animus furandi.

fluuntque in immensum malum. Secundum est de inuito domino. Intelligi nanque debet de eo qui est inuit°, respectu rei, ad hoc quod sit furtum. Potest siquidem dominus rei esse inuitus dupliciter, vel quantum ad rem quæ surripitur, vel quantum ad modum quo tollitur: puta quia displicet sibi quòd occultè accipitur, non autem quòd res tollatur. Vt sæpè contingit in furtis domesticis inter patrem & filium, inter dominum & famulum. Non vtique furtum committit filius occultè surripiens res patris, volentis filium res illas habere, tamen nolentis ꝙ occultè surripiat: quia tunc propriè loquendo, non inuito, sed non vidente domino accipit. Et hinc multas surreptiones domesticas excusare poteris: dũ præ verecundia tolluntur res occultè, nõ inuitis dominis, quoad rem: venialia siquidem sunt omnia. D. Quid si parentes vtroque modo inuiti sint, & quoad rẽ, & quoad modum. M. Certè tunc furtum filiorum & filiarum est peccatum mortale, tantò grauius, quantò parentes minùs sunt iniuria afficiẽdi quàm alieni. Veluti cùm filij aut filiæ frumentum surripiunt de horreo parentum, aut pecuniam de officinis, aut res alias, vt habeant quod expendant in nequitijs suis, in scortationibus, vel potationibus, vel curiositatibus superfluis, si modò sit notabile quod furantur, de quo præsumere nequeunt, parentes non ægre laturos. Tertium, quod considerandum docet Caietanus, est, quę res dicatur aliena. Intelligitur enim in proposito res aliena, non solùm quantum ad dominium: quia scilicet est res alterius, sed etiã quantum ad custodiã vel detentionẽ. Ita ꝙ si quis rẽ propriam, quam alius vel in pignus, vel in depositum accepit, aut etiã quam alius occupat siue licitè siue illicitè, furtiuè ei surripiat, is furti crimen incurrit. Quia rem alienam, quantum ad custodiam occultè accipit, custode inuito: debet enim iuris ordine seruato rem suam repetere, & non sibi ius dicere. Est autẽ hic obseruandum, ꝙ licet ita fieri debeat regulariter, in casu tamen quo quis non potest iuris via rem suam recuperare, aut propter suam paupertatem, aut propter excellentiam detinentis, aut propter defectum iudicis vel probationum, aut propter scandalũ & diffamatione eius qui detinet, potest tamen citra scandalum secretò recuperare quod suũ est, nõ est reus furti in tali casu, nec propriè sibi ius dicit, sed exequitur ius naturale circa rem suam, ex quo ius ciuile impeditũ est sibi. Veruntamen in hac re, non tuo solius stabis iudicio, sed cõsules priùs virum aliquẽ timentẽ Deum, boniq; cõsilij: ne cadat in te quod vulgò dici solet, Nemo idoneus est iudex in propria caussa. Quartò cõsiderandum est, quòd ea quæ inuenta sunt, inter aliena cõputanda veniunt. Tenetur enim inuentor non sibi seruare rem inuentam, sed eam reddere domino suo: alioqui furtum seu rapinã committit. Inquit enim B. Augustinus, Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti: quia plus non inuenisti, ideo plus non rapuisti. Qui alienum negat, si posset & tolleret, Deus cor interrogat, non manum. Addit B. Hieronymus super Leuiticum: Multi sine peccato putant esse, si alienum quod inuenerint, teneant. Et dicunt, Deus mihi dedit, cui teneor reddere? Discant isti peccatum hoc, simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat. Oportet igitur rem inuentam reddere vero domino suo: si cognoscatur, aut diligentia præmissa inueniri potest. Si autem dominus non inuenitur, quia fortè viatori excidit, tum debet reddi illi in bonis spiritualibus: ex quo in tẽporalibus reddi non potest. D. Quomodo in spiritualibus? M. Vt conuertas in pium vsum diuini cultus, vel eleemosynarum ad refrigerium animæ illius qui perdidit. Quòd si tu inuentor non minùs eges, quàm alij pauperes, ipse teneto per modum eleemosynæ. Attamen expedit in eiusmodi adhibere iudicium discreti viri, maximè eius qui pastor est animæ tuæ. Si verò res inuentæ domino carent, & prorsus pro derelictis habẽtur, iam sunt inuentoris, quomodo volucres cæli, pisces maris, animalia siluestria, & quæcunque in nullius dominio existunt, occupantis fiunt. Porrò naufragorum bona iuxta leges quorundam litorum confiscata ex hoc ipso quòd ex naufragio sunt, nescio qua iustitia occupentur: nisi illa, quã afflictio additur afflictis. Vnde non leges, sed legum corruptiones atq; tyrannides sunt, quę eiusmodi constitutionibus decernũtur. Nec excusantur obseruantes illas, immo, vt patet de rapto cap. Excommunica. nisi ablata restituant, excommunicationi se nouerint subiacere: potissimùm qui Christianos naufragium patientes spoliant hac confiscationis specie. De rapina verò, an sit peccatũ mortale, sic testatur idẽ Caietanus, dicẽs: Rapina qua quis accipit res alienas per violentiam, peccatum est mortale: quia iniuriam infert proximo, & quantum ad res, & quantum ad modum, directè repugnans tam caritati quàm iustitiæ: Qui non diligit, inquit Ioãnes, manet in morte. At qui facit proximo per vim & violentiam, quod nullo modo vellet sibi fieri, is indubiè agit cõtra dilectionem proximo debitam: peccat igitur mortaliter. D. An sit rapina, quoties

Dupliciter potest dominus rei ablatę esse inuitus.

Quæ res dicatur aliena.

Licet aliquo casu furtim sibi res suas recuperare.

De rebus inuentis restituendis.

August. ser. 19. de verbis Apostol.

De bonis perditis per naufragium.

Rapina est peccatum mortale.

per violentiam aufertur res aliena? M. Non sanè: sed solummodo tunc est rapina, quando aufertur per iniustam violentiam: videlicet contra leges & æquitatem. Verùm de hoc satis est dictum suprà. Differt autem rapina à raptu, quòd raptus respicit personam, rapina verò rem. Ceterùm raptus quo rapiuntur personæ, maximè puellæ ad vsum carnis, tantò est grauius crimen, quantò persona dignior est rebus exterioribus. De quo egimus suprà in præcepto, Non mœchaberis.

Differunt rapina & raptus.

Non omnia furta esse eiusdē generis & malitiæ. CAP. X.

M. Quare nō omnia furta sint eiusdem generis.



Nunc ad alteram partem quæstionis tuæ, nēpe, An omnia furta sint eiusdem naturæ & malitiæ, quam vt probè explicemus, aduertere debes. Primò, non eiusdem esse generis iustitiam quæ violatur per furta. Secundò, non eiusdem rationis esse, aut momenti nocumēta quæ per furta inferuntur. Tertiò, eorum qui furtis damnificantur diuersam esse dignitatem. Quartò modos furandi alios alijs esse pestilentiores in Repub. Quas ob caussas furta aliquando diuersę sunt naturę secundum speciem: aliquando duntaxat diuersæ malitiæ secundum maius & minus. Iustitia est quę reddit vnicuiq; quod suum est: iniustitia quæ contrà facit. Iustitia est duplex, Distributiua & commutatiua: & vtraq; ex suo nomine, nota esse potest. Illa obseruari debet in distribuendis rebus cōmunibus, hoc est, rebus illis, quę pertinent ad cōmunitatem aliquam. Ista verò obseruanda est in commutandis seu contrectandis rebus ijs, quæ particularibus personis peculiares sunt, aut in quibus non attendimus nisi æqualitatem rei ad rem. Est autem diuinius bonum commune quàm priuatum: & ideo sacratior iustitia distributiua quàm commutatiua. Quapropter & furta quæ violant distributiuam alterius sunt naturæ, & multò maioris malitiæ, q̄ quæ violant commutatiuam. Insuper alia est maiestas Dei, alia hominis: alia rerum sacrarum dignitas, alia communium: alia Ecclesię, alia regni, alia priuatæ familiæ. Hinc sacrilegium & peculat⁹ grauiora sunt, alteriusq; speciei quàm simplicia furta. Alia quoq; hominis ratio, alia pecudis: atque ideo plagiarij, nempe qui homines abducunt, longè sceleratiores sunt q̄ abigei, hoc est, qui pecudes furantur. Adhæc per vim rapere sceleratius est, quàm clanculum subducere, vti diximus suprà. Item sub specie pietatis fraudare, vt faciunt vsurarij, magnam malitiam habet: sub specie autem

Quid iustitia. Iustitia duplex.

Furta quę violāt iustitiā distributiuam, sunt peiora, q̄ quæ commutatiuā violant.

iustitiæ ministrandæ, aut iuris dicendi, maiorem, vt faciūt iudices iniquitatis, peruersi aduocati, procuratores iniustitiæ ministri. At omnium maximam habet malitiam facere idipsum sub specie ministerij sacri, vti faciūt nonnulli viri Ecclesiastici negotiātes Simoniacè in populo per Sacramenta, per preces, per missas. Item fraudare per mensuras, & pōdera iniqua, quæ sunt instrumenta publicæ æquitatis, tantò est pestilentius in communitate, quantò minùs quisque ab illo cauere potest, quantoque magis est contra ordinationem publicam, præteribentem iustum in ponderibus & mensuris. Vltimò specialem habet malitiam, furari per falsificationē mercium, vt faciunt institores quidam & œnopolæ, atque falsarij monetæ. Et quò res quæ falsificatur est communior, vt moneta, eò fraus est sceleratior. Vt igitur summatim dicam, inter ea quæ violant commutatiuam iustitiam sunt sacrilegium, simonia, peculatus, plagiatus, abigei, iudices iniqui, calūniatores, falsarij, iniqui institores, & œnopolę, impostores, piratę, prędones, raptores, fures communiter dicti. Et iuxta distinctionē nominū, est & malitia actuū distincta: aliquādo secūdū speciē, aliquādo secundū maius & minus duntaxat. D. Mōstra narras. Et quales, precor, sunt isti? M. Verè monstra sunt in societate Christiana, qualia, si cœlum petis, vitare necesse est, non minùs quàm belluas rapaces. D. Malum vitari potest: incognitum vitari non potest. Quæso igitur depinge mihi has bestias suis proprijs coloribus, quo vtcunque cognosci, deinde & vitari possint. M. Si furtū fiat aut rapina de rebus Deo sacris aut diuis, iam vocatur sacrilegium: quod præter dictas malitias continet in se violationem rei sacræ cum iniuria Dei, cui pleno iure dicata est: vnde sacrilegi sunt omnes qui templa demoliūtur, qui supellectilem domus Dei furantur, qui prædia Ecclesiæ diripiunt, qui clericos & monachos suis domicilijs extrudunt, stipendijs priuant, decimis fraudant. Quos meritò terrere deberet Dei vindicta in Heliodorum qui voluit Hierosolymis templū dispoliare: at multa caligine obrutus semiuiuus de templo eiectus est. Vindicta quoque Dei in Antiochum tyrannum, quem viscerum putrefactio, & fons vermium de corpore scaturiens adeò intolerabilem reddiderunt, vt fœtor eius & dolor, etiam exercitum grauarent: eò quòd templum spoliare tentauerat. Nec minus manifestum exemplum spectatur in Balthasare Assyriorū rege, Daniel. 5. D. Solet dici quòd sacrilegium tribus modis cōmittitur, videlicet: quando sacrū de sacro, vel

Sacrilegium.

2. Mach. 3.

2. Mach. 6. 9.

vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro loco aufertur. M. Valde bene dictū: sic enim docet Magister sentent. distinct. 37. lib. 3. Addens, Sacrum verò dicitur quidquid mancipatum est cultui diuino, vt Ecclesia, vel res Ecclesiæ. Quapropter etiā sacrilegi sunt, qui recipiunt beneficia, hoc est, decimas, aliaque emolumenta Ecclesiæ consecrata Deo in stipendium diuini officij, & tamen non faciūt officium, neque per se, neque per alium, aut sic faciūt, vt melius sit non facere. Quales grauissimè delinquunt contra hoc mandatum, facientes iniuriam & Deo, & fundatoribus, & idoneis ministris quos excludunt, & vniuersę denique Ecclesiæ, quæ suo fraudatur officio.

Qui beneficiū recipiūt, nō facientes officium sunt sacrilegi.

D. An quicunque sacrilegium committit, peccet contra hoc mandatum? M. Non. Quoniam sacerdos polluens se fornicatione, sacrilegium committit, non contra istud mādatum, sed contra mandatum de non fornicando. Sic laicus interficiens clericum, sacrilegium facit, non contra istud, sed contra mādatū de nō occidendo. Hic autē loquimur de furtis & rapinis sacrilegis. Nā per eiusmodi violatur hoc mādatū: nō de omnib⁹ sacrilegijs.

De *furtis Simoniacis*. CAP. XI.

M. SEcundò qui mercaturam exercet in beneficijs Ecclesiasticis, aut Sacramenta, vel verbum Dei, seu ministerium sacrum sub quæstum ponit, is vendendo quod non est vendibile, & accipiendo pretium pro eo quod appretiari nō potest: immo gratis communicari debet iuxta illud Saluatoris: Gratis accepistis, gratis date: is dico graue furtum committit, quod Simoniam vocamus à Simone mago, qui pecunia volebat sibi emere donum Dei à B. Petro Act. octauo cap. Quoniam autem Simonia, hoc est, emptio vel venditio spiritualis rei, ponēs sub pretio quod spirituale est, peculiarem iniuriam facit religioni, ideo peccatum est mortale, specie distinctum ab alijs, & vehementer exhorrendum. Quo sanè genere furti laborabat Ieroboam promouens quoscunque qui implebant ei manum, vt fierent sacerdotes excelsorum, prout nunc collatores quidā beneficiorum vendunt beneficia, aliqui autem pro munere, quo ipsis manus implentur. Si numeras, haberis idoneus functione sacra. Si nihil attuleris, ibis Homere foras. Pauli idoneitas nihil: zelus animarum vel qualem Elias habuit, nihil: Hieronymi, Augustini, Chrysostomi opulenta eruditio nihil: nihil, inquam, mouent animum collatoris, tantummodo fuluum ducalis nummi respicitur aurum. Quò

Simonia.

Matth. 10

mater Ecclesia, quò, proh dolor, angustiarū redacta est? Sed transeo. Fuit olim domus Ieroboam deleta de superficie terræ propter hanc eandem iniquitatem, quam nunc Simoniacam vocamus. Non dubium quin & istos venditores beneficiorum exterminabit Dominus, postquam completa fuerit malitia eorum. Hoc quoque genere furti commaculatus erat Gihezi, furtim accipiens pecuniam & vestimenta duplicata à Naaman Syro pro curatione lepræ: sed & lepra, inquit textus, Naaman adhærsit ipsi & semini eius in sempiternum, in vindictam sceleris. Sunt autem veraciter ac propriè vocandi Gihezitæ quicunque pro Sacramētis, aut gratijs curationum, seu ministerio sacro pecuniam accipiunt. Qui verò pro collatione beneficiorum aliquid capiunt, vt faciunt collatores multi, sunt propriè secundum scripturam appellandi Ieroboitæ. Qui denique gratiam miraculorū aut quoduis aliud donum Spiritus sancti pecunia sibi comparare volunt proprijssimè appellantur Simoniaci. Ceterùm vt in hac materia clara casuum emergentium notitia habeatur, tria sunt capita pertractanda secundum Caietanum, videlicet, res spiritualis, emptio vel venditio extrinseca. & rursus emptio vel venditio interior siue mentalis tantùm. Quæ capita, quia idem Caietanus pertinenter & dilucidè atque succinctè pertractat, ideo illa suis verbis hic ascribam, nec quidquam de meo addam. Circa primum caput, nempe quid appellatione rei spiritalis intelligatur in proposito: scito, inquit, hic appellari rem spiritalem à Spiritu sancto: vt est spiritalis ratio vitę qua in Christo viuimus, sentimus, intelligimus, & operamur. in cuius signū Simonia vitium est Ecclesiasticum, non habens locum in profanis. Sunt autem res spiritales multis modis. Vel quia sunt merè spiritales: vt dona Dei gratuita quæ ad vitam Ecclesiæ spectant: virtutes, gratiæ gratis datæ, potestas spiritalis tam ordinis quàm iurisdictionis, sacramentales effectus, ius spiritale quodcunque etiā viuendi ex altari, habendi decimas, beneficia Ecclesiastica, & similia. Vel quia compositę sunt ex spiritali & corporali, sed formaliter ac principaliter sunt spiritales: vt Sacramenta Ecclesiæ omnia, & similiter sacramentalia: vt cōsecrationes virginū, benedictiones nubentiū: Missæ, orationes vocales, Ecclesiasticus cultus, prædicatio verbi diuini, oleum sanctum, chrisma, Ecclesiastica beneficia, & alia huiusmodi. Vel quia compositæ sunt ex spiritali & corporali, sed principale in illis est corporale: vt calices, cruces, officia Ecclesiastica, officiū iudicis, doctoris, sacristæ, œconomi. Multis

3. Reg. 13.

4. Reg. 5.

Tria capita cōsideranda in materia Simoniæ.

Primum caput. Res spiritalis in materia Simoniæ.

Regulæ ſex cōſide randæ in materia Simoniæ.

Prima regula.

igitur modis quũ inueniantur res ſpiritales, notádæ ſunt regulæ ſex, vt nō erretur in iſtis. Prima regula eſt. Nulla res ſpiritalis, quatenus ſpiritalis, eſt licitè venalis, aut ratio maioris pretij: itaq; ex hac regula habes tria. Primò, ꝙ res purè ſpiritalis nō poteſt emi aut vēdi. Secúdò, ꝙ res cōpoſita ex corporali & ſpiritali nō poteſt emi aut vendi ex ea parte qua ſpiritalis eſt, quantúcunq; ſpiritalitas illius ſit minima. Tertiò, ꝙ ſi aliqua res cōpoſita ex ſpiritali & corporali vendi aut emi licitè poteſt, vt calix conſecratus aut officiũ docendi, &c. non tamen poteſt pluris æſtimari, nec pluris vendi aut locari, &c. ratione ſpiritalitatis, ſed ſolũmodo tanti quantũ valet ratione rei corporalis, alioquin Simonia cōmittitur.

Secunda regula.

Secunda regula eſt. Nulla res cōpoſita ex ſpiritali & corporali, ſic vt principale illius ſit ſpiritale, poteſt vendi vel emi abſolutè: quia ex quo principale in iſtis eſt ſpiritale, ſi ſimpliciter & abſoluta ſub pretio ponitur, intelligitur vēdi ſpiritale. Vnũquodq; nāq; cùm abſolutè tractatur & iudicatur, intelligitur tractari & iudicari ſecundũ ſuũ principale: vt cùm tractatur de homine, tractatur de homine ſecundum quòd eſt rationabilis: & cùm tractatur de naui, tractatur de illa ſecundum quòd eſt quid artificiale: & cùm tractatur de Epiſcopo, tractatur de illo ſecundum ꝙ eſt paſtor ouium Chriſti: & ſic de alijs. Et ex hac regula habes, ꝙ non licet prædicatori pro prædicatione, ſacerdoti pro celebratione, vel pro officio mortuorum, ordinatori pro collatione ordinum, & ceteris ſimilibus pro ſimilibus paciſci, aut quouis modo hęc ſub pretio ponere abſolutè.

Tertia regula.

Tertia regula eſt. Res quæcunq; compoſita ex ſpiritali & corporali ſic vt principale in illa ſit corporale, poteſt abſq; Simoniæ vitio vendi vel emi abſolutè, niſi ex poſitiuo iure inhibeatur. Ratio regulæ eſt: quia ex eo ꝙ principale eſt corporale, non intelligitur vendi niſi corporale cùm abſolutè venditur, & ſeruatur antedictum moderamen, ꝙ nō pluris æſtimatur ratione ſpiritalitatis, ſed purè tanti venditur, quantum corporalis res valet. Addidi autem, niſi ex poſitiuo iure inhibeatur: quia quantumcunq; res ſecundum ſe venalis ſit, ſi iura diſponũt ibi interuenire Simoniam, non quia ſecundum ſe ſit, ſed quia prohibita, oportet parere iuri: vt de multis officijs canonica iura ſic diſponũt: vt ſunt œconomi, caſtaldi, &c.

Quarta regula.

Quarta regula eſt. Stipendiũ ſuſtentationis exercentiũ ſpiritalia, licitũ eſt velle & accipere, & in articulo neceſſitatis etiá paciſci. In hac regula dicũtur duo. Primũ ꝙ pro ſuſtentatione miniſtrantiũ ſpiritalia, licitũ eſt accipere tēporalia. Et hoc ſatis clarè patet ex doctrina Dñi in Euangelio, & Pauli Apoſtoli, Et ex ratione: quia hoc nō eſt vēdere ſpiritalia, nec locare operas pro mercede, ſed eſt velle habere neceſſaria ad vitã corporalē, ſine qua nō poſſumus ſpiritalia exercere. Secundum eſt, ꝙ in articulo neceſſitatis licitũ eſt deducere in pactũ ſtipēdium ſuſtētationis. Hoc nāq; articulus neceſſitatis tunc ſupplet, quod & iuſtitia deberet efficere apud populũ recipiētē ſpiritalia (quia tenetur ſuſtētare miniſtros ſpiritalium) & ad quod ſuperiorum auctoritas deberet cogere populum. Et licet hoc licitum ſit: quia tamen habet ſpeciē mali, & prohibitum regulariter eſt ex iure poſitiuo paciſci in huiuſmodi, ideo nō eſt faciendum. Habes tamen ex hac regula, ꝙ licitum eſt cogere ad ſubuētiones ſtatutas auctoritate ſuperiorum vel cōſuetudine exhibēdas in cōſecratione Eccleſiarum & virginum, in benedictione nubentium, in viſitationibus & alijs huiuſmodi: quia hęc in ſubſidium miniſtrorum intelliguntur ſtatuta vel conſueta: ſicut decimę & prouentus alij Eccleſiaſtici. Debent tamen prælati & eorum officiales priùs exhibere gratis ſpiritalia hæc, & pòſt cogere ad ſeruandas laudabiles conſuetudines: ne nomen clericorum blaſphemetur tanquam auarum, & quaſi venalia ſpiritalia reputans. Quinta eſt regula. Locare operas ſuas ad exercitia ſpiritalia quæ principaliter ſunt ſpiritalia, non eſt licitum niſi per accidens. Vbi ſcito ꝙ tribus titulis res qualitercunq; ſpiritales contingit afficere. Primus eſt, venditionis & emptionis: ſecundus eſt ſuſtētationis miniſtrorum: tertius eſt, locationis & conductionis non ſpiritaliũ, ſed operarum ſuarum.

Tribus titulis afficiuntur res ſpiritales.

Primus, qui, vt infra declarabitur, cōprehendit ſub ſe omnem cōtractũ debiti legalis, eſt totaliter prohibitus: vt in primis tribus regulis declaratum eſt. Secundus eſt ſecundum ſe totaliter licitus: vt in quarta regula explanatum eſt. Tertius autē qui ſecundum rem ſpecies eſt venditionis & emptionis (quia locare eſt quoddam vendere, & conducere eſt quoddam emere) & qui nō refertur ad ſpiritale, nec vt rem locatam, nec vt rationem locandi, ſed refertur ad operas humanas concurrentes ad exercitationē ſpiritalium, venit in quęſtionem, vtpote medius: & de ipſo dicuntur duo in hac regula. Primum eſt, quòd locatio operarum non habet per ſe locum in exercitationibus, ſpiritalibus, quæ principaliter ſunt ſpiritales: vt ſunt Miſſę, prędicationes, cōſecrationes virginũ, Eccleſiarum, collationes Sacramentorũ, orationes, & huiuſmodi. Et ratio iá dicta eſt: quia quum illa quę ſunt ſecundũ ſuum principale ſpiritalia, tractantur abſolutè, intel-

liguntur

liguntur tractari secundum suum principale quod est spiritale, ac per hoc intelligitur locari & conduci spiritale, vel vt res conducta, vel vt ratio conducendi: & consequenter appreciantur opera ex spirituali: quod constat esse Simoniacum. Secūdum est, quod per accidens, hoc est, propter adiunctum vinculum, locum habet in istis locatio operarum consueta & approbata ab Ecclesiæ consuetudine. Multi enim sacerdotes locant operas suas ad officiādum aliquam Ecclesiam per annum vel menses, toties celebraturi in hebdomada, &c. Quamuis enim nō liceat sacerdoti locare operam suam ad celebrandum Missam (quia hoc esset locare spiritale: quia Missa secundū suum principale est spiritalis, vt dictum est) licet tamen eidem locare libertatem suam, cōtra quam toties debet occupatum se tenere, & impeditum ab operibus alijs. Et breuiter tot concurrunt temporalia in istiusmodi annuis, menstruis, hebdomadarijs, &c. obligationibus, vt intelligatur non spiritalis res aliqua, sed temporalis locari & conduci.

Sexta regula.

Sexta regula est. Locatio operarum in illis exercitijs spiritalibus, quæ principaliter sunt corporalia, locum habet absque scrupulo conscientiæ: vt patet de officio vicarij, sacristæ, iudicis, doctoris etiam in Theologia, & alijs huiusmodi, de quibus debentur certa stipendia. Et possunt in istis interuenire conuentiones ac pacta de quantitate stipendij: quia de corporali ac venali opere pactio fit, non de spiritali iustitia, veritate, &c. Et hæc intellige ex parte operarij: ita quòd ille qui in vicariū aut iudicē, &c. petitur, potest locare operas suas ad huiusmodi officia. Et similiter is cuius est dare officium illud, potest illum conducere sub certo stipendio. Et non intelligas hoc ex parte prelati, quasi ipse possit locare huiusmodi officia sub certo pretio: quoniam hoc est vendere officia spiritalia, & est expressè prohibitū, ne Prælati committant vices suas sub annuo censu, &c.

Secūdum caput.

Circa secūdum caput, scilicet extrinsecam emptionem vel venditionem, in qua consistit ipsa Simonia, scito tam emptionem quàm venditionem ex tribus constare: scilicet intentione, conuentione, & executione. Ex eo enim quòd humanus actus est, intentionem sui requirit ad hoc vt per se fiat: hoc est, vt intendat quis vendere seu emere. Ex eo verò quòd commutatio voluntaria est, oportet conuenire vtrinque de pretio. Nec refert vtrum tunc disceptando conueniant, an primo verbo conueniant: an sciendo pretiū seu mutuū affectum, detur, & accipiatur pretiū: semper enim interuenit conuentio vel priùs statuta, aut scita, aut tunc facta, etiam si subito & imperceptibiliter fiat, & breuiter explicata vel implicita: alioquin resileretur ab altera parte, & nō subsequeretur emptio & venditio: vt patet in quotidianis venditionibus & emptionibus. Ex eo autem quòd actus talis exterior ad alterum est, exigitur ad sui consummationem datio & acceptio rei quæ venditur: & pretij: non enim consummata est venditio: nisi detur res quæ venditur: & similiter non est consummata emptio, nisi detur pretium: quia neutrum ab altero consummatè transfertur nisi addatur: & similiter neutrum consummatè acquiritur, nisi habeatur. Constat autem per emptionem & venditionem consummatam debere transferri hinc rē inde pretium: & similiter acquiri hinc pretiū, inde rem. Vnde iuxta hæc habeto pro regula ad Simoniam, quæ ab Ecclesia punitur, exigi duo. Vnum, ex parte venditoris: scilicet venditionem cōsummatam rei spiritalis. Alterum, ex parte emptoris: scilicet conuentionem implicitè vel explicitè de pretio, aut traditionē pretij.

Simonia vt sit punicōd: ab Ecclesia duo requirit.

Vbi nota quinque.

Quinque notanda. Primò.

Primò, differentiā, partium penes hoc, quod ex parte rei spiritalis exigitur actus cōsummatus, ad hoc quod Ecclesiæ censuris subsit: ex parte verò pretij non exigitur actus consummatus, ita quòd si Simoniaca conuentio inter aliquos fit de ordine, beneficio, sepultura, Missa, &c. pro tali pretio, si ordo, beneficium, & breuiter res spiritalis non datur, etiamsi pecunia pro pretio fuerit data, non incurritur Simonia subiecta censuris Ecclesiæ: quamuis incurratur crimē Simoniæ. Et ratio est: quia nō est consummata venditio rei spiritalis, sed inchoata & in mēte, & in conuentione. Pœnæ siquidem restringendæ sunt ad consummatos actus.

Secundò.

Secundò, disiunctiuam seu alternatiuam æquiualentem ex parte pretij penes conuentionem vel traditionem pretij: ita quòd ex parte emptoris æquipollent pactio vel traditio pretij, ita quòd licet Simonia punita ab Ecclesia exigat conuentionem seu pactum, si tamen concurrit traditio pretij, æquipollet cōuentioni. Immo, vt meliùs loquar, inuenitur plusquam pactio: quia ipsa traditio pretij claudit in se conuentionē, vtpote cōsummatio illius. Nā consummata emptio cōuentionem explicitā vel implicitam adimplet. Et propterea nō fallaris inspiciendo solùm ad pacta explicita: sed intuere si interuenit solutio seu traditio pretij & perspice pessimā ibi Simoniā.

Tertiò.

Tertiò formalē loquutionē de pretio. Quū enim dicim' traditionē pretij includere pactionē, loquimur de pretio in quantū pretiū, hoc est, sub ratione pretij. Potest siquidem multis modis tradi aliquod temporale: scilicet vel per modum

liberalis doni, vel per modum sustentationis vel per modum reuerentiæ, vel per modum oblationis, vel per modum debiti ex lege aut laudabili consuetudine, vel per modum pretij. Et hoc solo vltimo modo vocatur precium, & vocatur traditio pretij. Quartò, nota qui timoratam habes conscientiam, quòd licet sacerdos minus benefaciat exigendo id quod secundum laudabilem consuetudinem solet dari, si autem collationem spiritalium exigat, aut si negat aut differt spiritalium collationem vt illud habeat, non tamen propterea Simoniacum iudices: quoniam si vt conseruet se indemnem, cognoscens præcipuè quod posteà oportebit illum litigare, hoc facit, Simoniacus non est secundum rem: quia, non vendit spiritale. Nec huiusmodi exactio inducit modum pretij, quoniam non mutat modum debiti: quamuis speciem quasi Simoniæ habeat huiusmodi præuentio & cautela: & propterea reprehenditur. Quintò, nota quòd triplex muneris genus, scilicet à manu: vt pecunia & alia bona mobilia, vel immobilia. ab obsequio: vt seruitia. & à lingua, vt laus adulatio, preces, &c. ad hoc vt Simoniam ab Ecclesia punitam constituat, exigitur quòd pretij rationem habeat: alioquin ad venditionem spiritalem non spectabit vt emptio. Et propterea si laus, adulatio, preces, &c. nõ nisi per modum laudis, per modum adulationis, per modum precum concurrunt, quantumcunque sint nefariæ & carnales, ac pro indigno, & efficaces ita quod inducant prælatum ad dandum beneficium, ad conferendum ordinem, &c. Simonia verè & propriè non incurritur, quamuis crimen aliud incurratur: quia nulla est hic venditio, aut emptio nisi mentalis, si intentio adulantis aut prælati est adulationem vt pretium ponere, & sic de alijs. Circa tertium caput, scilicet emptionem seu venditionem mentalem, scito Simoniam mentalem cõsistere in intentione pretij: ita quòd ex hoc ipso quod homo intendit sub pretio ponere siue emendo, siue vendendo rem spiritalem, aut vt venalem rem, aut vt rationem appretiandi, Simoniam mentalem incurrit. Et hoc est quandocunque intendit pro spiritalibus tẽporalia habere aut econtrario, ita quòd vocula Pro, pretium denotet: & similiter quãdocunque principalis intentio ad temporale habendum ex collatione spiritalis aut econtrario tendit. Qui enim temporalia ex spiritalibus intendit non vt pretium, sed vt sustentationem necessariam ministrorum Ecclesiæ liberaliter seu eleemosynaliter aut statutã seu laudabiliter consuetam, Simoniam mentalẽ non incurrit. Et similiter econtrario qui ex temporalibus spiritalia intendit, non vt ex pretio debita, sed vt ex his excitata, aut prouocata, aut expedita, vt contingit in eleemosynis, obligationibus, legatis, & quasi stipendijs sacerdotum & orantium ac prædicantium, & in seruitijs honestis, quæ prælatis exhibentur, & alijs huiusmodi, Simonia nulla in animo est: quia gratis dandum spiritale expectatur & temporalia non vt pretium intenduntur. Potest autem mentalis Simonia tripliciter inueniri. Primò, ex eo quod in solo actu interiori consistit: vt sicut homicidium mentale est deliberatus animus occidendi: ita Simonia mẽtalis sit deliberata voluntas emendi vel vendendi rem spiritalem. Secundò, ex eo quod licet exterius sit res tẽporalis pro spirituali data & accepta latet intus, tamen ipsa Simoniacæ actionis intentum: vt cùm aliquis seruit aut munus offert pro spiritali consequendo, vel econtrario spiritale dat pro temporali cõsequendo, non tamen declarat prauam suam intentionem, scilicet quod intentione emendi seu vendendi hoc facit. Est siquidem tunc Simonia non solùm intus, sed in exteriori actu imperata & exercita, sed latente intus venenoso semine: & propterea inter mentales Simonias locatur. Tertiò, ex eo quod non est consummata ex parte rei spiritalis, vt cùm conueniunt Simoniacè aliqui, & postmodum aut pœnitentia ducti, aut propter impotentiã aut quamuis aliã caussam receditur à pacto, & breuiter, nõ mandatur executioni promissum spiritale. Hæc etiam Simonia quo ad crimen, non mentalis, sed exterior est, sed quò ad pœnas censurarum inter mentales collocatur: quia non est Simonia consummata. Quòd si pecunia in hoc casu vt pretium recepta fuisset, restituenda proculdubio esset. Et quamuis prima facie appareat quod danda esset Ecclesiæ, & non emptori, quia datio fuit contra legem, rationi tamen magis consonat, vt reddatur illi qui dedit, vtpote adhuc ipsius: quia non plenè abdicata ab eo intelligitur pendente consummatione contractus Simoniacæ emptionis & venditionis: vt sic & pœnę Simoniæ non amplientur, sed restringantur ad consummatam Simoniam: & fides naturalis, qua venditor receptum ab emptore pretium tenetur illi, si non sequitur executio venditionis restituere, seruetur: quasi perfidus namque haberetur si promissum spiritale non dans, nec acceptum pretium redderet, sub Ecclesiæ vel pauperum obtentu. Et hoc intellige quantum est ex parte illius qui accepit: nam si auctoritas iudicis interueniret non crederem ei restituendam, sed in pœnam ab illo tollendam, & pro Christi honore exponendam.

Quartò.

Quintò.

Tertium caput. Simonia mentalis.

Simonia mentalis tripliciter inuenitur in homine.

Primò:

Secundò.

Tertiò.

nendam. Aduerte Simoniacos non teneri ad resignationem tam spiritualium quàm temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente vtrinque acquiruntur: quoniam pro huiusmodi Simonia sufficit delinquentibus per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori. Textus est clarus & vniuersalis ac vniuersaliter intelligendus. extra de Simonia capite vltimo. Et hinc habes vnde infinitas quæstiones de seruitoribus, de precibus, &c. soluas: quia hinc clarè patet non teneri ad resignationem beneficiorum sic adeptorum absque pactu aliquo, nulla facta differentia inter manum, obsequium, linguā, & quidquid aliud temporale interuenire potest, & similiter nulla facta differentia spiritalium. Hucusque Caietanus. Quæ inserta voluimus, vt ex illis possis & instructionem & consolationem timoratæ conscientiæ, vbi casus circa hāc materiam se ingerunt, ad manum habere.

De plagiarijs, peculatoribus, abigeis, institoribus. CAP. XII.

M. Plagiarij. 1. Timo. 1. Peculatores. Institores. PLagiarij vocantur qui abducunt mancipia vel alienas proles, quorum meminit Apostolus ad Timotheū. Peculatores qui suppilant de ærario publico. Institores illi qui iniquo pondere, vel fallaci mensura emptorem circunueniunt, habentes in sacculis suis diuersa pondera, maius & minus, contra legem præcipientem,

Leuit. 26. Nolite facere iniquum aliquid in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æqunsque sextarius. Nam pondus & pondus, mensura & mensura, inquit Sapiens, vtrunque abominabile

Prou. 20. est apud Dominum. Ad eandem iniquitatem accedunt, qui extrudunt merces, vendentes non quanti valent, sed quanti possunt, addentes fucos quantum possunt, occultantes vitium rei quantum possunt, speciosis verbis, aliquando mendacijs, nonnunquam diris iurationibus, & imprecationibus inescantes emptorem quantum possunt. Ad quos pertinet illud Amos Prophetæ cap. 8. Audite hoc, qui

Oenopolæ. conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, &c. Oenopolæ illi qui aquam sulfuratam, vel lixiuium, siue pomorum succum,

Impostores. pro vino vendunt. Impostores qui fucata vendunt pro veris: vt qui fictitias gēmas pro

Adulterantes monetam. natiuis obtrudunt. Quo etiam pertinent qui adulterant monetam publicam, supponentes falsam pecuniam pro vera. Calumniatores

Calumniatores. sunt qui calumniam struunt simplicib. quod haud infrequenter contingit in fraudulentis litibus, alijsue commentis, quibus contendūt euertere ius pauperum, orphanorum, viduarum & similium, aut saltem impedire. Super quibus Ezechiel Dominum loquentem facit in hæc verba: Populi terræ calumniabantur Ezec. 22.

calumniam; rapiebant violenter egenum, & pauperem affligebant, & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio. Et effudi super eos indignationem meam. Simile est. Zachar. 7. Prouerb. 22. Ecclesiast. 4. Huc pertinet iniquitas iudicum, aduocatorum, procuratorum, scribarum, quorum vel cupiditate vel inscitia, vel negligentia, citati aut citantes pro iusto quod quęrebant, referunt iniustū, quod non oportebat, cum iactura rerum suarum. Iniquitas iudicum pertinet ad calumniam.

Quòd enim detestetur Deus horum malignitatem, patet Esa. 1. 3. Ierem. 5. Mich. 3. Soph. 3. & alijs in locis. Nec solū peccant qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, aut non impediunt, cùm ex officio impedire teneantur: vt Principes & Episcopi, qui pretio, vel prece, aut rerum cupiditate corrupti instituunt pro officialibus suis, seu ministris iustitiæ viros iniquitatis, homines nequam, indoctos, temerarios, quorum oculi nusquam non pendent ad munera. Non enim grandis est differentia, facias per te, an alium instituas in tuū locum, qui facit, te id verisimiliter præsciente, & non præcauente. Longè aliud consilium dedit Iethro Moysi genero suo dicens: Sed Exod. 18.

audi verba mea. Prouide de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt auaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te: O quàm multorum furtorum rei sunt, qui venditis tribunalibus & officijs, faciunt ministerium iustitiæ esse prorsus quæstuarium, ne peius dicam. Terribiliter Exod. 22.

pronunciat Scriptura, & contra instituentes, & contra institutos, dicens: Si læseritis viduam & pupillum, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur fu- Esa. 10.

ror meus, percutiamque vos gladio, &c. Esaias quoque væ horrendum comminatur ijs qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent caussæ humilium: vt essent viduæ prædæ eorum, & pupillos diriperent. Item, Qui calumniatur, inquit Sapiēs, Prouer. 22.

pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori & egebit. Item alio loco, Si videris ca- Eccles. 5.

lumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiā in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius. Fraudantes mercedem operariorum.

Illi autem qui fraudant mercedē operariorū, Iacob. 5.

pec-

peccant contra hoc mandatum adeò enormiter, vt peccatum eorum clamet vindictam in cælum, dicente Apost. Iacobo: Ecce merces operariorũ, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorũ in aures Domini Sabaoth, introiuit. Hinc monet Moyses in Leuit. dicens: Nõ morabitur opus mercenarij tui apud te vsq; mane. Nihilominus peccat ex diuerso, & operarius contra hoc mandatum, qui aut non præstat quod pollicetur, & præstare debet, aut infideliter præstat, ad oculum seruiens: præsente quidem domino faciens debitum, absente vero eodem agens otium magis quàm rẽ domini. Quos monet Apost. loquens ad genus seruorũ. Serui, inquit, obedite Dñis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, &c. Eiusmodi operarij ac serui accipientes integram mercedem, & ipsi inter fures meritò poni debent.

Leuit. 19. Operarij ac serui in fideliter laborantes.

Ephes. 6.

De vsurarijs, CAP. XIII.

M. Vsurarij.



Deniq; vsurarij sunt qui specie pietatis, hoc est, mutui (nam mutuum pietas est non modica) iniustitias exercent & rapinas accipientes vltra sortem mutuatam. D. Quid propriè est vsura? M. Hoc ipsum quod vltra sortem, id est, vltra id quod mutuatum est, accipitur. Cõcilium Agathense sic definit, vsura est vbi amplius requiritur quàm quod datur, verbi gratia, Si solidos decem dederis, & ampliùs quæsieris: vel, si dederis mutuo frumenti modium vnum, & supra aliquid exegeris, vsura est. D. Non igitur vsura solùm committitur in pecunia. M. Quinimo in omnibus alijs rebus committi potest, dicente B. Hierony. Putant quidam vsurã tantùm esse in pecunia. Quod præuidens Scriptura diuina, omni rei aufert superabundantiam, vt plus nõ recipias, quàm dedisti. Solent in agris frumenti & milij, vini & olei, cæterarumque specierum vsuræ exigi: siue vt appellat sermo diuinus, abundantiæ: verbi gratia: Si hiemis tempore demus decẽ modios: & in messe recipiamus quindecim, hoc est, ampliùs partem mediam. Qui iustissimum se putauerit, quartam plus accipiet portionem: & solent argumentari ac dicere. Dedi vnum modiũ, qui satus fecit decem modios. Nõnne iustum est, vt medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate nouem & semis de meo habeat? Nolite errare, inquit Apostol. Deus non irridetur. Hucusque Hieronymus. Plerique restringentes præcepta legis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum, tanquam vsurarum emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat: Neque, inquit, vsuram escarum accipies, neque omnium rerũ. Esca vsura est, vestis vsura est, & quodcunque accedit sorti vsura est: & quod velis nomen ei imponas, vsura est, siue vinum, siue oleum, siue triticum, siue quodlibet aliud, si plus quàm dederis expectes, fenerator es. Quibus addit D. Hieron. dicens: Alij pro pecunia fenerata solent munuscula accipere diuersi generis, & non intelligunt vsuram appellari & superabundantiã, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus accipeerint. Hoc tamen intellige quasi ex mutuo siue pro mutuo. Nam Euangelium dicit, Nihil inde sperantes, inde, id est, ex ipso mutuo. D. Verum, an vspiam Scriptura sancta, & lex naturæ prohibeant vsuram? M. Planè & expressè. Nam Exod. 22. sic habetur. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Sic Leuit. 25. Pecuniam tuam non dabis ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges. Simile Deut. 23. Eze. 18. & 22. Psal. 14. Sic quoque mandat Saluator, Luc. 6. Si mutuũ dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fenerantur, vt recipiant æqualia: veruntamen mutuum date nihil inde sperantes. Addit his Philosophus naturali ratione ductus. Politic. 1. dicẽs: Vsuraria acquisitio pecuniæ est maximè præter naturam: siquidem accipere vsuram pro mutuata pecunia, secundum se iniustum est. D. Hanc certè iniustitiam necdum perspicio. Etenim domum meam trado alij, & vltra sortem, hoc est, vltra domum mutuatam, accipio pretium annuæ locationis: quare igitur non possum pecuniam meam mutuare, & vltra sortem mutuatam aliquid lucri exigere? M. Hoc loco animaduertere oportet, quasdam esse res quarum vsus est ipsarum cõsumptio, vt vinum, triticum, butyrum, lac, aliaque cõmestibilia, quæ ipso vsu consumuntur: in eiusmodi sanè rebus non debet seorsum computari vsus rei à reipsa, sed cuicunque conceditur vsus, conceditur & res, & e contrario: adeoque in eiusmodi per mutuum transit dominium rei: si quis ergo seorsum vellet vendere & vinum & vsum vini, is aut bis venderet idem, aut id venderet quod non est, nempe vsum vini ab ipso vino distinctum, quod manifestè est iniquum & iniustum. Ex quo facile est intelligere vsuram committi, quando quis mutuat vinum, aut triticum, petens sibi duas recompensationes; vnam quidem restitutio-

Quid vsura.

c. 14. q. 3.

Hiero. super Ezec. cap. 18.

Galat. 6. Ambr. lib. de Tobia cap. 14.

August. super Psa. 36

Luc. 6.

Obiectio.

Solutio. Distinctio rerum è qua pẽdet notitia vsuræ.

tutionem æqualis rei, modium pro modio, cantharum vini pro cantharo: alteram verò, pretium vsus: quod iniustum est. Quoniam vsus quo res consumitur, indistinctus à re haberi debet. Simile est de pecunia. Nam secundum Philosophum. 5. Ethicorum, & 1. Politicorum, Pecunia principaliter inuenta est ad commutationes faciendas: & ita proprius ac principalis vsus pecuniæ, est ipsius distractio, secundum quod expenditur in commertijs. Quapropter secundum se iniustum est accepere pro vsu pecuniæ mutuatæ, pretiũ, quod vsura dicitur. Et sicut alia iniustè acquisita restituere oportet: ita vsuram, hoc est, quod vltra sortem mutuatam, acceptum est, restituere debemus. Quædam verò sunt res quarum vsus cum re manet, distinctus à re, & leor sum pretio æstimabilis. Et potest vtrumque seorsum vendi, aut locari, aut concedi. Exempli gratia: Cùm quis vendit alteri domum reseruato sibi vsu eiusdem domus ad tempus, aut cùm quis concedit siue locat alteri vsum domus, reseruato sibi dominio eiusdem, estque vsus domus, hoc est, inhabitatio valde vtilis ac pretio æstimabilis, vti constat omnium hominum iudicio, profectò in eiusmodi rebus potest quis citra iniquitatem concedere alteri domum annuæ suam, & vltra domum exigere pretium annuæ locationis. Iam, credo, intelligis quæstionis tuæ solutionem. D. Intelligo. Verùm subinde audio pastores animarum valde molestari casibus vsurarum, maximè earum quas tectas siue coloratas vocant: in quibus facile falsum pro vero, aut verum pro falso iudicari potest. Precor igitur obnixè, vt me paulo fusius instruas super eiusmodi, ne forte & ego ad curam animarũ missus, incidam in laqueum Diaboli. M. Sint igitur tibi pro indubitatis regulis ea, quæ tradidit doctus Caietanus in sua summula vitiorum, sub hoc velut præambulo, Ad lucrum vsurarium requiruntur & sufficiunt duæ conditiones. Quarum prior est, vt id quod vltra sortem accipitur, sit aliquid pecunia æstimabile. Posterior vero, est, quòd non sit suum. Cui subiungit certos casus, ex quibus colligimus subsequentes regulas, quibus casus occurrentes in eiusmodi materia quàm facilimè dinosci possunt, seruatis ferè eisdem Caietani verbis. Quarum regularum Prima est ista, Si quis mutuat ad hoc, vt ille sit tibi amicus, non est vsura: quia amicitia non est pecunia æstimabilis: nulla tamen potest hic conuentio ciuilis interuenire: quia amicitia res est cui repugnat obligatio ciuilis. Est enim interior amor spontaneus: obligatum autem ciuiliter est necessitati subiectum: ita quòd velit nolit teneatur exhibere illud. Vnde ridicula esset obligatio ciuilis ad amicitiam, quæ pecunia æstimari non potest. Secunda regula est, Si quis mutuat vt recuperet suum quod est apud petentem mutuum, quomodolibet occupatum aut detentum, non est vsura: quia nihil lucratur, sed suum recuperat. Tertia regula, Si quis mutuat, vt redimat vexationem suam, non est vsura: quia nihil lucratur, sed quod suum est seruat: vt si quis mutuat alicui comminanti sibi aut suis, & ideo mutuat vt mutuando exuat se à multis sumptibus, quos oporteret ad sui tutelam facere, & sic de qualibet alia redemptione vexationis suæ. Quarta regula, Si quis mutuando deducit in pactũ, vt soluatur sibi vltra sortem suum interesse, quod incurrit ex mutuo. Verbi gratia, quia accepit sub vsuris vt mutuet illi, vel quia minoris vendit rem suam, vt habeat pecuniam quã illi mutuet, & sic de similibus. Nulla siquidem hic interuenit vsura, quia nullum est lucrum ex mutuo, sed sola vitatio proprij dãni. Decet enim mutuantem seruare se indemnem, & hoc quoad damnum emergens. Quinta regula est, Si quis pecuniam quam veraciter parata iam negotiatione esset expositurus, mutuet petenti, deducens in pactum, vt vltra sortem sibi persoluatur damnum lucri cessantis, non est vsura, si duæ cõditiones adsint: Prior est, quòd mutuans ex hoc mutuo impediatur verè à lucro, quòd tunc in certa expectatione erat. Quoniam si mutuans habet aliam pecuniam, præter mutuatam, qua posset sibi in eadẽ negotiatione lucrificare, iam non impeditur ex mutuo à lucro. Posterior est, quòd non totũ lucrum speratum ex illa negotiatione deducatur in pactum: quia lucrũ in potentia nondum est, & potest multipliciter impediri, ac per hoc non valet tantum quantũ si esset in actu. Et propterea si exolueretur totũ, solueretur plus quàm debet solui. Vnde potest aliqua pars lucri cessantis ad arbitriũ boni viri taxari, vt sit contractus licitus. De quo diffusè videre poteris Commentaria eiusdem Caietani super secundam secundæ, quæst. 78. art. 2. ad primum. & hoc quoad damnum lucri cessantis. Sexta regula, Si quis mutuat alicui ex pacto, vt remutuet sibi quando ipse indigebit, vsura est: quia obligatio ista pro quã to est ciuilis, est pecunia æstimabilis. Quãuis enim accipiens mutuũ teneatur ex debito morali ad remutuandũ, quando opus erit, & poterit, non tenetur tamen ex debito ciuili, quale debitum oritur ex pacto. Vnde quum obligatio ista sit pecunia æstimabilis, non potest ex mutuo in lucrũ duci absq; vsura. Septima regula est, Si quis mutuat sub pacto, vt veniat ad mo-

Regulæ pro vsuris cognoscendis.

Primum præambulum Caietani.

Prima regula.

Secunda regula.

Tertia regula.

Quarta regula.

Quinta regula.

Sexta regula.

Septima regula.

ad molendum in mola sua, aut ad emendum ab officina sua, aut aliquid eiusmodi, vsura est, quia obligatio ista ad molendum in hac mola, ad emendum ab isto, & huiusmodi, védibilis est: & ideo non licet ex mutuo, hoc lucrum alienæ oligationis reportare. Octaua regula similis est illi.

Octaua regula.

Si quis mutuat alicui domino temporali sub pacto, vt concedat sibi officium prætoris, vel aliquod aliud officium vsura est: quia concessio ista vendibilis est. Et propterea, non licet ex mutuo lucrum talis conecssionis exigere. Discerne tamen in his proximis regulis duo lucra, alterum vsurarium, & alterum licitum. Nam vsurarium lucrum est, obligatio ad remutuandum, obligatio ad molendum in hac mola, obligatio ad emendum ab hac officina, obligatio ad concedendum tale officium, & sic de similibus. Licitum verò lucrum, est merces debita pro mola, pretium rerum venditarum, stipendia ac prouentus officij, & sic de similibus: quia ista lucra non sunt ex mutuo, sed alijs contractibus, seruitijs, industrijs, operis, officijs, &c. Et propterea ex huiusmodi vsuris non tenetur, qui sic mutuauit, ad restituendum mercedem molæ, pretium venditarum rerum, stipédia prouentusque officij, & similia. sed tamen vltra pœnitentiam de peccato vsuræ tenetur primò ad relaxandum vinculum obligationis de continuanda mola aut officina, de continuanda manutenentia in officio. quia huiusmodi obligatio, est lucrum vsurarium: secundo ad recópensandum illi pro dicta obligatione, quæ vendibilis erat, quamuis ipse noluisset vendere eam. Ad arbitrium autem boni viri spectat, determinare, quantum pro huiusmodi obligatione restituendum sit: vt satisfiat secundum æqualitatem iustitiæ.

Nona regula.

Nona regula, Si quis mutuat domino vel cómunitati eo pacto, vt donec restituatur sibi mutuatú, non soluat gabellar, vsura est: quia ex mutuo lucrum reputat exemptionis, à debita solutione gabellarú. Constat autem quòd hæc exemptio pecunia æstimabilis est, & tenetur iste ad restitutionem communitati seu domino gabellarum de toto retento quod soluere debuisset: quia lucrum vsurarium est.

Decima regula.

Decima regula, Si quis mutuat alicui centum ea ratione vt emat à mutuante quædam sua iura desperata, aut inutilia, aut agrú sterilem, aut aliquid huiusmodi, vsura est pessima: tum quia mutuum damnum infert proximo annexæ malæ emptionis: tum quia etiamsi res quæ venales proponuntur, essent vtiles valde, tamé contra naturam contractus mutui est, quòd is cui mutuatur obligetur ciuiliter ad emendum, seu quodlibet aliud, vt dictú est.

Vndecima regula.

Vndecima regula, Si quis mutuat super pignore, ea ratione vt habeat tres pro cétenario, nó quasi lucrum ex mutuo, sed quasi subsidium ac stipendium necessarium ad custodiam pignorum, & excussionem siue purgationé eorundem pignorum, aut alia huiusmodi, vsura est: quoniam in veritate iste non mutuaret, nisi lucra hæc ex hoc quod mutuat, expectaret. Ex hoc tamen non sequitur errare illos qui pignora onerosa bona fide accipientes, volunt indemnes se seruare. Sicut enim non debent ex pignore fieri locupletiores, ita nec pauperiores: & sicut fructus pignoris sunt computandi in sortem, ita expensæ qualitati pignoris annexæ, imputandæ sunt domino pignoris.

Duodecima regula

Duodecima regula est, Si quis mutuat alicui naviganti mille, ea ratione vt cum ipso eodé mutuante fiat cótractus assecurationis dictorum mille, soluendo eidem mutuanti tot pro centenario, vsura est: vera quidem, quia mutuans vltra sortem vult obligationem ad subeúdum contractum assecurationis: præsumpta autem, quia mutuum ad hoc lucrum tendere videtur, & ideo damnatur in cap. Nauiganti de vsuris.

Secúdum præambulum Caietani.

Secundò ponit idem Caietanus velut præambulum quoddam, Vsuram esse lucrum vsurarium ex mutuo, non aliunde. Et ideo si quis non mutuat, sed accommodat seu locat, aut vendit pecuniam, cum pacto recipiédi aliquid plus, non est vsura, sed liciti sunt huiusmodi contractus, dúmodo pacta sunt moderata iuxta qualitatem temporum, &c.

Aliæ regulæ ex alijs præsupposito.

Similiter si aliunde quam ex mutuo superueniat, quo præsupposito, sunt regulæ istæ, ex quibus inuenies claram explicationem plurium casuú.

Prima regula.

Prima est, Si quis accómodat pecuniá alicui ad ostentationem faciendam, vt núnularij soliti sunt móstrare publicè, quasi aceruos nummorum & aureorum, & exinde vult sibi lucrum aliquod, nó est vsura: quia non ex mutuo, sed quali ex locatione lucrum habet.

Secunda regula.

Secunda est similis, Si quis locat nummos aureos ad ponendum in balneo, vel potione aliqua medica aut alia, accipiens inde, moderatum lucrum, non est vsura.

Tertia regula.

Tertia, Si quis nummos aureos vendit pro argenteis, & inde moderatum lucrum exigit, nulla est vsura, & ratio horum & similium est: Quia pecunia ex istis contractibus non mutuatur, sed quasi res quædam accommodatur, locatur, venditur: sicut licitè in similibus casibus, aurú non monetatum, gemmæ, iocalia, & alia huiusmodi, possent accómodari, locari aut vendi cum honesto lucro.

Quarta regula.

Quarta est, Cùm lucrú venit ex mora debitorum, ita quòd postquá debitor non soluit tempore debito, potest creditor duo lucrari, scilicet pœnam conuentiona-

tionalem, & aliquid pro interesse tam damni emergentis quam lucri cessantis. Nullus siquidem excrementum huiusmodi est vsurarium: quia nō ex mutuo prouenit, sed ex mora debitoris. Et hoc intellige, si & quamdiu cō tra voluntatem creditoris contracta est, & durat mora. Nam si creditor prorogasset terminum, aut esset contentus de mora continuanda, vsura esset: quia tum ex mutui continuatione seu consecutione lucrum proueniret, & non ex mora. Non enim est in mora, qui cō sentiente creditore moratur, sed solus qui inuito creditore differt solutionem. Et hæc dicta sunt de vsura ex mutuo explicitè.

De vsuris quæ implicitè & clanculum committuntur. CAP. XIIII.

M.



De vsura autem consurgēte ex mutuo implicitè, hoc est, ex interpretato mutuo, quale nonnunquam reperitur in contractibus emptionis & venditionis, has habeto regulas. Prima est, Si quis vendendo pluris, non pio & moderato, sed rigoroso pretio vendit, quia expectat tempus quo sibi soluendum est, vsuram committit: quia quasi mutuum est expectatio temporis. Quando autem venditor seruaturus erat res in aliud tempus vendēdas, potest, vt suprà dictum est, vendere pluris quàm nūc valent, iuxta ambiguum verisimile pretium futuri temporis. Et similiter si quis expectans tempus futuræ solutionis, vendit pluris iuxta verisimile medium, seu dubium pretium tem pore solutionis futurum, excusatur: vt si piper nunc valet sex, & in Iulio creditur valiturum octo: si vendo nunc pro octo soluendis in Iulio, excusor à Decretali capit. in ciuitate, tanquam emptio non consummata intelligatur vsque ad Iulium, quo emptio erit in opere, quæ nunc est in solo contractu: quasi venditio cum correspōdente sibi emptione nunc inchoëtur, & in Iulio consummetur. Secunda regula est, Si quis emit minoris, quàm res reuera valeat, ex eo quòd nunc promptum pretium numerat, vsura est: quia ex tempore pecuniæ solutæ plus habet, quàm pecunia valeat. Tertia regula, Si quis debitor alicuius ad annum, minus soluit nunc, quia anticipat solutionem, vt si debet centum, det nunc octoginta pro tota summa, sine dubio vsura est: quia ex tēpore solutionis anticipato, lucrum reportat. Quarta regula est, Si quis emendo frumentum assignandum sibi tempore collectionis frugum, quia prius dat pecuniam, minoris emit quàm æstimetur honestum pretiū tempore assignationis frugum, vsura est manifesta, ex supradicta radice. Quinta regula, Si quis emit minoris iusto pretio, cum pacto de retro vendendo, interim quasi locans vendito ri, & recipiens ad rationem quinque pro cen tum pretij dati, vsura est: quia non est ibi vera emptio, sed mutuum palliatum sub dictis cō tractibus. Quod patet ex eo quod emitur lō gè minoris, quam sit iustum pretiū. Secus autem esset, si super domo vel agro constituetur perpetuus census ad rationem, rot pro centenario, iuxta patriæ morem, cum pacto quod possit debitor censu se liberare: quoniam contractus iste, determinatus est esse licitus per sedem Apostolicam. Sexta regula, Si quis pecunias suas dat artifici seu nummulario volens capitale sibi saluum, & tantum lucri absolutè: etiam si vel ... le aut certum sit quòd nummularius seu artifex multo plus inde lucrabitur, vsura est, non societas, nec innominatus, quem vocant, contractus: quia capitali saluo, statur lucro, & non damno, & quasi ex mutuo lucrum expectatur. Septima regula, Si quis emit rem non extantem tanquam extantem puta agrum, domum, vel argentū, & locat venditori vt det quasi pretium locationis, seu censum singulis annis tot aureos, vsura est, cùm sint contractus ficti ad palliationem mutui & vsuræ. Octaua regula est similis antedictæ, Si quis Romæ pecunijs egens accipitā nummulario mille aureos ad rationem cābij pro Lugduno, & tamen Romæ reddendi sunt, vsura est quia cambium est fictum ad palliandum mutuum sub vsura. Nona regula similis est, Si quis cum egente pecunijs, palliat multos contractus simulatos, putà, dicit se vendere tot pannos mille aureis reddendis octauo mense, & se emere ab eodē pro octingentis aureis nunc soluendis, & sic dat nunc octingentos, & fit contractus pro mille hinc ad octo menses, vsura est palliata sub multis contractibus. Nec excusatur ex eo quòd ipse non est deterioris cōditionis quàm alter, qui emeret illos pannos pro octingentis, tū quia interuenit pactū de retrouendendo sibi, perdendo ducentos, quod non interuenit cum alio, tum quia iste in veritate non venderet illi, nisi propter hoc lucrum. Hæc fili de vsuris dicta sufficiunt, ad cognoscendū quis ex hac parte peccat contra hoc mandatum. Nam omnis qui vsuram facit ex mutuo, furtu committit, estque transgressor huius mandati. D. Qui autem ad vsuram accipit, vt fa... multi, an ipse quoque reus sit ... M. Non, quia non facit iniuriam, sed ... & id quidē inuitus, quare ma... dus est q̃ iniquus: quia nece... facit dispendium rerum suarum ...

Quinta regula

Sexta regula.

Septima regula.

Octaua regula.

Nona regula.

Regulæ cōsiderandæ circa vsuras implicitas. Prima regula.

Secunda regula.

Tertia regula.

Quarta regula.

aufert non suum. D. Esto. Attamen consentit facientibus iniustum, quia petit & accipit mu[tu]u[m] ad usuram. M. Consentit quidem in mutuum: hoc enim petit, hoc vult, ad hoc inducit, quod meræ pietatis opus est: Vsuram verò siue id quod vltra sortem cogitur solue-re, non vult aut eligit, sed patitur, necessitate compulsus, dolens quòd ille non vult absque vsura mutuare, quodque ipse non potest habere mutuum absque rerum suarum damno. Quapropter nõ consentit iniquitati alterius, sed patitur illam, vtens ea ad subleuandam propriam necessitatem aut indigentiam, dũ sic rerum suarum status expostulat. Nam si absque rationabili caussa peteret ad vsuram, iam non omnino esset sine culpa. Tu interim diligenter obserua, aliud esse petere mutuũ ad vsurã, aliud inducere hominem ad faciendam vsuram. Primum enim, nullũ sonat peccatum, vt dictum est: & ideo ex caussa rationabili licet. Secundum autem semper est peccatum mortale. Nulla enim necessitate excusatur à peccato mortali, qui inducit per se, hoc est, ex intentione, quempiã ad peccandũ mortaliter, dicente Apost. Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Minus autem est consentire q̃ inducere. Et propterea dicitur, & quidẽ bene, quòd licitum est mutuum accipere sub vsura, à parato vsuram facere: non autem ab imparato, eò quòd non licet inducere ad faciendum malum, quamuis liceat vti, iniquitate parati, hoc est, licet mihi petere mutuum ab homine, qui nomine, fama, & officina vsurarius est, paratus semper ad negotiandũ sub iniustitia vsuraria. licet, inquam, mihi petere mutuum patiendo quod ille non mutuat absque vsura, sine qua posset vtique mutuare, & id quidem mihi foret multò grauius. Itaque nec ego induco illum ad vsurariam iniquitatem, nec consentio illius malæ voluntati: sed induco illum ad mutuandum quod est opus pietatis: & cõsentio potiùs perdere quod vltra sortem exigitur, quàm non consulere rebus meis.

Petere ad vsurã non est cõsentire in peccatum.

Rom. 1.

Licitũ est accipere vsuram à parato &c

De furtis quæ committuntur contra iustitiam distributiuam. CAP. XV.

M. Ontingit denique, vt tandem finiam, etiam furta & rapinas committere, contra iustitiam distributiuam. Primò per eos qui præsunt Reipub. dum ex bono publico peculium faciunt, cõuertentes res regni, ciuitatis, vel exercitus ad propriam vtilitatem, quemadmodũ ædiles, Xenodochiorũ gubernatores, Magistratus, Capitanei, qui de rebus regni, ciuitatis, vel exercitus faciunt propriam vti[li]tatẽ, fraudata cõmunitate. Item Pontifices, Abbates, Præpositi, &c. Secundò, per collatores beneficiorum, si conferendo non prouideant Ecclesiæ, sed personis. Quoniam hoc vnum habẽt in mãdatis, vt prouideant Ecclesiæ. Quidquid aliud spectauerint extra boni dispensatoris fidelitatem est. Quapropter qui conferunt consanguineis, quia consanguinei sunt, aut ministris suis, quia inseruiunt, aut nobilibus, quia nobiles sunt, aut alijs, quia muneribus repleuerunt sibi manus, denique quacunque alia ratione, quàm vt prouideant Ecclesiæ, fures sunt, delinquentes contra hoc mandatũ. D. Tamen Christus promouit suos cõsanguineos ad Apostolatum, Iacobum & Ioannem, Iacobum & Philippũ. M. Quàm in illis fuerit bene prospectum Ecclesiæ, postea exitus euidenter docuit. Nõ dixi ego, iniquũ esse cõferre beneficium cõsanguineo, aut mĩnistro: sed conferre consanguineo, eam ob caussam, quia consanguineus est, aut ministro, quia minister est, id dixi & dico iniquum & iniustũ esse. Vnde si quis habet nepotẽ, vel seruum, cuius ingenium & studium atque industriam iam probè nouit, adeo vt probabiliter posset præsumere, in eo bene fore prospectum tali officio, siue ministerio Ecclesiæ, iam indubiè iusta ratione potest in eum conferre beneficium, aliàs minimè. D. An non licet spectare paupertatem, aut eruditionem illius, cui fit collatio? M. Admodum cordatè respondit mihi Prior domus Carthusianæ apud Louanienses, cõmendanti quendam ad præsidentiam collegij Buslidiani à paupertate & eruditione, dicens: Carissime, nobis commissum est prouidere collegio de bono & vtili Præsidente, non autem pauperibus vel eruditis de bona ac vtili præsidentia collegij. Quapropter paupertas eius quem tu cõmendas non debet me mouere. Veruntamẽ si perspexero eum fore vtilem ac idoneũ collegio gubernando, libenter annuam petitioni tuæ. Vtinam atque vtinam hoc dictum boni viri esset benè impressum cordibus singulorum, ad quos spectat collatio vlla beneficiorum. Peccant itaque contra hoc mandatũ, vt summatim dicam, fures, raptores, peculatores, abigei, plagiarij, incendiarij, impostores: adulterantes monetam publicam, vinum, aliásue merces, fraudantes mercedem operariorum, & serui infideliter operantes, Simoniaci, vsurarij, possessores iniustè acquisitorum, non facientes restitutionem de alieno, negotiantes in diuerso pondere ad deceptionem, & quicũque contra iustitiã commutatiuam vel distributiuam fraudem faciunt aut damnũ inferunt.

Peccant, qui de publico faciunt peculium sibi.

Summa eorũ qui hoc mandato prohibentur.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS NONI.

Mandatum octauum tam pertinere ad Euangelium, quam ad veterem legem, & in qua latitudine sint verba eius intelligenda. Cap.I.
De falsis testimonijs quae perhibentur in iudicijs. Cap.II.
De modis quibus contingit dicere falsum testimonium extra iudicium. Cap.III.
De hypocrisi qua quis falsum de se perhibet testimonium. Cap.IIII.
De iactatoribus sui. Cap.V.
De nequiter humiliantibus se. Cap.VI.
De maledicis, conuiciatoribus, contumeliosis. Cap.VII.
De susurronibus. Cap.VIII.
De adulatoribus. Cap.IX.
De iudicijs temerarijs. Cap.X.
De iudicijs personarum & actionum personalium. Cap.XI.
De mendacio. Cap.XII.

TRACTATVS NONVS.

Mandatum octauum Decalogi tam pertinere ad Euangelium quam ad veterem legem, & in qua latitudine sint verba eius intelligenda. CAP.I.

D. NOn testis iniquus. M. Quin potius dic verba scripturae. D. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. M. Bene est. Sic enim habet Decalogus Exod.20. Deut.5. Idemque prohibet Euangelium sub his verbis, Non falsum testimonium dices, siue loqueris, Matth.19. Mar.10. Luc.18. dicente Saluatore nostro ad adolescentem: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, &c. Ex quo clarum est, obseruationem istius mandati de necessitate esse salutis, tam pro tempore Euangelicae libertatis, quam legis Mosaicae. Verum an intelligis vim mandati? D. Verba quidem in se nihil habent difficultatis. Nam quid sit loqui aut dicere, quid insuper falsum intelligimus omnes. Et testimonium nihil aliud est quam attestatio, qua in iudicio ad probationem eorum, quae obscura sunt vel ambigua passim vtimur. M. Quid autem hoc. Contra proximum? D. Id vulgò dicimus contra quempiam esse, quod illi nociuum est, repugnat, aut iniuriam facit. M. Et quis tibi proximus? D. Omnis quicunq; mecum eiusdem est naturae, habens animam & corpus, sicut & ego. M. Non dixisti male. Attamen quam dixeris insufficienter docebit te interrogatio mea. Quaero igitur, An liceat dicere falsum testimonium de proximo, aut pro proximo seruando vel defendendo? D. Equidem non ausim id dicere. M. Rursum. Cùm quis notat proximum nigro, vt vocant, lapillo, hoc est, cùm detrahit famae illius, etiam extra iudicium forense, dicendo mendaciter eum sycophantam esse, aut furem, aut ganeonem, nónne is dicit falsum testimonium contra proximum? D. Sic apparet. M. Igitur etiam extra iudicium forense peccatur contra hoc mandatum. Adhaec qui non loquitur cum alio, sed secum in scrinio cordis sui male iudicat de proximo, nonne is sibi dicit falsum testimonium aduersus proximum? D. Is non loquitur, tantùm abest vt loquatur falsum, aut testimonium ferat. M. Non loquitur quidem voce, sed cogitatione. Est enim quoddam verbum internum in mente manens, vt cogitatio. Est & externum de corde exiens foras, vt sermo oris. Licet itaque taceat alijs, sibi tamen loquitur cogitationibus intus defendentibus vel etiam accusantibus, sibique testimonium reddit de proximo, siue bonum siue non bonum. Nónne saepè tecum loqueris, tecum ratiocinaris, tecum disputas in conclaui cordis, citra sermonem? D. Saepissimè. M. Denique contingit in literis ac libellis famosis seu diffamatorijs, scribere falsum testimonium aduersus proximum. Item nutibus ac signis fit aliquando comprobatio eius, quod est contra proximum. Vt si quis quaerat, Petrus fuitne heri in prostibulo? Alius quidem nihil dicat, innuat tamen capite, dando signum affirmationi consonum. Et de istis quid tibi apparet? D. Certè quod faciunt contra hoc mandatum, non minus quàm is qui loquitur voce. Quod enim sermo est inter praesentes, hoc literae sunt inter absentes. Et saepè dum piget aut pudet loqui, signis vtimur pro vocibus. M. Vt igitur intelligas mandatum in sua plenitudine. Primò in verbis istis. Non dices vel loqueris, debes subintelligere, neque per sermonem, neque per cogitationem, neque per epistolas, neque per libros, neque per libellos, neque per nutus, neque per signa, neque per aliquid aliud, quo indicari potest iudicium cordis nostri de proximo. Secundò debes obseruare non dici falsum hoc loco quod in vocum significatione veritati est contrarium. Non enim licet testari de proximo, quod impurus sit, aut auarus, aut hypocrita, etiamsi id verissimum existat. Nam eo casu etsi non est falsus sermo quem pronuncias, est tamen falsum testimonium quod perhibes. Vnde falsum hic vocatur tam id quod iniquum est aut illegitimum, quam

Quaedam obseruanda pro intellectu mandati.

Quid hic falsum dicatur.

quod ... est veritati contrariũ. Ea certe phrasi ... ,qua monetam reprobã vocamus falsam monetam. Igitur, non dices falsum testimonium, hoc est, testimoniũ mendax, aut alias iniquum, quod proximum dãnificat in fama vel in rebus suis citra iuris ordinẽ. D. Quare addis, Citra iuris ordinem? M. Quoniam si quis ordine iuris legitimè citatus dicat contra malefactorẽ testimonium, ex quo iudex procedit ad supplicium mortis, exilij, vel confiscationis, non peccat cõtra istud mãdatum. licet testimonium dicat contra proximum: & quidẽ tale testimonium, vnde imminet proximo mors, vel exiliũ, aut summa diffamatio. Quod enim facit, ordine iuris facit, iustitia publica sic exigente. Dedimus autẽ superius hanc regulam: Nemo peccat faciendo id, quod facere ius habet. Attamen si idem testaretur eadem contra eundem malefactorẽ extra ordinẽ iuris, dicendo inter vicinos suos fur est, aut ganeo, aut adulter, iam certe esset falsum testimonium: quia iniquum & illegitimum, etiamsi verissima sint verba quæ profert. Tertiò debes obseruare Saluatorem renouando hoc mandatum in Euangelio, non addidisse particulam cõtra proximum, sed in generalitate dixisse, Nõ falsum testimonium dices: nimirum neq; contra te, neque contra alium, neque pro te, neque pro alio, neque cõtra Deum aut Ecclesiam sanctam matrem nostram vel traditionem eius, non contra fidem aut virtutes aut vitia, asserendo bonum malum, aut malum bonum, dicendo pax vbi non est pax. Nam quicunque reddit falsum testimoniũ de Deo suo aut Ecclesia Catholica, de fide aut religione, de virtute, vel vitijs, aut de seipso, tam peccat contra hoc mandatum, quàm qui falsum testatur contra proximum suum. D. An minus olim tempore legis q̃ nunc. M. Nõ. D. Quare ergo tũ tempore addita est particula cõtra proximũ, nõ autem modò? M. Dũ rẽ propiùs penetramus, nemo homini magis proxim*, quàm ipse met sibi, nec potest rationali creaturę quid esse ꝓximius Deo: quoniã ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Qui autẽ testatur cõtra verbum Dei, cõtra fidem, aut religionem, is testatur, & cõtra Deum (per hæc enim glorificatur Deus inter homines) & cõtra omnem ꝓximũ. Nemo enim hominum sine his saluus esse potest. Sic de virtute ac vitijs. Nam virtute efficitur melior nobiliorq; cõditio hominis: & vt virtus semen habet immortalitatis, ita & vitiũ est introductio mortis. Qui igitur detrahunt virtuti, aut pro virtute cõmendant vitium, illi adulterant semen immortalitatis tollentes ab homine omnem messem futuræ vbertatis & gloriæ, quod sine dubio valde est dispendiosum. Non igitur aliud in lege prohibitum, aliud in Euangelio, sed expresius loquitur Euangelium dicens absolutè: Non tamen testimonium dices. Quarto debes obseruare nusquam addi isti mandato hanc particula in iudicijs siue prætorijs, aut coram tribunalibus, sed absolutè dicitur, Nõ falsum testimonium dices. Nusquam scilicet, neq; in iudicijs cum exactus fueris per iustitiam, neq; extra iudicia cùm tua sponte fabularis, neque in cogitatione cordis cùm tecum hominum meritademe ritaq; perpendis, neque vllo denique modo, aut in vllo omnino loco. Quintò tibi obseruandũ est, mandatum nõ prohibere testimonium, sed falsum testimonium: quia sanctum est, & iustum perhibere testimoniũ veritati, immo tenetur vnusquisque ad hoc ex iure naturæ, adeo vt sit peccatũ mortale, negare testimoniũ in articulo debitæ requisitionis. Incommodat enim & proximo & Reipub. eiusmodi denegatio. Veruntamen præceptum de ferendo testimonio, quia affirmatiuum est, ideo nõ obligat semper, sed pro loco & tempore, dum datur occasio tollendi dissidij inter vicinos vel proximos, aliósue dissidentes: maximè dum exactus fueris per auctoritatẽ publicam, aut vrget notabilis necessitas, etiamsi sit contra proximum. Quisque enim pars est cõmunitatis, omnis autem pars est propter totũ, non autem propter aliam partem. Quapropter si quis citetur ad ferendum testimonium etiam in caussa sanguinis, tenetur dicere veritatem. Magis enim tenetur diligere bonũ publicum q̃ particulare: & ideo magis collaborare ad conseruandum bonum iustitiæ publicæ, q̃ ad liberandum hunc vel illum malefactorem. D. At quid potissimum est obseruandũ in ferendis eiusmodi testimonijs? M. Primò, ne sis repentinus, nihilq; dicas frustrà, id est, nõ properes ad testandum, sed legitimè citatus veni. Postquam autẽ citatus cõparueris nihil dicas citò, nihil etiam præter id quod es interrogat*. Habet enim Scriptura, Qui testis est repentinus, cõcinnat linguam mendacij. Et illud, ne sis testis frustrà, hoc est, sine caussa te legitimè ad hoc cõpellente, cõtra ꝓximũ tuũ. Secundò vt sis verax & sincer*, hoc est, nõ dicas plus aut minus, aut aliter q̃ perspectum habes, addens modum quo cognoscis an scilicet per auditum, an per ocularẽ inspectionem, an euidenter, an vtcunq;. Etenim sic agendo eris testis fidelis, qui multum commendatur in Scripturis, Prou 14. 24. tantum abest, vt vel hic vel vsquam prohibeamur ferre siue dicere testimonium. Nam hoc mandatum duntaxat prohibet testimonium falsum.

Isa. 5. Hiere. 6.

Nõ aliud in lege q̃ in Euãgelio prohibitum.

Præceptũ de ferẽdo testimonio.

Quæ obseruanda sint in ferendis testimonijs Prouer. 19

Prouer. 14.

De falsis testimonijs quæ perhibentur in iudicijs CAP. II.

M. Trib' modis cõtingit dicere falsum testimoniũ.

Contingit autẽ dicere falsum testimoniũ trifariam. Primò in publicis iudicijs sub sacrosancta iuratione: secundò extra iudicium forense: tertiò extra populum apud temetipsum. Quantum ad primũ, Si quis citatus authoritate iudicis, & exactus sub iuramẽto dicere veritatẽ, cõtra fecerit pronũcians nõ verè, sed mẽdaciter, reuera is perhibet falsum testimoniũ contra proximũ. Quale dixerunt contra Susannam duo senes inueterati, Daniel.13. Contra Naboth Iezraëlitem filij Belial. 3.Reg.21. Contra B.Stephanum Iudæi.Act.7. D. Hóccine graue malũ est? M. Non potest non esse graue malum, quod grauiter prohibet Scriptura sancta in pluribus locis veteris ac noui Testamenti: Iaculum, inquit Sapiens, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suũ falsum testimonium. Rursum, Sex sunt quæ odit Dominus, Testẽ fallacem &c. Et illud, Testis falsus non erit impunitus. Item, Testis mendax peribit. D: Et q̃ graue malum? M. Certè non solùm mortale, dignũ gehenna ignis: sed & infame. Nã præter hoc quod falsus testis iniuriam facit proximo suo, qui sibi frater est, etiam conturbat Rempubl. fallit iudicem, ius dicendum obscurat, & quod omniũ sceleratissimũ est, manifestam ignominiam facit Deo, diuorumq́; maiestati, nec non sacrosancto Euangelio Christi. Quandoquidem omnis testis in iudicijs iurat se dicturum merã veritatem, dicendo: Ita me Deus adiuuet, beata virgo Maria, & omnes sancti eius, tangendo librũ Euangelij, vel imaginem Crucifixi, quibus omnibus non obstãtibus contrariũ facit, iurãdo falsum, efficiturq́ue veraciter periurus: Quare & infamis, meritò submouendus extra locũ, omnemq́; functionẽ honoris. Quid tibi nunc apparet, nónne ingens crimẽ est, falsum testimoniũ in processu iudiciario? D. Est, omni dubio procul. M. Sic quotiescunq; sub sacrosancta iuratione perhibetur falsum testimoniũ, etiam extra forũ iudicij, crimen est, si fiat in re seria alicuius momenti cum debita deliberatione. Adhæc quoties iudex sciens & volens pronũciat falsum iudicium super factis personarũ, aut reportator siue aduocatus sciens prudensq́ue aliud pronunciat de statu caussæ quàm pro meritis eius, toties perhibet falsum testimonium contra proximum. Et væ, inquit scriptura, illi, qui iudicat falsum iudicium: quoniam abominabilis est, & maledictus coram Domino Deo suo.

Graue peccatum testimoniũ falsum.

Proue.25.
Prouer. 6.
Proue.19.
Proue. 21.

Testimonium falsum in iudicijs infame malũ.

Omne testimoniũ falsũ sub iuramento datum crimẽ est.

De modis quibus contingit dicere falsum testimonium extra iudicium. CAP. III.

M. Multipliciter dicitur falsum testimonium extra iudicium forense.

Secundò, contingit falsum testimoniũ dicere, vel de se, vel de alijs extra processum iudiciarium, prout faciunt detractores, contumeliosi, hypocritæ, infamatores, calumniatores, susurrones, iactatores, adulatores, præsumptuosi, nunc dictis, nunc scriptis, nunc publicè, nunc priuatim, nonnunquam manifesta criminatione, aliquando sic tectè, vt licet nihil dixisse videantur, tamen per vnum Sed, aut signum, sustulerunt omnẽ existimationem proximi. D. Hoc autem postremũ quomodo? M. Vt cùm quædã laudauerint, post multa subnectũt particulam aduersatiuam, sed, siue, *maer*, ibi hærẽtes, quasi religiosum eis sit reliquum exprimere, qua forma dicendi sæpè plus diminuunt æstimationem proximi q̃ si clarè exprimerent. At pergam ad reliqua. Detractores sunt qui detrahunt proximo bonam æstimationem, inurentes malam notam nomini eius. Infamatores, qui prorsus infamem reddunt in populo, qui & criminatores dici possunt. De quibus inquit Scriptura: Nolite detrahere alterutrum fratres mei, Iacob.4. Addit Apostolus, Quòd si inuicem mordetis & comeditis, videlicet per detractionem, videte ne ab inuicem consumamini, ad Galat.5. Abominatio hominum detractor. Prouerb.24. Immo Deo odibilis omnis detractor. Nã si serpens mordeat in silentio, nihil min' eo habet detractor. Hanc ob caussam voluit D. Augustinus in triclinio suo scriptum esse magnis characteribus ante oculos omnium.

Detractores.

Infamatores.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

D. Quid si leuiter per loquacitatem nobis aliquid exciderit, vt fit, contra famam proximi, non puto hoc statim esse damnabile peccatum. M. Audi fili, Si quis citra intentionẽ lædendi famam proximi, ex quadam garrulitate dicat, non peccat ille peccatum mortale: quia non detrahit formaliter, vt loquuntur Scholastici, sed materialiter, nisi adeo notabiliter lædat, vt actus redundet in naturam suæ formæ, eò quòd non curauit præcauere à tanta proximi læsione, potissimùm si dicat de prædicatore, de pastore, de rectoribus Reipu. de statu Ecclesiæ. In eiusmodi enim personis etiam modica detractio vehementer lædit, non solum personam, sed & cõmunitatem, cuius salus magna ex parte pendet à bona existimatione eorum qui præsunt. Porrò si quia studio seu ex intentione lædendi famam alterius, reddit in societate malum testimonium

De ijs qui leuiter loquũtur detractoribus.

de proximo, siue id fiat dicendo verum siue falsum, siue asserendo siue referendo, siue addendo, siue minuendo, siue interpretando, siue tacendo, aut quouis alio modo, is detrahit formaliter, & peccat ex genere peccatum mortale: nisi fiat super re minima. Nam minimum quasi pro nihilo reputatur: Si graue peccatum est damnificare proximum in bonis fortunæ, multò grauius esse debet detrahere alicui bonam famam, siue bonū nomen. Quoniam melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, super argentum enim & aurū gratia bona, Prouerb.22. Nec immunes sunt ab isto peccato, quin potius participes eius, qui in conuiuijs aut fabulis, facile aurem præbent detractionibus. Hinc Propheta: Detrahentem, inquit, secretò proximo suo, hunc persequebar: ne scilicet delicti particeps fierem. Hinc & Sapiens: Sępi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. D. Tamen audientes nihil mali pronunciant de proximo: tacent enim. M. Tacent quidem, sed audiendo, gaudent, corrident, colludunt, præbent aures, ideoque & consentiunt quodammodo in damnum ac malum, quod patitur proximus. Est autem regula Apostolica, Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Alacritate quoque audiendi non parū animant detrahentem ad liberiùs dicendum, iuxta illud: Auditoris intentio suscitat spiritum docentis. Quàm verò inexcusabiles sint, hinc liquet. Si enim asinum vel bouem fratris, qui in via ceciderit, subleuare iubemur: quantò magis famā proximi, qua nihil homo habet pretiosius, defendere, nobis mandatum esse intelligere debemus. Solet quidam pius dicere, Detrahere vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. D. Quid si in colloquio detractionis nec me oblectet infamatio proximi, nec consentiam in factum detrahentis, anne tum prorsus immunis sum à peccato? M. Distinguo. Si pastor es aut Ecclesiastes, commissam habens curā salutis eorum, quibus conuiuis, & taces, certè iam tibi peccatum est, quia non euangelizas populo Dei peccata eorum, prout ex officio teneris. Sin verò priuatus es, interim tamen verisimile est tibi tuam modestā correptionem posse fructum facere, nihilo secius pudore quodam humano taces, non es sine delicto, neque enim illi qui patitur infamiā, caritatis officium impendis, neq; correptionis beneficium illi, qui in errore positus est, hoc est, detractori. Tu tamen ne facilis sis ad corripiendum, nisi & locus & tēpus, & proximi facilitas omnino persuadeant fructum subsecuturum. Valde enim prudenter monet Sapiens: In cōuiuio vini nō arguas proximum tuum. Quòd intēpestiuū sit inter pocula corripere, vbi peccantē nō ad pœnitentiam, sed citiùs ad furorem concitaueris, & conuiuantes non ad misericordiam, sed magis ad contemptum & dilacerationem proximi commoueris. Si autē non est opportunum correptione vel monitione impedire verba detractoria quæ audis, saltē vultus demissione, aut alienæ fabulæ interiectione, ostēde te illubentem auditorē esse. Dicit enim Sapiens: Facies tristis dissipat linguam detrahentem. Vetus Prouerbium est. Nemo libenter est orator inuitis auditoribus: Hoc igitur age, & quod audisti, ad alios ne perferas, iuxta consilium Sapiētis: Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te fidens, quoniam non te dirumpet. Quod quidem Sapiēs protulit cōtra eos, qui vbi audierint verbum contra proximum, id statim festinant effundere apud alios, velut ex cōpassione proximi, dolentes quòd illius fama adeò miserè sit corrosa à tali aut tali: interim ipsi diffamantes imprudenter & illos à quibus audierant, & eum contra quem dictum fuerat. Quod genus quo magis speciem induit pietatis & cōpassionis, eò est pestilentius & nocentius.

Formalis detractio ex genere peccatum mortale.

An audire detrahentē sit peccatum. Psal 100. Eccles.28.

Roman.1.

Exod.23.

In audiendis detractionibus aliter pec cat pastor, aliter populus.

Nō oportet facilē esse ad corripiendū. Eccles. 31

Prouer.25

Eccles.19.

De hypocrisi qua quis falsum de se perhibet testimonium. CAP. IIII.



Ve etiam accedunt illi, qui de seipsis perhibent falsum testimonium per hypocrisin, aut iactantiam, aut præsumptionem, aut dominandi studium, nonnunquam etiam per metum aut supplicia. D. Isti nihil dicunt falsò cōtra proximum, sed nec contra seipsos, quin potius quod dicunt aut faciunt, id faciunt vt bene sit sibi. M. At falsò, per simulationem veri, aut falsi dissimulationem cōtra mandatum Euangelicum, quo absolutè, & citra restrictionem dictum est. Non loqueris falsum testimoniū: nimirum neque contra proximum, neque pro proximo, neque contra te, neque pro te. At dic iro mihi, quid hypocrisis? D. Fictio, qua homo personam iusti vel iustioris simulat: aut iniusti vel iniustioris dissimulat. M. Hoc certè malo mirum in modum laborabant olim Donatistæ, & Cathari, sic dicti, quod se puros esse testarentur, nō recipientes alios ad consortium suum. Hoc eodem malo laborabant Scribæ & Pharisæi tempore Christi, dicit enim Saluator: Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Ecce studium simulandi coram hominibus effigiē vir-

M.

Quid hypocrysis.

Matth.23.

virt itis: Et alibi, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parēt hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos à foris paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Ecce studium dissimulādi iniquitatem. Quorum damnatio tam certa, tamque est indubitata, vt à Christo præsupponatur, cùm dicit Matth. 24. Partemq; eius (loquens de infideli seruo) ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium. D.

Quæ hypocrisis sit peccatum mortale.

Ergo hypocrisis est peccatum mortale. M. Si verè est & formaliter hypocrisis, peculiari actione vel habitu, vendicante sibi in populo existimationem sanctitatis, à qua prorsus alie na manet, quis precor audebit pronunciare tale quid non esse peccatum mortale? Veluti si illi qui nō ieiunant, exterminēt facies suas, vt videantur hominibus ieiunanres, aut qui nulli rei minus intendunt quàm Deo esse deuoti, fingunt tamen orationes in omni loco, vt religiosuli habeātur, aut qui habitum sanctitatis circunferunt, vt appareant foris quod intus esse volunt: dumque intus pleni sunt occulta spurcitia, tamen supra alios sibi famam ac nomen sanctimoniæ artificiosis fictionibus à populo extorquent: huiusmodi, dico, indubiè habent perfectam hypocrisim, & peccant mortaliter. Non solùm propter malitiā quam occultant, sed magis propter fictionē perniciosam, qua imponunt populo, extorquentes ab alijs famam, & venerationē sibi indebitam. Vnde Saluator terribiliter impro perat, væ væ, his qui tales sunt. Adhæc manifestè peccatum damnabile est illorum hypocrisis, qui veniunt sub vestimētis ouiū, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Instillātes sub specie pietatis pestiferum dogma in animas eorum, qui minus cauti sunt: vt faciunt pseudoprophetæ, pseudoapostoli, falsi doctores, operarij subdoli. Quorum finis, inquit Paulus, & gloria in cōfusione ipsorum. Portabūt enim iudicium suum, quicunq; sunt eiusmodi. Sic qui fingunt longas orationes vt expolient mulierculas oneratas peccatis, aut sine eruditione titulos sibi & insignia eruditionis emunt, vt in populo possideant fructus scientiæ, quam non habent, hoe est, honorem & emolumenta, quæ debentur literis & scientia exeultis. D. Et nos omnes, licet intus mali simus, (nemo enim dicere potest, Innocens sum aut sine peccato) foris tamen & in populo, pro bonis Christianis reputari quærimus, verùm nūquid ideo hypocritę reputabimur peccantes cōtra hoc mandatū? M. Aliud est fingere aut simulare fraudandi gra

Philip 3.

An omnes peccatores cupiētes pro bonis Christianis reputari, sint hypocritę.

tia, aliud iure suo vti. Est autem ius, vt qui nō est malefactor in publico, publicè bonus habeatur. Omnis enim homo præsumitur bonus, donec de cōtrario constet. Itaque dabo tibi quasdam regulas indubitatas, quarū prima est. Quicunq; facit opera ad Dei seruitiū sua natura ordinata: qualia sunt ieiuniū, oratio, eleemosyna, missa, confessio, sacra synaxis, auditio verbi Dei, non quidē animo seruiendi Deo, sed ob gloriam humanam, aut quæstum, aut ventrem, is reuera hypocrisim cōmittit, qualis inuoluit, præter mendacium facti, etiam iniuriam rerum sacrarum quas ordinat in fines indebitos. Iuxta modum autem finium crescit decrescitque malitia talis hypocriseos. Si finis est, ne perdat in populo cōmunem existimationem boni Christiani, is finis ex eo quo non est malus, neque sibi indebitus, nisi ipsemet sit publicè & notoriè malus, nihil addit de malitia. Si finis est inanis gloria, indubiè superaddit. Si deniq; finis fuerit extorquere á populo subsidia vitę indebita, diuitias, famam, aut nomen sanctitatis, iā fit sceleratissima huiusmodi hypocrisis. Cui Christus terribiliter imprecatur illud Euangelicum væ, quod sonat æternæ damnationis comminationem, vt est in multis locis Euāgelij videre. Secunda regula est. Quicunq; facit prænominata opera bona veraciter, & ex primaria intentione seruiendi Deo, eupiens interim per hæc reputari ab alijs pro viro Catholico ac bono Christiano, sicut cæteri, is haudquaquàm notādus est hypocriseos, nec vllum cōmittit peccatum: quia nulla hic est simulatio, nulla cupiditas indebiti. Illa enim cōmunis existimatio viri Catholici, optimo iure ei debetur: donec palam sceleratus esse incipiat. Sicut Canonicus si eat ad diuina officia veraciter, & ex primaria intentione seruiendi Deo, volens tamē simul recipere plum beta, vt vocant, tanquam emolumenta vitæ suæ, nullam committit Simoniam sic faciendo: quia facit officium propter suum finem, & faciēdo non quærit indebitum. Tertia regula. Omnis hypocrisis est mendacium facti, hoc habens præter cōmunem rationē mendacij, quod fiat plerunque circa sacra & pietatis officia. Sed istam regulam fusiùs explicabimus, vbi tractandum erit de mendacio.

Prima regula.

Secunda regula.

Tertia regula.

De iactatoribus. CAP. V.

Iactantia est, qua se quispiā effert insolentiùs testādo verbo plus de se, quàm sit aut appareat in se. Quòd si iactitet se sanctū esse, aut purum, idq; in contemptum aliorum, graue pec-

M. Iactantia.

peccatum est, & perniciosum testimonium suipsius. Cui malo obnoxij erant, quorum meminit Esaias dicens: Qui dicunt, Recede à me, non appropinques mihi: quia immundus es. Et Pharisæus ille Euangelicus, qui ausus est, etiam coram Deo, qui scrutatur corda & renes, se inaniter iactare, & hoc quidem cum contemptu alterius melioris se, dicens: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiã hic publicanus. Tales quoq; fuerũt, vt dixi, Donatistæ & Cathari hæretici sic dicti, quòd se puros esse testarentur, alios autẽ impuros & peccatores. De hoc peccato inquit Psalmista: Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. D. Disperdat? An igitur iactantia, non infrequẽs humani generis labes, sit peccatum mortale?

Esa. 65.

Luc. 18.

Psalm. 11.

An iactãtia sit peccatũ mortale.

M. Dicam. Iactantia continet capita multa: ex quibus pendet cõsideratio malitię eius. Primum est, mendacium: quia iactantia est species quędam mendacij. Et ideo discernere oportet: interueneritne in iactatione sui mendacium perniciosum, an iocosum, an officiosum. De quibus infrà. Secundũ est laus propria: non enim purè narrat iactator, sed tanquam laudans narrat. Tertium est, arrogantia ex qua procedit, & secundum qualitatem arrogantiæ atque laudis propriæ, iudicandũ est de iactãtia. Nam si illa perniciosa fuerint, iactantia erit peccatum mortale. Si verò nihil habeant præter vanitatẽ vel inanem quãdam gloriam, vt solet contingere in ventosis hominibus, est venialis duntaxat: nam & illa venialia sunt, nisi in eis ponatur vltimus finis. Quartum est lucrum quod quis iactando sectatur. Vnde qui se iactant falsò peritos rerum & prudentes, vt præturam vel senatoriã dignitatem obtineant, aut doctos se iactitãt ac pios, vt designentur in populo prædicatores verbi Dei, vel pastores, animarũq; custodes, horum iactantia habet in se perniciosam iniquitatem, Reipub. valde nociuam. Peccãt tamen tantò grauiùs isti, quã illi, quãtò pretiosior est salus animarum operibus mundi huius, & cura pastoralis gubernatione ciuitatis.

De nequiter humiliantibus se. CAP. VI.

D.



Svnt qui laborant vitio prorsus cõtrario, minus testantes de se quàm in se habeant: hi an etiam offendãt contra hoc mandatum? M. Si nequiter, & fallendi studio se humiliant, indubiè offendunt perhibentes de se falsum testimonium. Et peccatum eorum iudicãdum est ex qualitate mẽdacij, & fine quem intendũt: Monet autem Scriptura sedulò cauendum esse ab huiusmodi hominibus, dicens: Qui submiserit vocẽ suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. Itẽ, Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo. Vt igitur concludam, non falsum testimonium dices, inquit mandatum: neq; de teipso quidem, neque contra teipsum. D. Hoc postremum an vnquam contingat? M. Contingit aliquando, maximè sub torturis. D. At tum fit excusabile propter magnitudinẽ pœnæ. M. Fili, nunquam sunt facienda mala vt inde eueniant bona. Nemo mentiri potest, aut falsum testari de se, ne animo quidem liberandi se à pœnis aut periculis. Detrahere sibi ipsi, siue infamare seipsum tantò grauius malum est, quàm detrahere proximo: quantò quisq; principaliùs tenetur diligere se, & famam suam propter Deum & commune bonum, quàm famam proximi: nec excusatur à peccato mortali propter vllum metũ vel tormenta. Quoniam sicut nullus metus, nullumq; tormentũ excusat à vulneratione aut occisione sui, ita nec ab infamatione sui. Pati quidem detrimentum famæ propriæ in hominis est arbitrio constitutum, modò id in aliorũ malum non redundet: quẽadmodum pati vulnera & mortẽ. Verùm inferre sibijpsi damnũ famæ, illicitum est, sicut vulnerare seipsum ex proposito aut occidere. Porrò si fiat humiliatio qua se nequiter quis humiliat in iudicio, duplicatur iniquitas ipsius: quia adiungitur mẽdacium perniciosum, fallens iudicem in iure dicendo, eoque pertrahens vt condemnet innocentem, vel absoluat nocentem.

Qui se humiliãt nequiter peccãt cõtra hoc mandatũ.

Prouer. 26

Eccles. 19.

An liceat falsum testari propter se propter torturas.

De maledicis, conuiciatoribus, contumeliosis. CAP. VII.



Adhæc, maledici, qui mala loquuntur de proximo, calumniatores qui alijs falsò & callidè ac malitiosè crimen imponunt, conuiciatores, criminatores, contumeliosi, non minùs, immo subinde grauiùs offendunt in hoc mandatum, quàm detractores. Et sunt eiusmodi plerunque peccata damnabilia: quoniam malitiosè proximo in faciem eius improperant indigna, ad dehonestationẽ ipsius: quod est ex diametro contra fraternam dilectionem. Sicut enim mittens lapidem in volatilia, deijcit illa: sic & qui conuiciatur amico, dissoluit amicitiam. Nec dissoluit solùm, verùm sicut ante ignẽ camini vapor & fumus ignis inaltatur, sic & ante sanguinem maledicta, & cõtumeliæ, & minæ, inquit Sapiens. Adiungẽs,

M. Maledici. Calũniatores.

Eccle. 22.

Quæ

Eccles.25 Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò, ne posteà emendare non possis, cùm dehonestaueris amicum tuum.

De Susurronibus. CAP. VIII.

M. Susurrones. Eodem modo hic dicendum est, de susurronibus, qui falsum testantes de proximis, conturbat, vt inquit Sapiens, amicos, & in medio (Eccles.28.) pacem habentium immittunt inimicitiam. Nam susurratio propriè est oblocutio ad amicitiam tollendā inter diligentes sese, item ad fouendas inimicitias inter odientes se mutuò. D. Non solùm igitur mala est susurratio, sed & incentiuum quoddam multorum malorum & fomētum. M. Rectè dicis. Hinc (Leuit.19.) præcepit lex vetus, Non eris criminator, nec susurro in populis. Nam susurro & inquinabit animam suam, & ab alijs odietur. Addit Scriptura alio loco quod plus est perpendendum: (Eccles.28.) Susurro, inquit, & bilinguis maledictus: multos enim conturbauit pacem habentes. Quapropter susurratio est de genere peccatorum mortalium: tantò grauius offendēs, q̄ contumelia & detractio, quantò amicitia est melior fama & honore. (Susurratio grauius peccatū q̄ contumelia.) D. Profectò durum foret, si quæcunque maledicentia, aut calumnia, aut conuitium, aut contumelia, semper esset peccatum dānabile. M. Proptereà te semper memorē esse volo eius, quod diximus sæpè, plerunque peccata, quæ ex genere sunt mortalia, venialia fieri posse: vel propter imperfectionem actus, vel quia subitaneus est motus, vel quia contingit in re minima: ex parte insuper modi, nempe quia iocosè & non seriò dicuntur: aut si seriò, tamen prorsus pręter omnem intentionē lædendi. Quod tamen debes intelligere: nisi ob magnitudinem nocumenti, actus redeat in naturam suæ speciei. Quo sanè casu essent peccata mortalia, propter inuolutam nimiam negligentiam considerandi quantitatem nocumēti quod infertur proximo in fama sua. Quemadmodum suprà dictum est de detractione materiali.

De adulatoribus. CAP. IX.

D. Adulatores. At adulatores, qui perhibent alijs falsum testimonium de dictis, vel factis eorū, caussa gratiæ captandæ: aut attribuendo eis quod non habent: aut laudando in ipsis quod nō solùm non est dignū laude, sed vituperio magis vel criminatione, hi an etiam delinquant in hoc mandatum? M. Omnino, & grauiter. D. Omnis vbiq; familia diuitum ac potentum, plena est huiusmodi hominibus. M. Sic est. Eò quòd familiare sit, præcipuè amicis illud Terentij, Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoq;. Negat quis, nego: ait, aio. (Teren. in Eun. Act.2. Scen.2.) D. An solis illis? M. Etiam sacerdotibus, etiam monachis, etiam doctoribus, etiam primatibus Respub. dum venatur, quo carent, aut maiores fieri student. D. Non potest igitur vsqueadeò grande malum esse adulatio. M. An ideo minus mala, minusq; pestilens epidimia, quòd inuaserit iam multos? D. Non: sed peior periculosiorq; ea de caussa. M. Sic est in proposito de adulatione. Vt autem plenè intelligas, quàm grande malū sit adulatio, aduertenda sunt quæ operatur in homine. (Malitia adulationis ex tribus consideratur.) Primò etenim facit adulantem bilinguem, ac duplici esse corde. Secundò impedit proximum ne rectum sui de se habeat iudicium. Tertiò facit apparere malum, bonum: & bonum, malum. Quantum verò ad primum, ex qualitate mendacij, iudicanda est malitia adulationis. Si enim admisceatur adulator mendacium perniciosum, est adulatio peccatum damnabile. De mendacio autem dicetur infrà. Quantum ad secundum, si obscuret principi aut prælato suum de se, suaque potestate iudicium, indubiè crimen est. Nihil enim adeò perniciosum communitati, quàm vt princeps, aut pastor non rectā habeat sui suęque potestatis existimationem. Et quò grauiora sequuntur ex hoc incommoda, eò crimen istud est sceleratius. Vt vmbra corpus, ita principatum sequitur adulatio. Nec potuit aditus ad aures principum vltrà patere veritati, posteaquā oppleri cœperunt adulationibus. Et quæ mala non sequuntur, quando principi suadet adulator, quòd vti liceat plenitudine potestatis, quòd sit dominus omnium, ꝙ vectigalia, gabellas, tributa, & id genus alia imponere possit, prout libitū fuerit: ꝙ generosum sit bello se vindicare: bello virium suarum ostensionem facere? Aut quādo Pontifici inspiratur ab adulatoribus, ꝙ ipse sit Dominus beneficiorum Ecclesiæ, non tantùm dispensator: quodq; actionum suarum regula sit voluntas ipsius? Ex quibus duobus consequens foret: primò non posse Simoniæ esse obnoxium Pontificem: secundò licere ei, quidquid libuerit: tertiò, Pontificē posse eximere, incorporare, dispensare, reformare, difformare pro sua voluntate. Cuiusmodi proles haudquaquam minus procul absunt ab Euangelio, quàm ipsarum mater adulatio. Quantum autem ad tertium: adulatio est peccatum mortale, si laudet quēpiam ob iniquitatem suam, aut turpitudinē, persuadens illi bonum esse vel honestum, quod

quod veraciter malum est, inhonestum, aut iniquum. Vnde Psalmista, Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur: exacerbauit Dominum peccator. Huc pertinent doctores subdoli, studentes placere affectibus eorum qui prurientes sunt auribus, hoc est, illi qui prædicāt populo non veritatem, sed insolita, sed placentia, hoc est, suauia secundum carnem, aut gloriæ, aut honoris, aut ventris caussa. De quibus Ezechiel, Væ, inquit, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Et cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, & violabāt me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerēt animas quæ nō moriūtur, & viuificarēt animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volātes, & dirumpam eos de brachijs vestris, & dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum. Et dirumpā ceruicalia vestra, & liberabo populum meū de manu vestra, neq; erunt vltra in manibus vestris ad prędādum, & scietis, quia ego Dominus. Pro eo quòd mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristaui, & confortastis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, & viueret: proptereà vana non videbitis, & diuinationes non diuinabitis amplius, & eruam populum meū de manu vestra, & scietis, quia ego Dominus. Hæc Ezechiel. Addam & illud Pauli Act. 20. cap. vbi postquam maiores natu Ecclesiæ multorum diligenter admonuisset, dixit tandem, Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Inquit omne consilium Dei tam scilicet consilium Dei super puniendis impijs, & ijs qui non obediunt Euangelio Christi, quàm consilium Dei super præmiandis bonis, tamque consilium Dei super confitendis peccatis sacerdoti, super pœnitentijs agendis, super ieiunijs obseruandis, super pœnis purgatorijs & infernalibus, &c. quàm cōsilium Dei super fide & fiducia habenda in Christo, super misericordijs, & miserationibus Dei. Quo minus, inquit, annuntiarem vobis omne cōsilium Dei: nihil prorsus subterfugiendo, vt gratiam inirem populi cupientis audire noua, dulcia, facilia que factu. Vti nunc, proh dolor, faciunt plurimi pseudoeuangelistæ, quorum omnium damnatio certa est. Nam qui in adulationibus suis abutuntur Euangelio, aut non annuntiantes integrū Euangelium, aut aliter quàm oportet interpretantes per adulationem quandam, hi procuIdubio sceleratissimè peccant contra hoc mandatum. Vltimò damnabiliter peccant adulatores, qui mirè euehunt, alios laudibus, vt vel sic extrudant ad tentandum quod viribus maius est, vnde tādem infamiam, aut corporis aut animæ periculum incurrant: velúti si quis idiotam falsis laudibus animet ad prædicandum vel docendum, quò eum ineptè docentem aut concionantem faciat ludibrium esse hominum, Aut Thrasonem quēpiam admodum laudet de virtutibus factisque præclaris, vt propensum efficiat in certa vitæ suæ discrimina. Denique cùm quis laudando alium, fit illi occasio peccandi mortaliter. Quod postremum discretè & non nisi cum grano salis intelligendum existima.

Psal. 9.
Ezech. 13.

De iudicijs temerarijs. CAP. X.

D. Nunc dicamus de tertio modo transgrediendi hoc mandatum, hoc est, de temerarijs iudicijs, quibus homo reddit sibijpsi falsum testimonium de proximo suo: iuxta illud Sapientis: In via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Nec dissimiliter, malignus cùm ipse sit nequam, omnes in corde suo malos iudicat: quod est sibijpsi dicere falsum testimonium de proximo, contra istud mādatum Domini, Non falsum testimonium dices: & contra alias Scripturas prohibentes temeraria iudicia, de quibus infrà dicemus.

Eccle. 10.

D. Et qui iudicat fornicatores, aliosque peccatores cōdemnandos, an peccet contra hoc mandatum? M. Neque contra hoc mandatum, neque contra quodcunque aliud: sed regulat iudicium suum secundum Euangeliū Dei, quod est Christiani hominis. Aliud est iudicare de personis, aliud iudicare de rebus. Nam istud in multis non solùm licet, sed & oportet: si veri Christiani esse velimus. Tota enim institutio Euangelica, omnisque notitia fidei eò tēdit, vt sciamus discernere, & diiudicare inter bonum & malum, lepram & non lepram, inter gratiam & naturam, inter peccatum & virtutis officium. Qui iudicat adulteria, homicidia, blasphemias, &c. peccata esse coinquinantia hominē, conformiter iudicat Saluatori nostro dicenti: Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, furta, fornicationes, falsa testimonia, blasphemię. Hęc sunt, quæ coinquinant hominē. Nō lotis autē manibus manducare, nō coinquinat hominē.

Aliud iudicare de personis, aliud iudicare de rebus.
Matth. 15.

Consor.

Conformiter quoq; Apostolo eius, qui pronuntiat de varijs ac diuersis hominu actibus, quæ excludant à regno Dei. Primum ad Galatas dicens: Quæ prædico vobis sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Quo loco addidit, Et his similia, vt insinuaret se needū enumerasse omnia quæ extorrem faciunt à regno Dei. Deinde ad Ephesios, Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Tertiò ad Corint. vbi enumeratis decem peccantium generibus, iudicat expresso sermone de ipsis, quòd regnum Dei non possidebūt. Igitur hoc pacto iudicare, tā non est malum, vt sit verissimus vsus Euangelicæ doctrinæ. Quapropter habeto pro regula. Vnumquodq; secum iudicare posse de his, quę certa diffinitione constituta sunt in lege Euangelica, aut in decretis Pontificum, aut in iure ciuili, in iure naturæ, in iure gentium. Et debet quisque, cùm occasio expostulat, sic iudicare, prout in prędictis iudicatum inuenitur: nisi errare velit in suum aliorumque graue præiudicium. Nam iudicare in corde suo aliter esse quàm in prædictis constitutum inuenitur, sæpè hæreticum est, aliquando temerarium, & iniuriosum Reipub. semper autem perniciosum: modò fiat per malitiam, destinato animo, ad dissoluendum quod pro salute animarū, vel publica pace sanctè cōstitutum legitur. Exēpli gratia: Quidam, quem Lutherum vocant, iudicauit, non esse nisi vnum peccatum damnans hominem videlicet infidelitatem, manifeste contra prænominatū iudicium Saluatoris & Apostoli eius, qui ponunt plura peccata excludētia à regno Dei. Itē nō esse nisi vnā virtutem quæ saluat, videlicet fidem. Rursum contra iudicium Saluatoris testantis de dilectrice, Dimissa sunt ei peccata multa: quoniā dilexit multū. Et alibi, Hoc fac, scilicet quod mandato caritatis præscribitur, & viues. Itē, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Hoc igitur iudicium Martini, est error sceleratus in fide, militās expressè contra doctrinā Christi: quare nec leue peccatum, sed crimen hæreseos. Iudicare autem indignè de rebus Deo sacris, vtputa de Sacramētis Ecclesiæ, de mysterijs Religionis, de articulis fidei, de Euangelio salutis, de Sanctis, Sanctorumque reliquijs, non solùm continet cōmunem malitiā falsi testimonij, sed & violationem rei sacræ. Sicut enim furtum calicis, non nudum furtū est, sed furtum sacrilegum, violans sanctificationem qua Deo consecratus erat: sic eiusmodi falsum iudicium de rebus sacris, sacrilegium dici debet, nedum temerarium iudicium, affectu quantum in se est, violans rem sacram. Cui iudicio cùm accedit pertinacia, hoc est, obfirmatio siue obstinatio animi nō dimittendi tale iudicium, fit error perfidiæ, excludens ab omni spe salutis: etiam si solum maneat intus in scrinio cordis. Quòd si quis proferat in alios talem errorem aut scripto aut viua voce, iam fit dogma falsitatis siue doctrina pestilens. Cuius auctores in Scripturis vocantur operarij subdoli, magistri errorum, pseudoprophetæ, pseudoapostoli, errantes & in errorem mittentes. Quibus procella tenebrarum seruata est in æternum, inquit Scriptura: quorum gloria in confusione ipsorum, quorum finis interitus: quorum dānatio certa est. Qui haberi debent ab omnibus verè Christianis veluti ethnici & publicani: adeoque vitari, vt nec in domum recipiantur, immo nec aue illis dicamus, secundum Ioannem Euangelistam, Qui enim, inquit, dicit illis aue: communicat operibus illorum malignis. Ecce prædixi vobis: vt in die Domini non confundamini. Nihil enim periculosiùs infectione multitudinis. Tam diu enim aggrauatur damnatio inficientis, quàm diu accrescit numerus eorum qui decipiuntur seminatis ab illo erroribus. Hinc B. Hieronymus dicit Arrij damnationem necdum consummatam esse: quia adhuc multi illius erroribus decipiuntur. D. Audio vsque in hanc horam manere reliquias hæresis Arrianæ. M. Igitur, needum consummatum est supplicium damnationis eius. Quanti autem periculi sit agere pseudoecclesiasten, non satis scitur, nisi dum sentitur: at tum demum sero nimis. D. Quid si surrepat cuipiam (vt fit) iudiciū erroneum, circa ea quæ fidei sunt & religionis? M. Si subitò, si citra deliberationem ex quadam surreptione, aut perturbatione animi incidat homini tale iudicium, certè aut nullum est peccatum, aut valde leue. Tentatio magis dici debet, primusq; conceptus animi ad peccandum quàm peccatū: nisi accesserit consensus voluntatis bene deliberatæ: nam tum fit verè peccatum, & tale peccatū quale diximus. D. Rursum quęro, Quid si ex simplicitate aut defectu institutionis iudicet quispiā nō bene de rebus fidei, vt faciūt simplices & idiotę iudicātes patrē in diuinis esse virū senē candida promissaq; barba, habentē filiū in sinu suo, crucis stigmatib⁹ decoratū. M. De eiusmodi simpliciū iudicijs censendum est iuxta negligentiā, qua nō curauerunt se institui in necessarijs ad salutem,

Marginalia: Galat. 5. | Ephes. 5. | 1 Cor. 6. | Lutherus lib. suo de captiuit. Babylo. | Luc. 7. | Luc. 10. | Iudicare indignè de rebus Deo sacris. | 2 Cor. 11. | 2. Pet. 2. | 2. Tim. 3. | Philip. 3. | 2. Ioan. 1.

tem. Quoniam si negligentia fuerit crassa aut culpabilis, iam erroneum eorum iudicium meritò culpari debet: si verò nulla fuerit negligentia discendi, faciuntque quod in se est, iuxta modulū conditionis suæ, iam nulla est culpa. Nam qui facit quod in se est, culpari non debet in eo quod nō potest: nec est omnium, scire omnia mysteria fidei, vti diximus in primo harum Demonstrationū libro. D.

Ne quæso indigneris domine, si adhuc semel interrogem. Quid si doctus aliquis, aut interpres iudicet falsum pro vero in his quæ fidei sunt? M. Si fiat hoc, vt fit, simplici corde, citra studium statuendi nouum dogma, cū promptitudine corrigēdi sententiam, vbi melius instructus fuerit, non est peccatū: neq; talis hæreticus vocari potest, dicēte Augustino: Errare possum, hæreticus esse non possum: quia errorem meum nolo pertinaciter defendere cōtra auctoritatē Ecclesiæ. Pergamus itaq;. Præter hæc autē contingit iudicare penes se indignè de decretis & mādatis Ecclesiæ: quod profectò scissuræ cuiusdam initiū habet, cui si accedat pertinacia post debitam ac sufficientem monitionem, iam crescit in apertum schisma, faciens hominem prosanum, ac alienum à salute, iuxta illud Saluatoris: Si Ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Graue itaq; peccatum est, malè iudicare de canonibus & cōstitutionibus Ecclesiasticis. Nec immunes sunt à præuaricatione huius mādati qui malè iudicant in corde suo de legibus ciuilibus aut senatusconsultis aut plebiscitis: quia perhibent sibi falsum testimonium contra bonum publicū. Quem errorem si incipiant persuadere alijs, transit conceptum malum in seditionē. Cuius vtique malitia crescit, iuxta modum turbationis pacis, & vnitatis, quæ in Repub. esse debent. Verùm si quis iudicet secum malè de rebus indifferentibus, quæ siue sic, siue aliter se habeant, perinde est: vt si iudicem Imperatorem Bruxellę esse, cùm fortassis ibidem nō sit, aut mensem Maium præterlapsum, cùm necdum sit finis Aprilis, iudiciū hoc quædam ignoratio est. Quæ, quoniam, non est de his quæ scire oportet, ideo nō est peccatum, sed potius aut conditio naturæ cui non est datū omnia scire, aut pœna peccati. Nam propter peccatum primi parentis, detrusi sumus omnes in regionem vmbræ mortis, multamque ignorantiam rerum. Quo modo autem alius error iudicantium de rebus sit noxius, alius innoxius, alius vtilis iudicanti, alius inutilis, alius ab alijs difficilè tolerabilis, vide D. August. in suo Enchiridio cap. 19. 20. 21. & lib. 2. de Trinitate ac alijs locis.

Malè iudicare de legibus q̄ magnum peccatum sit.

De iudicijs personarum & actionum personalium. CAP. XI.


Vcusque egimus de iudicijs rerū: nūc verò agamus de iudicijs personarum & actionū personaliū, pro quibus sit tibi regula talis. Quòd iudicare de actionib⁹ proximorum, vel ex se indifferentibus, vel per se bonis, q̄ malæ sunt, est dicere falsum testimonium contra proximum. Veluti cùm sacerdotem mulieri colloquentē video, iudico eum pacisci de lusu Veneris: aut publicè orantē, iudico hypocritam: omnia enim huiusmodi iudicia temeraria sunt & iniqua, quibus dicit sibi homo falsum testimonium cōtra proximum. D. Attamen dominus docet, hypocrisin esse exterminare faciem, vt videaris ab hominibus ieiunans, orare in angulis plateărum, vt lauderis. M. Sic quoq; docent omnes Theologi probè insequentes doctrinam Saluatoris. D. Quare igitur nō licet nobis sic iudicare? M. Christus & Doctores iudicant, de rebus in se secundum veritatē, quam euidenter afferunt secum, videlicet q̄ exterminare faciē vt videaris hominibus ieiunans, est res mala & hypocrisis, à quocunq; etiam fiat: sic, orare coram hominibus, vt laudē popularem captes. Illi autem de quibus agimus, iudicant de eo quod prorsus nesciunt, imò q̄ nec scire possunt, videlicet de particulari facto huius vel illius personæ, & non tam de facto quod vident, q̄ de animo siue intentione facientis quam nō vident. Licet enim videas publicè orantem, tamen videre nō potes quo animo, quáue intentione oret. Intentio autem operi nomen imponit. Quòd si noueris exactè animum ipsius, vel per reuelationem, vel per propriam ipsius confessionem: quia dicit se hæc facere propter laudem popularem, iam potes, immo debes iudicare factum eius malum esse. D. Et factum, vt apparet, & personam. M. Non omnino personam, nisi quatenus communicat in facto. Verùm de hoc nunc audies. In Scripturis sic habemus, Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. ad Rom. 14. Ibidem, Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Non ergo amplius inuicem iudicemus. Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Addit D. Iacobus cap 4. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. Vnus est legislator, qui potest perdere & liberare.

M.

Matth. 6

Aliter iudicant Doctores, aliter temerarij.

De iudicio vsurpato.

Tu

Nō licet iudicare alienum seruum.

Tu autē quis es, qui iudicas proximum tuū? In quibus sanè scripturis prohibentur expresſè iudicia vſurpata ſuper perſonam tibi non ſubditam, hoc eſt, ſuper eum qui ſeruus eſt alienus, id eſt, non tuus, ſed alterius domini, tibi verò æqualis, quia frater tuus, aut proximus, in quem nullā accepiſti iudicij poteſtatem, neq; a Deo, neq; a Repub. neq; ex ordine iuris naturæ, aut ſi accepiſti aliquā in eum poteſtatem, tamen non in eo, in quo iudicas ipſi um. Si prætor es, habes quidem poteſtatē iudicandi malefactores: quia dicit Scriptura, Maleficos non patieris viuere: Verùm non habes poteſtatem & tecum iudices hunc, quem interficis, eſſe filium iræ diuinæ, aut damnationis æternæ: hoc enim excedit iudiciariam tuam facultatem. Si pater es, in his poteris iudicare filium tuum, quæ concernunt paternā auctoritatem. Verùm iudicare filium tuum, aut ῥάκα eſſe, aut malæ conſcientiæ, aut æternaliter condemnandū, non potes: quia in huiuſmodi alienus ſeruus eſt, tibi proximus & frater. Prætereà habent Scripturæ ſanctæ hoc

1.Cor. 4. pacto, Nolite ante tempus iudicare, quoadvſq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cōſilia

Ioan. 7. cordiū. Et alibi, Nolite iudicare ſecundū faciem: ſed iuſtum iudicium iudicate. Rurſum,

Ioan. 8. Vos ſecundum carnē iudicatis. Iudicare autē ante tempus eſt iudicare ante plenam cognitionem cauſſæ, ſiue incognita cauſſa ius dicere. Iudicare vero ſecundum faciem, eſt iudicare ſecundum apparentiā quandā, citra veritatis inſpectionem. Iudicare ſecundū carnē eſt iudicare vel ſecundū ſanguinis cognationem, vel ſecundum carnalis ſenſus cogitationes. De euiuſmodi iudicijs temerarijs habes Matth. 11. 12. Luc. 7. Venit Ioannes Baptiſta, inquit Saluator, neq; manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis, Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens: & dicitis, Ecce homo vorax & potator vini, amicus publicanorum & peccatorum. Si autem ſciretis quid eſt, Miſericordiā volo, & nō ſacrificium, nunquam condēnaſſetis innocētes. Et Luc. 18. Deus gratias ago tibi quia nō ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus, aiebat ſuperbus ille Phariſæus, prorſus ſecundum faciem iudicans. Deſcendit autem publicanus de templo iuſtificatus præ illo. Quādo igitur iudicamus de conſcientijs proximorum, tūc certè ante tempus iudicamus: quia illæ nondū apertæ ſunt. Aperientur autem in conſummatione ſeculi, cum Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & conſilia cordium, & tunc coniudicabimus cum Domino. Item

Quid ſit iudicare ante tempus aut ſecundū faciē vel ſecundū carnem.

quando ex apparentia quadam iudicamus, ſcilicet quia videmus virum tranſeuntem vicum, in quo nidum habent Veneris filiæ, aut ſacerdotem loquentem cum muliere, ideoq; impurum eſſe cenſemus, iam iudicamus ſecundum faciem, contra Euangelium Chriſti. Tertiò habent Scripturæ ſacræ, Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Frater, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs in oculo tuo? Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Matth. 7. Quibus verbis Saluatoris prohibetur iudicium hypocriticum, quo quis iudicat alium corripiendum ſuper minimo, neglecto ſeipſo in maioribus, vt videatur ſanctulus eſſe. Quartò habet Scriptura ad Rom. 2. Propter quod inexcuſabilis es ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniā iudiciū Dei eſt ſecundū veritatem in eos qui talia agunt. Exiſtimas autē hoc ô homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contēnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiā te adducit? &c. Ecce q̄ exactè deteſtatur hic Apoſtolus iudiciū condemnatiuū ſuipſius, quo quis proximum iudicat propter factum aliquod, & nihilominus ipſemet facit idem, prout frequens eſt in hypocritis. item in concionatoribus, & confeſſionarijs, qui mirè debacchantur contra vitia, quibus ipſimet vehementer inuoluti ſunt. An exiſtimas ô homo, qui iudicas eos qui talia agūt, & facis eadem, quoniā tu effugies iudicium Dei? Eodem ſanè vitio laborant patres & matres iudicando & arguendo proles ſuper iurationibus & execrationibus: nihilominus ipſimet tertio cuiq; verbo diras quaſdam iurationes & execrationes admiſcet. Ex prędictis itaq; ſcripturis certo demonſtratur quatuor eſſe genera iudiciorum, quibus peccatur contra hoc mandatum, videlicet vſurpatum, temerarium, hypocriticū & cōdemnatiuum ſuipſius iudicantis. Quorum quodlibet continet falſum ſiue iniquum teſtimonium contra proximum, habens ſua incrementa malitiæ, iuxta quantitatem nocumenti quod infertur proximo. Nemo igitur mortalium debet iudicare proximū ſuum eſſe extra gratiam Dei, aut peccatorem, aut tēplum diaboli, aut reum gehennæ ignis. D. Quid, ſi viderem proximum committentem homicidium, aut adulterium? M. Hoc etiā ſi videris, non tamen propterea debes tu iu-

De iudicio hypocritico.

De iudicio alio rū ſui ipſius condēnatiuo.

Quadruplicia iudicia prohibentur in Scripturis.

Mm dicare

Non iudicandus proximus sed quid fieri potest excusandus. dicare ipsam personam, aut longè esse à salute, aut ream esse æternæ damnationis. Ratio eius assignatur, quoniam in hac parte alienus seruus est, domino suo stat aut cadit: non tibi: tibi enim frater est, non subditus. Quapropter si iudicas, vsurpas tibi indebitum iudicium, nec solùm indebitū, sed & temerariū, & ante tēpus, priùs quàm habeas debitā notitiam caussæ. Nescis enim, an faciendo offenderit Deū mortaliter. Potuit namque homicidium quod commisit, esse aut casuale, aut mera defensio suipsius, seruato moderamine inculpatæ tutelę, aut contigisse zelo quodam zelantis pro gloria Dei, quomodo Phinees interfecit simul virum, & mulierē, & non solùm non peccauit, sed & laudē meruit & sempiternum sacerdotium. Potuit denique ex tali ignorantia vel perturbatione animi processisse, quòd aut nullam, aut omnino minimā habuerit culpam. Legimus enim quòd Iacob dormiuit cum Lia non sua vxore: tamen absque culpa adulterij fuit. Et vt demus quòd peccauerit occidendo, nunquid duodecim horæ diei sunt? inquit Saluator, volens insinuare quod singulis horis potest homo mutare voluntatē suā de malo in bonū. Nónne igitur & ille statim postea vel in primo momento post factum pœnitere potuit? Intrauit templum peccator Publicanus: sed mox post vnam precationē exiuit iustificatus. Negauit Dominū Petrus: at statim post fletū amarū, meruit esse princeps Apostolorum. Quemadmodum videmus Christi fideles crebrò peccare in publico: sic non rarò videmus eosdē humiliter prostratos ad orationem in templo. Quapropter de nemine possumus citra temeritatem iudicare q̄ sit malus, aut longè à Deo aut in statu dānationis. Quisque enim omni momento, deposita malitia, bonus fieri potest, per Dei gratiam & pœnitudinem cordis. Nullo autem modo possumus aliquē iudicare ex his, quæ bono malòue animo fieri possunt, vel ex leuibus dubijsque suspicionibus, dicente Saluatore: Nolite secundum faciem iudicare. D. Certum est, omnibusque notum, aliquando per manifestam euidentiā, aliquando per superioris sententiam, quòd iste sit concubinarius, aut leno, aut vsurarius, aut excommunicatus. M. Certè de talibus iudicare licet quòd sint in periculoso statu, in quo si perseuerent, saluari non possunt, idq; cum dolore animi, quoniam fratres sunt. Neque temerarium est huiusmodi iudiciū: quia ex veritatis cognitione. Non iniurium: quoniam non lædit famam, ex quo eunctis notorium est. Non etiam contra caritatem: quia est ex compassione, & cum dolore animi,

Num.25.

Genes.29

Ioan.11.

Ioan.7

De notorijs quid sit iudicandum.

Non vsurpatum quoniam est iudicium de facto personæ, & non de persona, nisi in quantum eō muniat in facto. Verùm ex eo facto portò procedere ad iudicandum directè personam, dicendo, filius damnationis est, saluari non poterit: hoc neutiquam fieri debet: eò quòd vsurpatum sit & temerarium. Quandoquidem potuit ille eadem hora, antequam tu tecum sic iudicares, mutasse propositum, & incepisse iam veram de corde pœnitentiā, iamque se disponere ad immutationem status. Fili, valde venit obseruanda in omnibus, quæ videmus circa proximum, illa D. Bernardi sententia dicentis: Caue alienæ conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum: magis autem excusa. Excusa intentionē, si opus non potes: putà ignorātiam, puta subreptionem, putà casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum, Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? Itaque nemo iudicet fratrem suū, proximum suum, alienum seruum, ante tempus, vel secundum faciem, hæs enim interpretationes adfert Scriptura, sed vnusquisq; iustū iudicet iudicium, secundum veritatē, & dum tempus est, nimirum caussa plenè cognita, idque non nisi in eum qui sibi subditus est, non etiam nisi secundum auctoritatem legitimā, sibi vel à natura, vel à Deo, aut à communitate concreditam in hac parte.

Bernardus serm. 40. super Canti. Cantic.

De mendacio. CAP. XII.



Quoniam autem in falsis testimonijs, & in detractionibus, & in vsurpatis ac temerarijs iudicijs, quibus peccatur contra istud mandatum, ferè semper se misceet mendacium, estque omne mendacium falsum testimonium de aliquo: ideo expedit hic modicum inquirere de natura malitiaque mendacij: quid mendacium sit, quid mentiri, vtrum omne mendacium sit peccatum, & quare. D. Memini me audisse D. Augustinum valdè exactè scribere de natura mendacij. M. Sic est. Definit autem B. Augustinus mendacium hoc modo, Mendacium est falsæ vocis significatio cum intentione fallendi, hoc est, falsum dicendi. Nam qui vult falsum dicere, is intendit fallere. Vt igitur sermo oris sit mendacium, necesse est vt falsum proferatur: & id quidē cum intentione fallendi. Est enim proprium mentientis, aliud habere in corde, aliud prom-

M.

Quid sit mēdaciū.

promptum in lingua, ad fallaciam audien-
tium. Hinc mentiri, est loqui contra mentē,
hoc est, contra id quod in mente sentis, siue
verum illud sit, siue non. Quapropter omnis
qui ex proposito loquitur mendacium, men-
titur: quia loquitur contra hoc, quod animo
sentit, idq; voluntate fallendi. Sed non omnis
qui mentitur, mendacium dicit: nam loqui-
tur aliquando quod verum est, mentiendo:
sicut si Iudæus asserat Christum esse Deum,
nihil minus sentiens animo, non est menda-
cium quod dicit: tamen veraciter mentitur,
dicēdo contra mentē quod verum est. D.
Omne mēdaciū malum.
An omne mēdacium sit peccatum? M. Re-
spondet D. August. dicens: Mihi videtur om-
ne mendacium per se malum esse. D. Etiā si
fiat citra nocendi voluntatē? M. Immo, etiā
si fiat studio iuuandi: sic ꝙ prosit alicui, & ne-
Mēdaciū habet cōuolutam malitiam.
mini obsit. Habet enim mendacium adeò cō-
uolutam secum malitiam, vt nulla ratione,
nulliusq; pietatis contēplatione, bonum esse
possit. D. Miror, & vnde surgit hæc con-
uoluta malitia? M. Ex eo ꝙ repugnat per
se rectæ rationi, dictanti nunquam vtendum
rebus cōtra naturalem ordinem ipsis ab ini-
tio insitum: at postulat ordo rerum, vt vox sit
nuncia mentis. Verba siquidem inuenta sunt,
non vt per ea homines se inuicem fallant, sed
vt per ea alter in alterius notitiam suas cogi-
tationes transfundant. Vti ergo verbis ad fal-
laciā, contra finē institutionis suæ, vtiq; repu-
gnat ordini naturali, estq; peccatum homini,
Nullus pietatis intuitu mentiendum est.
modò voluntariè fiat. D. Quid si interro-
gatus à libidinoso, vbi sit scortum, dixero me
nescire, vt hominem præseruem ab iniquita-
te, cùm tamen sciam. Aut si innocentem quæ-
situm ad mortem prodere nolim, dicens: Ne-
scio vbi sit: cùm tamen sciam, Nunquid be-
nefaciendo peccati reus ero? M. Est regula
Rom. 3.
Apostolica B. Pauli, qua docemur, Non esse
facienda mala, vt inde eueniant bona. Nam
etsi possit homo furando aut adulterando,
aut proditionibus & interfectionibus nōnun
quam multū prodesse multis: non tamē pro-
pterea illa desinunt esse peccata, etiamsi fiant
contemplatione vtilitatis publicæ. Sic de mē-
dacio quantumcunq; prodest, nihilominus
peccatum est: minus tamen quàm si noceret
alicui, & nulli prodesset. Vnde B. August. mul
tum interest, inquit, quo animo, & de quibus
rebus quis mentiatur. Non enim sic peccat
qui consulendi, vt qui nocendi voluntate,
mentitur: nec tantum nocet, qui viatorē men
tiēdo in diuersum iter mittit, quàm qui à via
vitæ mentiendo seducit. Eleganti sanè phrasi
scripturarum vocatur mendax bilinguis, seu
duplici lingua, aut duplici corde, siue loquēs
in corde & corde. Aliud enim ostendunt in
sermone, qui eiusmodi sunt, aliud gerunt in-
tus in meditatione mentis. Alia item lingua
hominibus, alia sibi loquūtur in scrinio cor-
dis. Hæc est iniquitas mentientis, etiamsi ne-
mini noceat. Aduerte igitur triplex esse ge-
Triplex est mendacium.
nus mendacij. Primum est iocosum, quod nul
li nocet, sed oblectandi caussa dicitur, & scit
ille cui dicitur caussa ioci dictum esse, vnde
non fallitur nequiter. Et licet eiusmodi men-
dacium non grandis sit culpa, est tamen pec-
catum, sed veniale. Nam si de omni verbo o-
tioso, vt Saluator testatur, reddenda erit ra- Matt. 12.
tio in die iudicij, veluti de eo quod malum
est, multò magis de tali mendacio: quoniam
eiusmodi mendacium non solam otiositatē,
sed & ordinis naturalis perturbationē con-
tinet. Quarum malitiarum vtramque vitare Collos. 4.
oportet. Dicit enim Apostolus, Sermo vester
semper in gratia sale sit conditus. non vtique
vanus, non fallax, non instituti ordinis pertur
batiuus. Et Sapiens, Vanitatem, inquit, & ver- Prou. 30.
Duo præcauenda in mēdacio iocoso.
ba mendacij longè fac à me. In hoc vero ge-
nere mentiendi duo sunt præcauenda. Prius
est, ne assiduitate aggrauetur: nam vt quod-
cunq; paruum seorsum non magni est mo-
mēti, ita multa parua simul aggregata, magnū
efficere solent. Nullum lignum facit ignē: sed
ex lignis multis magnus cōstruitur ignis. Vn-
de Ecclesiasticus: Noli, inquit, velle mentiri Eccles. 7.
omne mendacium: assiduitas enim illius non
est bona. Posterius est, ne fiat iocosum quidē
mendacium, circa doctrinam virtutis, aut cir
ca eadem, aut circa Scripturas sanctas, vel etiā
circa famam proximi. Nam non potest nō es
se perniciosus, vel leuissimus iocus, mentien-
tis circa res tam arduas. Vti oculus, ita nec fi-
des patitur iocum, quantò minus mendaciū.
Mendaciū officiosum.
Secundum mentiendi genus dicitur menda-
cium officiosum, quo vtitur quis vt prosit, ta-
men citra læsionem cuiuscunque: quale ali-
quando necessitatis ratio, aliquando pie-
tas siue misericordia, aliquando zelus re-
ligionis extorquet. Vt contigit in obstetri-
cibus, Exod. 1. Et in Rahab meretrice, Iosue 2.
In Iudith quæ in verbis suis decepit Holofer
nem, Iudith. 12. Eiusmodi autem mendacium
quāuis non sit mortale, aut grande malum: ta
men prorsus à peccato excusari non potest,
Mendaciū perniciosum.
propter rationem superiùs dictā. Tertium vo
catur mendacium perniciosum, eo ꝙ noxium
sit siue nociuum vel diuinis vel humanis re-
bus: & istud sanè ex suo genere est peccatum
damnabile, quoniam repugnat caritati: Atq;
de isto intelliguntur, eiusmodi scripturæ: Os Sap. 1.
quod mentitur, occidit animā. Item, Perdes
omnes qui loquuntur mendacium, videlicet Psalm. 5.

in primis motibus: vel quia non infert notabile aliquod nocumentum proximo: nam quod minimum est, pro nihilo reputatur: vel quia accidit prçter omnem intentionem nocendi. Hoc tamen postremum intellige nisi propter enormitatem nocumenti, peccatum redeat in naturam suæ formæ: eò quòd non sufficienter præcauit iacturam proximi, vbi, & quando, & quantum præcauere debuit. Vt igitur finem faciam dicendi de mendacio: cer tum habe quòd omne mēdacium peccatum est, continens falsum testimonium: sed non omne est peccatum mortale. Omne procedit à malo: quoniam diabolus mendax est, & pater eius, scilicet mendacij, iuxta sententiam Christi: non tamen omne mendacium facit templum Diaboli, aut reum gehennæ ignis. Quòd si in historijs scripturarum inueneris quædam mēdacia, vt in historia Iudith, in historia Iosue de Rahab meretrice, in Exodo de obstetricibus, in Genesi de Abrahā, Isaac, & Iacob: certè multa prorsus ac facilè excusabis, declarata veritate historiæ: vti Abrahā reprehensius mendacij à Pharaone iustè se excusauit, dicens de vxore sua: nam verè soror mea est, filia patris mei, & non matris meæ. Erant insuper iuxta ritum gentis, omnes filij Israël, inter se fratres & sorores. Quędam verò excusabis hac ratione, quòd animus sic agēs, quasi ex se totus seruiebat ductibus Spiritus Sancti in mysterio. Vbi verò non poteris omnino excusare, vt in Rahab, in obstetricibus, in Iudith, admitte mendacia fuisse, sed minima & officiosa: quia vt iuuabant afflictos, ita ab omni nocendi proposito alienissima erant. Nec mirum, quòd in sanctis patribus minutula fuerint mendacia, in quibus etiam grauissima fuisse crimina scriptura teste constat. Enimuero in Dauide inuenitur adulterium, homicidium insuper & superbia. In filijs autem Iacob crimen pessimum, odiū fraternum, nec non flagitiosa illa venditio Ioseph sanguinis sui. De Iudith verò muliere sancta, licet dicere quòd æstuabat pietate in Deum, & populum suum, ideoque minutula illa mendacia nihil attulisse ei detrimenti: sed magis inflammasse ignē quo plena erat, multo ardore pectoris absumente vniuersa. Quēadmodum guttulæ aquæ etiam multæ dum incidunt in ignem copiosum non extinguūt: sed incendunt, incitantque magis ardorem: quæ tamen guttulæ si assiduè cadant in modicum ignem, vt diminuunt paulatim, ita tandem extinguunt. D. Veruntamen videntur perniciosa fuisse mendacia Iudith: insidiabatur enim per huiusmodi figmenta vitæ Holofernis. M. Quem iustè occidere posses, illum etiam insidijs & modis omnibus circūuenire licet. Nec respiciendum tum quale illi nocumentum, sed quale communitati adferas beneficium. Satis de hoc. D. Vt semper fecisti, ita, precor, & hic summatim dicas, qui sint transgressores huius mandati. M. Falsi testes tam in iudicio quàm extra iudicia, falsi iudices, detractores, & qui accommodant aures suas detractionibus, infamatores, susurrones, iactatores suijpsius, criminatores, contumeliosi, hypocritæ, nequiter se humiliantes, aut fictis actionibus sanctitatem mentientes, adulatores, suspiciosi, temerariè iudicantes apud se de proximis, de Sanctis, de diuinis Scripturis, mendaces, & qui falsa spargunt dictis vel scriptis in perniciem proximi aut Præpositorū Ecclesiæ: maximè si in perniciem fidei aut Religionis fingant quæ non oportet, vt pseudoapostoli, seductores, hęresiarchæ, magistri subdoli, falsi interpretes Scripturarum, blasphemi in Sanctos, in Sacramēta Ecclesiæ, derisores virtutum ac pietatis, qui libellos famosos, aut famosos, vt vocant, Pasquillos edunt. Omnes enim hi perhibent falsum testimonium.

Ioan. 8. Multa in Scripturis quę videntur mēdacia excusantur.

Iudith. 13. Iosue. 2. Exod. 1. Genes. 12. 20. 26. 27.

2. Reg. 11. 2. Reg. 13. Genes. 37.

Summa pręcepti.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS DECIMI.

Quòd rationabiliter post sextum & septimū mandata superaddantur nonum & decimū mandata, propter deprauatum carnalium hominum iudicium. Cap. I.
Quid præcisè prohibeatur istis duobus mandatis, & cui sit prohibitio facta. Cap. II.
Prohiberi his præceptis, ne concupiscas tu vxorē aut rem proximi: non autem prohiberi ne sit in te concupiscentia rerum non tuarū. Cap. III.
Quomodo cognoscemus, consenseritne ratio mentis concupiscenti carni an non. Cap. IIII.
Non esse à toto genere prohibitum concupiscere vxorem proximi, aut rem alterius. Cap. V.
Duo nouissima mandata esse in lege noua abundè renouata. Cap. VI.
De plenitudine dicti huius, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Cap. VII.
Quid intersit inter concupiscentiam cordis & operis impletionem. Cap. VIII.

TRACTATVS DECIMVS.

Quàm rationabiliter post sextum ac septimum mandata superaddantur nonum & decimum mandata, propter deprauatum carnalium hominum iudicium. CAP. I.

M. Vnc dicito nonum & decimū mandata. D. Alterius nuptam, nec rē cupias alienam. M. Quin potius in lege Domini quid scriptum est, quomodo legis? D. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. M. Habet quidem hoc modo Decalogus Exod. 20. cap. inuoluendo vtrumq; præceptū simul. Deuter. verò paulò distinctiùs habetur, vt præcedat nonum præceptum, & subsequatur decimum hoc modo: Non concupisces vxorē proximi tui. (In quo datur nonum præceptum) Non domum, non agrum, nō seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quę illius sunt. (In quo datur decimū præceptum). Olim quidem Origenes secutus Hebræos ex his duobus sic in Scriptura copulatis, fecit vnum mandatum, diuidens primum mandatum prioris tabulæ in duo præcepta, quò numerus denarius integer remaneret. Ceterùm magis placet mihi D. August. sententia, qui primæ tabulæ fecit tria præcepta, & secundæ septem, hæc posteriora diuidens in duo. Cui sententiæ tu quoque adhærebis. Ceterùm de his duobus mādatis, quid tibi apparet? D. Certè quòd parum aut nihil distant à sexto & septimo mandatis, scilicet, Non mœchaberis, Non furtum facies. Nam qui prohibet factum, faciēdi quoq; voluntatem siue cōcupiscentiam prohibere videtur. M. Poterant quidem sextum & septimum mandata intelligi in illa generalitate, vt simul prohiberent cum facto exteriori etiam concupiscentias animi: verùm sic diuina dispensatione factum est, vt in illis prohiberet opus adulterij & furti: in his verò, vtriusque voluntatem siue affectum, qui subinde est vel absque opere. D. Sic & affectus homicidij, non rarò est absque opere homicidij: & tamen nō propterea fecit Deus duas prohibitiones: vnam facti, alteram animi. Vnde igitur hæc diuersitas, & quę caussa ipsius?

Quare nonū & decimū differant à sexto & septimo.

M. Populus Iudaicus adeo erat carnalis, &, vti Scriptura dicit, incircumcisus corde, vt, cùm perpenderet vniuersis natura inditum esse appetitum habēdi quod pertinet ad cōseruationem indiuidui, appetitum quoque faciendi quod attinet ad propagationem speciei, non potuerit iudicare appetitum tam naturalem, esse peccatum, quàm diu maneret sine opere nesario inferente iniuriam proximo. Nā ipse appetitus dum manet in corde, vt nulli facit iniuriam, ita est secundum naturalē inclinationē habentis, quēadmodum experimur vniuersi. Quare igitur esset peccatū? Longè verò aliud est de appetitu homicidij. Item de voluntate dehonorandi parentes, aut diffamandi proximum. Quamuis enim non inferant iniuriam dum solùm manent in corde: tendunt tamen contra naturalem inclinationem hominis. Homo enim natura est animal sociabile, natum ad gratitudines & amicitias colendas. Quam ob caussam quisque suopte ingenio abhorret à periurio, ab homicidio, à parentum dehonestatione, à falsò testimonio, natura nullam specialiter conserente vim ad talium affectus. Itaque quò ad ista non erat opus prohibitionibus pręter illas, quibus prohibetur opus. Verùm cùm ab adolescentia naturaliter proni simus ad corporeas voluptates, & seculi opes, quod in illis species, his verò cōseruetur indiuiduum. Hinc est quòd speciatim Deus circa vsum rerum tēporalium & carnis voluit esse distincta pręcepta, alterum prohibens opus, alterum vetans expressè etiam operis voluntatem: ne natura per se procliuis in huiusmodi, deciperet iudicium hominis: quomodo deceptum legimus carnalium hominum iudicium, etiam non obstantibus illis mandatis, sic speciatim datis. Nam Iosephus probatus Historiographus reprehendit acriter Polybium ethnicū, eò quòd Antiochum illustrē misere perijsse testetur ob id quia voluit templum Dianæ in Persida deuastare: quod Iosephus absurdè dictum esse putat, definiens malè sano quidem iudicio, eum nullatenus egisse peccatum, nullóque reatu teneri, quia tantùm cogitasset. Ex qua vna sententia Iosephi viri perecelebris facilè cōstat, q̄ erat necessarium prohibere etiam concupiscentiam mulieris alienæ, & rerum non suarum. D. Quid igitur Iosephus ceteriq; Iudæi dicebant ad ista duo mandata, quæ manifestè prohibebant tempore legis animum citra opus? M. Dicebant in sexto mandato prohiberi opus carnis, hoc est, adulterium, fornicationem, Sodomiam. In nono verò mandato prohiberi concupiscentiam eam quæ parti insinuatur lusibus, osculis, signis, literis, persuasionibus, tactibus: omnia tamen citra opus principale. Hæc enim præludia dicebant vocari in scripturis concupiscētias: quòd spiritus concupiscentium, hinc inde, in alterutrum mirabiliter transferantur his medijs. Concupiscentiam verò prorsus intus immanentem neq; hic, neque vsquam prohiberi, ob hoc quòd sit secundum naturam, nullíque iniuriam inferat, neque mali alicuius occasionem, aut tentamentum præbeat. Similiter dicebant in mandato septimo prohiberi furta, rapinas, cōcussiones, & cetera huiusmodi. In decimo autem prohiberi eam concu-

Iosephus Antiq. lib. 12.

Intellectus Iudaicus duorū vltimorum mandatorum.

concupiscentiā rerum proximi, quæ iam ad proximum applicatur, in techinis, dolis, vafritijs, callidisque inuentionibus. D. Itaque errabant. M. Prorsus, illorumque errorem manifestè conuincit Euangelium, prout inferius audies.

Quid præcisè prohibeatur istis duobus mandatis, & cui sit prohibitio facta. CAP. II.

M. NVnc autem quid tibi videtur prohiberi istis duobus mandatis? D. Ipsa concupiscentia. M. Anomnis, & à toto genere? D. Nō, sed concupiscentia vxoris alienæ, & rerum non suarum. M. Rectè dicis: nam & spiritus noster habet suas concupiscentias moderatas, honestas, sanctas, insitas desuper à Spiritu sancto. Iuxta illud Apostoli: Spiritus concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus spiritum. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. Habet & homo, vt homo est, iudicio & ratione præditus ex naturæ qualitate suas concupiscentias haud quaquam illicitas. Concupiscit homo esuriens cibum, sitiens potum, nudus vestimentū, algens focum, æstuans refrigerium, lassus requiem, timens securitatem, dolens consolationem, moriens vitam. Vtq; concupiscimus omnes vsum rerum nostrarū: ita & maritus consuetudinem vxoris suæ: & qui non habet comparem sine culpa maritus esse desiderat. Quales cōcupiscentię si ratione moderatæ sint, nihil habent mali, neque intelliguntur propriæ in Scriptura sacra sub his nominib⁹ Cōcupiscere & Concupiscētia: quod tamen si aliquando fiat, idipsum facile ex filo orationis deprehendi potest. Vt ibi, Sine dolo lac concupiscit vt in eo crescatis. Quin potius intelliguntur in dictis nominibus Concupiscere & Concupiscentia, primò, praua illa inclinatio naturæ corruptæ, quam nos fomitem: Apostolus verò vocat peccatum habitans in carne, aut legem membrorum repugnantem legi mentis, ad Rom. 7. aut carnem, 8 capite, ac alijs locis. Eiusmodi appellatione vocatur concupiscentia habitualis seu congenita: secundò affectiones seu actus eiusdem prauæ inclinationis, quibus caro actu concupiscit aduersus spiritum, aut aduersus iussiones diuinas, vel fraternam dilectionem, quærens quæ sua sunt, non quæ aliorum: quas cōcupiscentias dicimus prauas esse: tum quia sunt contra legem Dei, tum quia non dirigūtur nisi prudentia carnis, quæ, secundum Apostolum, mors est, & inimica Deo: legi enim Dei non est subiecta, neque enim potest: nobis tamen renatis in Christo imputari in peccatum vel culpam non possunt, nisi vincant, trahentes secum rationem in consensum: nā tunc demum incipiunt imputari ad culpam quæ prius inerant vel ad pœnam, vel ad exercitium, vel ad humiliationem. Scriptura itaque docet duas esse concupiscentias, & vtrasque malas, congenitam scilicet, & actualem. Congenita quidem semper est in homine, tanquam perennis quædam miseria, & infelicitas naturæ lapsæ: rationem tamē peccati non habet, neque imputatur ad culpam in renatis. D. Tamen vocat eam Apostolus peccatum habitans in carne, ad Rom. 7. M. Non appellat eam Apostolus simpliciter peccatū, sed peccatum habitans in me, hoc est, in carne mea, sic enim ipsemet interpretatur. Peccatum verò habitans in carne, non est peccatū propriè aut simpliciter dictum: sed vitium siue malum carnis, ipsam carnem inhabitans. Ideo autem inhabitans, quoniam non ad horam aut diem sed perpetuò inhæret, velis nolis, tanquam innatum malum siue congenitū naturæ: quemadmodum peccatum scripturę non est peccatum simpliciter, sed vitium orthographiæ, aut artis pingendi. D. At dicit præceptum, Non concupisces. Omnis itaque concupiscentia est præuaricatio huius mandati. M. Ceterùm cuiid dictum est, lapidine an homini? D. Homini arbitror. M. Ne dicas arbitror, certo certius habe, nullam legem veteris aut noui Testamenti datā esse, nisi homini. Sensus itaque est, Tu homo, vt homo es, hoc est, ea parte qua homo es, nē pe ratione agens & deliberata voluntate, non concupiscas vxorem proximi tui, domum, agrum, & cet. sic enim habent verba mandati, Non concupisces, tu scilicet, vxorem proximi tui, domum, agrum. Actus non est veraciter hominis, neque humanus dici potest: nisi procedat à voluntate ratione deliberata: hoc est, nisi homo sciens ac volens ipsum eliceat. Et tunc demum laude vel vituperatione præmio aut criminatione dignus habetur. Hinc Apostolus ad Rom. 7. Cōcupiscentiam nesciebam, id est, ignorabam qualis esset, de genere ne bonorum an malorum, nisi lex diceret: Non concupisces, tu, inquam, homo non concupisces. Scimus itaque ex præscriptione legis, eam concupiscentiam qua homo scienter ac voluntariè concupiscit, esse peccatum illi ad culpam imputabile: eam verò quæ surgit à carne vel contra legem Dei, vel contra spiritum aut contra caritatē proximi esse quidem de genere malorū: non tamē homini Christiano imputari ad culpā aut dānationē, quamdiu est citra consensum rationis. Quādiu enim luctatur voluntas aduersus

Non omnis concupiscentia mala. Galat. 5.

1. Petr. 2. In nomine concupiscentiæ intelligū tur, primò concupiscentia habitualis malum.

Secundò actuales inclinationes siue affectiones

Roma. 8.

Duplex concupiscentia.

Habitualis concupiscentia nō est peccatum simpliciter.

Præcipit mandatū ne homo concupiscat.

Præceptũ non est datum carni aut fomiti, sed homini.

concupiscentiam, tam diu condelectatur homo legi Dei, vt verbis Apostoli vtar. Et licet carne seruiat legi peccati: mente tamen seruit legi Dei: quod laude & remuneratione tantò est dignius, quantò incentiuum concupiscentiæ erat ardentius. Homini ergo prohibitum est, vt non concupiscat vxorem proximi, &c. non autem carni, non sensualitati, non fomiti. Caro enim non est legi Dei subiecta, neque enim potest, inquit Apostolus. Sed de hoc dicemus fusius in Sacramento Baptismi. Actualis quoque concupiscentia potest inesse citra offensionem & culpam. vti in parte iam diximus, & mox pleniùs audies. Certum igitur est quòd non prohibeatur hic omnis concupiscentia à toto genere, neque in vniuersum omnis concupiscentia mala: sed solummodo, vt dixisti bene, concupiscentia vxoris alienæ, & rerum non suarum.

Actualis concupiscentia potest esse sine culpa.

Prohiberi his præceptis, ne concupiscas tu vxorem aut rem proximi: non autem prohiberi ne sit in te concupiscentia rerum non tuarum.

CAP. III.

M. Aliud habere concupiscentias, aliud concupiscere. Concupiscẽtia quę est in carne quomodo & quã do peccatum.

M. T nunc aduertere oportet, aliud esse habere in se, hoc est, in carne sua concupiscentiam vxoris alienæ, aliud concupiscere vxorem alienã. Quæro igitur vtrum istorum sit hic prohibitũ. D. Vtrunque arbitror. M. Caue: quia potest concupiscentia tã vxoris alienæ, quàm rerum non tuarum esse in te, hoc est, in carne tua, vti factum legitur in sanctissimis viris, cõtra voluntatem, & citra omnem consensum te nolente, tuaque voluntate repugnãte: quæ si sic insit, iam tu non illam operaris, neque re uera tu concupiscis: sed quod inhabitat in te, hoc est, in carne tua, malum. Homo propriè non dicitur facere, nisi quod ipse libero suo iudicio, & spontanea facit voluntate, prout pulcerrimè demonstrat Apostolus, ad Romanos 7. dicens: Scimus enim quia lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Nunc autem iam non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonũ. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui nõ secundum carnem ambulant. Ex quibus verbis Apostoli notabis tria. Primum etiam nos renatos manere in ea miseriarum necessitate, vt perpetuo in nobis ipsis circunferamus fomitem peccati, & concupiscentias nõ modicas. Secundum has concupiscentias nos pati potiùs quàm facere aut operari, quamdiu dissentimus, & nolentes sumus. Homo enim nõ dicitur facere, nisi quod ea parte facit, qua homo est, hoc est, iudicio, & spontanea voluntate. Tertium, nihil damnationis, hoc est, culpæ aut offensionis contra istud mandatum nobis inesse, propter insurgentes à carne concupiscentias, etiam vehementes, etiam diuturnas, etiam fœdissimas, quamdiu non ambulamus secundum carnem, id est, nostro iudicio ac voluntate non sequimur tractum carnis consentiendo in id quod concupiscit caro, siue malum habitans in carne. Sicut enim ambulare secundum Christum, est sequi vestigia Christi: ambulare secundum Spiritum, est sequi aut facere, ad quod inuitat Spiritus: sic ambulare secundum carnem, est sequi carnẽ, siue id facere ad quod instigat caro, aut prosequendo opus, aut saltem oblectando se in operis meditatione, non obstante quod vetitum est. Vt sententia sit certa D. Augustini dicentis, Quòd si ratio in sua sede consistit, nec declinat, scilicet, post desideria carnis, à peccato immunis est homo, etiamsi fomes ebulliat. Et illa plusquam aurea sententia D. Gregorij, Cogitatio, quantumcunque turpis, mentem non polluit, si ratio humana non cõsentit. Addit B. Hieronymus dicens, Inter πάθος & προπάθειαν, id est, inter passionem & propassionem, hoc interest: quòd passio reputatur in vitium: propassio, licet vitij culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, & anima eius fuerit titillata, hic propassione percussus est. Si verò consenserit, & de cogitatione affectum fecerit: sicut scriptum est in Dauid: Transierunt in affectum cordis: de propassione transiuit ad passionem, & huic non voluntas peccandi deest, sed occasio. A nemine autem pertinentiùs describitur ordo, quo consummatur in nobis peccatum, quàm à beato Iacobo in sua Canonica capite I. ibi sic habet, Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatũ verò cùm cõsummatum fuerit, generat mortem. Hæc ille.

Roma. 8.

Tria notã da in verbis Apostoli, ad Rom. 7.

Hiero. in cap. 5 mat. Differentia inter passionẽ & propassionem.

Psalm. 72.

D. Certè difficilis apparet hæc Apostoli sententia. M. Facilima est intellectu, si perpendas quod perpenderunt vetusti patres Augustinus, Gregorius, ac alij, nempe tria esse, qui-

Tria sunt quibus impletur peccatum. quibus completur in nobis peccatum. Primum est suggestio, quæ fit per memoriam & corporis sensus, visum scilicet, tactum, gustum, auditum, odoratum. His enim suggeritur homini quod illicitum est, aliquando volenti, aliquando etiam nolenti: & ibi sanè initium tentationis. Secundum est delectatio siue affectio eius, quod suggestum est, cum scilicet concupiscentia abstrahit & illicit hominem ad cogitandum, aut meditandũ de fruitione eius, quod in se concepit per sensum: & ibi perfecta tentatio. Hinc Apostolus, Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Tertium est consensio, cùm homo aduertens & bene deliberatus consentit in id quod suggestio proposuit, & concupiscentia iam appetit: & ibi tandem consummatio peccati. Itaque in appetentia concupiscentis carnis est initium peccati, siue nisus aut via ad peccatum: non autem peccatũ imputabile ad mortem: nisi accesserit liber consensus. Hinc Apostolus, Concupiscentia verò cùm conceperit, scilicet suggestionem: ita vt affici incipiat & oblectari, parit peccatum, id est, enititur, siue est in efficientia ad peccatũ. Porro peccatum cùm consummatum fuerit per liberum arbitrium consentiens, generat mortem, diuidens scilicet inter Deum & hominem, propter transgressionem: inter gratiam quoque, quæ vita est animæ, & ipsam animam, inducens in eam mortem, iuxta illud: 1.Cor. 15. Stimulus autem mortis, peccatum est. Hinc vlterius reatus gehennę, meritum damnationis æternæ, tandem condemnatio, vltimò omnium, mors secunda, quæ est in stagno ignis & sulfuris. Vt igitur finiam, concupiscentia vxoris alienæ, aut rerũ non suarum, quæ inest citra consensum & complacentiam voluntatis, non est transgressio huius mandati: sed tentatio alliciens hominem in malum, sed partus siue parturitio ad peccatum. Quam si reprimat ratio, consentiens potius legi Dei, iã meritum nascitur ad cumulum gloriæ, non peccatum. Beatus enim vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. D. Pone obsecro exemplum. M. Vidisti decoram & amabilem puellam, de hac si suggerit concupiscentiæ tuæ vel oculus dum vides, vel recordatio dum domi es, ibi est suggestio, nihil habens mali, nisi periculum ruinæ: propter quod periculum inquit Iob 31. Iob: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, hoc est, modis omnibus contendi, ne priùs incautè aspicerẽ quod posteà inuitus amarẽ. Vlterius concupiscentia quam visus excitauit, si incipit per titillationem abstrahere & illicere iudiciũ rationis ad contemplandum & meditandũ circa hanc rem, quæ fieri solet cum amabili virguncula, iam non solùm est tentatio, sed incipis in via esse & efficientia peccati: Quòd si victa ratio consentiat, incipiens oblectari, & complacentiam habere in re concupita, proponens prosequi, vel saltem optãs vt sit prosequendi occasio, non obstantibus prohibitionibus, iã est in te consummatũ peccatũ coram Deo. Si verò opus accedat, tunc demum prorsus atque omnino est consummatum, etiam humano iudicio, quo de opere externo iudicare licet.

Quomodo cognoscemus consenserit ne ratio mentis concupiscenti carni an non. CAP. IIII.



Væ dicta sunt satis probè intelligo. D. Verùm quando iã inundant in me concupiscentiæ carnis, vnde sciam si consentiat, aut non consentiat ratio? M. Si mox vbi aduertere cœpisti, conuertis te ad aliquod remedium more sanctorum patrum D. Hieronymi & D. Benedicti, Modi qui b' cognoscimus nō cōsentire in cōcupiscentias. quorum alter vicit carnis concupiscentias, volutando se nudum in spinis & vepribus: alter tundendo indesinenter pectus proprium saxo. Aut more illius, qui dum æstum sentiret libidinis, misit digitum suum in flãmam candelæ ardentis, vt carnis incendio, de carne pelleret libidinis æstum; malens comburere digitum, quàm aduri in conscientia. D. Rem difficilè narras. M. Si hoc difficile videatur, Math. 4. saltem placeat modus Christi vincendi per scutum fidei, qui singulis suis tentationibus obiecit Scripturam, dicens: scriptum est. Sic quoque tu fac cùm tentaris, cogitando quid facerem ego, dictum est, mandatum est à Domino cœli & terra: insuper scriptum est in volumine legis, Non concupisces vxorem proximi tui. Deut. 5. 1.Cor. 6. Item, Neque fornicatores, neque adulteri, neque molles regnũ Dei consequentur. Ego qui sum, qui resistam Domino Deo meo? Et, extra regnum Dei quid obsecro inueniam, præter supplicium & mortem, præter confusionem & amaritudinem? Istud est vel fide, quæ suo loco adhibita miram habet vim superandi. Iuxta illud Ioannis: Hæc est vi 1.Ioan.5. ctoria quæ vincit mundum, fides nostra. Si igitur tale aliquid feceris, certum est rationem tuam non consentire in opus concupitum à carne. Si verò nec tale aliquid feceris: interim tamen constantiã retines mentis, nec dimoueris illectamentis carnis, certum est te non consentire, iuxta Apost. Si quod nolo malũ: rursum. Si quod odi malũ hoc facio, iam ego non operor illud: sed quod habitat in me pec-

peccatum. D. Et me retinere nolitionem hanc siue constantiam, vnde sciam? M. Si ge mitus, si ignea desideria cordis ascendant sur sum, vt aduocent auxilium desuper, si tundis pectus, si spuis a te dicendo: vade post me sa tana, si nomen Iesus sit in ore, si meditatio pas sionis in corde. Iuxta illud: Beatus qui tene bit, & allidet paruulos suos, hoc est, prauos motus siue prauas concupiscentias subitò insurgentes, ad petram: petra autem erat Chri stus. Si nouissima quæ superueniunt ob ocu los reuoces, prout Sapiens dicit: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Si cœperis incumbere studiosè alicui negotio sancto, pio, honesto: quoniam desideria, vt Sa piens inquit, occidunt pigrum: noluerunt e nim quidquam manus eius operari, tota die concupiscit & desiderat. Si, dico, vel vnum ex præmissis, aut simile aliquid feceris, certum habe, te nolentem esse, nec cōsentire in opus concupiscentiæ. Rursus autem certum habe è diuerso, si manseris in ocio, si luseris tecum circa hæc cogitatio tua, dum es in lecto, aut sedes in cubiculo, vel ambulas solus per vias: & si principio fueris nolens, toties tamen re curret suggestio, toties titillabit mentem nouus pruritus, donec de nolente faciat volē tem. Etsi forte abhorreas opus externū pro pter pericula infamiæ quæ sunt in illo: tamen quod intra te, aut sub linteaminibus lecti tui secretò fieri potest, incipies velle, deinde per tractare, & discurrente cogitatione cordis de hoc in illud, de modo ad modum, fiet intereà delectatio morosa, quæ non est sine consensu saltem interpretatiuo: quia cum potest, se nō auertit: tandem verò subsequetur quod for tassis multò maius est ac fœdius adulterio, quod aures piæ non ferunt, ideoque latiùs ex ponere minimè consultum puto.

Psal. 136.

1. Cor. 10.

Eccles. 7.

Prouer. 21.

Cum lum bricis co gitationi bus ludere admodum peri culosum est.

Cōsensus interpreta tiuus.

Non esse à toto genere probibitum concupi scere vxorē proximi, aut rē alterius. CA. V.

D. Vid autem mali est, si, concupiscam vxorem proximi ad conuiuium, aut ad colloquium, vel vt mea sit post mortem illius? M. Nihil. D. Prætereà, quid offendo si concupisco, vt pro ximus det mihi, vel vendat agrum suum, aut mutuet pecuniam domum, equum, asinum? M. Nihil. D. Ergo nec hoc, scilicet homi nem concupiscere vxorem proximi, domum vel agrum à toto genere prohibitum est. M. Verba mandati sunt propriè intelligenda, Nō concupisces vxorem proximi tui, scilicet vt tua sit, dum illius est, aut tu vsum habeas car nis eius, soli marito ipsius debitum: quomo do Herodes concupiuit ac rapuit vxorem fra tris sui adhuc viuentis: hoc, inquam, vetatur: ne dum alterius est, tuam esse velis, aut te inea oblectare, quæ se indiuidua vitæ consuetudi ne alteri oppignorauit, sicuti in decimo præ cepto vetamur concupiscere rem proximi, vt dum illius est, nostra fiat citra illius volunta tem, aut iustum commutationis titulum. Vt autem appetam rem proximi pro iusto pre tio, aut per commutationem rei pro re, vt mercatores faciunt, aut donationis titulo, vti medici, aut iure successionis, vti heredes, ne que hoc loco, neque vspiam prohibitum est: modò concupiscentia sit ratione moderata. Iuxta illud: Omnibus adde modum, modus est pulcerrima virtus. Verùm per fas perque nefas appetere, solùm spectando vt habeas, hoc verè est concupiscere rem proximi, dum proximi est, vt faciunt subdoli, dolosi, circū uentores, &c. de quibus abundè diximus in præcepto septimo. D. Verba mandati sic habent, Non concupisces vxorem proximi tui. An igitur mulieri liceat appetere virum proximæ suæ? M. Nequaquam. Vir caput est mulieris: quod igitur in hac parte viro p hibitum est, multò magis mulieri prohiberi intelligendum relinquitur. Nam in his quæ matrimonij sunt, maiorem libertatem lex per misit viro quàm mulieri. Vir ex caussa offerre potuit libellum repudij, mulier non. Vir v nus plures vxores habere potuit, mulier autē vna vt simul plures haberet viros, nulla vn quam lex permisit, nulla dispensatio, nulla fe re gens quamlibet barbara vnquam sustinuit quæ politicè regeratur. D. Et de his qui ma trimonio iuncti non sunt, quid dicemus? Nun quid non adolescens iuuenculam, aut iuuen cula adolescentem licitè cōcupiscere potest? M. Honestam procationem, qualis solet esse inter eos qui sa mutuo ambiunt ad matrimo nium, nemo damnare potest, tales indubiè se mutuo concupiscere possunt, ad perpetuam & indiuiduam vitæ consuetudinem, interue niente Sacramento: modò concupiscentia sit ratione moderata. Verùm concupiscere ad vsum scortationis hanc aut illam virginem, etiam sub pollicitatione futuri coniugij, hoc hauddubiè hic prohibitum intelligitur, quo niam hæc duo mandata sunt declarationes quædam sexti & septimi mandatorum, vt di ximus suprà. Quapropter in hoc nono pro hibetur vniuersaliter omnis concupiscentia omnium illorū quæ sunt prohibita in sexto mandatō, Non mœchaberis. Sunt autem ibi prohibita adulteriū, fornicatio, stuprū, rapt9, sacrilegiū, mollities, sodomia, bestialitas. Fuis set autem & hoc loco tractandum de præludijs

Aperitur intellect9 mandati.

An liceat mulieri cō cupiscere alienum virum.

Deut. 24.

Concupi scentiæ so lutorum quę & quā do malæ.

Prohiben tur istis mandatis omnes cō cupiscen tiæ eorum quæ pro hibentur sexto & se ptimo mā datis.

dijs ac præparatorijs ad istiusmodi mala, videlicet osculis impudicitiæ, tactibus, lusibus, choreis, cantilenis: quia meræ concupiscentię sunt, tantò ardentiores, quantò se foras magis extulerint. Sed apud populum Christianũ maluimus de huiusmodi agere in præcepto sexto, vt intelligant, hæc coram Deo in adulteria reputari, si ex concupiscentia adulterandi procedant, prout Christus docet oculum nequam ad concupiscendum, mœchiam esse coram Deo. D. An igitur peccet duo peccata, & contra duo mandata, qui ex concupiscentia carnis osculum offert impudicitiæ? M. Non, sicut nec ille qui cõcupiscendo ad actũ adulterij procedit. Sunt enim mandatum sextum & nonũ sibi subordinata: adeo vt etiã si peccetur contra vtrumque mandatum: tamẽ vnum duntaxat efficitur peccatum. Idemque dices de illo, qui concupiscit rem proximi, et concupiscendo furatur.

Duo nouißima mandata esse in lege noua abunde renouata. CAP. VI.

M. Icut diximus iam de nono, ita & de decimo mandato dicendum est. Prohibetur enim vniuersaliter concupiscentia omnium quæ prohibita sunt in septimo mandato de non furando. Tu repete tecum quæ ibi prohibita sunt. Nihil addam vltrà. D. Dñe, necdũ exposuisti, an ista mandata Decalogi sint resumpta in nouo Testamento, sicut alia: adeo vt eorum obseruatio sit necessaria pro tempore Euangelicę libertatis. D. Deus bone, de hoc an dubiũ esse possit? Certum est populũ Christianum qui iam præparatur non terrenis felicitatibus, vt olim, sed throno Dei, & æternorum gloriæ, debere multò magis alienũ esse à prauis concupiscentijs, magisq; spiritualem, q̃ illum carnalem veteris legis populum: siquidem caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam, inquit Apost. Quæ sanè Scriptura non de substantia carnis & sanguinis intelligenda, sed de affectionibus & concupiscentijs secundum carnem & sanguinem. Atque huc tendit omnis institutio Euangelica, vt corda nostra sint templa Spiritus sancti, vtque spiritu ambulemus, vt spiritu facta carnis mortificemus, vt spiritu Deum colamus, magis quàm carne: attamen & carne, vt non secundum carnem ambulemus, neq; desideria carnis faciamus: sed mente seruiamus legi Dei: etiã si aliorsum trahat caro, deniq; vt spirituales simus. Nam spiritu coniungimur cum Deo, spiritu recedimus à Deo, & non est hic communicatio cũ Deo nisi secundum spiritũ. Adhæc dicit Scriptura: De corde exeunt furta, homicidia, adulteria, fornicationes. De corde vita procedit. Item, Purificate corda vestra. Et illud: Beati mundi corde. Quapropter quidquid pręcipitur homini Christiano, quidquid etiam prohibetur, ad cor hominis & spiritum est referẽdum. Deus spiritus est, & scrutator cordium: ideo in omnibus magis spiritum requirit, q̃ corpus: attamen et corpus, mundiciáq; cordis magis quàm corporis. Quapropter non impletur affirmatiuum mandatum, nisi ea obedientia quæ de corde procedit; adeoq; nihil est gratum Deo, ne pietas quidẽ in ipsum Deum, neque iustitia, neque inuocatio, nisi procedat de corde puro, conscientia bona, fide nõ ficta. Similiter non fit trãsgressio prohibitionũ, nisi actionibus ijs, quæ de consensu & complacentia cordis procedunt. Omniũ autem præuaricatio fieri potest vel solo corde. Nam voluntas cordis pro facto reputatur coram Deo. Cor enim & spiritus primas obtinent in homine. Quæ vt clarius intelligeremus, non tam resumpsit Saluator in Euangelio duo posteriora mandata Decalogi, quam dedit viuam Germanamque interpretationẽ sexti & septimi mandati, sciens & in hoc resumpta fore abundè satis, etiam illa postrema Decalogi. Dicit enim. Audistis quia dictũ est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierẽ ad cõcupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Dilucidè igitur prohibitum est in Euangelio, concupiscere vxorem proximi: & cum hoc clarè declaratũ solũ oculũ nequam ad concupiscendã, esse veraciter mœchiam, hoc est, adulterium coram Dño, contra pręceptum sextũ: etiamsi nihil aliud sequatur in opere. Sed nec illo contentus legislator Christus fecit insuper nobis abunde inculcari, per suos Apostolos, cõcupiscentias carnales neutiquam admittendas. Paucula citabo. Dicit enim Paul. Nam cõcupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces. Ex lege ergo disco, ipsam cõcupiscentiam peccatũ esse ad Rom. 7. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & cõcupiscentijs, ad Galat. 5. Non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Quoniam obedire concupiscentijs per cõsensum rationis, est peccatũ regnare in corpore, ad Rom. 6. Mortificate ergo mẽbra vestra quæ sunt super terrã, fornicationẽ & immunditiam, libidinem, concupiscentiã malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruit*. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulit atis, in quibus & vos ambulastis aliquãdo cũ viueretis in illis, ad Col. 3. Simile habet

Christianum oportet magis alienũ esse à concupiscentijs quàm populum legis.

1. Cor. 15.

Matth. 15.

Prouer. 4.

Matth. 5.

Quidquid præcipitur in primis ad cor referẽdũ.

Quàm rigorosè sit in Euangelio prohibita concupiscentia carnis.

bes 2. Pet. 2. Abundè igitur prohibitæ sunt cō
Quomodo cupiditates sunt prohibitę in Euāgelio. cupiscentiæ carnales in nouo Testamento.
D. Et de cupiditatibus rerum nō suarū quid
dicit Euangeliū? M. Quando prohibet Sal-
uator solicitudinem in crastinum: imò quan-
do prohibet ne simus soliciti quid manduce-
Matth. 5. mus aut bibamus, Matth. 6. Quando insuper
prohibet thesaurizare in terris dicens: Nolite
thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi æru
go & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt
& furantur. Thesaurizate autem vobis thesau
ros in cælo, vbi nec ærugo nec tinea demoli-
tur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.
Matth. 5. Vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.
Adhæc quādo dicit, Si quis vult tunicam tuā
tollere, dimitte ei & pallium: quando, inquā,
laborat Christus huiusmodi præceptionibus
eruere de cordibus hominum cupiditatem
rerum, etiam earum quæ iustè haberi pos-
sunt: nónne multo magis vult eos prorsus a-
lienos esse à cupiditate rerum alienarum, quę
citra iniquitatem haberi nequeunt? Hoc est,
ne concupiscamus domum proximi, agrum,
bouem, asinum, seruum, vel ancillam? Si argu-
mentum valet à minoris remotione, ad remo
tionem eius quod maius est, vt valet secundū
Argumentum à minori. præcepta Logices: indubiè sequitur, cum qui
prohibet affectum thesaurizandi, qualis per
se iniquus non est, multo magis prohibere af
fectum & concupiscentiam alieni, quæ cōuo-
lutam habet iniquitatem. His addit Aposto-
lus, Nihil intulimus in hunc mundum: haud
1. Tim. 6. dubium quia nec auferre quid possumus. Ha
bentes autem alimenta, & quibus tegamur:
his contenti simus. Nam qui volunt diuites
fieri, incidunt in laqueos Diaboli, & desideria
multa inutilia, & nociua, quæ mergunt ho-
mines in interitum & perditionem. Ecce vel-
le diuitem fieri mergit hominem, non solùm
in desideria inutilia: sed & nociua: hoc est, in
concupiscentias rerum, tales quæ animam oc
cidunt. Superaddit D. Iacobus, Vnde bella &
Iacob. 4. lites in vobis? Nónne ex concupiscentijs ve-
stris, quæ militant in membris vestris? Concu
piscitis, & non habetis: occiditis & zelatis, &
non potestis adipisci: litigatis & belligeratis:
non habetis, propterea quòd non postulatis.
Petitis, & non accipitis, eò quòd male peta-
tis: vt in concupiscentijs vestris insumatis. A-
dulteri, nescitis quòd amicitia huius mundi,
inimica est Deo? Hæc ille. Nec puto elegan-
tiùs posse depingi cupiditatum fructus, quàm
fecit hoc loco D. Iacobus. Sapiens autem au
Eccles. 10. det dicere: Auaro nihil est scelestius. Idem, Ni
hil est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic
enim & animam suam venalem habet, quo-
Luc. 12. niam in vita sua proiecit intima sua. Insuper,
præcipit Saluator dicens: Videte & cauete ab
omni auaritia: quia non in abundantia cuius-
quam vita eius est ex his quæ possidet. D. Et
quid precor auaritia? M. Auaritia est sitis ar- Quid auaritia.
dens vltra temperiem habendi. Hæc autē suas
habet partes. Nam sitis thesaurizandi, auari-
tia est. Item diuitijs cor apponere, & sperare
in incerto diuitiarum, auaritia quædam est.
Tertiò cupiditas habendi alienum, auaritia
quædam est. Præcipit igitur Saluator, Cauete
ab omni auaritia, nō solùm ab hac vel illa: sed
ab omni. Ergo maximè à cupiditate alieni,
quæ est pessima auaritia, inuoluens iniquita-
tem, & iniuriam proximi. Rationem addens,
Quia non in abundantia cuiusquam, hoc est,
quarumcunque rerū huius mundi, quæ quis
possidet, vel possidere potest, est seu consistit
vita eius: non vtique corporis vita, quando &
opulenti vel inter copias rerum moriuntur:
non etiam animæ: nam hanc vt nunquam fo-
uet cupiditas, ita semper affligit, perdit, inte-
rimit, vti eleganter describit Apostolus dicēs:
Radix omnium malorum est cupiditas. Quā
quidam appetentes errauerunt a fide, & inser 1. Tim. 6.
uerunt se doloribus multis. Tu autem ò ho-
mo Dei, hæc fuge: sectare verò iustitiam, pie-
tatem, fidem, caritatem, patientiam, mansue-
tudinem. Sint ergo mores sine auaritia, con-
tenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te de-
seram, neque derelinquam. Nunc quid appa-
ret tibi, Nónne hæc duo postrema præcepta
Decalogi prohibita sunt & in nouo Testamē
to, ab ipsomet legislatore Christo, & Aposto
lis eius? D. Sunt certè: & multo quidem exa- Euangelium prohibet exactius cupiditates & concupiscentias & lex.
ctiùs multóque expresius, quàm in veteri le-
ge. M. Hoc benè dicis: quoniam lex vetat
tantùm concupiscentiam vxoris alienæ: Euā
gelium autem vetat concupiscentiam mulie-
ris, non tuæ, dicens generatim, Quicunque vi
derit mulierem ad cōcupiscendum eam. Lex
dicit, Non concupisces. Euangelium verò de
finit mœchatum esse eum, qui viderit ad con-
cupiscendum. Lex dicit, Non cōcupisces do-
mum proximi, agrum, &c. at Euangelium di-
cit ab omni auaritia cauendū: quod plus est:
volenti tollere tua non resistendum. Nec ibi
sistit: sed adiungit, Nolite soliciti esse de cra- Matth. 6.
stino: immo dico vobis, ne sitis soliciti animę
vestræ quid manducetis, neque corpori ve-
stro quid induamini. Nónne anima plus est
quàm esca, & corpus plus est quàm vestimen
tum? Quærite ergo primùm regnum Dei, &
iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vo-
bis. Et quod omnium maximè mirandū, Væ,
inquit, vobis diuitibus. Faciliùs est camelum Luc. 6.
per foramen acus transire, quam diuitem in- Marc. 10.
trare in regnū Dei. Quo audito discipuli mi- Matth. 19.
raban-

rabantur, dicentes: Et quis potest saluus fieri? Aspiciens autem Iesus dixit illis, mitigationis verbum: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem, omnia possibilia sunt. Subindicans hominem habentem possessiones multas, nō posse sine speciali auxilio Dei, non apponere cor. : quod non adeo difficile est pauperi. Facile enim retrahimus cor ab eo quod non habemus, & felicitatem Euangelizatam facilè recipimus in affectū cordis præ felicitate rerum mundi, quas habere non possumus. Vnde diuiti adolescenti dedit consiliū Saluator dicens: Si vis perfectus esse, id est, perfectè expeditus esse ad prosequendam salutem Euangelicā, vade, & vende quęcunque habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Quod consilium audiens adolescens, contristatus abijt: erat enim habēs possessiones multas. Et in te fili, & in me, nihil æque excludit ab affectu nostro Euangelium salutis, atque præoccupans cor nostrum cupiditas rerum mundi huius. Et quando Domine, quādo bone Deus, qui es seminator sancti consilij, eradicabis de cordibus nostris radicem istam tā amarā tamque grauis odoris? Sed pergamus.

Facilius pauperē saluum fieri quàm diuitem.

Marc. 10.

De plenitudine dicti huius, Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, &c. C A P. V I I.

D. Adhuc modicū precor de hac Christi sententia, Qui viderit mulierē ad concupiscendum eam, &c. Cur obsecro, dixit Saluator, Viderit ad concupiscendum: & non potius sic, Qui concupierit? M. Vt verbo vno veritatis plenitudinem ostenderet. Verum est, quicunque concupierit mulierem, id est, eam quæ comparatione eius, mulier tantùm est, non sibi vxor, idque voluntate deliberata (alioquin ipse nō concupiscit, vti diximus suprà) ille indubiè iam mœchatus est in corde suo. At superaddit Dominus dicens, Qui viderit, siue aspexerit ad concupiscendum, hoc est, eo animo vel studio contemplatur mulierem, vt concupiscentiam excitet quæ fortassis non sequitur: natura non obediente desiderio voluntatis, iam mœchatus est in corde suo. Sicut qui amplexatur, vt concubat: interim natura recusante officium, iam mœchatus est. Nam in voluntate mœchia erat: etiamsi non fuerit, neque in opere, neque in carnis illecebris. Si quod dixi seueriusculum apparet, saltem D. Hieronymo crede, qui in hunc modum interpretatur verba Saluatoris: Qui viderit mulierem ad concupiscendum, id est, inquit, si aspexerit, vt concupiscat, vt facere disponat, iste rectè dicitur eam mœcharii in corde suo. Nemo igitur dicat, Non feci: nihil ergo mali perpetraui: quoniam si concupiuisti, iam mœchatus es in corde. Nemo etiam dicat, needum sensi in me dulcedinem carnis: quoniam si vel aspexisti, quod minimum est, eo animo vt concupisceres, iam mœchatus es in corde tuo. Iam enim tu voluisti: etsi natura tua non voluerit: quantò magis si defixisti in eam oculum, si propè lusisti, si os ori coniūxisti, si palpasti ad concupiscendum iam mœchatus es in corde tuo. Siquidem hæc facis concupiscendo, indubiè mœchia cordis est. Sin hæc facis, necdum concupiscendo: tamen volens ac quærens concupiscere, etiam mœchia in corde tuo est: licet nondum sit in inguine, aut parte sensitiua. Licet autē nunc porro inferre conformiter ad verba Saluatoris. Ergo qui viderit virginem ad concupiscendum eum, iam stuprum commisit in corde suo. Insuper, Ergo qui aspexerit, non solùm ad concupiscendum: sed præter hoc ad rapiendum, etiamsi non audeat tentare factum, iam raptum commisit in corde suo. Adhæc, Quicunque ergo sacerdos viderit mulierem ad concupiscendum eam, iā sacrilegium commisit in corde suo. Haud dissimiliter si laic' nonnā, hoc est, virginem Deo sacrā viderit ad concupiscendum eam, iam sacrilegium commisit in corde suo. Nam opus corde concupitum, est violatio virginis Deo sacræ. Item, Si professus professam viderit ad concupiscendum eam: aut nonna monachum ad concupiscendum ipsum, iā voti reus est vterque in corde suo, sacrilegus vterque, adulter vterque, violans spirituale suum matrimonium, quod contraxerunt cum Deo in die professionis suę. Non quòd tria in corde commiserint peccata: sed quòd peccatum illorum habeat tres deformitates, ex quibus it peius, ita & abominabilius efficitur. Cetera hic inferenda, tu tecum, si placet, perpende. Et hæc, si ita se habent, vt certè habent, vbi quæso apparebunt Anabaptistæ? Qui vt concupiscentias magis magisque excitent in ardorem, nudi nudis spectacula præbent, accumbunt nudi, ludunt nudi, choreas ducunt nudi. Tractant nudis corporibus, tractandumque docent sub fuco nouæ religionis, quod Religio est nominare, quod cæli pura facies sustinere non potest, ad quod stupēt aër circunstans & parietes, & saxa: vt interim de auribus taceam. Et hi se bellè religiosos iu dicant, quòd fucum inuenerint ex innocentia Adæ, ex verbis insuper Scripturæ, Crescite & multiplicamini. Interim, vt Petrus inquit, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. D. Quid de illo qui non videt aut aspicit: sed sedens in cubiculo suo, imagi-

Illationes conformes dicto saluatoris

Applicatio cōtra Anabaptistas.

2. Petr. 2.

N n natur

natur pulcritudinem certæ feminæ ad concupiscendum eam, an iam peccauit? M. Non dixit Saluator, Qui viderit oculis corporis: sed absolutè, Qui viderit, scilicet aut oculis corporis, aut oculis cordis: vtrisque enim res mundi contemplamur. Quapropter quicunque sedens in conclaui, aut recumbēs sub linteaminibus suis, phantasiando contēplatur formas femineas, vel actu concupiscendo, vel ideo vt exciret in se gratam sibi concupiscentiam, iam mœchatus est in corde suo: Omnia enim genera libidinis compleri possunt in solo corde phātasiantis. Intelligis quę dico? D. Nimis benè, & ad horrorem vsque animi.

Quid intersit inter concupiscentiam cordis, & operis impletionem. CAP. VIII.



D. Erùm an æqualiter rei sunt concupiscens, & opus adimplens? M. Nequaquam: multo enim grauius, multoque iniquius est peccatum operis, quàm concupiscentia cordis. Si concupiscentia filij principis Sichimitarum in opus stupri non prorupisset, non fuisset data caussa tā horrendę strage. Si concupiuissent tantum Israëlitæ, & non etiam ipso opere scortatione cordis & idololatriam commisissent, non fuissent ipsorum principes suspēsi in patibulis, nec fuissent eodem die occisi viginti quatuor millia hominū, Deo sic iubente: Si Beniamitæ alienam vxorem concupiuissent tantum, & non etiam nefando stupro enecassent, tanta clades nequaquam fuisset subsecuta, qua ceciderunt Beniamitarum viginti quinque milia, & Israëlitarum quadraginta milia. Si concupiscentiā suam rex Dauid cohibuisset, nec impregnasset vxorem alienam, neque tegendi facinoris gratia, adulterio plura homicidia copulasset, non vtique sustinuisset tam infensam proprij filij persecutionē. Ex his & similibus Scripturæ locis fit liquidum; permultum discriminis esse inter adulterium cordis, & adulteriū operis, inter opus carnis, & concupiscentiam carnis citra opus. D. Et vnde quæso nascitur hęc differentia? M. Ex eo quòd opus externum, potissimū in Venereis: Primo intendit atque consummat concupiscentiam cordis. Deinde & corpus cū proprium, tum cooperantis dehonestat, non citra iniuriam Christi, & Spiritus sancti: si modo Christianus existat. Tertiò opus externū includit seductionem comparis, iniuriam quoque proximi: quando vel ipse maritus, vel illa vxor est alterius. Quartò tranquillitatem publicam legibus Dei & hominum sancitam, conturbat. Vltimò, famam vtriusque operantis in discrimen adducit. Hæc siquidē & eiusmodi operi operato indiuidua sunt: non autē cōcupiscētiæ cordis. Quin imò qui corde concupiscit, odit hæc omnia & detestatur, differens sæpe opus propter hæc: quod plus est, eligens nonnunquam sola concupiscentia cordis se oblectare, ne incidat in hæc tam nefaria operis incommoda. Singula tibi ex ordine demonstrabo. Quantum ergo ad primum; sicut sensibile sensum immutat, & auget sensationē: ita & concupiscibile coniunctum carni auget carnis concupiscentias, adeoque rapit ad se totum hominem, vt sui prorsus impotens fiat. Quod tamen malum excusant in matrimonio Dei constitutio, Sacramentum, & bonum prolis. Quantum verò ad secundum, sic inquit Paulus: Nescitis, quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam mēbra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnū corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatū quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra, templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deū in corpore vestro. Quæ sanè adeò studiosè exaggerat Paulus eo loco, vt doceat Christianum pluribus de causis peccare, & ideo grauiùs si fornicetur, quàm ethnicum hominē: quoniam ille non expellit a se spiritum sanctum, non conspurcat Dei templū, non fugit à Domino, cuius pretio emptus est, non tollit membrum Christi, vt faciat membrū meretricis: hæc enim nunquam fuerat ethnicus: Christianus verò in Baptismo fit hæc omnia. Quantum autem ad tertium, Qui concupiscit tantùm, adhuc sibi soli peccat: qui verò conceptū intus ardorem foras effundit, sollicitando alienam pudicitiam donec persuadeat, iam non suæ tantum: sed & alienæ perditionis auctor efficitur. Quod si illa quoque parata erat: tamen vtroque agente, fit vterque audentior in malū, abit pudor, crescit ardor, & tandem callum obducit impudentia. Si sollicitata mulier non acquieuit: tamen ille venenum miscuit, illiusque animā infecit, quantum in se erat: quæ si propinatum venenum corde hauserit, nisi singulari gratia custodiatur, tandē haud dubiè conceptum malum aliquando pariet in opus. Quantū denique ad quartum, quintum, sextū, abundè satis diximus

Margin notes:
Genes. 34
Num. 25.
Iud. 19. 20
2. Re. 11. 3.
Multis de causis aggrauat opus concupiscentiam cordis.
1. Cor. 6.
Grauius peccat Christianus fornicando q̄ ethnicus.

mus suprà in sexto mandato. Estque luce po-
meridiana clarius, has malitias inesse nefario
operi adulterij: nõ autem cõcupiscentiæ cor-
dis. Multis itaque gradibus peius est, dete-
stabiliusq; opus mœchiæ foris perpetratum,
quàm concupiscentia adhuc se continens in-
ter secreta cordis. D. Attamen pronuntiat
Obiectio Saluator, quasi nihil prorsus esset discriminis
inter opus externum, & cogitationẽ cordis,
dicens: Qui viderit mulierem ad concupiscẽ-
dum eam, iam mœchatus est in corde suo. M.
Respõsio. Perpende bene verba Saluatoris, & aliud in-
inuenies. Non enim dicit absolutè iam mœ-
chatus est quia necdum perpetrauit adulte-
rium: sed, inquit, mœchatus est in corde suo.
Nempe, quia concupiuit, & disposuit facere
adulterium, quod non est mœchari simplici-
ter, sed mœchari in corde suo. Sunt quidem
mœchia cordis & operis, eiusdem speciei in
genere moris: sed tame non eiusdem malitię:
eò quòd multæ pollutiones corporum, & i-
niquitates concurrunt, vti diximus, in facto
mœchiæ exterioti: quæ etsi non desint mœ-
chiæ cordis, sunt tamen citra proximi perdi-
tionem vel iniuriam, & citra corporum suo-
rum dehonestationẽ. Quapropter aliter con-
fitendum & penitendum de adulterio perpe-
trato: aliter de concupiscentia perpetrandi.
Nam adulter resipiscens, laborare debet, vt
mulierẽ quam peccati fecerat sociam, etiam
resipiscentię consortem efficiat, quantum po
Cur dictũ à saluatore de visu. test. D. Cur dictum est, à Saluatore, de visu
potiùs, quàm de tactu vel auditu? M. Quod
dixit de non videnda muliere ad concupiscẽ-
dũ, hoc indubiè de alijs sesibus similiter in-
telligi voluit. Quia vt scintillam flatus: ita so-
lent singuli sensus corporis excitare concu-
piscentias cordis. Omnium autem sensuũ ve-
locissimus est oculus, omniũ quoque salacis-
simus. Nequius oculo quid creatũ est? rogat
Sapiens. Gyrat & circumuolat, & dum de li-
Ecclesi. 31. mo obiuto, quasi non videns, cernit, spiritum
mira efficacia trãsmittit. Oculus meus, inquit
Ieremias, deprædatus est animã meam. Quod
Thren. 3 præter quotidianã experientiam, etiam scri-
pturarum exemplis declaratur. Nam Gene. 6.
Viderunt filij Dei (hoc est, qui vice Dei funge
bantur in terra, quales erant potẽtes & famo
si in populo, propter iudicia & gubernacula
quibus inter alios eminebant) filias hominũ
(hoc est, inferiorum qui non nisi homines e-
rant) quòd essent pulcræ, acceperunt sibi vxo
res ex omnibus quas elegerant (pro carnis li-
bidine, non secundum Dei ordinationẽ.) Itẽ
Genes. 34. Dina egreditur incautiùs ad viden
dum mulieris regionis illius, videtur ipsa, con
cupiscitur, rapitur, & opprimitur. Itẽ Genes.
39. Vxor Putipharis iniecit oculos suos in Io
seph, & concupiscentia erga adolescentem ac
cenditur. Denique Dauid Propheta, & vir san
ctus cùm videret lauantem Bethsabeã, viden
do concupiscit, & concupiscendo in opus ne
fariũ rapitur. Proinde in primis periculosum
est oculis adimere cautionis frenum: quin po
tius consilium Saluatoris debet esse ad manũ,
Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eũ,
& proijce abs te. Hoc est, nihil debet esse tam
carum, intimum aut necessarium, quod nol-
les perdere, ne patiaris scandalum animæ. Hęc
nbis abundè sufficiunt pro intellectu noni &
decimi mandatorũ. D. Nunc itaque dici-
to saltem summatim, qui offendunt contra
hæc mandata. M. In nonum offendunt om
nes viri qui corde deliberato concupiscunt
ad vsum carnis mulierem non suam: omnes
quoque mulieres, quæ sic concupiscunt virũ
non suum. Ad hæc omnes qui veraciter ac ani
mo deliberato affectant quæcunque opera
carnis prohibita mandato sexto. Item qui vi-
dent, audiunt, colludunt, aut aliud quid agunt
ad concupiscendum, hoc est, vt cõcupiscant,
aut eo fine, eoque animo vt sibi concupiscen
tiam excitent vel augeant. Denique qui oble-
ctant animum morosis cogitationibus ad cõ
sensum vsque, vel expressum vel interpretati-
uum. In decimum verò mandatum offendunt
qui affectu cordis furantur, aut rapiunt, licet
in opus nõ prorumpant timore supplicij. Itẽ
quibus cor plerumque est intentum in frau-
des ac imposturas, circũuentiones, aut pro-
cessus malarum caussarum, vt expilent quod
non suum est, etiamsi cõceptum malum perfi
cete non valent. Satis

CONCLVSIO.

Concludẽdo igitur dico: si vis euadere ma
ledictionem Dei, mortem quoq; dãnationis
æternæ. Deinde, si vis esse & dici hic est ille, in
quo sese cumulant omnia, quę in homine de-
siderari possunt. Postremò, si habere vis ami-
citiã cum Deo, si viuere æternũ, si gloria reg-
ni cælestis, si deniq; beatitudo tibi curæ sunt,
serua & obserua mente & opere mandata dñi
Dei tui. Etenim dicit Saluator: Si vis ad vitam Matt. 19.
ingredi serua mandata. Iterum, Qui facit vo- Math. 7.
luntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intra
bit in regnum cælorum. Qui fecerit volunta Marc. 3.
tem Dei, hic frater meus, & soror mea, & ma- 1. Ioan. 2.
ter mea est. Addit Ioannes: Et mundus tran-
sit, & concupiscentia eius; Qui autem facit vo Eccles. 12.
luntatem Dei, manet in æternum. Superaddit Sapien. 6.
Sapiens: Deum time, & mandata eius obserua;
hoc est omnis homo. Nam custoditio legum
consummatio incorruptionis est: incorru-
ptio autem facit esse proximum Deo.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS VNDECIMI.

Cur summa diligentia tractandum de preceptis ac viribus caritatis. Cap.I.
Qua ratione vocetur praeceptum caritatis primũ maximumq́; mandatum. Cap.II.
Cur instantiùs accuratiusq; sit hoc preceptum datum in nouà quàm veteri lege, & quid differentiae sit inter diligere & amare. Cap.III.
Quid vocibus istis cor, anima, mens, fortitudo, in precepto indicetur. Cap.IIII.
An poßibile sit implere preceptũ caritatis, in hac vita secundum eam formam qua datum est. Cap.V.
Quod significatio totius non consistit in indiuisibili, sed magnam habet latitudinem, quodq; ea ratione caritas incrementa sua habeat. Cap.VI.
Quomodo diluendae sint quorundam obiectiones quae hic fieri solent. Cap.VII.
Quibus scripturis demonstretur posse hîc impleri preceptum caritatis. Cap.VIII.
Qui debeant intelligi sub nomine proximi hoc in precepto. Cap.IX.
Quòd omnis Christianus omni Christiano pluribus rationibus sit proximus, quàm infidelis fideli, aut infideles inter sese esse possunt. Cap.X.
Condemnatos ad poenas infernales non esse annumerandos inter proximos. Cap.XI.
An Angeli in caelis sint computandi inter proximos nostros. Cap.XII.
Quod non precipiatur hîc nisi dilectio amicitiae, & quae sit illa. Cap.XIII.
Quousq; se extendat particula precepti, Sicut teipsum. Cap.XIIII.
Non omnes proximos aequaliter esse diligendos. Cap.XV.
Secundum mandatum caritatis simili forma fuisse in veteri lege datum qua in noua. Cap.XVI.
De eo quod dictum est, Mandatum nouũ do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Cap.XVII.

TRACTATVS VNDECIMVS.

Cur summa diligentia tractandum de preceptis & viribus caritatis. CAP. I.

BEatus Gregorius tractans illud Ioannis: Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem. Cum cuncta sacra, inquit, colloquia dominicis plena sunt preceptis, quid est, q̃ de dilectione quasi de singulari mandato, dominus dicit, Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem: nisi quod omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum praeceptum sunt? Vt autem multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multae virtutes ex vna caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. Praecepta ergo Dominica & multa sunt, & vnum: multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis. Cui consonat illud Augustini, Omnia quae praecipit aut docet Scriptura ad nutriendam & corroborandam caritatem, & ad vincendam & extinguendam cupiditatem valent, totamque magnitudinem & amplitudinem diuinorum eloquiorum possidet caritas, qua Deum proximumque diligimus. Vt autẽ hos missos faciamus, in ipsa Scriptura sacra, quae solui non potest, licet haec sparsim legere. Plenitudo legis dilectio. Finis praecepti caritas. Vinculum perfectionis caritas. Et illud: In his duobus mandatis, scilicet caritatis, vniuersa lex pendet & Prophetae. Neruos itaque nostros, omnemque vigilantiam huc intendere oportet, vt fiat ex verbo Dei dilucida atque succincta demonstratio mandatorum caritatis, & eorum quae circa hanc materiã controuerti solent, ab ijs, qui cupiditatis alumni, quàm caritatis esse malunt. Tu itaque fili, quam hactenus praebuisse videris, nunc praesta maiori studio mentis attentionem: fontem enim ac summã pertractabimus omnium legum, naturalis, diuinae, humanae. Et per Dei gratiam productis ex verbo Dei argumentis, excutiemus de corde tuo, etiamsi multum obduruerit, scintillulas quasdam, quibus inflammabitur totum meditationum tuarum corpus: haud secus atque strues lignorum accenditur, excusso de silice igniculo ferri ictibus. D. Vtinã ignis, quem Christus venit mittere in terram, aliquantulum pectoris mei focum accenderet. M. De illo igne nunc agemus: ille enim est ipsamet caritas, cuius vis quaedam occulta inseritur pectoribus nostris per Spiritum sanctum dum regeneramur: quemadmodum durissimis ac frigidissimis petris indiius est à natura ignis quidam, sed occultus, sed imperceptibilis, donec excutiatur ferro. Si non atteris ictibus, ignem non ostendit petra, nec aliud quàm frigidissimum contactum habet. Si verò concutias, ignem euomit, quo vel siluam, licet incendere & vrbes. Nos ergo dura frigidaque nostra corda atteramus, demonstrationibus ex verbo Dei compositis de materia caritatis, & ignescent haud dubiè, modò purè Deum quaeramus, dabuntque tandem flammulas verae pietatis non modicas. D. Paratum cor meum Domine, paratum cor meum. Verùm si plenitudo legis caritas, si insuper totam amplitudinem diuinorũ

Ioann 15.
Greg lib. 40. Hom. 27.

Aug. libr. de doctr. Chris. capite 10.

Vis caritatis scripturis probatur.

Rom. 13.
1. Tim. 1.
Colos. 3.
Mat. 22.

Adhortatio ad discendum quae caritatis sunt.

eloquiorũ possidet caritas: quid igitur opus erat tot tractatibus demonstrare naturam & vim præceptorum Decalogi? Superflua videntur illa, omniaque alia, quæ extra caritatem præcipiuntur: cuncta enim ad salutem necessaria possidet caritas, implet, perficit. M.

Alia à caritate licet necessaria sunt: non tamẽ sufficiunt sine ea.

Omnia quidem illa obseruatu perquam necessaria esse, ostendit Saluatoris sententia, qua dicit, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Non quidem hoc duntaxat aut illud: sed quæcunque mandata, aut hic enumerata, aut alibi in doctrina nouæ legis promulgata, ne vno quidem excepto: quia qui totam legem obseruat: offendit autem in vno teste D. Iacobo, factus est omnium reus. Insuper & fides, & Sacramenta, & orandi sedulitas, & sacrificium præter caritatem summè necessaria sunt: quemadmodum partim audisti in primo & secundo libris, partim in sequentibus audies. Verùm quantumlibet omnia illa sint necessaria: nõ tamen sufficiunt ad salutẽ, sine caritate, vti certum est ex regula Apostolica Ioannis dicẽtis: Qui nõ diligit manet in morte: non diligit, inquam, vti oportet, Deum super omnia, & proximũ sicut semetipsum, talis manet in morte. Itaque longè est extra viam quæ ducit ad vitam: etiamsi totam aliorum congeriem probissimè obseruarit. Quæ sanè regula Apostolica habet vim propositionis vniuersalis. Nã in traditionibus omnis indefinita valet vniuersalem, teste Aristotele. Quomodo autem plenitudo legis sit caritas diuinorum eloquiorum totam amplitudinem possidẽs, quanquam & reliqua obseruare necesse sit iam nunc explicare incipiemus.

1. Ioan. 3.

Qua ratione vocetur præceptũ caritatis primum, maximumq; mandatum. CAP. II.

M.



Vod sunt præcepta caritatis? D. Vnum, sed bipartitum in duo membra: quorum altero Deus, altero iubetur diligi proximus. M. Rectiùs sane conformiusque dixeris verbo Dei, quod sunt duo mandata caritatis, quorum alterum vocatur primum ac maximum mandatum, nempe quo præcipitur dilectio Dei: alterum vero vocatur simile illi priori, nẽpe quo præcipitur dilectio proximi. Nam Saluator respondens legisperito interroganti de magno mandato legis, inquit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autẽ simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Igitur sunt duo mandata caritatis, vnum primum, alterum secundum: illud maximum, hoc simile illi. D. At qua ratione illud primum ac maximum? Istud quoque in quo dicitur simile illi? M. Non vtique primum, quia priori loco positum, aut quia literis est descriptum in ipso frontispicio legis: sed primũ hac ratione, Quia præcipuum est potissimũque mandatũ totius legis, eò quòd principaliter ac velut primarius scopus erat in intentione dantis legem, quòdque spectari debet ac quæri præ omnibus ab eo qui legem accipit. Immo si penitus rem inspiciamus, nõ opus est hic relatione ad legem, quam Legisperitus allegabat, nihil cogitãs præter suam legem. Sed dicẽdum est, sicut Saluator respõdet, quòd mandatum dilectionis Dei sit maximum ac primum absolutè & citra relationem: quia primum maximumque omnium quæ in lege naturæ, omnium insuper quæ in veteri aut noua lege præscripta sunt, omniũ denique quæ homini ad salutem vlla ratione præscribi possunt. Magnum autem siue maximum dicitur mandatum aliquod: primò à vehementia imperatoriæ volũtatis, qua legislator præcipiendo id vnum præ ceteris, ac maximè obseruari voluit. Secundò, à quantitate rei quæ præcipitur: caritas enim hoc loco præcepta est suprema omnium virtutum, multò inter alias maximi ponderis, summæque dignitatis, & in primis necessaria: tertiò, à fructu quem parit in ijs quibus datur præceptum. Per obseruationem autem istius mandati magis quàm omnium aliorum est inuenire vberrimum fructum salutis æternæ. Quæ duo posteriora quam luculentissimè demonstrantur ab Apostolo per totum decimum tertium caput prioris suæ epistolæ ad Corinthios. Vbi inter cetera sic docet: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: caritatẽ autem nõ habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meũ, ita vt ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, &c. quorum explicationem vsque in finem huius tractatus differemus. D. Malè igitur legunt Græci & multi Latinorum hoc loco magnũ, pro maximum. M. Neutiquam malè legunt illi: quia in vetustissimis quibusdam exemplaribus sic scriptum inuenitur. Et subinde positiuus plus habet emphasis ac energiæ quàm superlatiuus, vt in istis sententijs, Vnus est bonus Deus. Magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Hæc enim & similia significãtiùs dicuntur per positi-

Duo esse præcepta caritatis

Matth. 22. Marc. 12.

Qua ratione præceptum caritatis dicatur primum ac maximũ.

Præceptũ caritatis cur à quibusdã dicatur magnum nõ maximũ.

Matth. 19

Psalm. 85.

Luc. 21.

positiuum de Deo & eius maiestate, quàm per superlatiuum. Indicatur enim per positiuum quòd tanta eminentia conueniant huius modi Deo, vt in eisdem comparari cum alijs non possit. Nam quomodo dicetur Deus aut maior aut maximus, aut melior aut optimus cuiuspiam rei comparatione, cùm omnia alia multipliciter deficiant & à bono, & à vero, & ab ipsa subsistendi virtute: imò omnia Deo cōparata nihil sunt: Quid enim laudabis, aut quid miraberis in alijs, nisi quod Dei est? Dicitur igitur, Hoc est magnum mandatum in lege: vel vt Christus loquitur, Hoc est mandatum magnum, citra additionem. Vt intelligas Scripturam vix ferre vllam aliorum mandatorum comparationem ad istud: eò quòd istud præstet omnia, & reliqua nullius sint pōderis & efficaciæ ad salutem introducendam absque isto. Dum comparamus vnum alteri, duo esse, differetaque indicamus, vnumque altero præstantiùs in eo in quo fit comparatio. At quid, precor, sunt pietas in parentes, amicitia, erga omnes, miserorum subuentio, continentia, iustitia, fides, & cetera huiusmodi separata à caritate? An aliud quàm corpus sine spiritu, aut numisma sine approbatione Principis? sunt quidem bona, nec reprobari debet illorum operatio: attamen forma carent, quæ dat esse veræ virtutis Deo probatæ, nec alas habent, nullo etiā igne cælesti succensa sunt: ideoque ad superoæ felicitatis remunerationē nihil adferunt momenti: quapropter hac in parte caritati comparari non valent. Dicitur itaque præceptum caritatis rectè magnū ratione rei præceptæ: magnum item ratione præceptoriæ voluntatis iubentis: magnum denique à fructu quem parit in nobis: & id sanè absolutè, ac citra omnem comparationem ad alia. Secundum autem simile huic, Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Quæsisti autem in quo simile illi. In eo dico: quia magnum præ omnibus alijs sicut illud. Illud tamen primum, hoc secundum, ex illo ordinem sumens & vigorem: vt qui ipsum seruauerit, omnia impleuerit dicente Apostolo: Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis, est dilectio. Hæc Apostolus ad Romanos 13. Ad Galatas verò sic dicit: Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Si enim sic diligis proximum, omnia aliorum mandatorum decreta ex ipso

Secūdum præceptū in quo sit simile priori.

Roma. 13.

Galat. 5.

qui intus est amore, elegis, exoptas, perficis, sponte propria amantissimè in hoc propensus quasi non esses vlla præscriptione obligatus: non enim facis ob vim vllius præcepti: sed solummodo quòd te moueat amor, & faciendū persuadeat sincera dilectio. Vnde verissimè Augustin. Dilige, inquit, & fac quod vis. Dilectio enim proximi, malum non operatur, nempe aduersus proximū. Et amanti, omnia nihil, supple, sunt. Ergo minimum est amanti, impendere proximo, quod eidem impendere iubetur. Nam plus ei vult, omnia siquidem quæ sibiipsi: quia diligit eum sicut seipsum. D. Quanquam diligens proximū sicut seipsum, impleat omnia, quæ sibi præcepta sunt, respectu proximi: non tamen per hoc implet primum illud maximumque mandatum, & quæ ex ipso immediatè sequuntur, hoc est, quę pręcepta sunt respectu Dei. Quomodo igitur omnis lex impletur in vno illo verbo, Diliges proximum sicut teipsum? M.

Rom. 13.

Diligens proximū quomodo impleat totam legem.

Quæstio magna est, an possit quis diligere proximum suum iuxta exigentiam secundi mandati, non diligendo Deum ex toto corde, iuxta exigentiam primi mandati. Doctus Caietanus multis pregnantibusque argumentis resoluit id posse fieri, nec hoc loco præceptū esse, vt diligatur proximus ex caritate Dei super omnia, magis quàm quòd honorentur parentes ex caritate. Verum quidem est, nos neque proximos diligere, neque parentes honorare fructuosè ac meritoriè sine caritate. Sed durum foret nimium asseuerare, neque huius neque illius transgresionis posse vitari sine caritate. Et hanc sanè sententiam sequendo dicendum est, quòd mandatum de diligendo proximum sit simile primo, secundum quandam proportionem. Nam sicut illud mandatum datum de Deo omnium principio, includit in se vniuersa alia mandata: ita istud datum de proximo complectitur omnia nobis præcepta respectu proximi: vt testari videtur declaratio Pauli ad Roman. 13. enumerandis ibidem ea duntaxat mandata, quę homini sunt prescripta respectu proximi. Beatus verò August. paulo aliter sentit quàm Caietanus, docens neutrum preceptum posse impleri sine altero. Quis enim, inquit, potest diligere proximum, id est, omnem hominem tanquam seipsum nisi Deum diligat, cuius præcepto & dono dilectionem proximi possit implere? Cùm itaque adeo connexa sint, vt diuidi non valeant, etiam vnum horum commemorare plerunque sufficit, cùm agitur de operibus iustitiæ. Hæc in effectu Aug. tractās illa verba Pauli, Omnis lex in vno verbo impletur. Subiungit autem Saluator vtrique man-

Caieta. in comēt. super 22. cap. Mat.

Augu. in præfa. expos. epist. ad Galat.

Aug. lib. 1. Quæst. Euang. quæst. 33.

mandato coniunctim hanc periodũ, In his duobus mandatis vniuersa lex pẽdet & Prophetæ, Pendet, inquit August. hoc est illo refertur, & finem habet. Pendent vtique media ex fine, eaq; de caussa sunt media inter agentem & finem intentum: vt per ipsa tandem ad optatum perueniatur finem. Omnia autem quæ in lege veteri, aut prophetis, aut libris Euangelicis docta, ordinata, ac consulta inueniuntur, omnia, dico, huc spectant, atque eum ob finem tradita sunt, eumque ob finẽ obseruari debent, vt diligantur Deus & proximus secundum formam istorum duorum mandatorum. Quod Apostolus dixit verbo vno, Finis præcepti caritas: finis, inquam, quẽ intendit præcipiens: finis, quem intendere debent ij quibus præcipitur: finis denique ad quem cùm peruenerint, sunt quod esse debent, omnes. Dicitur nihilominus vnumquodque pendere ex eo, vnde habet vim, vigorem siue efficaciam suam; atq; hoc pacto, quemadmodum ex radice arboris pendent viror frondium & vbertas, sic reliqua omnia, quæ legis sunt, pendent ex his duobus mandatis. Inde fluunt, inde vim & efficaciam salutis promouendæ accipiunt, ab illis si diuidantur, nullum deinceps adferunt fructum salutis: sicuti nec ramus, vbi à radice separatus fuerit, dicente B. Gregorio: Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis; si non manet in radice caritatis. Considerasti ne quòd ostia domorum, sunt quidem ostia etiam antequam pendeant in suis cardinibus, in quibus vbi tandem suspensa fuerint, tum demũ & excludendi hostes, & includendi domesticos, & conseruandæ supellectilis officium præstant. Sic quæ in lege vel libris noui Testamenti continentur, decreta quidem aut consulta Dei sunt: verùm vbi cœperint in dictis præceptis caritatis pendere, & in eisdem velut in suis cardinibus volui, tum demum fouendæ augendæque salutis idonea media existunt.

Cur instantiùs accuratiusq; sit hoc præceptum datum in noua quàm veteri lege, & quid differentiæ sit inter diligere & amare. CAP. III.

M. PRæceptum dilectionis Dei datũ est in veteri lege Deuter. 6. his verbis, Audi Israël dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. In noua verò lege Matth. 22. renouatur sub his verbis, Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mẽte tua. Quibus addit Marcus, Et ex tota virtute tua. Lucas verò dicit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. His sanè verbis proponitur præceptum dilectionis Dei primùm in veteri, deinde in noua lege: magis autem accuratiusque in ista quàm illa: quòd magis ad istam veluti veræ libertatis legem, quàm ad illam, quæ erat lex seruitutis, pertineat, sicuti & multo maximè ad statum supernæ beatitudinis pertinebit, eò quòd ibi sit superna, verissima, purissimaque libertas, vbi nullum erit præter vnum caritatis mandatum. Seruorum est minis agi: filiorum verò affectu & dilectione duci. Quo igitur quisque magis à seruili conditione ad consortium transierit filiorum, eò conuenit magis amore contineri ipsum in officio, quàm externis aliarum rerum præceptionibus. Olim quidem tempore legis, promisit Deus dicens: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Nam to autem Euangelio dixit Apostolus ad Corinthios. Epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hæc autem lex tum scribenda, nunc autem scripta spiritu Dei in cordibus credentium, est ipsa caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, agens, te intus tua sponte filiali secundum formã & ordinẽ præcepti dilectionis: quales caritas diffunditur siue describitur in cordibus nostris, per spiritum qui datus est nobis. Meritò igitur debebat præceptum dilectionis sæpius repeti, accuratiusque inculcari in Euangelio, quàm in veteri lege. Quid enim aliud est Euangelium Christi, quàm forma adoptionis in filios Dei, norma veræ dilectionis exercendæ? D. Capio. Verùm quorsum adeò variant Euangelistæ, & inter se, & à verbis Moysi in descriptione huius mandati? Nam Moyses dixit tertio loco, Et ex tota fortitudine tua, cuius non meminit neque Matthæus, neque reliqui? sed pro eo posuit Matthæus tertio loco, Et ex tota mente tua: alij verò Euangelistæ aliud. M. Omnis talis varietas, vt nullam contrarietatis notã habet: ita caussa veritatis explananda facta est. Nam vnũ & idẽ sunt, Ex tota fortitudine tua, Ex omnibus viribus tuis, & ex tota virtute tua. Virtus enim hoc loco fortitudinẽ significat: & id quidẽ propriè. Nam teste Cicerone, in Tuscul. quæst. virtus à viro dicitur, & propriè fortitudinẽ denotat: quòd illa virorum sit. Sed & textus Græcus apud Marcum ac Lu

Marc. 12. Luc. 10. Accuratiùs exprimitur præceptũ caritatis in noua q̃ veteri lege.

Lex caritatis olim promissa in Euangelio est data. Ierem. 31. 2. Cor. 3.

Rom. 5.

Cur variẽt Euangelistæ in explicando præcepta caritatis.

ac Lucam habet vocem ἰσχύϊ quę fortitudo, aut vires, aut virtus pro potentia interpretatur. Quòd autem Matthæus & reliqui Euangelistæ addant hanc particulam, Et ex tota mente tua, quæ nō habetur in veteri lege nemini debet mirum videri. An enim mirum, quę reuelatæ veritatis lex multa prodit in lucem, quæ olim sub vmbris, aut aliàs tecta manebant? hoc quippe illi proprium est, atq; inde veritatis nomen sortitur. Sunt itaq; quatuor modi, quibus iubemur diligere Deum: nempe ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota fortitudine. Quos priusquam enucleemus, primò excutiendum venit, quid discriminis sit inter dilectionem, amorem, & caritatem: & an idem sint amare & diligere.

Quæ sit differétia inter diligere & amare. D. Apparet quòd non. Licet enim vtrumq; significet carum atque dilectū habere: tamen teste Cicerone, minus est diligere quàm amare. Vt scias, inquit, eum non à me solùm diligi: verùm etiam amari: Et alibi, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Cic. ad Sil. lib 13. Cic. ad Dolab. lib 9. M. Certè huiusmodi differentiam videntur obseruasse scriptores Latini, vt diligere sit remissius, amare verò ardentiùs. Fuerunt quoque qui contenderent dilectionem accipiendam tantùm in bono, amorem verò in malo: dilectionem insuper non nisi rationalis esse creaturæ, quòd electionem & iudicium præsupponat: amorem verò esse omnium. Ceterùm id admodū imperitè, dicente Augustino Scripturas religionis nostræ, quarum auctoritatem ceteris quibusque literis anteponimus: non aliud dicere amorem, aliud dilectionem siue caritatem. (August. lib. 14. de ciuit. Dei cap. 7.) Nam ipse Dominus Petrum Apostolum interrogans, cùm dixisset, Diligis me plus his? (Ioan. 21.) Ille respondit, Domine, tu scis: quia amo te. Et iterum Dominus quæsiuit, non vtrum amaret: sed vtrum diligeret eum Petrus. At ille respondet ei iterum, Domine tu scis: quia amo te. Tertia verò interrogatione & ipse Iesus non ait, Diligis me, sed Amas me. Vbi secutus ait Euangelista, Contristatus est Petrus: quia dixit ei tertiò, Amas me: cùm Dominus non tertiò: sed semel dixerit, Amas me: bis autem dixerit, Diligis me. Vnde intelligimus, quòd etiam cùm dicebat Dominus, Diligis me: nihil aliud dicebat quàm amas me. Petrus autem non mutauit huius vnius rei verbum, sed etiam tertiò, Domine, inquit, tu omnia scis, tu scis, quia amo te. Hoc propterea commemorandum putaui: quia nonnulli arbitrantur aliud esse dilectionem siue caritatem, aliud amorem. Dicunt enim dilectionem accipiendam esse in bono, amorem in malo. Nam amorem in bono dici iam ostendimus. Sed ne quis existimet amorem quidem in bono & in malo, dilectionem autem non nisi in bono esse dicendam, illud attendat quod in Psalmo scriptum est, Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Et illud Apostoli Ioannis, Si quis dilexerit mundum, non est dilectio Patris in eo. Ecce vno loco dilectio, & in bono & in malo accipitur. Amorem autem in malo, quia in bono iam ostendimus, ne quisquam flagitet, legat quod scriptum est, Erunt homines seipsos amantes, amatores pecuniæ. Hactenus ex Augustino. Quòd autem dilectio etiam brutis animalibus conueniat, patet ex Ecclesiastico: Omne animal, inquit, diligit simile sibi. (Eccle. 13.) Neq; omnino verum est, caritatem differre à dilectione in eo, quòd solummodo caritas dicatur ardens ille amor vel dilectio, qua cælitus succenduntur corda piorum hominum ad Deum super omnia, & ad proximū propter Deum. (Caritas in quo differat à dilectione.) Quandoquidem Apostolus scribens Timotheo, non audebat dicere, Finis præcepti caritas, nisi cum hac adiuncta restrictione, de corde puro, conscientia bona, fide non ficta: quasi non omnis caritas, sicut nec omnis dilectio statim esset finis præcepti: sed ea duntaxat quæ procedit de corde puro, &c. Passim tamen in scripturis & plerunque accipitur vox Caritas, pro ea dilectione qua purè, sincerè ac fideliter, siue secundum veram formam huius mandati diligimus, qualis & diffunditur in cordibus nostris per Spiritū sanctū qui datus est nobis, vt est videre ad Rom. 5. & 1. ad Corinth. 13. neque vnquam transfertur vox Caritas ad malum, aut ad impuram, vel alioqui ad inhonestam animi affectionē, sicut vox amor ad eadem transfertur: neque item aptatur ad inanimata vel bruta animantia, vt illa caritate se diligere dicatur. (Vox caritas neque ad malū, neque ad inanimata aptatur.) His itaque differentijs saluis, pœne idem sunt amor, dilectio, caritas: nec aliud significant, quàm propensam affectionem animi, qua quis carum sibi habet id, cui afficitur.

Quid vocibus istis, cor, anima, mens, fortitudo in præcepto indicetur. CAP. IIII.



D. Quid autem cor, quid anima, quid mens, quid denique vox, tota, singulis adiuncta, hoc loco significant? M. Cor, carnea pars corporis animati, est secundum Physicos primum sentiendi organum, domicilium vitæ, sedes caloris, fons sanguinis vitalis, homini quidē collocatum intra læuam pupillam: ceteris verò animantibus in medio pectore, primum viuit, vltimumq; moritur. (Cor pro quo accipiatur in præcepto.) Quod quia inter reliquas corporis partes, viuēdi viteq; fouēdę pri-

Ierc.4.31. Ezech 36 Ierem 17. Genes.8. Matth.5. primas obtinet : ideo voce cordis valde metaphoricè vtitur Scriptura sancta, dum dicit, Laua à malitia cor tuum Ierusalem. Item, In corde eorum scribam legem meam. Item, Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Item, Prauum est cor hominis & inscrutabile. Item, Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Item, Beati mundo corde. Et hoc loco, Diliges dominū Deum tuū ex toto corde tuo. Nam in his ac similibus scripturis, etiam secundum literalem sensum, accipitur cor pro eo, quòd in familia eorum quibus viuitur vita rationali, id ipsum est, quòd cor carneum inter ea quibus viuitur vita sensitiua, nempe quærendi audendique principium, fons amoris, functionum auriga, perpetuò calens habendi fruendiq; ardore, haud secus atque semper feruet cor carneum bullientis sanguinis calore, dicente Propheta: Psalm.38. Concaluit cor meum intra me. D. Ceterū, quid istud est in anima, & quæ nomenclatura eius? M. Affectus rationalis, distinguendo rationale contra brutale, hoc est, affectus qui iudicio & ratione aliqua fertur quocunque fertur; qui alio nomine dicitur animus. Nam animus ab anima differt, quòd anima viuimus, animo verò eligimus, sapimus, conamur, audemus. Anima homines, animo verò in officium functionesque proni atque prompti sumus. Pertinent autem ad animum, siue cor hominis desideria, vota, studia, conatus, functiones, ardor, zelus. Hinc dicimus vecordes, socordes, excordes, pusillanimos, aut nihil habere animi, eos qui his affectibus ad vtendum lumine rationis, dum locus est ac tempus, carent: cordatos verò ac magnanimos, animosos, siue bene animatos, qui strenuè prosequũtur dictamen rationis: attamen non nisi loco ac tempore. Nam qui ante tempus vel sine iudicio tentat ardua, temerarios esse constat. D. Cur igitur non dixit Saluator hoc loco, Diliges ex toto animo tuo? M. Vitandæ obscuritatis gratia: quòd animus subinde pro anima, & è diuerso anima nobis nunquam accipiatur pro animo. Quam ob caussam maluit loqui metaphoricè sub voce cordis, quàm propriè, ex toto animo. Igitur diligere corde, est affectuosè diligere, propè, ardenter, zelosè: diligere verò toto corde est idipsum prorsus ac pleno affectu facere, ita vt ad nihil aliud magis aut æquè tendas corde, hoc est, studio, affectu, ardore aut zelo, quàm ad dominū Deum tuum, cuius pleniorem explicationē mox audies. Alia licet tibi arrideant tanquàm bona aut suauia vel vtilia: non tamē illis cor apponas, iuxta illud:

Cor, affect' rationalis, animus ferè idē sunt.

Quid sit diligere corde, & toto corde.

Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Diligere autem aliquid propter me, non vetò, imo præcipio quòd diligas proximū tuū sicut teipsum: sed dilectionē ex corde, potissimū ex toto corde mihi cōseruatā esse volo. Elegāti sanè scemate dicim' id cordi esse, aut ex corde fieri, quod fit præcipuo ardētique studio, quodq; homine intētū atque attentū præ ceteris retinet. Quo etiā modo aut dictū quid, aut factū dicimus ex animi sententia; dū quod factum aut consultum erat, cordi esse, significamus. Ad quam phrasim respexit Scriptura cùm diceret: Præbe fili mi cor tuum mihi, Prou.23. Quod quid aliud est, quàm dilige me ex corde: quia si mihi præbueris cor tuum, primus, præcipuusque & inter omnia tibi carissimus ero. Nec dissimili phrasi dicit Apostolus: Corde creditur ad iustitiam: quia quando sic Rom. 10. creditur vt cor immutetur, afficiaturque, tū demum iustificamur. Addit autem hoc loco Saluator explicationis caussa vocem Toto, dicens ex toto corde, tum quia potest quid diligi ex corde vel animo, sed minus quàm deceat maiestatem & eminentiam eius qui diligitur: tum quia debemus quidem, & nos & proximos nostros ex corde siue ex animo diligere. At illum quē supra omnia est oportet diligere ex toto corde: & quidem solū illum; non autem proximum, quem sufficit ex animo diligere, eo modo quo diligim' nosipsos. Nos autē ipsos si diligamus ex toto corde ordinē innertimus præferētes hominē Deo, rōperitură in ster quilinio suo summæ maiestati, summæq; bonitati. Nunc porrò dicamus de anima, & quid sit diligere ex tota anima. D. Anima inquit Aristoteles, est principiū vitæ. M. Rectè: quid quid enim in nobis est sensuū vitaliumq; operationum, id totum habemus ab anima, qua migrante è corpore, migrat cum ea, tota & omnis viuendi agendique potestas. Ideoque accipitur subinde anima pro ipsa vita qua viuimus; tam apud historiographos, dicente Salustio: Quid enim superest nobis præter miseram animam: id est, vitam: quàm in Scriptura sacra, asserente Saluatore: Qui amat animam Ioan.12. suam, hoc est, vitam suam qua corporaliter viuit, perdit eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Et alibi asserente Euangelista ille, 1.Ioan.3. scilicet Christus, animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Diligere itaque ex tota anima, vel vt quidam textus habent, in tota anima, vel sicut alij legunt, tota anima, est diligere tota vita tua, siue quàm viuis, non tantùm vel alla duntaxat ætate; sed omni momento vitæ tuæ; idque

Anima quid significet in præcepto.

Diligere tota anima quid sit.

idque omnino veraciter. Nam qui dicit ex tota vel omni anima, nullam vult partem vitæ aut vim exclusam. D. Tertiò, quid per mentē debet hoc loco intelligi? M. Primùm, non idem est mens & anima, verbis Victor Lactantij, Aliud enim est quo viuimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientiū mens, non anima sopitur: & in furiosis mens extinguitur, anima manet: & ideo non exanimes, sed dementes vocantur. Hæc ille. Prima vis animæ mens est, cuius actus est perpetua contemplatio veritatis. Secūda ratio, cuius actus veritatis inuestigatio. Tertia phantasia, cuius actus collectio eorum quę sensus porrigunt, per quę illa discursus. Hoc aute loco vno nomine mentis, omnes animæ vires cognitiuæ cōprehenduntur. Nam vox Græca διάνοια hoc loco posita significat mentem, intellectum, sensum, cogitationem, sententiā, ingeniū, intelligentiam Et repetens Scriba Marc. 12. responsionem Domini, dicit, Ex toto intellectu siue intelligentia: cui in Græco textu corespōdet vox σύνεσις significans intellectum siue intelligentiam, prudentiam, conscientiam: vt diligere tota mente sit prorsus, sapienter, ingeniosè, prouidè, prudenter, circūspectè, atque attente siue tota intelligentia, & citra obliuionem diligere. Postremò diligere ex tota fortitudine vel virtute, siue omnibus viribus quæ idē sunt, & cōstantissimè diligere, animo prorsus constanti & infracto, tam in aduersis, q cùm omnia prosperè succedunt, & ediuerso: quia solent incautos faciliùs deijcere ab amore Dei prospera quam aduersa. Sub vtrisque autē oportet citra deiectionē aut formidinē firmissimè feruentissimeque amare Deū, tanquam fontem omnium bonorum, omnia largientem, omnia dispensantem in vtilitatē nostram, omnia inspicientē, vbique præsentē, ab omnibus malis eripientē. Sicuti fecerunt illustres illi patres Iob, Tobias, Daniel, Iudith, Mardochæus, & Apostoli, de quib9 scriptum est, Ibant Apostoli gaudētes à cōspectu cōcilij: quia digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Quantum autem retraxerit ab amore Dei prosper rerum successus magis quàm aduersus Dauidem, Salomonem, Sampsonem ac alios, historiæ Scripturæ sacræ luculenter declarant. Illā nihilominus particulam, Ex omnibus viribus tuis, à Luca ceteris adiectam, putant quidam non ineruditè veluti epitomen esse omnium præcedentium plenioris explicationis gratia. Vt scilicet in te nihil omnino sit viriū quod nōn prorsus impendas dilectioni Dei tui, siue id vocabulis præcedentibus expressum intelligatur, siue non.

Mēs quid significet in præcepto. Lactant. diui. instit. lib 7. cap. 12.

Diligere tota mēte quid sit.

Diligere tota fortitudine quomodo intelligendū.

Act. 5.

An poßibile sit implere præceptum caritatis in hac vita, secundum eam formam qua datum est. CAP. V.



AT nunc quærere debeo, virum præceptum dilectionis, secundum eam formam, & sub illis modis quibus latū est, impleri valeat in hac vita? M. Inquit Saluator, Sine me nihil potestis facere. Et Apostolus eius: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Itaq; si eò tendit tua quæstio, An homo valeat sine gratia Dei adiuuante implere hoc mandatū, respondendum est, omnino non posse. Si verò interrogas, An Christianus fide illuminatus & Spiritus sancti gratia adiutus, possit in hoc mundo sic diligere Deum, sicut obligatio mandati requirit. D. Eò, & nō aliò tendit interrogatio mea. M. Principio itaque quasdam sanctorum Patrum vniuersales sententias præmittā, & exinde paulatim ad propriam huius quæstionis tuæ explicationem descendam. B. Hieronymus docet in hunc modum: Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse: & mandata Dei, non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari. Deinde Chrysostomus: Nequaquam, inquit, Dominum incuses, haud mandat impossibilia. Tertiò August. locis pluribus testatur Deum non præcepisse quidquam impossibile, vt in sermonibus de tempore, Deus, inquit, nec impossibile aliquid potuit imperare: quia iustus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod nō potuit: quia pius est. Sed credo te malle audire demonstrationem ex Scripturis. D. Profectò verbum Dei, quia omnibus maius est, meritò omnibus præferri debet. M. Moyses vt excludat socordium hominum cauillationes, Mandatū hoc, inquit, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causseris & dicas, Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est, sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Ecce quàm eleganti Procatalepsi præoccupat ne quis diceret, Impossibile est obseruatu, quod præcepisti nobis. D. Ceterùm, An Moyses ibi locutus sit de præcepto caritatis? M. Proximè ante illa verba, sermonem fecerat de præcepto dile-

D.

Ioan. 15. 2 Cor. 3. Præceptū caritatis nō potest impleri sine fide & gratia Spiritus sancti.

Nullū impossibile cadit sub præcepto. Hieronymus ad Damasum in Symb. expl. Chrysost. Homil. 8. August. serm. 61. de temp.

Deut. 30.

dilectionis Dei ex toto corde, & pergendo rursum idem commemorat mandatum. Adhæc Saluator noster cum tractat de iugo suo & onere Euangelico: Nonne tibi videtur loqui de ordinationibus, quas præscribebat, quarum prima maximaque portio est diligere Deum ex toto corde? D. Omnino.

M. At ipse constanter asserit iugum suum suaue esse, & onus suum leue. Si autem leue, si suaue: ergo valde possibile. Quis enim dixerit impossibile, quod ipse Christus asserit leue & suaue, quodque Apostolus eius Ioannes graue esse negat, dicens: Mandata eius grauia non sunt. D. Fortassis intelligit id Ioannes cum exclusione mandati caritatis.

1.Ioan.5.

M. Oratio Ioannis sic procedit, In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligimus, & mandata eius faciamus. Hæc est enim caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia nō sunt. Quæ hic exclusio mandati caritatis? Immo quæ non inclusio omnium mandatorum? Ceterùm quid te impulit in hanc dubitationem? D. In malum procliues sumus omnes, & pondere concupiscentiarum adeò impellimur, vt nequeat non affici subinde cor nostrum ad alia à Deo, ad quæ si vel prorsus, vel partim afficiatur, iam nō diligitur ex toto corde Deus. M. Hoc sanè admodum bene animaduertisti. Nam corpus aggrauans animam, & caro concupiscēs aduersus spiritum, siue lex membrorum repugnans legi mentis, & peccatum habitans in carne (his enim schematibus vtitur Apostolus ad Romanos & ad Galatas) reuera non sinunt, in hac lubricitate mundi, inter tot tantaque auocamenta omnes vires animæ niti amore erga Deum, vt omnino non afficiantur ad aliud à Deo. D. Igitur aliqua ex parte vacua manent amore Dei: quare nec toto corde diligitur Deus: sed partim ipse, partim aliud in quod fertur affectio. M. Huius difficultatis gratia, tria nobis discutienda erunt. Primùm quid vox totum significet ex impositione: quid secundum phrasim tam scripturarum quàm eruditorum & communem. Deinde omnibus ne datum sit hoc præceptum, an tantùm his qui peregrinantur in carne à Domino. Tertiò, An'ne præceptum hoc aliud & aliud exigat ad sui impletionem in alio ac alio statu hominis. Quibus discussis, constabit luce pomeridiana clariùs, fieri posse, vt hic diligatur Deus ex toto corde, iuxta exigentiam præcepti. Vt autem exordiamur: Vox Totum, ex impositione quidem refertur ad quantitatem, accipiturque pro integro, siue eo cui prorsus nihil deest. Qua

Obiectio.

Solutio. Tres difficultates ordine diluendæ.

Quid significet vox totū secūdum impositionē, & quid secundū phrasim.

sane significatione dicimus, tota hereditas paterna mea vnius est: quando quispiam nostrum ex asse heres efficitur. Qua dicitur & illud Euangelij: Donec fermentetur totum, hoc est, per omnem sui partem, nulla prorsus excepta. Veruntamen secundum phrasim tam illustrium in lingua Latina, quàm Scripturæ sacræ, intelligitur significatione totius quòd præcipuum est, aut cui ferè nihil deest. Quo pacto dicit Apostolus Ioannes, Mundus totus in maligno positus est: quia omnium ferè hominum, & longè maioris partis mundi præcipuum studium erat malignum. Quemadmodum dictum est & illud Acto. 21. Quia tota confunditur Ierusalem. Atque illud: Mundus totus post eum abijt, hoc est, valde multi, plurimi, ac sine numero. Qua eadem phrasi dicimur ex toto corde facere, quod ex animo, & sincerè, præcipuoque studio facimus. Nam Cicero cùm diceret, Plancius totus noster est: neutiquam significabat Plancium præter vnum Ciceronem nullos omnino habere amicos, aut iam omnium officiorum beneficiorumque erga alios oblitum, vt soli Ciceroni deditus esset: sed id voluit significare, se suamque domum præ omnibus alijs amari ac coli a Plancio, idque sincerè & ex animo. Quomodo & Terentius dixit, Ego nunc totus mihi displicio: significās prorsus & ex animo se displicere sibi magis, quàm quoduis aliud eius negotij quod tractabatur. Nec sanè desunt eiusmodi phrases per omnem Scripturam sacram. Cùm enim dicit Dauid ad Deum, In toto corde meo scrutabor mandata tua. Et alio loco, Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine, an tum precor, nulla affectio erat in tanto rege, ad officia vel amicorum, vel reipublicæ, vel naturæ propriæ? Si erat, vt erat, nihil enim humani ab eo alienum: qua ratione audet dicere, In toto corde exquisiui te, nisi quia admodum, quia potissimum, tamque sincero ardentique animo quærebat Deum vt nihil æquè, nihil adeò atque Deum. Testatur autem & ipse Dominus quod Dauid ambulauerit post Deū in toto corde suo, dicens ad Ieroboam: Non fuisti, inquit, sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mādata mea, & secutus est me in toto corde suo. An Deus sic testando perhibuerit testimonium falsitati? Rursus quero, An Dauid penitus exors fuerit fomitis, quo nemo caret mortalium, aut actionum, quibus distrahitur omnis homo: potissimùm rex, præsidens cùm priuatis tum publicis rebus? Nequaquam: vti dicta factaque Dauidis quàm optimè declarant. Obseruauit itaque Dauid etiā Dei testimonio mandatū diligendi Deum ex toto

Luc.13. Toto animo dicitur fieri quod præcipuo fit studio. 1.Ioan.5.

Ioan.12.

Cic. ad Qu.frat. lib.2.

Terentius Heaut.

Psal.118.

3.Reg.14.

toto

toto corde, cùm viueret in terris vt homo, cùm regem ageret, atque publicis simul & priuatis intenderet negotijs. Nam quid est aliud ambulare post Deū in toto corde, quam amare Deum ex toto corde? Habes præterea apud Ieremiam, Cùm quæsieritis, inquit, me in toto corde vestro, inueniar à vobis. Et in Deutero. Cùm quæsieris dominum Deum tuum, inuenies eū, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Quo loco tibi obseruanda est illatio quam facit coniunctio, Si, qualis est necessaria. Atque exinde quærendum ex ijs qui mira fingunt. An nulli vnquam reuersi sint toto corde ad dominum à via sua mala? Si dixeris nō. Quorsum igitur dicitur de Iosia rege, Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi. Cuius prima & maxima portio erat, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Hoccine verbum Dei est? Nōnne & illud vaticinium Ieremiæ veritati diuinæ innititur, Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum: quia reuertentur ad me in toto corde suo? Rursum quærendum ex illis, An nulli sanctorum inuenerint Deum in hoc mundo? Quorsum igitur & illud Ieremiæ: Quæretis me, & inuenietis? Ergo verum est, quòd sancti Patres hic reuersi sunt, hic insuper quæsierunt Deum in toto corde suo, & inuenerunt. Itaque & amarunt illi, atque amare possumus nos omnes ex toto corde Deum, dum adhuc degimus in hoc mundo. Intellexisti quæ dico? D. Optimè.

Iere. 29.

Deut. 4.

4. Re. 33.

Ierem. 24.

Iere. 29.

Eodē præcepto caritatis ob ligantur homines vbicunq; fuerint.

M. Pergamus ergo ad secundam difficultatem, pro qua elucidanda certissimum habe, eodem præcepto caritatis, sub vna eademque forma obligari omnes homines, omni tempore, & pro omni statu naturæ integræ, naturæ corruptæ, redemptæ, iustificatæ, glorificatæ in regno cælesti, ante peccatum, post peccatum, ante legem, sub lege, post legem, ante mortem, post mortem, ante resurrectionem, post resurrectionem, in via peregrinationis huius, in regno cælestis beatitudinis, in locis purgatorijs, in puteo infernalis damnationis. Nam creatura rationalis dum est, vbicunque est aut quomodocunque disposita existit, semper debet Deo suo amorē ex toto corde, tota anima, &c. Ad qualē non tam obligat nos præceptio positiua in lege aut Euangelio facta, quàm ipsa natura, ipseq; ordo & dependentia rerum: eò quod toti subsistimus ex Deo, per Deum, & in Deo, in quocunque sumus statu rerum, nihil habentes, nihil valentes, nihil expectantes, nisi ab ipso, & per ipsum. Quod animaduertens Saluator respondit Legisperito absq; restrictione, hoc esse primum & maximum mandatum. Quo insinuaret simpliciter primum & maximum esse etiam ante legem, etiam post legem & Euangelium, in paradiso, in hac peregrinatione, in cęlo, in infernalibus locis. Quoniam autem peccatum lumen rationis obtenebrauerat, affectum insuper incentiuo malarum cōcupiscentiarum infecerat, voluit Deus expresso sermone positum ob oculos singulorum primum illud maximumque naturę pręceptum, ne præceps rueret homo in indignationem Dei, suique ipsius damnationem. Tertium verò membrum difficultatis propositę, nempe quòd præceptum dilectionis aliud, & aliud exigat pro alio ac alio statu hominis, ita demonstramus. Verba quibus exprimuntur præcepta iuris naturæ, neque diutius, neque ad maiora obligant, quàm exigentia seu vinculum naturæ requirit. Præceptum est non furari: at cessant verba hæc præcepti obligare, vbi natura vult alterius bona huic esse cōmunia, propter ipsius necessitatem. Præceptū est, non occidere: at cedunt verba præcepti, vbi bonum publicum, cui magis intendit natura quàm particulari, suadet morte vindicāda esse scelera inquietorum hominum, aut vbi defensio sui ipsius fieri non potest sine enormi læsione alterius. Nec præceptum dandi eleemosynam datum omnibus, aliter obligat quempiam quàm iuxta rerum suarum facultatem. Nam docuit filium suum Tobias dicens: Fili quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. Ex quo vlterius consequitur, si nihil tibi fuerit, etiā nihil tribuas, præter bonam animi affectionem, quę, modo velis, nunquam tibi deest. Quorsum oro, sic docuit vir sanctus: nisi quia sciuit præceptū eleemosynæ non ad æquale obligare virum opulentum, cui milia sunt auri & argenti in arca, & mediocrem, cui vix pauculi supersunt quadrantes? Certè hanc pręceptionem Saluatoris: Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, tam implerunt Petrus & Ioannes, nō relinquētes nisi vilia piscandi retia, quàm Matthæus relinquendo telonium & pecuniarum aceruos. Postquam princeps ordinauit, non debere dimitti captiuos, nisi pendāt singuli pro redemptione vitæ totum quod habent, An non ex illa ordinatione obligatur is, qui potens est rebus, ad multò plura, quàm cuius paruę fortunæ? Et ille, nōnne ad plura quàm inops rerum, habendi qualitate interpretāte præce-

Præceptū caritatis aliud exigit pro alio statu hominis.

Habendi qualitas interpretatur pręceptū dandi eleemosynam. Tob. 4.

Luc. 14.

præcepti obligationem? Viden' quàm diuersimodè & ad actus inæquales obligat diuersos vnum atque idem præceptú ob inæqualem vel naturæ, vel status, aut rerum conditionem eorum quibus datú est? D. Video.

M. Vidésne prætereà, quòd verba quibus exprimuntur præcepta iuris naturę, non diutiùs, neque ad maiora obligant, quam dictamen expostulat naturæ? D. Et hoc clarè video. M. Idem ergo tibi cogitandum est de præcepto dilectionis Dei ex toto corde, quod est primum & vltimum, potissimúmque præceptum iuris naturæ. Nam ad aliud obligat paruulum, ad aliud virum, ad aliud corruptum, ad aliud natura integrum, ad aliud vulneribus saucium, ad aliud virtute & gloria circundatum: ad multò enim plura obligatur is, cui viuax, integra, incorruptaque est natura, vt erat tempore innocentiæ, quàm is, qui post peccatum viribus fractis ac vitiatis in omnem cæspitat partem. Ad multò autem maxima obligatur is, qui habet naturam non solum plenè restitutam: sed & lumine gloriæ, & habitu immortalitatis ad omnia potentem citra retardatione, ipsa naturæ conditione interpretante obligationem verborum mandati. Nam & infans vt nihil intelligit de Deo: ita nihil offendit, etiamsi nó amet, nec cogitet Deum: Noluit enim Deus suis præceptis expressiùs iuris naturæ, obligare ad aliud, quàm ad quod ipsa natura obligat. Sed nec verba istius præcepti probè intellecta vnquam plus exigunt, quam conditio naturæ potest: rectè enim dicimur facere toti, quod pro naturę facimus possibilitate.

Naturæ conditio interpretatur interobligatione verborũ pręcepti.

Quòd significatio totius non consistit in indiuisibili: sed magnam habeat latitudinem, quodq; ea ratione caritas incrementa sua habeat. CAP. VI.

M. Totum, perfectum, omne, infallibiliter sese comitantur, vt vbi vnũ sit, reliqua esse oporteat. Siue igitur dixeris, Diliges Deum ex toto corde, siue ex omni corde, siue perfecto corde, idé significas. Verum perfectio significata per hanc vocem perfectus, habet suam latitudinem, vti demonstratu facillimum est ex vno illo Apostoli, Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si quomodo apprehendam, &c. Subdit, Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Ecce Apostolus, quia nondum assecutus erat brauium supernæ vocationis: ideo se nondum perfectum asserit. Quia autem pleno amore totum se extendebat, vt aliquando apprehenderet, omnibus alijs posthabitis: ideo connumerat se inter perfectos. Propter iustitiam, quæ inerat pro capacitate huius vitæ, se perfectum: propter eam verò quæ adhuc expectanda erat in futura vita, se imperfectum asserens. Lege August. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorũ, cap. 7. & inuenies eum idem ex eodem loco Pauli demonstrare quod ego. Obsecro Domine, inquit Ezechias, memento quęso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est corá te fecerim. An sanctus rex dicere voluerit: quòd egerat hic tã perfectè coram Domino, quàm sancti in cælis? Absit. Attamen, inquit, quòd perfecto corde ambulauerim coram te, Domino dictum eius miraculo approbante: vt sit verum aliam esse perfectionem viæ, aliam patriæ. Quapropter & plenitudo significata per vocem Totius non in indiuisibili cõsistit: sed suam latitudinem habet. Certum enim est in nullo statu, ne innocentiæ quidem, aut felicitatis æternæ sic vnicè aut sic toto corde diligi Deum, vt nihil simul diligatur eũ Deo. Nam mox post primum præceptum subijcitur secundum, quo iubemur diligere proximum, sicut nosmetipsos. idque simul quando diligimus Deum ex toto corde. Erit autem proximus meus multò mihi proximior in æterno quàm modò: quia tunc totus mecum & in Deo, & in eadem gloria, & in eadem immortalitatis vita: magis ergo tunc diligendus à me quàm modò, cùm nihilominus quàm maximè diligẽdus erit Deus ex toto corde. Hoc tamen differentiæ est, quòd in cælis vbi clarè intuebimur quàm sit Deus omnia in omnibus, nihil in nobismetipsis, nihil in proximis, nihil in alijs amabimus, nisi quod Dei est: ita quòd amor erga nos vel proximos minimè impediet totius cordis, animæ & mentis lationem in Deum, eritque ibi inuenire illud Euangelicum vnum, quod elegerat Magdalena. Hic verò diligimus & in proximo, & in nobismetipsis etiam quod humanum est ac caducum, & nonnunquam parum gratum Deo, varieque distrahimur per officia naturæ, officia pietatis, officia domestica, officia denique publica & priuata. Quę tametsi non prorsus impediant, quin possit homo toto corde diligere Deum, & quantum ius naturæ requirit & quantum verborum præcepti significatio exigit, iuxta consuetum modum scripturarum: ac habeant crebrò non modicum laudis ac meriti: dicit tamen Saluator ad pientissimam Martham his interim, Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, nempe sepositis omnibus

4. Re. 20.

Plenitudo significata in voce totius habet magnam latitudiné.

Luc. 10.

Perfectũ, totum, & omne sese comitantur. Significatio perfecti habet suam latitudinem. Philip. 3.

Minus to corde diligitur Deus hic q̃ in cęlis. Minus ex toto corde diligebatur Deus tẽpore legis q̃ tẽpore Euã gelij.

bus vnicè inhærere Deo, quæ pars non auferetur ab ea. Quam ob caussam verissimum est, quòd minus vnicè ac purè diligitur Deus hic quàm in cælo, atq; ideo minus toto corde hic quam ibi. Sicuti minus clarè, minùs vnicè, minusque purè diligebatur Deus in veteri Testamento quàm nunc in nouo, quòd vmbræ legis haberent non parum tenebrarum, licebatque tunc magis affectu inhærere temporalibus quàm modo, quòd illa tunc promissa essent à Deo in præmiũ virtutis & obedientiæ, quæ eadẽ nunc per Euangelium docentur posthabenda, proijciendaque, plus dico, æstimanda vt stercora, quemadmodum Paulus loquitur, solique Deo ac cælestibus intendendum tanquam veris verè Euangelicæ virtutis præmijs, itaque tunc minus toto corde quàm modo: attamen etiam tunc reuera toto perfectoque corde diligebatur Deus à Dauide, ab Ezechia, alijsque Sanctis, iuxta attestationem scripturæ. Dico tertiò minus vnicè, minusque purè diligitur nunc Deus ab animabus Sanctorum, quàm diligetur ab eisdem post resurrectionem corporum: quia nunc earum amor per naturalem affectionẽ ad sua corpora, aliquantulum retardetur ab omnimoda plenitudine caritatis. Prout oculatissimè perspexit D. Bernardus in tractatu suo de diligendo deum. Quibus corporibus reassumptis, & per beatitudinem immunitatis ab infirmitate in virtutem, ab ignobilitate in gloriam, à corruptibilitate in incorruptibilitatem, ab animalitate in spiritualitatẽ, penitus expurgatis concupiscentia, lege membrorum, peccato habitante in carne, ac ceteris huiusmodi: tum demum diligent Deum omni totalitate cordis, animæ, mentis, omniũmque virium, implendo quidquid aliqua ratione, in significatione verborum præcepti comparatione sui cõtentum intelligi potest. Quanquam autem non sit in omnibus pro omni statu par facultas præstandi æqualem gradum dilectionis: omniũ tamẽ est habere voluntatem seu affectionem præstandi tantum, quantum diuini numinis maiestas, rerũque ab ea dependentium ordo requirit, prę stando interim quantum pro naturæ suæ infirmitate rerumque indigentia valent, haud secus atque illi, qui ex animo affecti pauperibus, cupiunt reuera ac optant se posse tantum præstare, quantum illorum inopia requirit, tantùmque simul præstant, quantum pro suis facultatibus possunt. Vt & illud Apostoli: Velle quidem adiacet mihi, perficere autẽ bonum non inuenio: etiam suum locum habeat in præcepto caritatis. Ex quibus manifeste consequitur, etiam ipsam caritatem habere suos gradus, suaque incrementa, vt maior pleniorque sit in vno quàm alio: imò nũc minor, nunc maior in vno eodemque homine, dicente Domino: Simõ Ioannis diligis me plus his? Et illud, Cui autẽ minus dimittitur minùs diligit. Vnde B. August. Virtus, inquit, est caritas, qua id quod diligendũ est, diligitur: Hæc in alijs est maior, in alijs minor, in alijs nulla. Plenissima verò quæ iam non possit augeri q̃diu homo viuit est in nemine. Quod autem contingat habere hic caritatem, reuera in suo genere perfectam, demonstrat illud Ioannis, vt cetera taceam, dicentis: Qui autẽ seruat verbum eius, verè (nota verè) in hoc caritas Dei (haud dubie illa qua hic diligitur Deus) perfecta est: nequaquã tamen consummata, aut ea perfectione plena, quam habitura est in cælis. Cor enim hominis ex amore obseruantis mandatum Dei, perfectum est cũ Domino sicut scriptum est. Erat cor Asa perfectum cum domino Deo suo cunctis diebus suis. Et illud: Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo, sicut cor Dauid patris eius. Est autem inter perfecta inuenire perfectius & perfectissimum. Vt igitur respondeam quæstioni tuæ: vtique potest & obseruari & impleri præceptum caritatis in hac vita, & quidem eo modo, vt gratiam, vt laudem vt bonum meritum inuenias apud Dominum Deum pro tua præcepti sui impletione: nedum eo modo, vt culpam transgressionis euadas. Ratio est: quia potest homo hic diligere Deũ toto corde, tota anima & mente tantùm, quantum ius naturæ requirit pro peregrinationis statu, tantum etiã quantum significatio verborum præcepti postulat, modò intelligantur secundum eam phrasim, quę passim in vsu est, per omnem Scripturam sacrã, quoties sermo occurrit, vel de reuertendo ad Deum, vel de inquirendo Deum ex toto corde, vel de ambulando post Deũ siue coram Deo, aut de seruandis mandatis eius ex toto corde, aut ex corde perfecto: quanquam interim cor simul alijs aliquo vsq; afficiatur, etiam ijs nonnunquam, quæ in Deum referri neque ant: vt sunt vana, ociosa, repentina, lubrica, motus petulantes, concupiscentiæ leuiores: dummodo fundamentum cordis, finisque amoris tui, maneat Deus. Cur enim verba data ad exprimendã obligationem iuris naturæ, vltra naturæ exigẽtiã aut vires obligabunt? Cur quod humano idiomate expressum est, secus intelligetur quàm iuxta proprietatem eiusdẽ idiomatis? Aut aliter q̃ intelligantur similia verba dum sermo est inter ipsum Deum & hominem, de faciendo aliquid ex toto corde? An in alijs iudicat Deus factura

Philip. 3

Minus diligitur toto corde à Sanctis antè, q̃ post resurrectionẽ corporũ.

1. Cor. 15.

Rom. 7.

Caritas habet suos grad.

Ioan. 21. Luc. 7.

August. Epist. 29.

Caritas aliquomodo perfecta etiam hic potest haberi

1. Ioan. 2.

3. Reg. 15.

Responsio ad quęstionem, an hoc possit impleri præceptum caritatis.

Notatu digna.

factum ex toto corde, quod ex animo pro naturæ possibilitate factum est: in solo autem præcepto caritatis, non censet dilexisse quempiam ex toto corde, anima, mente, nisi omnes affectiones cordis, omnes facultates animæ, omnesque considerationes mentis actu conuertat in Deum, ac velut sui suorumque & omnium tandem functionum oblitus, nihil quærat, nihil appetat, nihil consideret, nisi vnum Deum? Alienum est, somnio dormitantium continuus, quàm rectæ rationi probè iudicantium.

Quomodo diluendæ sint quorūdam obiectiones quæ hîc fieri solent. CAP. VII.

D. Obiectio ex D. August. Vdiui tamen, & quidem sæpiusculè B. August. eius esse sententiæ, quòd præceptum diligendi Deum ex toto corde impleri non potest in hac vita. M. Aut certè tu audisti malè, aut dixerunt illi non bene: talis enim assertio nusquam inuenitur in libris B. Augustini. Nam quomodo sic doceret, qui expressè dicit cap. 69. de natura & gratia. Eo quippe ipso quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, &c. Omnia quippe facilia sunt caritati. Et paulò inferius: Conuersus ergo quisque sicut ibi (scilicet in Deuteron. 30. cap.) ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit graue, multò ergo minus impossibile. Quomodo est enim graue cùm sit dilectionis mandatum? Ecce quàm expressè de ipso præcepto dilectionis loquitur. Aut enim quisque non diligit, & ideo graue: aut diligit, & graue esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israël, côuersus fuerit ad dominū Deum suum, ex toto corde, & ex tota anima sua. At deindè edisserens possibilitatē implendi præceptū dilectionis proximi subiungit illud Apostoli: Plenitudo ergo legis caritas. Hucusque August. Cur autem plenitudo legis dilectio: nisi quia plenè implet præcepta legis caritas? Non vtique illa plenitudine quæ in cælis erit: sed ea quę hîc habetur in terris. Præcepta autem prima præcipuaque legis, sunt duo mandata caritatis. Profectò aliud est quærere, An præceptum caritatis impleri valeat in hac vita: aliud, An possit impleri ipsamet caritas, aut ipsamet iustitia, dū sumus in hac vita. Nam ibi quæritur, An valeat in isto mundo verè, & cum laude fieri id, ad quod vrget obligatio præcepti: hîc verò, An sit possibile dum peregrinamur à Domino, habere caritatem, & in ea plenitudine, vt maior fieri nequeat. Docet vtique de posteriore quæstione D. August. varijs in locis aduersus hæreticos, neque iustitiam posse, neque caritatem hîc haberi plenam ac consummatam. Quia vtriusque plenitudo spectat ad præmium cælestis beatitudinis: qua nostra hîc militantium dilectio iustitiaque tandem coronantur, valdè seriò passim inculcans, in hoc mortali corpore neminem mortalium posse Deum diligere toto corde secundum omnem rationem totalitatis, vt ita dicam, eaque plenitudine, qua diligunt eum Sancti in cælis. Potissimùm autem libr. de perfect. iust. contra Celest. vbi expressè tradit, Quòd iustitia ac caritas tunc augebuntur & implebuntur, quando côtemplabitur homo, quod anteà credebat, &, quod sperabat, adeptus erit, in qua, inquit, plenitudine caritatis præceptum illud implebitur, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus. Subdit, Tunc erit iustus sine vllo omnino peccato: quia nulla lex erit in membris eius repugnās legi mentis eius: sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. In quibus verbis, si bene obserues has voces, In qua plenitudine, Non omnino, Prorsus, quas sollicitè adiecit August. clarè videbis eum non significare, quòd hîc non impleatur præceptum caritatis: sed quòd hîc non impleatur ea plenitudine, qua implebitur in cælis, quòdque non omnino ac prorsus toto corde hîc diligatur Deus, quomodo diligetur quando & nihil erit carnalis concupiscentiæ, & aderit perfectio felicitatis æternæ. Aliud enim est diligere toto corde, aliud diligere prorsus sicue omnino toto corde, hoc est perfectissimè, toto corde, absque omni penitus remora aut distractione. Nam posterior hic mod' requirit omnem plenitudinē, quæ in verbo totius intelligi potest, ad priorem verò modum sufficit verè attigisse eam plenitudinem quæ secundum tropum sermonis cômuniter in voce Totius intelligitur, & secundū naturę possibilitatem adesse valet, adiuuante gratia Dei, quod semper in hac materia pro expresso haberi volumus. Adhæc, aliud est implere hoc præceptum perfectè perfectione viæ, aliud perfectè perfectione patriæ. Quemadmodū alia est perfectio currentis, alia apprehendentis: quas duas perfectiones exprimit simul Apostolus vno & eodē loco, vti diximus suprà, & easdē August. fusissimè ex Paulo declarat lib.

Solutio ex eodē.

Ioan. 13.

Aliud quę situ qui interrogat de præcepto caritatis: aliud qui interrogat de ipsa caritate.

Aliud est diligere toto corde, aliud prorsus ac omnino toto corde diligere.

Alia est perfectio viæ alia patriæ.

lib.3.contra duas epistolas Pelagianorū cap. 7.& de peccatorum meritis cap.13. & 15.ac alijs. Sunt autem prædictæ distinctiones adeò pertinentes ad hanc materiam, vt qui eas nō aduertunt,& perperam intelligant August.& concedendo præceptum dilectionis nō posse in hoc mortali corpore impleri, sine caussa arma offerant aduersarijs quibus iugulemur. Quando autem eodem libro de perfect.iust. sic interrogat August.Cur ergo non præcipe-retur homini ista perfectio,quamuis eam nemo in hac vita habeat? Hoc duntaxat voluit interrogare,Cur non præscriberetur dilectio ea forma sermonis,in qua posset simul intelligi expressa etiam illa perfectio, quæ nō hic, sed tantummodo habetur in cælis. Et respondens sibi August.dicit,Quia non rectè curritur,si quò currendum est,nesciatur.Quo autem modo sciretur,si nullis præceptis ostenderetur.Hęc August.Expediebat itaque præceptum sic poni, vt non solùm constaret ex verbis eius quid agendum: sed & quò currendum, vtque hic diligeres toto corde, quantū pro statu vitæ tibi possibile est, & eò anhelus festinares, vbi prorsus ac plenissimè fertur amore in Deū tota anima, totū cor, omnesq; vires, & quātū cōuenit pro dignitate rei quę diligitur, & quantū fieri potest pro possibilitate eius naturæ,quæ iam deificata est,nedū quàm optimè disposita.Non autem sic intellexit August.illa sua verba,Cur non præcipe-retur homini,hoc est, cur nō poneretur homini mortali, pro statu huius vitæ, in obligationem ea perfectio, quæ nunquam hic: sed tantummodo in cælis habetur? Quia longè aliud testatur tota deductio eius loci, longeque aliud luce clarius exprimunt alia eiusdē auctoris loca.Nam super Psal.56. loquens de implendo mandato caritatis sic inquit, Neq; enim imperaret hoc Deus vt faceremus, si impossibile esse iudicaret,vt hoc ab homine fieret.Et rursum lib. de Spiritu & litera cap.36. Neq; enim si nondum esse potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæq; debetur,iā culpæ deputandū est. Aliud est enim totam nondum assequi caritatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrē debet homo,quamuis lōgè minùs amet Deū, quàm eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum. Sicut etiam in his, quæ adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari,quāuis non possit in fulgentissima luce defigi. Hæc August. Quis autem audebit dicere, stricto iudicio Dei requiri ab infirmo fortia,ab infantilibus membris virilia facta, aut à sedentibus in regione vmbræ mortis exactam omniū perspe-ctionem? An iniquitas apud Deum? Absit.

D. At nostro malo, nostrorumque parentum demerito, incidimus in hanc impotentiam præstandi quod Deus iubet: meritò igitur imputat Deus,si non præstamus. M. Quàm diu sumus in Adam, nōdum expoliari vererem hominem, quia nondum renati in Christum: tam diu contracta mala ex Adam imputari nobis possunt.Verùm facta regeneratione & renouatione per Baptismū, in quo & veterem hominem expoliamur, & nouum induimur, qui est secundum Deum in Christo,nihil iam nobis eorū quæ contracta sunt ex Adam imputari porest in peccārū,aut culpam,aut damnationis caussam,dicente Apostolo:Nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu,qui non secundum carnēambulant,hoc est,qui non sua voluntate gradiuntur eò,quò malè inclinat caro. Quàm diu enim sumus in Adam,demeritum, corruptela,impotentia,rebellio, quæ per Adam inuecta sunt,nobis nocent, nosq; peccati reos tenēt:quia aliquo modo nostra sunt, si nō propria,saltem primi parentis, in quo adhuc sumus,volūtate.Quàm diu verò sumus in Christo, Christi meritum, Christi gratia, Christi satisfactio,nobis proficiunt ad laudem,ad iustitiam,ad profectum virtutum, ad gloriam: adeò quòd illa quę est relicta in renatis impotentia,ignoratio,fomes,aut alia quęuis habitualis virium rebellio post sacrum fontē Baptismi, nequaquam peccatum est, quo Deus offenditur:sed miseria,sed vitium naturæ,sed bene agēdi,bene viuendi, exercendæque virtutis materia: vt qui legitimè certauerit, coronetur: reddatque Deus vnicuique secundū opera sua. D. At interim vitium illud exundat subinde in actuales concupiscentias, quibus distrahitur cor, auerti turque non rarò à Deo etiam in sanctis Dei hominibus.

M. Nimium subinde, prô dolor, nimiumque multifariàm,adeò vt propter hoc vitium verissimæ sint hæ scripturarū sententiæ, Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quas sententias voluit Deus in voluminibus sacris seminatas esse, vt humiliemur, & continuo precemur, Dimitte nobis debita nostra: qualiter orandum est omnibus in hoc mundo ex præscripto Saluatoris Matthæi 6. Lucæ 11. Nequaquam tamen ex hoc cōsequitur, Ideo nemo mortalium diligit hic Deum toto corde, anima, & mente: sed hoc tantummodo cōsequitur,Ideo nemo diligit toto corde secundum

[Right margin notes:]
Obiectio [illegible]
Concupiscentię vitiū nō imputatur Christianis in peccatum.
Rom. 8.
Obiectio tertia.
Solutio.
Eccles.7.
Psal 142.
1.Ioan.1.
Matth. 6.

cundum eam plenitudinem, quæ erit in cęlis, cui nihil deeſt nihil poteſt perfectionis accedere. Hoc quoque conſequitur, Igitur nemo mortalium, etiam dum amat Deum toto corde, poteſt dicere, ſine peccato ſum. Nam ipſa remora, ipſa ſurreptio, ipſa diſtractio, ipſa triſtitia, ipſa fatigatio, ipſa affectio ad ſuauia ſecundum ſenſum, ipſa ſolicitudo, ipſa turbatio erga multa, ignoratio, obliuio, ceſſatio, quam aut quas ingerunt partim concupiſcentia, partim infirmitas, partim incolatus, partim priuata, partim publica, partim aliena, partim propria negotia, ſubinde ſecum peccatum habent, ſubinde etiam ipſamet peccata ſunt: ſed talia peccata, qualia inter minuta & venialia computantur, quàm diu non ſic auertunt hominem à Deo, vt cor ſuum alijs apponat, aliáue Deo præferat, vel æquet.

Quarta obiectio. D. Audio tamen ab Auguſt. doceri quòd pertineat tantummodò ad vitam immortalem cæleſtis beatitudinis, diligere Deum ex toto corde, tota anima, &c.

Solutio. M. Auguſtinus quando ſic docet libro de Spiritu & litera cap. vlt ac alijs locis, ſicuti nunquam adducit vocem Tantummodo, ita omnis eius deductio & declaratio clarè oſtendunt, eum ſua verba intelligere de omnimoda totalitate, vt ſic dicam, ac plenitudine cordis, cui nihil deſit, cui nihil poſſit accreſcere per gloriã. Quia ſi reſtat aliquid addendum, iam non erit omnino totum. Quomodo & intelligebant vocem Totum in præcepto caritatis oſores gratiæ Dei, contra quos diſputat ibidem, & in multis alijs locis D. Auguſt. oſtendens neminem poſſe hic aſſequi perfectam conſummatamque iuſtitiam; qualem habituri ſumus in cælo, quod tamē illi contendebant poſſe fieri, quia nemo poteſt tantum, tamque perfectè toto corde diligere Deum hic, quàm in cęlo; ſub ergaſtulo inquietæ carnis, quàm in gloria ſupernæ beatitudinis. Dicimus quidem omnes veriſſimum eſſe, quòd regula iuſtitiæ eſt caritas pręcepta. Ceterùm ſicut caritas ſuſcipit incrementa, ita & iuſtitia qua iuſti ſumus coram Deo. Adeò vt D. Auguſt. dicat, Caritas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: caritas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: caritas magna, magna iuſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta iuſtitia eſt. ſed caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Quod ſanè addidit, ne putet quis eum loqui de quacunque dilectione inchoata, prouecta, magna, perfecta: ſed de ea quæ finis præcepti eſt, quę ſola antonomaſticè & conſueto modo ſcripturarũ vocatur caritas: licet alioqui vox Caritas ſignificet omnē dilectionē. Qualis caritas de corde puro, &c. ſi finis eſt præcepti, ergo citra dubium implet id, ad quod ſtringit iſta præcipua Dei iuſſio, Diliges dominum Deum tuũ ex toto corde, ex tota anima, &c. Nam ſi non implet, non rectè dicitur finis præcepti: nam quid eſt aliud implere præceptum, quàm ſic facere, opus præceptum, vt finem intentum attingas, & laudem, bonumque meritum apud præcipientem inuenias? Quare nec facilè eſt acquieſcendum illis, qui opinantur Auguſt. eo loco diſtinguere inter caritatem de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, & caritatem qua diligitur Deus ex toto corde. Nullo autem modo ſunt audiendi ſectarij, qui fingunt nos indeſinenter peccare, & contra præceptum caritatis, & contra illud: Non concupiſces, vt ſtatuant iſta ſua cacodidagmata, Homo in omni opere quantũuis bono peccat, Nemo iuſtus iuſtitia intrinſeca: ſi qui iuſti dicuntur, extrinſecus iuſti ſunt iuſtitia quæ in Chriſto eſt, Sola fides iuſtificat & ſaluat, Nullus apud Deũ reſpectus ad opera noſtra bona, ac plura alia, non minus horrenda. Tales, dico, nullo modo ſunt audiendi, quia prorſus à via veritatis deuiant. Et dum per ſe ſua noua inuentione conſultum, pieque ſubuentum pauidis & afflictis conſcientijs iactitant: non niſi meras deſperationes docent. Quid enim adeò illaqueat deſperationum funibus, atque perſuaſum habere, Non poſſe impleri præcepta Dei, Non poſſe hominem in omni opere ſuo non peccare, Non valere nos aſſequi vllam rectitudinem iuſtitiæ: ne gratia quidem Euangelica ſanante & adiuuãte vires noſtras? Sanè nihil. Valeant igitur nouatores iſti cum ſuis deſperabundis inuentionibus: tu autem ſectare veritatem, quæ & lucem habet, & cultoribus ſuis vitam præbet.

Caritas præcepta regula eſt iuſtitiæ noſtræ. Aug. de natu. & grat. cõtra Pelag. ca. 70.

Qgibus ſcripturis demonſtretur poſſe hîc impleri præceptum caritatis. CAP. VIII.

M. Vt autem certo certius cognoſcas rectè à nobis doceri, poſſe hominē hic in mortali corpore diligere Deum ex toto corde, anima, & mente, iuxta exigentiam præcepti, adhuc vnam ſuperaddam ex ſcripturis demonſtrationē. Venit ad Ieſum quidam Legiſperitus tentãs eũ, & dicens: Magiſter, quid faciẽdo, vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum, In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? Ille reſpõdens dixit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mẽte tua, & proximũ ſicut teipſum. Dixitque illi. Rectè reſpõdiſti, Hoc fac & viues. Obſerua pre

Hominē poſſe implere his præceptũ caritatis demõſtratur ex Euãgelio. Luc. 10.

cor hic singula. Quærit ille, Quid faciendo vitam ęternam possidebo? Remittit Christus ad legem: illoque proferente mandatum dilectionis præscriptũ in lege, respondet Christus, Hoc fac, & viues. Quę hic insinuatio impossibilitatis? Immo quæ non hoc loco demonstratio possibilitatis perficiendi quod propositum erat? Nam si factu erat impossibile, Cur dicit Christus, Hoc fac? Nunquid falsum respondendo fallere voluit ipsa veritas? Interrogabat ille de eo quod hic est faciendum, vt ad vitam æternam perueniatur. Itaque si id quod mandato dilectionis præcipitur, fieri nequit in hac mortalitate, debuisset dicere Saluator, Fili relinque illud mandatum: quia ad futuram duntaxat spectat immortalitatem, neque pręceptum est vt fiat in hoc mundo: sed vt per ipsum quò sit tendendum hominibus insinuetur. At nunc respondet Saluator: Fac hoc, non autem, Disce ex hoc, aut quantum tibi hic deest, aut quò sit tibi properandum, vt tãdem facias: verùm, Fac hoc nunc temporis: quia verbum Fac præsentis tẽporis est, & modi, quo imperatur quod actu fieri debet. Quid autem hoc? Hoc, dico, quod mandatum legis per te citatum præcipit, nempe diligere dominum Deum ex toto corde, &c. Egóne hic dicam, Non potuit sic diligere is, quem Christus hortatur vt diligat sicut præceptum est? Nec dicit duntaxat Christus, Fac hoc: sed addit, Et viues. Viues, inquã, hoc faciendo. Ne arbitreris quòd faciendo hoc, solummodo culpam euades transgressionis. Viues, inquam, non sanè corporali vita, qua iam vixisti tempore multo: sed viues vita illa, quæ semen est & prægustatio illius vitæ æternæ, de qua quæris: imò quæ est veraciter ipsamet vita æterna. Itaque fili certissimum habe ex sentẽtia Saluatoris, & posse hic fieri hoc quod mandato dilectionis præcipitur, & posse sic fieri, vt per id viuas vita gratiæ, hoc est, vt iustus à Deo tuo efficiaris, viuendo iam vitam, quæ secundum Deum est.

Quod potest viuificare, potest & iustificare.

Nam quod potest viuificare hominẽ, potest & iustificare, dicente Apostolo: Si data esset lex quę posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Quod Pauli argumẽtum fusissimè tractauimus lib. 1. Tract. 2. Non hic disputamus, An nostris solius naturæ viribus possimus implere præceptum caritatis, aut nostris dilectionibus nos viuos aut iustos facere. Scimus enim id diuinæ esse gratiæ per fidẽ, quæ est donum Dei, & per caritatem desuper diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nec Christus hic moratur, An gratiam habuerit Legisperitus, quanquã sine gratia, nec hoc pręceptũ posset

Ephes. 2. Rom. 5.

Præcepta nõ implẽtur sine gratia Dei.

impleri, nec alia. Sciuit enim homini credenti, qualis erat Legisperitus, dum facit quod in se est, non deesse gratiam necessariam ad faciendũ, quod Dei ordinatione factum oportet. Dicat autem nunc aliquis, An'ne implere præceptum sit, ita facere opus pręcepti, vt placeas præcipienti, illeque tibi, & vitam addat & iustitiam? Si est igitur Christi sententia, qua eleuantur vniuersa, potest præceptum dilectionis, in ea forma qua latum est in lege, & renouatum in Euangelio custodiri, obseruari, impleri à mortali homine, & quantum satis est præcepto, & quantum gratum est præcipienti, & quantum expedit facienti, ad magnam ipsius vtilitatem, nempe vt per hoc vitam consequatur æternam. Facit enim quantum obligatio præcepti pro hoc statu requirit: idque eo modo, vt faciendo viuat vitam quæ secundum Deũ est. Implere autem omne illud quod vocibus, quibus exprimitur præceptum, aliqua ratione significatum intelligi potest, nec tempore naturæ integræ fieri potuisset, nec ab animabus sanctis fiet ante resurrectionem corporum. Et, An tum quoque fiet tanta, tamque absoluta plenitudine, vt nihil possit intelligi in voce Totius, aut Perfecti, quin hoc inueniatur in vniuscuiusque sanctorum amore, disputari potest. Nam & Personæ diuinæ multò magis toto affectu, & in infinitum maiori plenitudine amoris sese amant, quàm amentur à Sanctis. Et Sancti supremi ordinis pleniùs ardentiusque feruntur in Deum, quàm alij inferioris ordinis: omnes tamen plenissimè iuxta capacitatem suæ naturę. Omnes enim satiabuntur cùm apparuerit gloria Dei. Vis autem vt his subiungam ex verbo Dei & aliam demonstrationem, quæ pauidis conscientijs non modicam inserat consolationem? D. Precor obnixè. M. Ioannes Apostolus in prima sua Canonica epistola ponit hanc aduersatiuam propositionem, Qui dicit se nosse Deũ, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est. Qui autẽ seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est. Mendax quidem ille: quoniam asserit se habere, quod non habet, nempe notitiam Dei. At in isto reuera est caritas Dei perfecta. Ille, quia non custodit mandata Dei, ne noscit quidem Deum: Hic verò, quoniam seruat verbum Dei, hoc est, mandata Dei, non solùm cognoscit: sed & perfectè diligit Deum. Dicit enim, Qui seruat verbum Dei, verè in hoc caritas Dei perfecta est. Si autem in tali reuera perfecta dilectio est erga Deum: igitur perfectè & reuera implet præceptum. Quis enim laudabit eum, qui Domini sui mandata non custodit? Aut

Psalm. 16.

1. Ioan. 2. Quo indicio sciamus nos impleuisse præceptum caritatis.

quis

Si quis dixerit perfectam habere dilectionem erga Deum, eum qui necdum diligit, sicut ille se diligendum præcepit? D. Ceterùm, An verè dicitur non agnoscere Deum, quisquis præcepta Dei non custodit? M. Prorsus, etiamsi diuinarum rerum peritissimus existat. Non enim decipit nos Spiritus sanctus: sed vtitur consuetis tropis & schematibus ad captum popularem idoneis, quibus receptissimum est inter homines, vt filius discolus & immorigerus dicatur non cognoscere patrē suum, quoties non iudicat de patre suo, neque æstimat eum, sicuti oportet: non quod ignoret à quo sit genitus: sed quòd se genitoris sui voluntati non magis subijcit, quàm si alienus esset. De appretiatiua enim notitia sermo est, qua dicitur Matth. 7. Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, hoc est, nunquā habui vos, me, meaque felicitate dignos, propter opera vestra mala. Qui itaque non custodit mandata Dei, reuera non æstimat diuinam maiestatem, sicut oportet, quod est non cognoscere. Cui per aduersatiuam subiungendum erat, Qui verò obseruat verbum eius, verè in hoc notitia Dei perfecta est. Sed maluit Ioannes, vt est planè consolatorius, subiungere quod multò est eminentius dicēs: Verè in hoc caritas Dei perfecta est, nedum notitia Dei: eò quòd talis iam præ omnibus & æstimat Deum, & diligit, posthabens omnia illi, & mandatis eius, illi vni tanquam summo bono, summæque maiestati præbens cor suū, vt ipse primas obtineat, ipse in eo regnet & dominetur, non peccatum, non concupiscentia, non lex membrorum aut mundus, dicente Apostolo: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Quibus profectò non obeditur, quando sic cordialiter diligitur Deus, vt per omnia seruetur verbum eius: quod est perfectæ caritatis. Totum autem & perfectum inseparabiliter sibi mutuo cohærent: neque enim perfectum esse potest, quod partim est, neque totum dici, quod est imperfectum: Et quomodo conuenit vnum alicui, conuenit & alterū eidem. Vbi enim caritas perfecta perfectione viæ, ibi & ea totalitate cordis diligitur Deus, quam est inuenire in viatoribus. Vbi caritas perfecta perfectione patriæ, qualis est in Sanctis, ibi & simili totalitate diligitur Deus: vt crescente plenitudine vnius crescat plenitudo alterius: consummato vno sit consummatum & alterum. Regula itaque Apostolica, ex qua licet pijs colligere, An verè obseruent primum præceptum caritatis, est, quam ponit Ioannes in prima sua epistola Canonica capite secundo & quinto dicens: Qui seruat verbum Dei, verè in hoc caritas Dei perfecta est. Item, Hęc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quibus accedit & illud Christi dicentis: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Igitur qui post Baptismum sic adhæret Deo, corde, anima, mente, per sincerum amorem, vt nihil committat eorum quæ à Deo vetita sunt, nihil etiam omittat eorum, quę illius mandato sunt præscripta: & id quidem ea de caussa vt in nullo maiestatem Dei exasperet, aut offendat, aut colat minus quàm oportet, is reuera obseruat & implet primum mandatum caritatis, is viuit, is iustus est, & filius Dei secundum veritatem. Cui si obrepat quippiam fallacia concupiscentiæ, distrahens cor alio, vt fit nō raro, clamet continuo ad Patrem, cuius adhuc filius manet, Dimitte nobis debita nostra.

Quo sensu dicatur non cognoscere Deum qui mandata eius non custodit.

Roma. 6.

Totum & perfectū non separantur ab inuicem.

Scripturæ indicātes quādo impleamus mandatū caritatis.

Ioann. 14.

Qui debeant intelligi sub nomine proximi in secundo præcepto caritatis. CAP. IX.

SEcundum præceptum simile illi priori est, Diliges proximum tuū sicut teipsum. M. Sic manifestè habent tres Euāgelistæ Matthęus, Marcus, Lucas, atque Paulus Apostolus. Pro huius autem mandati elucidatione demonstrandum erit ex verbo Dei: primum quid sit dilectio: deinde qui nomine proximi significentur: tertiò quousque se extendat illud, sicut reipsum: quartò, An istud eo modo fuerit in lege præceptum, quomodo in Euangelio: postremò, An nullum inueniatur discrimen dilectionis, qua bonos ac pios diligo, à dilectione qua diligo malos ac impios tanquam proximos: item dilectionis qua diligo sangui ne iunctos, à dilectione qua diligo tanquam proximos, eos qui & à sanguine & à notitia mea sunt alieni. Tu de primo primum dicito. D. Proximi nomen ad aliquid est, nec quisquā nisi proximo proximus esse potest. M. Vnum quidem, sibi idem est; at proximus dici non potest, nisi inter duos, idque relatione vtriusque ad alterū. Non anima mea mibi proxima, neque caro mea, sed anima mea, & caro mea sunt, ꝙ ego sum. Illa animans, mea vita est, ista animata, mea viuens substātia est; ego vero ab vtrisq; simul iunctis indiscretus: Quæ veró à se distincta sunt, & nihilominus sine medio iuncta, illa sibi proxima dicimus, & quidem proxima secundū id quo sine medio coniuncta existunt. Secundum naturā pinum pino, pyrum pyro proximam esse constat, etiam si loco ꝙ longissimè distent. Secundum situm verò pinū pyro proximā fatemur, si pro-

D. De secundo mandato caritatis.

Proxim⁹ non nisi relatione ad alium dicitur.

Varis alte ri plurib' rationib' proximus esse potest

si proximè illam crescat, etiamsi natura sit ab illa quàm alienissima. Quod te præmonitum volumus, vt incipias animaduertere, primò, hominem posse homini proximum esse non vna tantùm ratione, sed varijs, sed pluribus, nempe natura, gente, sanguine, religione, redemptione, felicitate, gloria: & alium quidem pluribus, alium verò paucioribus rationibus. Secundò non dici hic quempiam proximum, quia situ, aut sedibus, aut accidente: sed quia natura adeo est propinquus, vt propinquior esse nequeat: quia si propinquior fieri potuit non erat vtique proximus. D. Quis igitur meus proximus secundum sensum mandati?

Quis proximus secundù sensum mandati.

M. Sic quærebat Legisperitus à Saluatore Luc. 10. Cui arguta admodum & pulcerrima quadam parabola demonstrauit Saluator omnẽ hominem omni homini esse proximũ. Vti facillimè perspicies, si probè perpendas verba & factum Domini respondentis. Nam Dominus audita interrogatione Legisperiti mox suspexit ad modum ingemiscentis & admirantis ineptiam hominis, quòd ipse enutritus in lege, & titulo eruditionis candidatus, velut dubius interrogaret de eo, cuius idiotę imo bruta animantia satis exactam notitiam habent: omne enim animal diligit sibi simile, & homo proximum suum, idque instinctu naturæ, etiamsi nihil vnquam de lege vel Euangelio audierit. Introducit itaque Dominus hominem Samaritanum alienum à lege, & quærendæ salutis notitia, qui ex sola naturali ratione intellexit sibi proximum esse illum, in quo nihil aliud potuit cognoscere quàm quòd homo esset. Nam cùm pertransseundo casu in via repperisset quendam dispoliatum à latronibus, atque adeo vulneribus saucium, sanguineque eruentatum, vt vix forma ac vita hominis illi superesset: nihilominus vbi cõsiderando intellexisset hominem esse, mox agnouit sibi proximum esse, & tanquam proximum diligendum tractandumque, prout in ea necessitate tractauit, alligans vulnera eius, &c. nulla omnino facta interrogatione, sanguine ne esset, aut gente, aut religione propinquus, meritòne an immerito, iure an iniuria eam calamitatẽ perpessus. At eo vno duntaxat cognito, quòd homo erat, mox inter proximos annumerandum intellexit, & officium, quod homo debet proximo suo, illi à se debere impendi. Sic indicauit homo Samaritanus, sicque misericordiam fecit in eum, quem prætererat sacerdos & Leuita vestri Iudaici generis, ô Legisperite, nullo misericordiæ aut humanitatis beneficio in eum collocato. Quis igitur horũ triũ videtur tibi proximus illi qui incidit in latrones? At ille dixit,

Quicunque cognoscitur homo esse, debet diligi & tractari tã quam proximus.

Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus. Vade, & tu fac similiter. D. Hoc est, tu fac simili modo misericordiam, vt proximus iudiceris eorum quibus eam præstas. M. Nequaquam ille est germanus sensus literæ, quẽ tu ibi exprimis, neque attingunt sentẽtiam Saluatoris, qui putant Christum hac eo ronide significasse, inter proximos annumerandos omnes, qui possunt aut tibi facere, aut à te accipere beneficium misericordiæ. Profectò alio, quàm ad responsionem Legisperiti immediatè præcedentem refertur vox, Similiter, nempe ad totam actionem Samaritani. In qua hoc potissimum erat, quòd reputarit sibi proximum, & vt talem, misericordissimè tractauit eum, de quo nihil aliud cognòuit, quàm quòd homo esset. Vade igitur Legisperite, & tu fac similiter, hoc est, tu simili modo, intellige, reputa, æstima tibi proximum, quemcunque cognoueris hominem esse, illique sedulò misericordiã impende dũ in necessitate constitutum videris: etiamsi nec genere, nec gente, nec religione, nec amicitia tibi proximus existat. Optima sane certissimaque demonstratione ostendens Saluator, & quis sit proximus, nimirũ omnis homo, & quomodo idem in sua necessitate diligendus, nempe opere & veritate, vt infrà ex epistola Ioannis Apostoli explicabimus. Diuus autem August. etiã ex ratiocinatione Apostoli qua ad Rom. 13. vtitur dicens: Qui diligit proximũ legẽ impleuit. Nam non adulterabis, non occides, &c. in vno verbo instaurantur, Diliges proximum tuũ sicut teipsum: demonstrat in nomine proximi intelligi omnem hominẽ. Si enim mandata ibidem dinumerata implentur in vno illo, Diliges proximũ tuum sicut teipsum, debet certònomine proximi omnino homo intelligi, quicunque & qualiscunque sit ille. Nec præter consuetudinem est vetustę scripturæ, vt proxim' dicatur omnis homo. Cum enim dicit Psal. Nec fecit proximo suo malũ. Item, Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum. Item, Opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Proximũ, inquit Augustinus, omnem hominem oportet intelligere. Nonne extremæ foret dementiæ, putare aut Psalmistæ aut Apostolo visum fuisse, non esse peccatũ, si quis adulterauerit vxorẽ hominis non Christiani, aut probro, aut iniuria, ac cęde affecerit? Ergo & illi proximi sunt. Nã si Arabs aut Scytha non est proximus, nõ erit prohibitũ illorũ bona diripere, corpora trucidare, falsum aduersus illos testari. Omnia enim ad quæ obligatur homo homini, implentur in vno illo verbo, Diliges proximũ sicut teipsum. At nunc interrogabis qua de caussa, qua

Quære fecit[illegible] tu fac similiter.

August. de doct. chris sti ca. 30. Omnẽ hominem omni homĩ ni proximum esse alijs scripturis demõstratur.

Psalm. 14. Psalm. 11. Psalm. 14.

Qua de caussa omnis homo omni homini proximus sit.

qua item re sit omnis homo omni homini proximus. D. Iam idipsum vt interrogarem, inter labia erat. M. Dicam igitur. Homo ab homine nec genere distar, nec specie: sed tantummodo supposito. Quod quoniam vltrà diuidi non potest nisi in partes integrales, & accessorias qualitates, rectè á Physicis indiuiduum vocatur.

Omnis homo omni homini natura proximus.

Omnes enim habent eandem specie animam, eandemque specie carnē, nec potest sermone veritatis dici, quòd puer minùs sit homo, quàm grandæuus, aut femina quàm vir, aut Scytha quàm Christianus, aut plebeius minus quàm regia persona. Vna enim eademque natura omnes æque homines sunt: quare & verissima locutione proximi, quia adeo propinqui natura, vt hac ratione propinquiores esse nequeant, nisi ex duobus fiat vnum indiuiduum: Deinde sunt omnes homines proximi inter se, ratione principij à quo, omnes enim ab eodē vitam accipiunt. Itaque fratres: si vero fratres: ergo proximi.

Principio generatiuo omnes homines proximi inter se.

D. Homines nunc viuentes, nequeunt referre suam genealogiam in communem aliquē parentem: nisi forte in Noë & Adam. Generalius certè principiū, quàm vt ab eo nuncupetur cognatio aut propinquitas. M. Si protoplastes Adam, & alter mundi parens Noë omnes homines de suis genuerūt visceribus: Igitur omnes reuera sunt inter sese fratres ac sorores: nullo autem non idiomate proximi appellantur, qui inter se fratres esse dicuntur. Quamuis autem in infinita multitudine hominum, secundum leges ciuiles & ecclesiasticas, non nominetur aut colatur cognatio aut propinquitas, nisi comparatione eiusdē principij generationis vsque ad certos quosdam gradus: tamen secundum Scripturam & veritatem natura sunt fratres, ideoque proximi, quotquot sunt eorundem viscerum pignora, hoc est, ab eisdem parentibus geniti. Quemadmodum per omnē Scripturam fratres vocantur qui descenderunt ab eisdem parentibus Abraham, Isaac, & Iacob, etiam post centesimum ac millesimum gradum productæ generationis, Venerunt autem vniuersæ tribus Israël ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. Rursum Dauid ad populum Iudaicum: Fratres mei vos, os meum & caro mea vos. Quare nouissimi reducitis regem? Et Amasæ dici iussit, Nónne os meum & caro mea es? Sed vt hoc missum faciamus, est & aliud principium, & primo primum ante omnia: & nihilominus proximè proximum omnibus, nempe Deus. De quo Apostolus pronuntiat, Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Etenim ex ipso æquè sumus; quod sumus omnes. Per ipsum æquè conseruàmur quotquot in rerū natura subsistimus. In ipsum denique veluto omniū finem æquè natura aptati sumus, quotquot hominis nomen & naturam gerimus. Nam quidquid egerint progenitores nostri, nihil efficiunt nisi Deus dederit. Neque nascitur homo, nisi ipse desuper infuderit animā, quæ non est ex traduce parentum, sed immediatè à Deo. Et Ananias & Sapphira vxor eius, nunquid dum occumberent, languebant, aut vllum mortis sentiebant indicium? Minimè: sed tantummodo Deo vltra non conseruante eos, propter peccatum ipsorum, subito expirarunt. A Deo itaque conseruamur omnes. Et hoc quid aliud est, quàm continuo vitam ab ipso accipere? Insuper fecit Deus, vt habet Scriptura hominem (itaque omnem hominem) ad imaginem suam: & per hoc sui suæque beatitudinis capacem. Quod posterius neutiquam inanimatis ac brutis animantibus nobiscum commune est. Nam licet illa proximè nos contingant in eo quòd sunt a Deo, & per Deum æquè immediatè ac nos immo immediatiùs quàm nos: quia post alia cōdita sexto die factus est homo, de eo, qui antea erat, limo terræ. Vt habes Genes. 1. 2. Quia tamen non contingunt nos proximè, simul in eo quod est veræ amicitiæ principium nempe in imagine Dei, qua capaces nobiscum essent æternæ fruitionis in Domino. Sicuti Apostolus dicit, Ita frater, ego te fruar in Domino: Quod paulò inferiùs fusiùs explicabim⁹. Ideo non sunt talia computanda inter proximos nostros.

Nati ab eisdem parentibus fratres dicuntur secundum Scripturā etiam ad cētesimū vsque generationem.

2. Reg. 5.

2. Reg. 19.

Principio beatifico omnes homines proximi inter se.

Act. 5.

Philip. 2.

Quod Christianus Christiano pluribus rationibus sit proximus, quàm infidelis fideli, aut infideles inter sese esse possunt. CAP. X.

M. PRæter rationes autem quibus omnis homo omni homini reuera proximus esse demonstratur, sunt & aliæ, quib⁹ peculiariter omnis Christianus omni Christiano est proximus, qualibus nec infideles cū fideli, nec infideles inter se conuenire possunt. D. Et quæ præcor, sunt istæ rationes? M. Esse mēbra eiusde corporis sub eodē capite: habere eundem Deū Patrem, eandem Ecclesiam matrem, eundem redemptorem Christū, eundem vificatorem Spiritum sanctum, eandem fidem, eadem Sacramenta, idem pabulum salutis, verbum Dei, eundem aduocatum & mediatorem dū peccamus: eandem spem eiusdem vocationis supernæ, dum peregrinamur a Domino. Hæc, inquam, omnia dum eadem habemus nos Christiani, vt sanè omnium æquè participes esse possimus, an non rectè proximi dicimur?

Rationes ob quas sunt peculiariter proximi inter se homines Christiani.

D. Re-

D. Rectissimè, iustissiméque ac summis de caussis, modò ita sese res habeat. M. Rem vtique eo modo se habere ex scripturis demõstratur. Nam Apostolus scribit, vt Ephesij dignè ambulent vocatione qua vocati sunt in hunc modum, Obsecro vos fratres, &c. vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cũ omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in caritate, soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Ecce mentionem, cùm dilectionis qua proximus debet proximum diligere, tum vnitatis conseruandæ in colligatione pacis. Vnum, inquit, corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omniũ, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Cur, precor, tam cordialiter inducit hæc Apostolus? An aliam ob caussam, quàm quia omnem Christianum omni Christiano proximũ faciunt, alia ratione quàm antea proximi erant, habeantque per hoc velut viuum quoddam & efficax incitamentum peculiaris dilectionis, & vnitatis seruandæ inter se Christiani. Dicit etenim. Vnum corpus, supple, est, cuius omnes vos qui Christum induistis membra estis: Christus vèro caput, sicut dicitur: Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Nec ibi sistit, sed addit, Vnus spiritus, supple, est, quo viuificãtur & sanctificantur quotquot sub Christo viuunt & iusti existunt. Non enim alio spiritu viuit in Christo, siue iustus est, nobilis, alio ignobilis, alio diues, alio pauper, alio Præsul, alio Leuita: sed vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Sicut enim corpus vnũ est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tantum corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in eodẽ spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. Et subdens ibidẽ Apostolus iucundissima lectu de harmonia, sympathia, concordia, solicitudine membrorum inter se eiusdẽ corporis, tandem subsumit, vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Ex quo inferendum restat, Ergo omnes vos inter vos proximi. Quid enim adeo propinquum alteri atque membrum membro in eodem corpore? Quæ quot sunt, eodem sunt spiritu: quod quærunt, ad communem quærunt vtilitatem, Diximus quidem suprà, Omnem hominem omni homini natura proximum esse, quòd habeant omnes eandem specie viuificantem animã: multò igitur magis sunt proximi inter se Christiani, qui quod sunt in Christo eodem sunt spiritu eodem, dico, secundum numerum, nedum secundum speciem: haud secus atque membra eiusdem corporis viuificantur spiritu eodem secundum numerum. Quod procul dubio multò maiorem adfert propinquitatem, quàm habere natura specie eandem. D. At non omnes Christiani viuificantur spiritu Christi. M. Hoc licet verum sit: nemo tamen Christianus de alijs sic iudicare debet, quamdiu Sacramento, confessione, consensu manet in gremio matris Ecclesiæ: sicut docuimus libr. 2. Tractat. de Ecclesia. Esset enim huiusmodi iudicium temerarium ac vsurpatum, de quibus iudicijs vitandis diximus hoc libro tractat. 9. Fingamus autem quòd confiteatur quispiam se criminosum esse, aut idipsum per Prælati iudicium, vel facti euidentiam notoriè constet, nónne potest talis omni die, & omni hora, imò omni momento resipiscere & fieri quod in Christo esse debebat, mox particeps omnium beneficiorum quæ sunt à Christo, fortaßis multo magis quàm tu? Ethnicus natura capax nobiscum æternæ felicitatis, manet semper nobis proximus, etiamsi quàm maximè alienus sit ab illo fine per infidelitatem suam. Multò igitur magis Christianus semper proximus erit, etiamsi per peccatum spiritu Christi careat. Potest enim vel omni momento per fidem cum pœnitudine ac mutatione animi esse in Christo quod sumus omnes. Progreditur autem Apostolus dicens: Sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Non enim hic Christianus aliud brauium expectat suæ vocationis, aliud verò ille: neque hic alium Dominum habet, alium ille: sed omnibus ex æquo factus est Dominus, vnus Iesus Christus: nec iste alia doctrina fidei, alióue baptismo saluatur quàm ille: sed vna fides, & vnũ est baptisma omniũ. D. At eiusmodi nõ natura, sed accidente proximum faciunt. M. Qui sincere Baptismum suscepit, & credit fide per dilectionem operante, spem nactus quæ non confundit, is iam est noua creatura in Deo, & non accidente duntaxat, sed & natura tibi proximus, qua non sunt inter se proximi infideles. Hinc subdit Apostolus: Vnus Deus & Pater omnium: omnium, inquam, qui in Christo viuunt, non enim est mortuorum Deus, sed viuentium: adeò vt infideles & idololatræ meritò vereque ἄθεοι appellentur. Gentium quidem sicut & reliquarum creaturarum est Deus conditor, non autem pater: nisi hactenus quòd inter alia solum hominem condiderit ad imaginem suam. At Christianorum reuera Deus pater est regeneratione, qua gignun-

Ephes. 4.

Ephes. 2.

Christiani inter se proximi sunt haud secus atq; membra eiusdem corporis.

1. Cor. 12.

Omnes Christiani tam sunt proximi inter se, quàm qui viuificantur ab eadem anima.

Omnes christiani conserui sunt eiusdem domini, & cohæredes eiusdem felicitatis per eãdem Religionem.

Baptisma & fides natura proximum faciunt.

Roma. 8. gnuntur ei per baptiſmum ex vtero matris Eccleſiæ: adeo vt verè clamemus ad Deum Abba pater: ipſo ſpiritu ſancto teſtimonium reddente ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Propter quod & Ioannes dicit, Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus: non ſolum nominemur, ſed & ſimus: nec ſimus quidem clanculum, ſed & manifeſta appellatione nomine Auguſ. in Pſalm. 32. mur tales. Legite, inquit Auguſtin. Apoſtolum, & videte quia quando dicit Apoſtolus fratres ſine aliquo additamento, non vult intelligere niſi Chriſtianos. Non eſt autem ſub- 1.Cor. 7. iectus, inquit, frater aut ſoror huiuſmodi: cùm diceret de coniugio. Fratrem & ſororem Rom. 14. rem dixit Chriſtianum vel Chriſtianam. Iterum dicit: Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut tu quid ſpernis fratrem tuum? Et a- 1.Cor. 6. lio loco, Vos, inquit, iniquitatem facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Quem loquendi morem ſeruauit Apoſtolus: quia ſic oportet ſecùdum veritatem, ſecundum quam nec Gentes, nec Iudæos, fratres noſtros appellare poſſumus. Quid tibi nunc videtur? Nónne graphicè & admirandis ſchematibus depingit Scriptura eam proximitatem, vt ita loquar, quæ peculiaris eſt inter Chriſtianos: non autem inter alienos à fide? D. Depingit ſanè & maiori myſterio quàm putaram. M. Quòd autem ſit vna communis mater omnium Chriſtifideliū, cuius fetu naſcimur, cuius lacte nutrimur, cuius ſinu fouemur, vt inquit Cyprianus, nempe Eccleſia catholica, habes apud Galat. 4. Paulum dicentem: Illa autem quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra: De claraui mus autem iſtud abundè libr. 2. Tract. 8. Adhæc, quod ſit vnus mediator inter Deū & hominem, vnus redemptor omnium, qui ſuo ſolus ſanguine redemit nos omnes ab ea dem maſſa perditionis, eadem ſeruitute, eadē morte in eandē adoptionē filiorū, in eandē libertatem, in eandem denique ſalutem, multò elatiùs exprimitur per omnem Scripturā, quàm vt demonſtratione egeat noſtra, noſque de ea re copioſè diximus Tractato 3. lib. 2. Eſt autem & alia quædam ratio arctiſſimæ propinquitatis inter patrem & filium, fratrea item & ſorores eorundem parentum, qua tenera proximi ſunt inter ſeſe, communicantes in eodem ſanguine & eiſdem viſceribus. Inter reliquos verò cognatos vſque ad ſeptimum aut remotiorē gradum, non inuenitur ratione ſanguinis niſi propinquitas quædam, & ea, inter nepotes quidem maior, inter pronepotes verò minor, inter abnepotes minima: quòd illi vicinius communicent in eiſdem viſceribus quàm iſti. Qui autem æquè communicant & in eadem natura, & in eadem fide, & in eiſdem viſceribus, & in eodem ſpiritu Dei intus viuificante, & in eadem mortalitate, eademque gloria Dei, ij denique quàm numeroſiſsimis rationibus inter ſe proximi eſſe dicuntur. D. Et ſanè ſoli proximi, vt apparet: nā omnes alij fieri poſſunt proximiores, primò per ſpiritum ſanctificationis, deinde per gloriam beatitudinis: ergo needū proximi erant. M. Non conſequitur quòd inferſ. Satis enim eſt ad hoc, vt quis tibi veraciter proximus ſit, quòd vel vna re adeò tibi propinquus exiſtat, vt eadem propinquior fieri nequeat, nimirum aut natura, aut ſanguine, aut regeneratione, aut ſpiritu ſanctificante, aut beatitudinis gloria: quodlibet enim illorum eſt baſis ſiue fundamentum eius, quę eſt, aut eſſe poteſt, mutuæ beneuolentiæ, mutuæque fruitionis in Domino. Quòd ſi duabus aut tribus, aut pluribus rebus adeò eſt propinquus, vt ſecundum eaſdem propinquior fieri nequeat, iam multoties multiſque de cauſſis eſt proximus: propriè tamen proximior dici non poteſt, niſi hoc ſenſu, quia pluribus rationib. proximus. Nunc enim nō magis homo cum illo quàm antea, licet nunc non ſolùm illi conſors natura ſit, ſed & gratia & ſanctificatione, & tandem beatitudine, cùm ambo in cælis erunt.

Satis eſt vna re proximū eſſe

Condemnatos ad pœnas infernales non eſſe annumerandos inter proximos, CAP. XI.



D. SI peccatores, ſi hæretici, ſi infideles annumerandi ſunt inter proximos quos oportet diligere ſicut noſmetipſum, ergo & condemnati ad pœnas infernales erunt proximi noſtri, & tanquam proximi diligendi. M. Quare hoc? D. Quia natura nobis fratres ſunt, natura nobiſcum communicantes in illo principio, ex quo, & per quod, & in quo ſunt omnia: natura beatitudinis nobiſcū capaces, ſicut & ceteri peccatores terræ. M. Vtique fuerunt illi tales ab initio: quare & ab initio diligēdi vt proximi: nunc verò haudquaquā tales ſunt, poſtquam malitia & obſtinatio eorū, maculæ itē & rugæ, ac cicatrices ex peccatis relictæ, ipſis in naturā conuerſa ſunt, idque definito Dei iudicio, quo ſunt cōdēnati vt deinceps perpetuó & in æternū maneant, quod vſq; ad articulū iudicij diuini obſtinata ſua voluntate eſſe voluerunt, malitia, obſtinatione, maculis, cicatricibus, exinde inſidentibus in viſceribus eorū, immobiliter, haud ſecus atq; ipſa natura. Sicut enim ſecundū Phyſ. Habitus boni ac mali vertitur nōnūquā, nimia aſſiduitate in naturā ita

Damnatis verſa malitia eorū in naturā

idque omnino veraciter. Nam qui dicit ex tota vel omni anima, nullam vult partem vitæ aut vim exclusam. D. Tertiò, quid per mentē debet hoc loco intelligi? M. Primùm, non idem est mens & anima, verbis victor Lactantij, Aliud enim est quo viuimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientiū mens, non anima sopitur: & in furiosis mens extinguitur, anima manet: & ideo non exanimes, sed dementes vocantur. Hæc ille. Prima vis animæ mens est, cuius actus est perpetua contemplatio veritatis. Secūda ratio, cuius actus veritatis inuestigatio. Tertia phantasia, cuius actus collectio eorum quę sensus porrigunt, perq; illa discursus. Hoc autē loco vno nomine mentis, omnes animæ vires cognitiuæ comprehenduntur. Nam vox Græca *διάνοια* hoc loco posita significat mentem, intellectum, sensum, cogitationem, sententiā, ingeniū, intelligentiam Et repetens Scriba Marc. 12. responsionem Domini, dicit, Ex toto intellectu siue intelligentia: cui in Græco textu corespōdet vox *σύνεσις* significans intellectum siue intelligentiam, prudentiam, conscientiam: vt diligere tota mente sit prorsus, sapienter, ingeniosè, prouidè, prudenter, circūspectè, atque attentè siue tota intelligentia, & citra obliuionem diligere. Postremò diligere ex tota fortitudine vel virtute, siue omnibus viribus quæ idē sunt, & cōstantissimè diligere, animo prorsus constanti & infracto, tam in aduersis, q̄ cùm omnia prosperè succedunt, & eduerso: quia solent incautos faciliùs deijcere ab amore Dei prospera quam aduersa. Sub vtrisuis autē oportet citra deiectione aut formidinē firmissimè feruentissimeque amare Deū, tanquam fontem omnium bonorum, omnia largientem, omnia dispensantem in vtilitatē nostram, omnia inspicientē, vbique presentē, ab omnibus malis eripientē. Sicuti fecerunt illustres illi patres Iob, Tobias, Daniel, Iudith, Mardochæus, & Apostoli, de quib⁹ scriptum est, Ibant Apostoli gaudētes à cōnspectu cōcilij: quia digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Quantum autem retraxerit ab amore Dei prosper cerum successus magis quàm aduersus Dauidem, Salomonem, Sampsonem ac alios, historiæ Scripturæ sacræ luculenter declarant. Illā nihilominus particulam, Ex omnibus viribus tuis, à Luca ceteris adiectam, putant quidam non ineruditè veluti epitomen esse omnium præcedentium plenioris explicationis gratia. Vt scilicet in te nihil omnino sit viriū quod nōn prorsus impendas dilectioni Dei tui, siue id voculis præcedentibus expressum intelligatur, siue non.

Mēs quid significet in præcepto.

Lactant. diui. institu. lib. 7. cap. 12.

Diligere tota mēte quid sit.

Diligere tota fortitudine quomodo intelligendū.

Act. 5.

An poßibile sit implere præceptum caritatis in hac vita, secundum eam formam qua datum est. CAP. V.



AT nunc quærere debeo, vtrum præceptum dilectionis, secundum eam formam, & sub illis modis quibus latū est, impleri valeat in hac vita? D.
M. Inquit Saluator, Sine me nihil potestis facere. Et Apostolus eius: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Itaq; si eò tendit tua quæstio, An homo valeat sine gratia Dei adiuuante implere hoc mandatū, respondendum est, omnino non posse. Si verò interrogas, An Christianus fide illuminatus & Spiritus sancti gratia adiutus, possit in hoc mundo sic diligere Deum, sicut obligatio mandati requirit. D. Eò, & nō aliò tendit interrogatio mea. M. Principio itaque quasdam sanctorum Patrum vniuersales sententias præmittā, & exinde paulatim ad propriam huius quæstionis tuæ explicationem descendam. B. Hieronymus docet in hunc modum: Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse: & mandata Dei, non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari. Deinde Chrysostomus: Nequaquam, inquit, Dominum incuses, haud mandat impossibilia. Tertiò August. locis pluribus testatur Deum non præcepisse quidquam impossibile, vt in sermonibus de tempore, Deus, inquit, nec impossibile aliquid potuit imperare: quia iustus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod nō potuit: quia pius est. Sed credo te malle audire demonstrationem ex Scripturis. D. Profectò verbum Dei, quia omnibus maius est, meritò omnibus præferri debet. M. Moyses vt excludat socordium hominum cauillationes, Mandatū hoc, inquit, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt caussferis & dicas, Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est, sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Ecce quàm eleganti Procatalepsi præoccupat ne quis diceret, Impossibile est obseruatu, quod præcepisti nobis. D. Ceterùm, An Moyses ibi locutus sit de præcepto caritatis? M. Proximè ante illa verba, sermonem fecerat de præcepto dile-

Ioan. 15.
2. Cor. 3.
Præceptū caritatis nō potest impleri sine fide & gratia Spiritus sancti.

Nullū impossibile cadit sub præcepto.
Hieronymus ad Damasum in Symb. expl.
Chrysost. Homil. 8.
August. serm. 61. de temp.

Deut. 30.

dilectionis Dei ex toto corde, & pergendo rursum idem commemorat mandatum. Adhæc Saluator noster cum tractat de iugo suo & onere Euangelico: Nonne tibi videtur loqui de ordinationibus, quas præscribebat, quarum prima maximaque portio est diligere Deum ex toto corde? D. Omnino.

M. At ipse constanter asserit iugum suum suaue esse, & onus suum leue. Si autem leue, si suaue: ergo valde possibile. Quis enim dixerit impossibile, quod ipse Christus asserit leue & suaue, quodque Apostolus eius Ioannes graue esse negat, dicens: Mandata eius grauia non sunt. (1.Ioan.5.) D. Fortassis intelligit id Ioannes cum exclusione mandati caritatis.

M. Oratio Ioannis sic procedit, In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligimus, & mandata eius faciamus. Hæc est enim caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia nō sunt. Quæ hic exclusio mandati caritatis? Immo quæ non inclusio omnium mandatorum? Ceterùm quid te impulit in hanc dubitationem? (Obiectio.) D. In malum procliues sumus omnes, & pondere concupiscentiarum adeò impellimur, vt nequeat non affici subinde cor nostrum ad alia à Deo, ad quæ si vel prorsus, vel partim afficiatur, iam nō diligitur ex toto corde Deus. M. Hoc sanè admodum bene animaduertisti. Nam corpus aggrauans animam, & caro concupiscēs aduersus spiritum, siue lex membrorum repugnans legi mentis, & peccatum habitans in carne (his enim schematibus vtitur Apostolus ad Romanos & ad Galatas) reuera non sinunt, in hac lubricitate mundi, inter tot tantaque auocamenta omnes vires animæ niti amore erga Deum, vt omnino non afficiantur ad aliud à Deo. D. Igitur aliqua ex parte vacua manent amore Dei: quare nec toto corde diligitur Deus: sed partim ipse, partim aliud in quod fertur affectio. (Solutio.) M. Huius difficultatis gratia, tria nobis discutienda erunt. (Tres difficultatea ordine diluendæ.) Primùm quid vox totum significet ex impositione: quid secundum phrasim tam scripturarum quàm eruditorum & communem. Deinde omnibus ne datum sit hoc præceptum, an tantùm his qui peregrinantur in carne à Domino. Tertiò, An'ne præceptum hoc aliud & aliud exigat ad sui impletionem in alio ac alio statu hominis. Quibus discussis, constabit luce pomeridiana clariùs, fieri posse, vt hic diligatur Deus ex toto corde, iuxta exigentiam præcepti. (Quid significet vox totū secūdum impositionē, & quid secundū phrasim.) Vtautem exordiamur: Vox Totum, ex impositione quidem refertur ad quantitatem, accipiturque pro integro, siue eo cui prorsus nihil deest. Qua sane significatione dicimus, tota hereditas paterna mea vnius est: quando quispiam nostrum ex asse heres efficitur. Qua dicitur & illud Euangelij: Donec fermentetur totum, (Luc.13.) hoc est, per omnem sui partem, nulla prorsus excepta. Veruntamen secundum phrasim tam illustrium in lingua Latina, quàm Scripturæ sacræ, intelligitur significatione totius quòd præcipuum est, aut cui ferè nihil deest. (Toto animo dicitur fieri quod præcipuo fit studio.) Quo pacto dicit Apostolus Ioannes, Mundus totus in maligno positus est: (1.Ioan.5.) quia omnium ferè hominum, & longè maioris partis mundi præcipuum studium erat malignum. Quemadmodum dictum est & illud Acto.21. Quia tota confunditur Ierusalem. Atque illud: Mundus totus post eum abijt, hoc est, (Ioan.12.) valde multi, plurimi, ac sine numero. Qua eadem phrasi dicimur ex toto corde facere, quod ex animo, & sincerè, præcipuoque studio facimus. Nam Cicero cùm diceret, Plancius totus noster est: (Cic. ad Qu. frat. lib.2.) neutiquam significabat Plancium præter vnum Ciceronem nullos omnino habere amicos, aut iam omnium officiorum beneficiorumque erga alios oblitum, vt soli Ciceroni deditus esset: sed id voluit significare, se suamque domum pre omnibus alijs amari ac coli a Plancio, idque sincerè & ex animo. Quomodo & Terentius dixit, Ego nunc totus mihi displicio: significās (Terētius Heaut.) prorsus & ex animo se displicere sibi magis, quàm quouis aliud eius negotij quod tractabatur. Nec sanè desunt eiusmodi phrases per omnem Scripturam sacram. Cùm enim dicit Dauid ad Deū, In toto corde meo scrutabor mandata tua. (Psal.118.) Et alio loco, Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine, an tum precor, nulla affectio erat in tanto rege, ad officia vel amicorum, vel reipublicæ, vel naturæ propriæ? Si erat, vt erat, nihil enim humani ab eo alienum: qua ratione audet dicere, In toto corde exquisiui te, nisi quia admodum, quia potissimum, tamque sincero ardentique animo quærebat Deum vt nihil æquè, nihil adeò atque Deum. Testatur autem & ipse Dominus q Dauid ambulauerit post Deū in toto corde suo, dicens ad Ieroboam: Non fuisti, inquit, sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mādata mea, & secutus est me in toto corde suo. (3.Reg.14.) An Deus sic testando perhibuerit testimonium falsitati? Rursus quęro, An Dauid, penitus exors fuerit fomitis, quo nemo caret mortalium, aut actionum, quibus distrahitur omnis homo: potissimùm rex, præsidens cùm priuatis tum publicis rebus? Nequaquam: vti dicta factaque Dauidis quàm optimè declarant. Obseruauit itaque Dauid etiā Dei testimonio mandatū diligendi Deum ex toto

toto corde, cùm viueret in terris vt homo, cùm regem ageret, atque publicis simul & priuatis intenderet negotijs. Nam quid est aliud ambulare post Deū in toto corde, quam amare Deum ex toto corde? Habes prætereà
Iere 19. apud Ieremiam, Cùm quæsieritis, inquit, me
Deut. 4. in toto corde vestro, inueniar à vobis. Et in Deutero. Cùm quæsieris dominum Deum tuum, inuenies eū, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Quo loco tibi obseruanda est illatio quam facit coniunctio, si, qualis est necessaria. Atque exinde quærendum ex ijs qui mira fingunt. An nulli vnquam reuersi sint toto corde ad
4. Re. 33. dominum à via sua mala? Si dixeris nō. Quorsum igitur dicitur de Iosia rege, Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi. Cuius prima & maxima portio erat, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Hoccine verbum Dei est?
Ierem. 24. Nōnne & illud vaticinium Ieremiæ veritati diuinæ innititur, Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum: quia reuertentur ad me in toto corde suo? Rursum quærendum ex illis, An nulli sanctorum inuenerint Deum
Iere. 29. in hoc mundo? Quorsum igitur & illud Ieremiæ: Quæretis me, & inuenietis? Ergo verum est, quòd sancti Patres hic reuersi sunt, hic insuper quæsierunt Deum in toto corde suo, & inuenerunt. Itaque & amarunt illi, atque amare possumus nos omnes ex toto corde Deum, dum adhuc degimus in hoc mundo. Intellexisti quæ dico? D. Optimè.

Eodē præcepto caritatis obligantur homines vbicunq; fuerint.

M. Pergamus ergo ad secundam difficultatem, pro qua elucidanda certissimum habe, eodem præcepto caritatis, sub vna eademque forma obligari omnes homines, omni tempore, & pro omni statu naturæ integræ, naturæ corruptæ, redemptæ, iustificatæ, glorificatæ in regno cælesti, ante peccatum, post peccatum, ante legem, sub lege, post legem, ante mortem, post mortem, ante resurrectionem, post resurrectionem, in via peregrinationis huius, in regno cælestis beatitudinis, in locis purgatorijs, in puteo infernalis damnationis. Nam creatura rationalis dum est, vbicunque est aut quomodocunque disposita existit, semper debet Deo suo amorē ex toto corde, tota anima, &c. Ad qualē non tam obligat nos præceptio positiua in lege aut Euangelio facta, quàm ipsa natura, ipseq; ordo & dependentia rerum: eò quod toti subsistimus ex Deo, per Deum, & in Deo, in quocunque sumus statu rerum, nihil habentes, nihil valētes, nihil expectantes, nisi ab ipso, & per ipsum. Quod animaduertens Saluator respondit Legisperito absq; restrictione, hoc esse primum & maximum mandatum. Quo insinuaret simpliciter primum & maximum esse etiam ante legem, etiam post legem & Euangelium, in paradiso, in hac peregrinatione, in cælo, in infernalibus locis. Quoniam autem peccatum lumen rationis obtenebrauerat, affectum insuper incentiuo malarum cōcupiscentiarum infecerat, voluit Deus expresso sermone positum ob oculos singulorum primum illud maximumque naturæ præceptum, ne præceps rueret homo in indignationem Dei, suique ipsius damnationem. Tertium verò membrum difficultatis propositæ, nempe quòd præceptum dilectionis aliud, & aliud exigat pro alio ac alio statu hominis, ita demonstramus. Verba quibus exprimuntur præcepta iuris naturæ, neque diu tius, neque ad maiora obligant, quàm exigentia seu vinculum naturæ requirit. Præceptum est non furari: at cessant verba hæc præcepti obligare, vbi natura vult alterius bona huic esse cōmunia, propter ipsius necessitatem. Præceptū est, non occidere: at cedunt verba præcepti, vbi bonum publicum, cui magis intendit natura quàm particulari, suadet morte vindicāda esse scelera inquietorum hominum, aut vbi defensio sui ipsius fieri non potest sine enormi læsione alterius. Nec præceptum dandi eleemosynam datum omnibus, aliter obligat quempiam quàm iuxta rerum suarum facultatem. Nam docuit filium suum Tobias dicens: Fili quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. Ex quo vlterius consequitur, si nihil tibi fuerit, etiā nihil tribuas, præter bonam animi affectionem, quæ, modo velis, nunquam tibi deest. Quorsum oro, sic docuit vir sanctus: nisi quia sciuit præceptū eleemosynæ non ad æquale obligare virum opulentum, cui milia sunt auri & argenti in arca, & mediocrem, cui vix pauculi supersunt quadrantes? Certè hanc præceptionem Saluatoris: Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, tam implerunt Petrus & Ioannes, nō relinquentes nisi vilia piscandi retia, quàm Matthæus relinquendo telonium & pecuniarum aceruos. Postquam princeps ordinauit, non debere dimitti captiuos, nisi pendāt singuli pro redemptione vitæ totum quod habent, An non ex illa ordinatione obligatur is, qui potens est rebus, ad multò plura, quàm eius paruę fortunæ? Et ille, nōnne ad plura quàm inops rerum, habendi qualitate interpretāte præce-

Præceptū caritatis aliud exigit pro alio statu hominis.

Habendi qualitas interpretatur præceptū dādi eleemosynam. Tob. 4.

Luc. 14.

præcepti obligationem? Vides quàm diuersimodè & ad actus inæquales obligat diuersos vnum atque idem præceptú ob inæqualem vel naturæ, vel status, aut rerum conditionem eorum quibus datú est? D. Video. M. Vidésne præterea, quòd verba quibus exprimuntur præcepta iuris naturę, non diutiùs, neque ad maiora obligant, quam dictamen expostulat naturæ? D. Et hoc clarè video. M. Idem ergo tibi cogitandum est de præcepto dilectionis Dei ex toto corde, quod est primum & vltimum, potissimúmque præceptum iuris naturæ. Nam ad aliud obligat paruulum, ad aliud virum, ad aliud corruptum, ad aliud natura integrum, ad aliud vulneribus saucium, ad aliud virtute & gloria circundatum: ad multò enim plura obligatur is, cui viuax, integra, incorruptaque est natura, vt erat tempore innocentiæ, quàm is, qui post peccatum viribus fractis ac viciatis in omnem cæspitat partem. Ad multò autem maxima obligatur is, qui habet naturam non solum plenè restitutam: sed & lumine gloriæ, & habitu immortalitatis ad omnia potentem citra retardatione, ipsa naturæ conditione interpretante obligationem verborum mandati. Nam & infans vt nihil intelligit de Deo: ita nihil offendit, etiamsi nō amet, nec cogitet Deum: Noluit enim Deus suis præceptis expressiuis iuris naturæ, obligare ad aliud, quàm ad quod ipsa natura obligat. Sed nec verba istius præcepti probè intellecta vnquam plus exigunt, quam conditio naturæ potest: rectè enim dicimur facere toti, quod pro naturę facimus possibilitate.

Naturæ conditio interpretatur interobligationé verború præcepti.

Quòd significatio totius non consistit in indiuisibili: sed magnam habeat latitudinem, quodq; ea ratione caritas incrementa sua habeat. CAP. VI.

M. Otum, perfectum, omne, infallibiliter sese comitantur, vt vbi vnú sit, reliqua esse oporteat. Siue igitur dixeris, Diliges Deum ex toto corde, siue ex omni corde, siue perfecto corde idé significas. Verùm perfectio significata per hanc vocem perfectus, habet suam latitudinem, vti demonstratu facillimum est ex vno illo Apostoli, Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si quomodo apprehendam, &c. Subdit, Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Ecce Apostolus, quia nondum assecutus erat brauium supernæ vocationis: ideo se nondum perfectum asserit. Quia autem pleno amore totum se extendebat, vt aliquando apprehenderet, omnibus alijs posthabitis: ideo connumerat se inter perfectos. Propter iustitiam, quæ inerat pro capacitate huius vitæ, se perfectum: propter eam verò quæ adhuc expectanda erat in futura vita, se imperfectum asserens. Lege Augu. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorú, cap. 7. & inuenies eum idem ex eodem loco Pauli demonstrare quod ego. Obsecro Domine, inquit Ezechias, memento quęso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est corá te fecerim. An sanctus rex dicere voluerit: q̄ egerat hic tá perfectè coram Domino, quàm sancti in cælis? Absit. Attamen, inquit, quòd perfecto corde ambulauerim coram te, Domino dictum eius miraculo approbante: vt sit verum aliam esse perfectionem viæ, aliam patriæ. Quapropter & plenitudo significata per vocem Totius non in indiuisibili cōsistit: sed suam latitudinem habet. Certum enim est in nullo statu, ne innocentiæ quidem, aut fœlicitatis æternæ sic vnicè aut sic toto corde diligi Deum, vt nihil simul diligatur cū Deo. Nam mox post primum præceptum subijcitur secundum, quo iubemur diligere proximum, sicut nosmetipsos. idque simul quando diligimus Deum ex toto corde. Erit autem proximus meus multò mihi proximior in eo quàm modò: quia tunc totus mecum & in Deo, & in eadem gloria, & in eadem immortalitatis vita: magis ergo tunc diligendus à me quàm modò, cùm nihilominus quàm maximè diligēdus erit Deus ex toto corde. Hoc tamen differentiæ est, quòd in cælis vbi clarè intuebimur quàm sit Deus omnia in omnibus, nihil in nobismetipsis, nihil in proximis, nihil in alijs amabimus, nisi quod Dei est: ita quòd amor erga nos vel proximos minimè impediet totius cordis, animæ & mentis lationem in Deum, eritque ibi inuenire illud Euangelicum vnum, quod elegerat Magdalena. Hic verò diligimus & in proximo, & in nobismetipsis etiam quod humanum est ac caducum, & nonnunquam parum gratum Deo, varieque distrahimur per officia naturæ, officia pietatis, officia domestica, officia denique publica & priuata. Quę tametsi non prorsus impediant, quin possit homo toto corde diligere Deum, & quantum ius naturæ requirit & quantum verborum præcepti significatio exigit, iuxta consuetum modum scripturarum: ac habeant crebrò non modicum laudis ac meriti: dicit tamen Saluator ad pientissimam Martham his verbis, Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, nempe sepositis omnibus

Perfectū, totum, & omne sese comitantur.
Significatio perfecti habet suam latitudinem.
Philip. 3.
4. Re. 20.
Plenitudo significata in voce totius habet magnam latitudiné.
Luc. 10.

Minus toto corde diligitur Deus hic q̃ in cęlis. Minus ex toto corde diligebatur Deus tẽpore legis q̃ tẽpore Euãgelij.

Philip. 3

bus vnicè inhærere Deo, quæ pars non auferetur ab ea. Quam ob caussam verissimum est, quòd minus vnicè ac purè diligitur Deus hic quàm in cælo, atq; ideo minus toto corde hic quam ibi. Sicuti minus clarè, minùs vnicè, minusque purè diligebatur Deus in veteri Testamento quàm nunc in nouo, quòd vmbræ legis haberent non parum tenebrarum, licebatque tunc magis affectu inhærere temporalibus quàm modo, quòd illa tunc promissa essent à Deo in præmiũ virtutis & obedientiæ, quæ eadẽ nunc per Euangelium docentur posthabenda, proijciendaque, plus dico, æstimanda vt stercora, quemadmodum Paulus loquitur, [illegible]que Deo ac cælestibus intendendum tanquam veris verè Euangelicæ virtutis præmijs, itaque tunc minus toto corde quàm modo: attamen etiam tunc reuera toto perfectoque corde diligebatur Deus à Dauide, ab Ezechia, alijsque Sanctis, iuxta attestationem scripturæ. Dico tertiò minus vnicè, minusque purè diligitur nunc Deus ab animabus Sanctorum, quám diligetur ab eisdem post resurrectionem corporum: q nunc earum amor per naturalem affectionẽ ad sua corpora, aliquantulum retardetur ab omnimoda plenitudine caritatis. Prout oculatissimè perspexit D. Bernardus in tractatu suo de diligendo Deum. Quibus corporibus reassumptis, & per beatitudinem immutatis ab infirmitate in virtutem, ab ignobilitate in gloriam, á corruptibilitate in incorruptibilitatem, ab animalitate in spiritualitatẽ, penitus expurgatis concupiscentia, lege membrorum, peccato habitante in carne, ac ceteris huiusmodi: tum demum diligent Deum omni totalitate cordis, animæ, mentis, omniũmque virium, implendo quidquid aliqua ratione, in significatione verborum præcepti comparatione sui cõtentum intelligi potest.

Minùs diligitur toto corde à Sanctis antè, q̃ post resurrectionẽ corporũ. 1. Cor. 15.

Quanquam autem non sit in omnibus pro omni statu par facultas præstandi æqualem gradum dilectionis: omniũ tamẽ est habere voluntatem seu affectionem præstandi tantum, quantum diuini numinis maiestas, rerũque ab ea dependentium ordo requirit, pręstando interim quantum pro naturæ suæ infirmitate rerumque indigentia valent, haud secus atque illi, qui ex animo affecti pauperibus, cupiunt reuera ac optant se posse tantum præstare, quantum illorum inopia requirit, tantúmque simul præstant, quantum pro suis facultatibus possunt. Vt & illud Apostoli: Velle quidem adiacet mihi, perficere autẽ bonum non inuenio: etiam suum locum habeat in præcepto caritatis. Ex quibus manifeste consequitur, etiam ipsam caritatem habere suos gradus, suaque incrementa, vt maior pleniorque sit in vno quàm alio: imò nũc minor, nunc maior in vno eodemque homine, dicente Domino: Simõ Ioannis diligis me plus his? Et illud, Cui autẽ minus dimittitur minùs diligit. Vnde B. August. Virtus, inquit, est caritas, qua id quod diligendũ est, diligitur: Hæc in alijs est maior, in alijs minor, in alijs nulla. Plenissima verò quæ iam non possit augeri q̃diu homo viuit est in nemine.

Rom. 7.

Caritas habet suos grad⁹.

Ioan. 21. Luc 7. August. Epist. 29.

Quod autem contingat habere hic caritatem, reuera in suo genere perfectam, demonstrat illud Ioannis, vt cetera taceam, dicentis: Qui autẽ seruat verbum eius, verè (nota verè) in hoc caritas Dei (haud dubie illa qua hic diligitur Deus) perfecta est: nequaquã tamen consummata, aut ea perfectione plenã, quam habitura est in cælis. Cor enim hominis ex amore obseruantis mandatum Dei, perfectum est cũ Domino sicut scriptum est. Erat cor Asa perfectum cum domino Deo suo cunctis diebus suis. Et illud: Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo, sicut cor Dauid patris eius. Est autem inter perfecta inuenire perfectius & perfectissimum.

Caritas aliquomodo perfecta etiam hic potest haberi. 1. Ioan. 2.

3. Reg. 15.

Vt igitur respondeam quæstioni tuæ: vtique potest & obseruari & impleri præceptum caritatis in hac vita, & quidem eo modo, vt gratiam, vt laudem vt bonum meritum inuenias aqud Dominum Deum pro tua præcepti sui impletione: nedum eo modo, vt culpam transgressionis euadas. Ratio est: quia potest homo hìc diligere Deũ toto corde, tota anima & mente tantùm, quantum ius naturæ requirit pro peregrinationis statu, tantum etiã quantum significatio verborum præcepti postulat, modò intelligantur secundum eam phrasim, quę passim in vsu est, per omnem Scripturam sacrã, quoties sermo occurrit, vel de reuertendo ad Deum, vel de inquirendo Deum ex toto corde, vel de ambulando post Deũ siue corã Deo, aut de seruandis mandatis eius ex toto corde, aut ex corde perfecto: quanquam interim cor simul alijs aliquo vsq; afficiatur, etiam ijs nonnunquam, quæ in Deum referri nequeant: vt sunt vana, ociosa, repentina, lubrica, motus petulantes, concupiscentiæ leuiores: dummodo fundamentum cordis, finisque amoris tui, maneat Deus.

Responsio ad quęstionem, an hoc posset impleri præceptum caritatis.

Cur enim verba data ad exprimendã obligationem iuris naturæ, vltra naturæ exigẽtiã aut vires obligabunt? Cur quod humano idiomate expressum est, secus intelligetur quàm iuxta proprietatem eiusdẽ idiomatis? Aut aliter q̃ intelliguntur similia verba dum sermo est inter ipsum Deum & hominem, de faciendo aliquid ex toto corde? An in alijs iudicat Deus

Notatu digna.

factum

factum ex toto corde, quod ex animo pro naturæ possibilitate factum est: in solo autem præcepto caritatis, non censet dilexisse quempiam ex toto corde, anima, mente, nisi omnes affectiones cordis, omnes facultates animæ, omnesque considerationes mentis actu conuertat in Deum, ac velut sui suorumque & omnium tandem functionum oblitus, nihil quærat, nihil appetat, nihil consideret, nisi vnum Deum? Alienum est, somnio dormitantium confinius, quàm rectę rationi probè iudicantium.

Quomodo diluendæ sint quorūdam obiectiones quæ hîc fieri solent. CAP. VII.

D. Obiectio ex D. August.



AVdiui tamen, & quidem sæpiusculè B. August. eius esse sententiæ, quòd præceptum diligendi Deum ex toto corde impleri non potest in hac vita. M. Aut certè tu audisti malè, aut dixerunt illi non bene: talis enim assertio nusquam inuenitur in libris B. Augustini. Nam quomodo sic doceret, qui expressè dicit cap. 69. de natura & gratia. Eo quippe ipso quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse pręcipere, hinc admonemur, &c. Omnia quippe facilia sunt caritati. Et paulò inferius: Conuersus ergo quisque sicut ibi (scilicet in Deuteron. 30. cap.) ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit graue, multò ergo minus impossibile. Quomodo est enim graue cùm sit dilectionis mandatum? Ecce quàm expressè de ipso præcepto dilectionis loquitur. Aut enim quisque non diligit, & ideo graue: aut diligit, & graue esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israël, cōuersus fuerit ad dominū Deum suum, ex toto corde, & ex tota anima sua. At deinde edisserens possibilitatē implendi præceptū dilectionis proximi subiungit illud Apostoli: Plenitudo ergo legis caritas. Hucusque August. Cur autem plenitudo legis dilectio: nisi quia plenè implet pręcepta legis caritas? Non vtique illa plenitudine quæ in cælis erit: sed ea quę hîc habetur in terris. Præcepta autem prima præcipuaque legis, sunt duo mandata caritatis. Profectò aliud est quærere, An præceptum caritatis impleri valeat in hac vita: aliud, An possit impleri ipsamet caritas, aut ipsamet iustitia, dū sumus in hac vita. Nam ibi quæritur, An valeat in isto mundo verè, & cum laude fieri id, ad quod vrget obligatio præcepti: hîc verò, An sit possibile dum peregrinamur à Domino, habere caritatem, & in ea plenitudine, vt

Solutio ex eodē.

Ioan. 13.

Aliud quęrit qui interrogat de pręcepto caritatis: aliud qui interrogat de ipsa caritate.

maior fieri nequeat. Docet vtique de posteriore quæstione D. August. varijs in locis aduersus hæreticos, neque iustitiam posse, neque caritatem hîc haberi plenam ac consummatam. Quia vtriusque plenitudo spectat ad præmium cælestis beatitudinis: qua nostra hîc militantium dilectio iustitiaque tandem coronantur, valdè seriò passim inculcans, in hoc mortali corpore neminem mortalium posse Deum diligere toto corde secundum omnem rationem totalitatis, vt ita dicam, eaque plenitudine, qua diligunt eum Sancti in cælis. Potissimùm autem libr. de perfect. iust. contra Celest. vbi expressè tradit, Quòd iustitia ac caritas tunc augebuntur & implebuntur, quando cōtemplabitur homo, quod anteà credebat, &, quod sperabat, adeptus erit, in qua, inquit, plenitudine caritatis præceptum illud implebitur, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus. Subdit, Tunc erit iustus sine vllo omnino peccato: quia nulla lex erit in membris eius repugnās legi mentis eius: sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. In quibus verbis, si bene obscrues has voces, In qua plenitudine, Non omnino, Prorsus, quas sollicitè adiecit August. clarè videbis eum non significare, quòd hîc non impleatur præceptum caritatis: sed quòd hîc non impleatur ea plenitudine, qua implebitur in cælis, quòdque non omnino ac prorsus toto corde hîc diligatur Deus, quomodo diligetur quando & nihil erit carnalis concupiscentiæ, & aderit perfectio felicitatis æternæ. Aliud enim est diligere toto corde, aliud diligere prorsus sicut omnino toto corde, hoc est perfectissimè, toto corde, absque omni penitus remora aut distractione. Nam posterior hic modꝰ requirit omnem plenitudinē, quæ in verbo totius intelligi potest, ad priorem verò modum sufficit verè attigisse eam plenitudinem quæ secundum tropum sermonis cōmuniter in voce Totius intelligitur, & secundū naturę possibilitatem adesse valet, adiuuante gratia Dei, quod semper in hac materia pro expresso haberi volumus. Adhæc, aliud est implere hoc præceptum perfectè perfectione viæ, aliud perfectè perfectione patriæ. Quemadmodū alia est perfectio currentis, alia apprehendentis: quas duas perfectiones exprimit simul Apostolus vno & eodē loco, vt diximus suprà, & easdē August. fusissimè ex Paulo declarat

Aliud est diligere toto corde, aliud prorsus ac omnino toto corde diligere.

Alia est perfectio viæ alia patriæ.

lib.3.contra duas epistolas Pelagianorū cap. 7.& de peccatorum meritis cap.15. & 15.ac alijs. Sunt autem prædictæ distinctiones adeò pertinentes ad hanc materiam, vt qui eas nō aduertunt,& perperam intelligant August.& concedendo præceptum dilectionis nō posse in hoc mortali corpore impleri, sine caussa arma offerant aduersarijs quibus iugulemur. Quando autem eodem libro de perfect.iust. sic interrogat August.Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio,quamuis eam nemo in hac vita habeat? Hoc duntaxat voluit interrogare,Cur non præscriberetur dilectio ea forma sermonis,in qua posset simul intelligi expressa etiam illa perfectio, quæ nō hic, sed tantummodo haberur in cælis. Et respondens sibi August.dicit,Quia non rectè curritur,si quò currendum est,nesciatur.Quo autem modo sciretur,si nullis præceptis ostenderetur.Hęc August.Expediebat itaque præceptum sic poni, vt non solùm constaret ex verbis eius quid agendum: sed & quò currendum, vtque hic diligeres toto corde, quantū pro statu viæ tibi possibile est, & eò anhelus festinares, vbi prorsus ac plenissimè fertur amore in Deū tota anima, totū cor, omnesq; vires, & quātū cōuenit pro dignitate rei quę diligitur, & quantū fieri potest pro possibilitate eius naturæ,quæ iam deificata est,nedū quàm optimè disposita. Non autem sic intellexit August.illa sua verba, Cur non præciperetur homini,hoc est, cur nō poneretur homini mortali, pro statu huius viæ, in obligationem ea perfectio, quæ nunquam hic: sed tantummodo in cælis habetur? Quia longè aliud testatur tota deductio eius loci, longeque aliud luce clariùs exprimunt alia eiusdē auctoris loca. Nam super Psal.56. loquens de implendo mandato caritatis sic inquit, Neq; enim imperaret hoc Deus vt faceremus, si impossibile esse iudicaret,vt hoc ab homine fieret. Et rursum lib. de Spiritu & litera cap.36. Neq; enim si nondum esse potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæq; debetur,iā culpæ deputandū est. Aliud est enim totam nondum assequi caritatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrē debet homo,quamuis lōgè minùs amet Deū, quàm eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum. Sicut etiam in his, quæ adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari,quāuis non possit in fulgentissima luce defigi. Hæc August. Quis autem audebit dicere, stricto iudicio Dei requiri ab infirmo fortia,ab infantilibus membris virilia facta, aut à sedentibus in regione vmbræ mortis exactam omniū perspectionem? An iniquitas apud Deum? Absit.

D. At nostro malo, nostrorumque parentum demerito, incidimus in hanc impotentiam præstandi quod Deus iubet: merito igitur imputat Deus,si non præstamus.

M. Quàm diu fuimus in Adam, nōdum expoliati veterem hominem, quia nondum renati in Christum: tam diu contracta mala ex Adam imputari nobis possunt. Verùm facta regeneratione & renouatione per Baptismū, in quo & veterem hominem expoliamur, & nouum induimur, qui est secundum Deum in Christo,nihil iam nobis eorū quæ contracta sunt ex Adam imputari potest in peccatū,aut culpam,aut damnationis caussam,dicente Apostolo:Nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu,qui non secundum carnē ambulant,hoc est,qui non sua voluntate gradiuntur eò,quò malè inclinat caro. Quàm diu enim sumus in Adam,demeritum, corruptela,impotentia,rebellio, quæ per Adam inuecta sunt,nobis nocent, nosq; peccati reos tenēt:quia aliquo modo nostra sunt, si nō propria,saltem primi parentis, in quo adhuc sumus,volūtate. Quàm diu verò sumus in Christo, Christi meritum, Christi gratia, Christi satisfactio,nobis proficiunt ad laudem,ad iustitiam,ad profectum virtutum, ad gloriam: adeò quòd illa quę est relicta in renatis impotentia,ignoratio,fomes,aut alia quęuis habitualis virium rebellio post sacrum fontē Baptismi, nequaquam peccatum est, quo Deus offenditur:sed miseria,sed vitium naturæ,sed bene agēdi,bene viuendi, exercendæque virtutis materia: vt qui legitimè certauerit, coronetur: reddatque Deus vnicuique secundū opera sua.

Concupiscentię in nō imputatur Christianis in peccatum.

Rom. 8.

D. At interim vitium illud exundat subinde in actuales concupiscentias, quibus distrahitur cor, auertiturque non rarò à Deo etiam in sanctis Dei hominibus.

Obiectio tertia.

M. Nimium subinde, prô dolor, nimiumque multifariàm,adeò vt propter hoc vitium verissimæ sint hæ scripturarū sententiæ, Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus,ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quas sententias voluit Deus in voluminibus sacris seminatas esse, vt humiliemur, & continuo precemur, Dimitte nobis debita nostra: qualiter orandum est omnibus in hoc mundo ex præscripto Saluatoris Matthæi 6. Lucæ 11. Nequaquam tamen ex hoc cōsequitur, Ideo nemo mortalium diligit hic Deum toto corde, anima, & mente: sed hoc tantummodo cōsequitur,Ideo nemo diligit toto corde secundum

Solutio

Eccles.7.

Psal 142.

1.Ioan.1.

Matth. 6.

cundum eam plenitudinem, quæ erit in cęlis, cui nihil deest, nihil potest perfectionis accedere. Hoc quoque consequitur, Igitur nemo mortalium, etiam dum amat Deum toto corde, potest dicere, sine peccato sum. Nam ipsa remora, ipsa surreptio, ipsa distractio, ipsa tristitia, ipsa fatigatio, ipsa affectio ad suauia secundum sensum, ipsa solicitudo, ipsa turbatio erga multa, ignoratio, obliuio, cessatio, quam aut quas ingerunt partim concupiscentia, partim infirmitas, partim incolatus, partim priuata, partim publica, partim aliena, partim propria negotia, subinde secum peccatum habent, subinde etiam ipsamet peccata sunt: sed talia peccata, qualia inter minuta & venialia computantur, quàm diu non sic auertunt hominem à Deo, vt cor suum alijs apponat, aliáue Deo præferat, vel æquet.

Quarta obiectio. D. Audio tamen ab August. doceri quòd pertineat tantummodò ad vitam immortalem cælestis beatitudinis, diligere Deum ex

Solutio. toto corde, tota anima, &c. M. Augustinus quando sic docet libro de Spiritu & litera cap. vlt ac alijs locis, sicuti nunquam adducit vocem Tantummodo, ita omnis eius deductio & declaratio clarè ostendunt, eum sua verba intelligere de omnimoda totalitate, vt sic dicam, ac plenitudine cordis, cui nihil desit, cui nihil possit accrescere per gloriā. Quia si restat aliquid addendum, iam non erit omnino totum. Quomodo & intelligebant vocem Totum in præcepto caritatis osores gratiæ Dei, contra quos disputat ibidem, & in multis alijs locis D. August. ostendens neminem posse hic assequi perfectam consummatamque iustitiam, qualem habituri sumus in cælo, quod tamē illi contendebant posse fieri, quia nemo potest tantum, tamque perfectè toto corde diligere Deum hic, quàm in cęlo, sub ergastulo inquietæ carnis, quàm in gloria supernæ beatitudinis. Dicimus quidem omnes verissimum esse, quòd regula iustitiæ est caritas præcepta. Cęterùm sicut caritas suscipit incrementa, ita & iustitia qua iusti sumus coram Deo. Adeò vt D. August. dicat, Caritas inchoata, inchoata iustitia est: caritas prouecta, prouecta iustitia est: caritas magna, magna iustitia est: caritas perfecta, perfecta iustitia est. sed caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod sanè addidit, ne putet quis eum loqui de quacunque dilectione inchoata, prouecta, magna, perfecta: sed de ea quæ finis præcepti est, quę sola antonomasticè & consuetoe modo scripturarū vocatur caritas: licet alioqui vox Caritas significet omnē dilectionē. Qualis caritas de corde puro, &c. si finis est præcepti, ergo citra dubium implet id, ad quod stringit ista præcipua Dei iussio, Diliges dominum Deum tuū ex toto corde, ex tota anima, &c. Nam si non implet, non rectè dicitur finis præcepti: nam quid est aliud implere præceptum, quàm sic facere opus præceptum, vt finem intentum attingas, & laudem, bonumque meritum apud præcipientem inuenias? Quare nec facilè est acquiescendum illis, qui opinantur August. eo loco distinguere inter caritatem de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, & caritatem qua diligitur Deus ex toto corde. Nullo autem modo sunt audiendi sectarij, qui fingunt nos indesinenter peccare, & contra præceptum caritatis, & contra illud: Non concupisces, vt statuant ista sua caeodidagmata, Homo in omni opere quantouis bono peccat, Nemo iustus iustitia intrinseca: si qui iusti dicuntur, extrinsecus iusti sunt iustitia quæ in Christo est, Sola fides iustificat & saluat, Nullus apud Deū respectus ad opera nostra bona, ac plura alia, non minus horrenda. Tales, dico, nullo modo sunt audiendi, quia prorsus à via veritatis deuiant. Et dum per se sua noua inuentione consultum, pieque subuentum pauidis & afflictis conscientijs iactitant: non nisi meras desperationes docent. Quid enim adeò illaqueat desperationum funibus, atque persuasum habere, Non posse impleri præcepta Dei, Non posse hominem in omni opere suo non peccare, Non valere nos assequi vllam rectitudinem iustitiæ: ne gratia quidem Euangelica sanante & adiuuāte vires nostras? Sanè nihil. Valeant igitur nouatores isti cum suis desperabundis inuentionibus: tu autem sectare veritatem, quæ & lucem habet, & cultoribus suis vitam præbet.

Caritas præcepta regula est iustitiæ nostræ. Aug. de natu. & grat. cōtra Pelag. ca. 70.

Quibus scripturis demonstretur posse hic impleri præceptum caritatis. CAP. VIII.

VT autem certo certius cognoscas rectè à nobis doceri, posse hominē hic in mortali corpore diligere Deum ex toto corde, anima, & mente, iuxta exigentiam præcepti, adhuc vnam subaddam ex scripturis demonstrationē. Venit ad Iesum quidam Legisperitus tentās eū, & dicens: Magister, quid faciēdo, vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respōdens dixit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximū sicut teipsum. Dixitque illi. Rectè respōdisti, Hoc fac & viues. Obserua pręcor

M. Hominē posse implere hic caritatis præceptū demōstratur ex Euāgelio. Luc. 10.

cor hic ſingula. Quærit ille, Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Remittit Chriſtus ad legem: illoque proferente mandatum dilectionis præſcriptū in lege, reſpondet Chriſtus, Hoc fac, & viues. Quę hic inſinuatio impoſſibilitatis? Immo quæ non hoc loco demonſtratio poſſibilitatis perficiendi quod propoſitum erat? Nam ſi factu erat impoſſibile, Cur dicit Chriſtus, Hoc fac? Nunquid falſum reſpondendo fallere voluit ipſa veritas? Interrogabat ille de eo quod hic eſt faciendum, vt ad vitam æternam perueniatur. Itaque ſi id quod mandato dilectionis præcipitur, fieri nequit in hac mortalitate, debuiſſet dicere Saluator, Fili relinque illud mandatum: quia ad futuram duntaxat ſpectat immortalitatem, neque pręceptum eſt vt fiat in hoc mundo: ſed vt per ipſum quò ſit tendendum hominibus inſinuetur. At nunc reſpondet Saluator: Fac hoc, non autem, Diſce ex hoc, aut quantum tibi hic deeſt, aut quò ſit tibi properandum, vt tádem facias: verùm, Fac hoc nunc temporis: quia verbum Fac præſentis tēporis eſt, & modi, quo imperatur quod actu fieri debet. Quid autem hoc? Hoc, dico, quod mandatum legis per te citatum præcipit nempe diligere dominum Deum ex toto corde, &c. Egòne hic dicam, Non potuit ſic diligere is, quem Chriſtus hortatur vt diligat ſicut præceptum eſt? Nec dicit duntaxat Chriſtus, Fac hoc: ſed addit, Et viues. Viues, inquā, hoc faciendo. Ne arbitreris quòd faciendo hoc, ſolummodo culpam euades tranſgreſſionis. Viues, inquam, non ſanè corporali vita, qua iam vixiſti tempore multo: ſed viues vita illa, quæ ſemen eſt & prægustatio illius vitæ æternæ, de qua quæris: imò quæ eſt veraciter ipſamet vita æterna. Itaque fili certiſſimum habe ex ſententia Saluatoris, & poſſe hic fieri hoc quod mandato dilectionis præcipitur, & poſſe ſic fieri, vt per id viuas vita gratiæ, hoc eſt, vt iuſtus à Deo tuo efficiaris, viuendo iam vitam, quæ ſecundum Deum eſt. Nam quod poteſt viuificare hominē, poteſt & iuſtificare, dicente Apoſtolo: Si data eſſet lex quę poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Quod Pauli argumētum fuſiſſimè tractauimus lib. 1. Tract. 2. Non hic diſputamus, An noſtris ſolius naturæ viribus poſſimus implere præceptum caritatis, aut noſtris dilectionibus nos viuos aut iuſtos facere. Scimus enim id diuinæ eſſe gratiæ per fidē, quæ eſt donum Dei, & per caritatem deſuper diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Nec Chriſtus hic moratur, An gratiam habuerit Legiſperitus, quanquā ſine gratia, nec hoc pręceptū poſſet

Quod potest viuificare, potest & iustificare.

Ephes. 2. Rom. 5.

Præcepta nō implētur sine gratia Dei.

impleri, nec alia. Sciuit enim homini credenti, qualis erat Legiſperitus, dum facit quod in ſe eſt, non deeſſe gratiam neceſſariam ad faciendū, quod Dei ordinatione factum oportet. Dicat autem nunc aliquis, An'ne implere præceptum ſit, ita facere opus pręcepti, vt placeas præcipienti, illeque tibi, & vitam addat & iuſtitiam? Si eſt igitur Chriſti ſententia, qua eleuantur vniuerſa, poteſt præceptum dilectionis, in ea forma qua latum eſt in lege, & renouatum in Euangelio cuſtodiri, obſeruari, impleri à mortali homine, & quantum ſatis eſt præcepto, & quantum gratum eſt præcipienti, & quantum expedit facienti, ad magnam ipſius vtilitatem, nempe, vt per hoc vitam conſequatur æternam. Facit enim quantum obligatio præcepti pro hoc ſtatu requirit: idque eo modo, vt faciendo viuat vitam quæ ſecundum Deū eſt. Implere autem omne illud quod vocibus, quibus exprimitur præceptum, aliqua ratione ſignificatum intelligi poteſt, nec tempore naturæ integræ fieri potuiſſet, nec ab animabus ſanctis fiet ante reſurrectionem corporum. Et, An tum quoque fiet tanta, tamque abſoluta plenitudine, vt nihil poſſit intelligi in voce Totius, aut Perfecti, quin hoc inueniatur in vniuſcuiuſq; ſanctorum amore, diſputari poteſt. Nam & Perſonæ diuinæ multò magis toto affectu, & in infinitum maiori plenitudine amoris ſeſe amant, quàm amentur à Sanctis. Et Sancti ſuperni ordinis pleniùs ardentiuſque feruntur in Deum, quàm alij inferioris ordinis: omnes tamen pleniſſimè iuxta capacitatem ſuæ naturę. Omnes enim ſatiabuntur cùm apparuerit gloria Dei. Vis autem vt his ſubiungam ex verbo Dei & aliam demonſtrationem, quæ pauidis conſcientijs non modicam inſerat conſolationem? D. Precor obnixè. M. Ioannes Apoſtolus in prima ſua Canonica epiſtola ponit hanc aduerſatiuam propoſitionem, Qui dicit ſe noſſe Deū, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas non eſt. Qui autē ſeruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta eſt. Mendax quidem ille: quoniam aſſerit ſe habere, quod non habet, nempe notitiam Dei. At in iſto reuera eſt caritas Dei perfecta. Ille, quia non cuſtodit mandata Dei, ne noſcit quidem Deum: Hic verò, quoniam ſeruat verbum Dei, hoc eſt, mandata Dei, non ſolùm cognoſcit: ſed & perfectè diligit Deum. Dicit enim, Qui ſeruat verbum Dei, verè in hoc caritas Dei perfecta eſt. Si autem in tali reuera perfecta dilectio eſt erga Deum: igitur perfectè & reuera implet præceptum. Quis enim laudabit eum, qui Domini ſui mandata non cuſtodit? Aut quis

Pſalm. 16.

1. Ioan. 2. Quo indicio ſciamus nos impleuiſſe præceptum caritatis.

quis dixerit perfectam habere dilectionem erga Deum, eum qui needum diligit, sicut ille se diligendum præcepit? D. Ceterùm, An verè dicitur non agnoscere Deum, quisquis præcepta Dei non custodit? M. Prorsus, etiamsi diuinarum rerum peritissimus existat. Non enim decipit nos Spiritus sanctus: sed vtitur consuetis tropis & schematibus ad captum popularem idoneis, quibus receptissimum est inter homines, vt filius discolus & immorigerus dicatur non cognoscere patrē suum, quoties non iudicat de patre suo, neque æstimat eum, sicuti oportet: non quod ignoret à quo sit genitus: sed quòd se genitoris sui voluntati non magis subijcit, quàm si alienus esset. De appretiatiua enim notitia sermo est, qua dicitur Matth. 7. Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, hoc est, nunquā habui vos, me, meaque felicitate dignos, propter opera vestra mala. Qui itaque non custodit mandata Dei, reuera non æstimat diuinam maiestatem, sicut oportet, quod est non cognoscere. Cui per aduersatiuam subiungendum erat, Qui verò obseruat verbum eius, verè in hoc notitia Dei perfecta est. Sed maluit Ioannes, vt est planè consolatorius, subiungere quod multò est eminentius dicēs: Verè in hoc caritas Dei perfecta est, nedum notitia Dei: eò quòd talis iam præ omnibus & æstimat Deum, & diligit, posthabens omnia illi, & mandatis eius, illi vni tanquam summo bono, summæque maiestati præbens cor suū, vt ipse primas obtineat, ipse in eo regnet & dominetur, non peccatum, non concupiscentia, non lex membrorum aut mundus, dicente Apostolo: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Quibus profectò non obeditur, quando sic cordialiter diligitur Deus, vt per omnia seruetur verbum eius: quod est perfectæ caritatis. Totum autem & perfectum inseparabiliter sibi mutuo cohærent: neque enim per fectum esse potest, quod partim est, neque totum dici, quod est imperfectum: Et quomodo conuenit vnum alicui, conuenit & alterū eidem. Vbi enim caritas perfecta perfectione viæ, ibi & ea totalitate cordis diligitur Deus, quam est inuenire in viatoribus. Vbi caritas perfecta perfectione patriæ, qualis est in Sanctis, ibi & simili totalitate diligitur Deus: vt crescente plenitudine vnius crescat plenitudo alterius: consummato vno sit consummatum & alterum. Regula itaque Apostolica, ex qua licet pijs colligere, An verè obseruent primum præceptum caritatis, est, quam ponit Ioannes in prima sua epistola Canonica capite secundo & quinto dicens: Qui seruat verbum Dei, verè in hoc caritas Dei perfecta est. Item, Hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quibus accedit & illud Christi dicentis: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Igitur qui post Baptismum sic adhæret Deo, corde, anima, mente, per sincerum amorem, vt nihil committat eorum quæ à Deo vetita sunt, nihil etiam omittat eorum, quę illius mandato sunt præscripta: & id quidem ea de caussa vt in nullo maiestatem Dei exasperet, aut offendat, aut colat minus quàm oportet, is reuera obseruat & implet primum mandatum caritatis, is viuit, is iustus est, & filius Dei secundum veritatem. Cui si obrepat quippiam fallacia concupiscentiæ, distrahens cor alio, vt fit nō raro, clamet continuo ad Patrem, cuius adhuc filius manet, Dimitte nobis debita nostra.

Quo sensu dicatur non cognoscere Deum qui mandata eius non custodit.

Roma. 6.

Totum & perfectū non separantur ab inuicem.

Scripturæ indicātes quādo impleamus mandatū caritatis.

Ioann. 14.

Qui debeant intelligi sub nomine proximi in secundo præcepto caritatis. CAP. IX.

D. Secundum præceptum simile illi priori est, Diliges proximum tuū sicut teipsum. M. Sic manifestè habent tres Euāgelistæ Mattheus, Marcus, Lucas, atque Paulus Apostolus. Pro huius autem mandati elucidatione demonstrandum erit ex verbo Dei: primum quid sit dilectio: deinde qui nomine proximi significentur: tertiò quousque se extendat illud, sicut teipsum: quartò, An istud eo modo fuerit in lege præceptum, quomodo in Euangelio: postremò, An nullum inueniatur discrimen dilectionis, qua bonos ac pios diligo, à dilectione qua diligo malos ac impios tanquam proximos: item dilectionis qua diligo sanguine iunctos, à dilectione qua diligo tanquam proximos, eos qui & à sanguine & à notitia mea sunt alieni. Tu de primo primum dicito. D. Proximi nomen ad aliquid est, nec quisquā nisi proximo proximus esse potest. M. Vnum quidem, sibi idem est: at proximus dici non potest, nisi inter duos, idque relatione vtriusque ad alterū. Non anima mea mihi proxima, neque caro mea, sed anima mea, & caro mea sunt, ego sum. illa animans, mea vita est, ista animata, mea viuens substātia est: ego vero ab vtrisq; simul iunctis indiscretus: Quæ veró à se distincta sunt, & nihilominus sine medio iuncta, illa sibi proxima dicimus. & quidem proxima secundū id quo sine medio coniuncta existunt. Secundum naturā pinum pino, pyrum pyro proximam esse constat, etiam si loco q̄ longissimè distent. Secundum situm verò pinū pyro proximā fatemur, si pro-

De secundo mandato caritatis.

Proximꝰ non nisi relatione ad alium dicitur.

si proximè illam crescat, etiamsi natura sit ab illa quàm alienissima. Quod te præmonitum volumus, vt incipias animaduertere, primò, hominem posse homini proximum esse non vna tantùm ratione, sed varijs, sed pluribus, nempe natura, gente, sanguine, religione, redemptione, felicitate, gloria: & alium quidem pluribus, alium verò paucioribus rationibus. Secundò non dici hic quempiam proximum, quia situ, aut sedibus, aut accidente: sed quia natura adeo est propinquus, vt propinquior esse nequeat: quia si propinquior fieri potuit non erat vtique proximus. D. Quis igitur meus proximus secundum sensum mandati?

Vnus alteri pluribus rationibus proximus esse potest

M. Sic quærebat Legisperitus à Saluatore Luc. 10. Cui arguta admodum & pulcerrima quadam parabola demonstrauit Saluator omnê hominem omni homini esse proximû. Vti facillimè perspicies, si probè perpendas verba & factum Domini respondentis. Nam Dominus audita interrogatione Legisperiti mox suspexit ad modum ingemiscentis & admirantis ineptiam hominis, quòd ipse enutritus in lege, & titulo eruditionis candidatus, velut dubius interrogaret de eo, cuius idiotę imo bruta animantia satis exactam notitiam habent: omne enim animal diligit sibi simile, & homo proximum suum, idque instinctu naturæ, etiamsi nihil vnquam de lege vel Euangelio audierit. Introducit itaque Dominus hominem Samaritanum alienum á lege, & quærendæ salutis notitia, qui ex sola naturali ratione intellexit sibi proximum esse illum, in quo nihil aliud potuit cognoscere quàm quòd homo esset. Nam cùm pertranseundo casu in via repperisset quendam dispoliatum à latronibus, atque adeò vulneribus saucium, sanguineque cruentatum, vt vix forma ac vita hominis illi superesset: nihilominus vbi cõsiderando intellexisset hominem esse, mox agnouit sibi proximum esse, & tanquam proximum diligendum tractandumque, prout in ea necessitate tractauit, alligans vulnera eius, &c. nulla omnino facta interrogatione, sanguine ne esset, aut gente, aut religione propinquus, meritóne an immerito, iure an iniuria eam calamitaté perpessus. At eo vno duntaxat cognito, quòd homo erat, mox inter proximos annumerandum intellexit, & officium, quod homo debet proximo suo, illi á se debere impendi. Sic iudicauit homo Samaritanus, sicque misericordiam fecit in eum, quem prætererat sacerdos & Leuita vestri Iudaici generis, ô Legisperite, nullo misericordiæ aut humanitatis beneficio in eum collocato. Quis igitur horû triû videtur tibi proximus illi qui incidit in latrones? At ille dixit,

Quis proximus secundû sensum mandati.

Quicunque cognoscitur homo esse, debet diligi & tractari tã quam proximus.

Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus. Vade, & tu fac similiter. D. Hoc est tu fac simili modo misericordiam, vt proximus iudiceris eorum quibus eam præstas. M. Nequaquam ille est germanus sensus literæ, qué tu ibi exprimis, neque attingunt sentẽtiam Saluatoris, qui putant Christum hac coronide significasse, inter proximos annumerandos omnes, qui possunt aut tibi facere, aut à te accipere beneficium misericordiæ. Profectò alio, quàm ad responsionem Legisperiti immediatè præcedentem refertur vox, Similiter, nempe ad totam actionem Samaritani. In qua hoc potissimùm erat, quòd reputarit sibi proximum, & vt talem, misericordissimè tractauit eum, de quo nihil aliud cognôuit, q̃ quòd homo esset. Vade igitur Legisperite, & tu fac similiter, hoc est, tu simili modo, intellige, reputa, æstima tibi proximum, quemcunque cognoueris hominem esse, illique sedulò misericordiá impende dû in necessitate constitutum videris: etiamsi nec genere, nec gente, nec religione, nec amicitia tibi proximus existat. Optima sane certissimaque demonstratione ostendens Saluator, & quis sit proximus, nimirû omnis homo, & quomodo idem in sua necessitate diligendus, nempe opere & veritate, vt infrá ex epistola Ioannis Apostoli explicabimus. Diuus autem August. etiã ex ratiocinatione Apostoli qua ad Rom. 13. vtitur dicens: Qui diligit proximû legẽ impleuit. Nam non adulterabis, non occides, &c. in vno verbo instaurantur, Diliges proximum tuû sicut teipsum: demonstrat in nomine proximi intelligi omnem hominẽ. Si enim mandata ibidem dinumerata implentur in vno illo, Diliges proximû tuum sicut teipsum, debet certò nomine proximi omnis omnino homo intelligi, quicunque & qualiscunque sit ille. Nec præter consuetudinem est vetustę scripturæ, vt proxim⁹ dicatur omnis homo. Cùm enim dicit Psal. Nec fecit proximo suo malû. Item, Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum. Item, Opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Proximû, inquit Augustinus, omnem hominem oportet intelligere. Nónne extremæ foret dementiæ, putare aut Psalmistæ aut Apostolo visum fuisse, non esse peccatû, si quis adulterauerit vxoré hominis non Christiani, aut probro, aut iniuria, aut cęde affecerit? Ergo & illi proximi sunt. Nã si Arabs aut Scytha non est proximus, nõ erit prohibitû illorû bona diripere, corpora trucidare, saltum aduersus illos testari. Omnia enim ad quæ obligatur homo homini, implentur in vno illo verbo, Diliges proximû sicut teipsum. At nunc interrogabis qua de caussa, qua

Quo referendum illud, vade, & tu fac similiter.

August. de doct. christi ca. 30. Omné hominem omni homini proximum esse alijs scripturis demõstratur.

Psalm. 14.
Psalm. 11.
Psalm. 14.

Qua de caussa omnis homo omni homini proximus sit.

qua item re sit omnis homo omni homini proximus. D. Iam idipsum vt interrogarem, inter labia erat. M. Dicam igitur. Homo ab homine nec genere distat, nec specie: sed tantummodo supposito. Quod quoniam vltrà diuidi non potest nisi in partes integrales, & accessorias qualitates, rectè à Physicis indiuiduum vocatur. Omnes enim habent eandem specie animam, eandemque specie carnē, nec potest sermone veritatis dici, quòd puer minùs sit homo, quàm grandæuus, aut femina quàm vir, aut Scytha quàm Christianus, aut plebeius minus quàm regia persona. Vna enim eademque natura omnes æque homines sunt: quare & verissima locutione proximi, quia adeo propinqui natura, vt hac ratione propinquiores esse nequeant, nisi ex duobus fiat vnum indiuiduum: Deinde sunt omnes homines proximi inter se, ratione principij à quo, omnes enim ab eodē vitam accipiunt. Itaque fratres: si vero fratres: ergo proximi. D. Homines nunc viuentes, nequeunt referre suam genealogiam in communem aliquē parentem: nisi forte in Noë & Adam. Generalius certè principiū, quàm vt ab eo nuncupetur cognatio aut propinquitas. M. Si protoplastes Adam, & alter mundi parens Noë omnes homines de suis genuerūt visceribus: Igitur omnes reuera sunt inter sese fratres ac sorores: nullo autem non idiomate proximi appellantur, qui inter se fratres esse dicuntur. Quamuis autem in infinita multitudine hominum, secundum leges ciuiles & ecclesiasticas, non nominetur aut colatur cognatio aut propinquitas, nisi comparatione eiusdē principij generationis vsque ad certos quosdam gradus: tamen secundum Scripturam & veritatem natura sunt fratres, ideoque proximi, quotquot sunt eorundem viscerum pignora, hoc est, ab eisdem parentibus geniti. Quemadmodum per omnē Scripturam fratres vocantur qui descenderunt ab eisdem parentibus Abraham, Isaac, & Iacob, etiam post centesimum ac millesimum gradum productæ generationis, Venerunt autem vniuersæ tribus Israël ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. Rursum Dauid ad populum Iudaicum: Fratres mei vos, os meum & caro mea vos. Quare nouissimi reducitis regem? Et Amasæ dici iussit, Nõnne os meum & caro mea es? Sed vt hoc missum faciamus, est & aliud principium, & primo primum ante omnia: & nihilominus proximè proximum omnibus, nempe Deus. De quo Apostolus pronuntiat, Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Etenim ex ipso æquè sumus, quod sumus omnes. Per ipsum æquè conseruāmur quotquot in rerū natura subsistimus. In ipsum denique veluti omniū finem æquè natura aptati sumus, quotquot hominis nomen & naturam gerimus. Nam quidquid egerint progenitores nostri, nihil efficiunt nisi Deus dederit. Neque nascitur homo, nisi ipse desuper infuderit animā, quæ non est ex traduce parentum, sed immediatè à Deo. Et Ananias & Sapphira vxor eius, nunquid dum occumberent, languebant, aut vllum mortis sentiebant indicium? Minimè: sed tantummodo Deo vltra non conseruante eos, propter peccatum ipsorum, subito expirarunt. A Deo itaque conseruamur omnes. Et hoc quid aliud est, quàm continuo vitam ab ipso accipere? Insuper fecit Deus, vt habet Scriptura hominem (itaque omnem hominem) ad imaginem suam: & per hoc sui suæque beatitudinis capacem. Quod posterius neutiquam inanimatis ac brutis animantibus nobiscum commune est. Nam licet illa proximè nos contingant in eo quòd sunt a Deo, & per Deum æquè immediatè ac nos immo immediatiùs quàm nos: quia post alia cõdita sexto die factus est homo, de eo, qui antea erat, limo terræ. Vt habes Genes. 1. 2. Quia tamen non contingunt nos proximè, simul in eo quod est veræ amicitiæ principium nempe in imagine Dei, qua capaces nobiscum essent æternæ fruitionis in Domino. Sicuti Apostolus dicit, Ita frater, ego te fruar in Domino: Quod paulò inferiùs fusiùs explicabim⁹. Ideo non sunt talia computanda inter proximos nostros.

Omnis homo omni homini natura proximus.

Principio generatiuo omnes homines proximi inter se.

Nati ab eisdem parentibus fratres dicuntur secundum Scripturā etiam ad cētesimū vsque generationem. 2.Reg.5. 2.Reg.19.

Principio beatifico omnes homines proximi inter se.

Act. 5.

Philip. 2.

Quod Christianus Christiano pluribus rationibus sit proximus, quàm infidelis fideli, aut infideles inter sese esse possunt. CAP. X.

M. PRæter rationes autem quibus omnis homo omni homini reuera proximus esse demonstratur, sunt & aliæ, quib⁹ peculiariter omnis Christianus omni Christiano est proximus, qualibus nec infideles eū fideli, nec infideles inter se conuenire possunt. D. Et quæ præcor, sunt istæ rationes? M. Esse mēbra eiusdē corporis sub eodē capite: habere eundem Deū Patrem, eandem Ecclesiam matrem, eundem redemptorem Christū, eundem vificatorem Spiritum sanctum, eandem fidem, eadem Sacramenta, idem pabulum salutis, verbum Dei, eundem aduocatum & mediatorem dū peccamus: eandem spem eiusdem vocationis supernæ, dum peregrinamur a Domino. Hęc, inquam, omnia dum eadem habemus nos Christiani, vt sanè omnium æquè participes esse possimus, an non rectè proximi dicimur?

Rationes ob quas sunt peculiariter proximi inter se homines Christiani.

D. Re-

D. Rectissimè, iustissimeque ac summis de caussis, modò ita sese res habeat. M. Rem vtique eo modo se habere ex scripturis demõstratur. Nam Apostolus scribit, vt Ephesij dignè ambulent vocatione qua vocati sunt in hunc modum, Obsecro vos fratres, &c. vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cũ omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in caritate, soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Ecce mentionem, cùm dilectionis qua proximus debet proximum diligere, tum vnitatis conseruandæ in colligatione pacis. Vnum, inquit, corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omniũ, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Cur, precor, tam cordialiter inducit hæc Apostolus? An aliam ob caussam, quàm quia omnem Christianum omni Christiano proximũ faciunt, alia ratione quàm antea proximi erant, habeantque per hoc velut viuum quoddam & efficax incitamentum peculiaris dilectionis, & vnitatis seruandæ inter se Christiani. Dicit etenim. Vnum corpus, supple, est, cuius omnes vos qui Christum induistis membra estis: Christus vèro caput, sicut dicitur: Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Nec ibi sistit, sed addit, Vnus spiritus, supple, est, quo viuificẽtur & sanctificantur quotquot sub Christo viuunt & iusti existunt. Non enim alio spiritu viuit in Christo, siue iustus est, nobilis, alio ignobilis, alio diues, alio pauper, alio Præsul, alio Leuita: sed vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Sicut enim corpus vnũ est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tantum corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in eodẽ spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. Et subdens ibidẽ Apostolus iucundissima lectu de harmonia, sympathia, concordia, solicitudine membrorum inter se eiusdẽ corporis, tandem subsumit, vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Ex quo inferendum restat, Ergo omnes vos inter vos proximi. Quid enim adeo propinquum alteri atque membrum membro in eodem corpore? Quæ quot sunt, eodem sunt spiritu: quod quærunt, ad communem quærunt vtilitatem. Diximus quidem suprà, Omnem hominem omni homini natura proximum esse, quòd habeant omnes eandem specie viuificantem animã: multò igitur magis sunt proximi inter se Christiani, qui quod sunt in Christo eodem sunt spiritu: eodem, dico, secundum numerum, nedum secundum speciem: haud secus atque membra eiusdem corporis viuificantur spiritu eodem secundum numerum. Quod procul dubio multò maiorem adsert propinquitatem, quàm habere natura specie eandem. D. At non omnes Christiani viuificantur spiritu Christi. M. Hoc licet verum sit: nemo tamen Christianus de alijs sic iudicare debet, quamdiu Sacramento, confessione, consensu manet in gremio matris Ecclesiæ: sicut docuimus lib. 2. Tractat. de Ecclesia. Esset enim huiusmodi iudicium temerarium ac vsurpatum, de quibus iudicijs vitandis diximus hoc libro tractat. 9. Fingamus autem quòd confiteatur quispiam se criminosum esse, aut idipsum per Prælati iudicium, vel facti euidentiam notoriè constet, nónne potest talis omni die, & omni hora, imò omni momento resipiscere & fieri quod in Christo esse debebat, mox particeps omnium beneficiorum quæ sunt à Christo, fortassis multo magis quàm tu? Ethnicus natura capax nobiscum æternæ felicitatis, manet semper nobis proximus, etiamsi quàm maximè alienus sit ab illo fine per infidelitatem suam. Multò igitur magis Christianus semper proximus erit, etiamsi per peccatum spiritu Christi careat. Potest enim vel omni momento per fidem cum pœnitudine ac mutatione animi esse in Christo quod sumus omnes. Progreditur autem Apostolus dicens: Sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Non enim hic Christianus aliud brauium expectat suæ vocationis, aliud verò ille: neque hic alium Dominum habet, alium ille: sed omnibus ex æquo factus est Dominus, vnus Iesus Christus: nec iste alia doctrina fidei, alióue baptismo saluatur quàm ille: sed vna fides, & vnũ est baptisma omniũ. D. At eiusmodi nõ natura, sed accidente proximum faciunt. M. Qui sincere Baptismum suscepit, & credit fide per dilectionem operante, spem nactus quæ non confundit, is iam est noua creatura in Deo, & non accidente duntaxat, sed & natura tibi proximus, qua non sunt inter se proximi infideles. Hinc subdit Apostolus: Vnus Deus & Pater omnium: omnium, inquam, qui in Christo viuunt, non enim est mortuorum Deus, sed viuentium: adeò vt infideles & idololatræ meritò vereque ἄθεοι appellentur. Gentium quidem sicut & reliquarum creaturarum est Deus conditor, non autem pater: nisi hactenus quòd inter alia solum hominem condiderit ad imaginem suam. At Christianorum reuera Deus pater est regeneratione, qua gignun-

Ephes. 4.

Ephes. 2.

Christiani inter se proximi sunt haud secus atq; membra eiusdem corporis.

1. Cor. 12.

Boni Christiani tam sunt proximi inter se, quam viuificantur ab eadem anima.

Omnes christiani conserui sunt eiusdem domini, & coheredes eiusdem felicitatis per eãdem Religionem.

Baptismã & fides natura proximum faciunt.

Roma. 8.

gnuntur ei per baptismum ex vtero matris Ecclesiæ: adeo vt verè clamemus ad Deum Abba pater: ipso spiritu sancto testimonium reddente spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Propter quod & Ioannes dicit, Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus: non solum nominemur, sed & simus: nec simus quidem clanculum, sed & manifesta appellatione nominemur tales. Legite, inquit Augustin. Apostolum, & videte quia quando dicit Apostolus fratres sine aliquo additamento, non vult intelligere nisi Christianos. Non est autem subiectus, inquit, frater aut soror huiusmodi: cùm diceret de coniugio. Fratrem & sororem dixit Christianum vel Christianam. Iterum dicit: Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut tu quid spernis fratrem tuum? Et alio loco, Vos, inquit, iniquitatem facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Quem loquendi morem seruauit Apostolus: quia sic oportet secũdum veritatem, secundum quam nec Gentes, nec Iudæos, fratres nostros appellare possumus. Quid tibi nunc videtur? Nónne graphicè & admirandis scematibus depingit Scriptura eam proximitatem, vt ita loquar, quæ peculiariter est inter Christianos: non autem inter alienos à fide? D. Depingit sanè & maiori mysterio quàm putaram. M. Quòd autem sit vna communis mater omnium Christifideliũ, cuius fetũ nascimur, cuius lacte nutrimur, cuius sinu fouemur, vt inquit Cyprianus, nempe Ecclesia catholica, habes apud Paulum dicentem: Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra: Declarauimus auem istud abundè libr. 2. Tract. 8. Adhæc, quod sit vnus mediator inter Deũ & hominem, vnus redemptor omnium, qui suo solius sanguine redemit nos omnes ab eadem massa perditionis, eadem seruitute, eadẽ morte in eandẽ adoptionẽ filiorũ, in eandẽ libertatem, in eandem denique salutem, multò clariùs exprimitur per omnem Scripturã, quàm vt demonstratione egeat nostra, nosque de ea re copiosè diximus Tractatu 3. lib. 2. Est autem & alia quædam ratio arctissimæ propinquitatis inter patrem & filium, fratres item & sorores eorundem parentum, qua reuera proximi sunt inter sese, communicantes in eodem sanguine & eisdem visceribus. Inter reliquos verò cognatos vsque ad septimum aut remotiorẽ gradum, non inuenitur ratione sanguinis nisi propinquitas quædam, & ea, inter nepotes quidem maior, inter pronepotes verò minor, inter abnepotes minima: quòd illi vicinius communicent in eisdem visceribus quàm isti. Qui autem æquè communicant & in eadem natura, & in eadem fide, & in eisdem visceribus, & in eodem spiritu Dei intus viuificante, & in eadem mortalitate, eademque gloria Dei, ij denique quàm numerosissimis rationibus inter se proximi esse dicuntur. D. Et sanè soli proximi, vt apparet: nã omnes alij fieri possunt proximiores, primò per spiritum sanctificationis, deinde per gloriam beatitudinis: ergo necdũ proximi erant. M. Non consequitur quòd infers. Satis enim est ad hoc, vt quis tibi veraciter proximus sit, quòd vel vna re adeò tibi propinquus existat, vt eadem propinquior fieri nequeat, nimirum aut natura, aut sanguine, aut regeneratione, aut spiritu sanctificante, aut beatitudinis gloria: quodlibet enim illorum est basis siue fundamentum eius, quę est, aut esse potest, mutuæ beneuolentiæ, mutuæque fruitionis in Domino. Quòd si duabus aut tribus, aut pluribus rebus adeò est propinquus, vt secundum easdem propinquior fieri nequeat, iam multoties multisque de caussis est proximus: propriè tamen proximior dici non potest, nisi hoc sensu, quia pluribus rationib. proximus. Nunc enim nõ magis homo cum illo quàm antea, licet nunc non solùm illi consors natura sit, sed & gratia & sanctificatione, & tandem beatitudine, cùm ambo in cælis erunt.

Margin notes: Augus. in Psalm. 32. — 1. Cor. 7. — Rom. 14. — 1. Cor. 6. — Galat. 4. — Satis est vna re proximũ esse

Condemnatos ad pœnas infernales non esse annumerandos inter proximos, CAP. XI.



I peccatores, si hęretici, si infideles annumerandi sunt inter proximos quos oportet diligere sicut nosmetipsum, ergo & condemnati ad pœnas infernales erunt proximi nostri, & tanquam proximi diligendi. M. Quare hoc? D. Quia natura nobis fratres sunt, natura nobiscum communicantes in illo principio, ex quo, & per quod, & in quo sunt omnia: natura beatitudinis nobiscũ capaces, sicut & ceteri peccatores terræ. M. Vtique fuerunt illi tales ab initio: quare & ab initio diligẽdi vt proximi: nunc verò haudquaquã tales sunt, postquam malitia & obstinatio eorũ, maculæ irẽ & rugæ, ac cicatrices ex peccatis relictæ, ipsis in naturã conuersa sunt, idque definito Dei iudicio, quo sunt cõdẽnati vt deinceps perpetuó & in æternũ maneant, quod vsq; ad articulũ iudicij diuini obstinata sua voluntate esse voluerunt, malitia, obstinatione, maculis, cicatricibus, exinde insidentibus in visceribus eorũ, immobiliter, haud secus atq; ipsa natura. Sicut enim secundũ Phys. Habitus boni ac mali vertitur nõnũquã, nimia assiduitate in naturã

Margin notes: D. — Damnatis versa malitia eorũ in naturã

Damnati nõ amplius nobis natura proximi sunt. Damnati iudicio Dei reiecti sunt ab amicitijs nostris.

ita malitia reproborum post nimiam obstinationem conuertitur tandem ipsis in naturam: adeo vt ampliùs dici non possint nobiscum, Dei eiusque beatitudinis capaces secundum naturam, sicut & ceteri peccatores terræ, in quibus adhuc separabilis est malitia à natura. Quapropter non omnino vera erat assumptio tua. Verùm id si minus penetret acies mentis tuæ, saltem hoc perpende, Deum à nobis amandum esse super omnia, prę omnibus & in omnibus viribus nostris. Amantium autem debet cor vnum esse, & anima vna. Non licet igitur, vt affectus noster discordet vnquã à voluntate Dei, vt quos ille proiecerit procul ab amore suo, à societate sua, à beneuolentijs ac beatitudine sua, nos eosdẽ ad talia ampliùs amemus.

Simile.

Frequens est in Republica vt princeps quempiam iusto iudicio extermimet à ciuitate in furcam aut exilium perpetuum. Et exterminatus ille nónne exinde carere debet omnibus priuilegijs, beneuolentijs, amicitijs, consuetudinibus, quibus anteà in ciuitate gaudebat? Nónne & reliqui conciues post tale iudicium, exonerati sunt & à societate, & à beneuolentijs atque amicitijs, quas antea illi debebant, optimeque faciunt, conformando se iusto principis sui iudicio: offenderent autem grauiter, si exinde in contubernium suum reciperent talẽm, tamque sceleratum hominem iusto principis sui iudicio in exilium abactum? D. Haud dubiè.

M. Multò igitur magis nos nunc absoluti sumus ab obligatione impendendi quidquam dilectionis ac beneuolentiæ ijs quos constat per iudicium altissimi & omnipotentis Dei æternaliter condẽnatos esse. Cui iudicio nos merito immo necessariò conformare debemus tanquam ab omni iniustitia alienissimo. Nam & oramus, Fiat voluntas tua, sicut in cęlo & in terra. Quapropter etiamsi maneat in damnatis natura quam priùs habuerũt, sintque ea nobis proximi, nunc æquè atque prius tamen nunc Dei iudicio ab omni beneficentia, beneuolentiaque abscissi sunt & proiecti in æternum & irrecuperabiliter, malitia eorũ sic demerente.

Ioann. 3.

D. Etiam Iudæi & Saraceni, & quicunque non credunt in Christum condemnati sunt, dicente Saluatore: Qui non credit iam condemnatus est.

Infideles iam sunt iudicati, sed nondum condemnati.

M. Non dixit Saluator, Iam condemnatus est: sed nec verè sic dicere potuisset. Nondum enim super quoquam infidelium aut delinquentium, dũ adhuc viuit in terris, prolata est condemnationis sententia. Quod clarissimè insinuat Dominus Marc. vlt. dicens: Qui vero non crediderit, condemnabitur, per verbum futuri temporis, nempe si in sua infidelitate permanserit. At dixit Saluator Ioan. 3. Qui non credit iam iudicatus est nimirum iudicio interlocutorio, qualia multa interlocutus est Christus in terris.

Differentia inter sententiã interlocutoriam & principalem.

Distinguunt iurisperiti eleganter ac verè inter sententiam definitiuam & interlocutoriam: quòd illa pronuntietur super principali, eaque pronuntiata iudex vltra caussam pertractare non potest, perfunctus enim est officio suo: Ista verò datur super incidente aliquo circa modum aut ordinem procedendi, aut circa iudicis competentiam vel incompetentiam, vt iurisperiti loquuntur. Quęrunt quidem infideles ius sibi dici felicitatis obtinendæ, alij à Ioue, alij à Sôle, alij à Saturno, alij à Venere, alij ab alio quopiam ficto Deo. Verùm Christus sua interlocutoria sententia quam protulit Ioan. 3. declarauit vniuersos illos putatiuos Deos, esse incompetentes iudices in caussa salutis obtinendæ. Vni verò filio quem misit Pater, competere iusti iurisque dicendi in hac parte potestatem ab illo & per illum duntaxat quærendam esse animarum corporumque salutem.

Ioann. 5. Matt. 28.

Omne enim iudiciũ Deus pater dedit Filio, dataque est illi omnis potestas in cælo & in terra. Itaque qui non crediderit in Filium, iam iudicatus est, postea autem condemnabitur, vt planè excidat ab omni actione & spe salutis recuperandæ. Quęrunt insuper Iudæi iustitiam & felicitatẽ per legem Moysi, quærunt & Gręci per bona opera naturæ: at quærunt vtrique indebitè, modo & ordine quibus inueni non potest, super quo iã interlocutum est per Aposto. Christi.

Rom. 3. Galat. 2.

Quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Item, Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Adhæc contendunt hæreticorum alij naturã sibi sufficere, vt peccatum vitent, ac iustificent: alij contrà volunt naturam nihil efficere: sed omnia in omnibus præstare Christũ: alij omnia vni fidei tribuunt, alij alia confingunt. At interlocutum est contra tales per Christum dicentẽ: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Item, Sine me nihil potestis facere.

Ioann. 3. Ioann. 15. Iacob. 2.

Et per D. Iacobum asserentem, Quòd sicut corpus sine spiritu mortuum est, sic fides sine operibus mortua est. Est, dico, interlocutum, quoniã si sic procedere pergatis, caussa excidistis, condemnabimini, ne quis exinde ignorantiã prætendat. Itaque qui permanserint sine fide, sine baptismo, sine bonis operibus, aut in grauibus peccatis, ne semel audiendi erunt postea coram tribunali Altissimi in principali actione, quam habent ad summum bonũ, partim ex creatione, potissimum autẽ ex redemptione per Christum interposita, Et certè in forma

iudicij

iudicij extremi, quam describit Matt.25.cap. sui Euangelij, non inuenies vllam fieri mentionem, aut disceptationem super perfidia infidelium, super erroribus hæreticorum, super criminibus ac sceleribus malorum Christianorum: eò quòd antea prędefinitum erat per iudicia interlocutoria Prophetarum, Christi, Apostolorum: prout luce clariùs patet in legitimis instrumentis tam veteris quam noui legis. Hinc & Christus dicit. Non enim misit Deus filium in mundum (per incarnationem) vt iudicet mundũ: sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui nihilominus interlocutus est, tum per semetipsum, tum per Apostolos suos, aliosque Apostolicos viros super omnibus quæ aut ordinem vitiant quo quæritur, aut incompetentiam habent eius per quẽ quæritur salus. Nullus ergo mortalium quantumcunque fuerit malus, perfidus, vel sceleratus, debet dici aut condemnatus esse aut excidisse penitus à caussa & spe salutis quàm diu in corpore viuit. Omnes itaque inter proximos meritò annumerandi, & caritate diligendi, donec constiterit, eos definitiuo iudicio ad æternam damnationem condemnatos esse. Quod quia constat de ijs qui manifestè in sua infidelitate, aut hæresi, aut alia quapiã malitia moriuntur: ideo illos nec amamus post mortem, nec oramus pro illis, neque vlla pietatis beneficia ipsis impendimus. Rursum, quia hoc nõ constat de Christianis Christianè, siue, vt Scriptura loquitur, cum pietate dormitionem accipientibus, ideo illos & diligimus post mortem sicut ante mortem, & officia vel pietatis vel venerationis affectuosè eis impendimus. Venerationis quidem officia ijs, quos in thronũ gloriæ Dei receptos constat, vel Scripturarum testimonio vel matris Ecclesiæ. Quę perspecta habens aliorum martyria, aliorum verò virtutes & miracula quibus claruerunt, testatur nobis tales translatos esse ad thronum Christi. Pietatis verò ijs quos non constat eò translatos esse: acceperunt tamen dormitionem cum pietate, hoc est, Christianè mortui sunt. Quemadmodum ex Scripturis sacris, & antiquissima traditione demonstrauimus lib.2. Trac.4. Quos profectò quoniam sectarij huius temporis secludunt à dilectione sua, conuincuntur non diligere omnem proximum. Quis non illos fratres quos Deus diuinis dignos habet honoribus, neque alios morientes cũ pietate, quos tamen metus est, post mortem nostro auxilio indigere, neque Ecclesiam Christi communẽ omniũ fideliũ matrẽ, neq; veteris prosapię orthodoxos homines: qui tamen omnes q̃ plurimis rationib. nobis proximi sunt. Et porro si pro cederet inductio nostra, cõcluderemus bono argumento, illos non diligere nisi seipsos. Nã quos maximè videntur diligere suæ sectæ complices, eos nõ diligunt: nisi quia sperant in multitudine talium posse tandem confirmari conceptam animi sui perfidiã: quod reuera est nõ alios, sed in alijs seipsos diligere. Vti mox incipiemus declarare.

Ioan. 3.

Nemo mortaliũ est condẽnat' quàm diu viuit. Infideles & hæretici nobis proximi sunt vsque ad mortẽ non autẽ post mortem.

Sectarij non diligunt tanquam proximos ne minimam quidẽ partem hominum.

An Angeli in cælis sint computandi inter proximos nostros. CAP. XII.



M. SVnt vtique Angeli sancti rationales creaturæ sicuti & nos, tã ad imaginẽ Dei formati q̃ nos, tamq; illius capaces quàm nos, ne dicam multò magis quàm nos, nobiscũ perpetuo fruituri societate mutua in perenni æternę beatitudinis gaudio, docente Saluatore, quòd homines erunt in resurrectione sicut Angeli in cælis.

D. Verùm an vspiã Scriptura appellet Angelos proximos nostros? M. Apoc.22. cùm Ioannes Apost. vellet adorare Angelũ reuelantem sibi mysteria: respondit Angelus, Vide ne feceris: Conseruus enim tuus sum, & confratrũ tuorum Prophetarũ, & eorũ qui seruant verba Prophetiæ libri huius. Ecce recusat Angelus adorationẽ Ioannis, eo q̃ conseruus noster sit, habens eundẽ Deum, eundẽque Christum cõmunem nobiscum dñm. Nam Deus pater Christum constituit, teste Paulo, super omnẽ principatũ, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiã in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius.

D. Aug. ex parabola Christi Luc.10. ratiocinatur in hunc modũ: Si, inquit, vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendũm est officium misericordiæ, rectè proximus dicitur: manifestum est hoc præcepto quò iubemur diligere proximũ, etiam sanctos Angelos cõtineri, à quibus nobis tanta misericordiæ officia impenduntur, quãta multis diuinarũ Scripturarum locis animaduertere facile est. Hæc ille. Et certè dũ diuina scrutamur eloquia, inuenimus & nunc mirã esse inter Angelos & nos mutuæ beneuolentiæ cõmunicationem, & postea multò fore maiorem æternæ societatis communem fruitionem: merito ergò inter proximos computandi. Nunc temporis mittuntur passim Angeli in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis, ad Heb.1. Nunc orant Deũ & exorant pro nobis Zacha.1. Nunc nostras orationes studiosè offerunt, & offerendo cõmendatiores reddunt, Tob.12. & Apocal.7. Nunc curam nostri gerunt, Matth.18. Habentes mandatum vt custo-

Angeli boni sunt proximi nostri.

Luc.20.

Ephes.1.

Augustin. libr.1 de doc. Christ. cap.30.

Inter angelos & homines est mutua beneuolẽtia.

Post hæc vitam erit cōmunis societatis fruitio in ter angelos & homines.

diant nos in omnibus vijs nostris, Psalm.90. Nunc quoque ipsi Angeli vicissim gaudium accipiunt ex conuersionibus ac pœnitentijs nostris, Luc.15. Venerationem insuper ac cultum, vt paret ex factis Abrahæ, Lot, Iacob, Dauidis, Ioannis Euangelistæ ac aliorum. Post hanc verò vitam, qui digni habebimur futuro sæculo, erimus omnes, teste Christo, sicut Angeli in cælis. Nec erimus solùm sicut illi, sed & videbimus eum sicuti est, haud secus atque Angeli eius. Quod plus est, astabimus cum illis ante thronum gloriæ Dei & agni, sicut & nunc astant ante eundem thronū patres ac fratres nostri, qui hinc migrarunt, dicente Ioanne: Post hæc vidi turbam magnā quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & exclamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronū, & agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, &c. Ecce quanta societas Angelorum nobiscum, quanta communis fruitio in Domino: idque in throno gloriæ magni Dei. Et ea sanè ratione diligendi sicut nos, propter mutuam beneuolentiam: venerandi autem & colendi super nos, & omnē id quod in corruptibili hoc mundo præcellit, & dignum habetur honore, propter eminentiam status & gloriæ. Habes qui inter proximos computandi sint, qui non. Nunc porro inquiramus de qua dilectione loquatur præceptum.

Luc. 2.

Apoca. 7.

Quòd non præcipiatur hic nisi dilectio amicitiæ, & quæ sit illa. CAP. XIII.

M. Vid. differentiæ sit inter diligere & amare anteà diximus. Núc verò paulò fusiùs scrutari debemus, an præceptum hoc mandet de alia quàm amicitiæ dilectione, & quæ sit illa. D. Præceptum videtur loqui indistinctè, absque specificatione huius vel alterius amoris. M. Hoc quidem verum est. Attamen ex ipsis præcepti verbis licet demonstrare, tantummodo sermonem esse de amore amicitiæ. Dicit enim, Diliges proximum: non itaque rem, sed personam proximi, nec alia de caussa, quàm quia proximus est. Non, quia tibi vtilis aut voluptati, neque propter te, vt tu sis eius dilectionis finis: sed sicut teipsum, vt tuus de teipso amor exēplar tibi sit diligendi proximum tuum, beneuolus insuper, ac beneficus existas in illum, sicut es erga temetipsum: quod est reuera diligere proximum amore amicitiæ. D. Sic vtique apparet. Nam teste Ci-

Dilectio præcepti qualis.

cerone, Amicitia est voluptas erga aliquē, rerū bonarū, illius ipsius caussa quē diligit, cum eius pari voluntate. M. Igitur, qui diligit seruum suum, quia vtiliter seruit; aut diuitem, quia crebrò inuitat ad epulas; aut nympham, quia suauiter oblectat voluptatibus, nullaq; alia ratione, neutiquam diligit amore amicitiæ; aut eo modo quo præcipitur. D. Immo nec diligit quidē illos, sed tantummodo seipsum, suumq; cōmodū aut voluptatē quam capit ex illis. Non enim bene vult illis, sed sibipsi ex illis. M. Optimè. Et sanè eam ob caussam, voluerunt prisci Sapientes seclusas esse à nomine amicitiæ, omnes voluptuarias, omnesq; instabiles dilectiones, etiam eas, quę vtilitatis caussa fiunt. Speciem enim habent amicitiæ, veritatem autem non habent. Nam si cessent illecebræ, aut commodum quod captabatur ex te, cessat & dilectio: & vertente se fortuna, auertitur à te affectio, dicente Ecclesiastico, Est amicus secundum tempus suū, & non permanebit in die tribulationis. Item, Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. D. De cuiusmodi amicis pereleganter dixit Naso Poeta.

Cic. lib. 2. de Diuin. Qui diligit alium propter se nō implet mandatū secūdum caritatem.

Eccles. 6. Ibidem.

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

M. Dum autem veterum Sophorum, potissimùm verò diuini illius Platonis scripta attendimus, licet sic definire veram amicitiam, Amicitia est honesta, ac suauis, perpetuaque voluntatis communio: cuius finis est vita vna, siue consors viuendi societas: principium, cognatio: nedum amor. Dixi, Honesta, vt excluss intelligas improborum contubernia; lasciuorumque congressus, & omnem vtilitatis caussa communionē. Dixi, Suauis, quia vbi amarulentia, aut impetus, ibi non valet diu subsistere amicitia. Dixi, Perpetua, quia leues inconstantium hominum beneuolentiæ etiā honestæ, nequaquam merentur veræ amicitiæ nomen. Dixi, Voluntatis, ne artium, opinionum, rerum, corporumque communionem posse rationem habere amicitiæ arbitreris: nisi fit & animorum & voluntatum. Nam vbi idem est velle & idem nolle, ibi demum constans veraque est amicitia. Dixi, Communem, vt basim amicitię scias esse beneuolentiæ vicissitudinem. Principium autem quo communionis huiusce excitatur desiderium est cognatio, seu magis propriè coniunctio secundū naturā, naturæq; principiū ac finem. Vt qui naturæ consortes, ex eodē pendent in vnum, meritò debeāt impendere sibi mutuo, & voluntatem, & omnium denique rerum eōmunionem. Iuxta illud: Amicorum omnia sunt communia. Cuius communionis fecundæ

Definitio amicitiæ.

uendæ quasi mediam est amor. Cùm autem sit amor pulchri affectio, amicitiaque ab amore & ducatur pariter & dicatur, necesse est eos qui amici futuri sunt pulcros esse: pulcros, inquam, animo, vt scilicet non ferantur nisi affectionibus debitè ordinatis, & quò oportet, & quantum oportet, & per ea per quę oportet. Nam qui pulcrum corpus amant, non hominem, sed ea quæ sunt hominis amant. Homo enim animus est, corpus verò, hominis instrumentum secundum Platonem, vtente tropo, quo & scriptura vtitur dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Atque huc sanè tendit præceptio Euangelica, Diliges proximum tuum sicut teipsum: vt tandem sit inter nos Christianos vera sinceraque amicitia, habens honestam suauèque perpetuæ voluntatis communionem, qualem ex lumine naturæ sciuit describere Plato homo ethnicus, meritò tamen eam ob caussam & similia diuinus cognominatus. Dictat enim & præcipit Physica ratio, vt vinculum talis amicitiæ, mutuæque dilectionis, inter eos sit qui natura consortes, nec fine distant, nec principio. Multò autem iustiùs præcipit hoc ipsum fidelibus lex Dei, eò quòd credentibus æquè datū est participes fieri redēptionis, quæ est per Christum, vitæ insuper quæ secundum Deum est, vitæ denique æternæ, quæ habet prorsus omnium communionem cum suauissima perpetuæ societatis fruitione. Qualia vt potiori cōiunctionis ratione vniunt, ita & maioris dilectionis, putiorisque amicitiæ meritò caussa esse debent. Quam ob caussam hoc præceptum constringit magis, & ad maiorem inter se dilectionem homines Christianos fidei radijs illustratos quàm ethnicos, vti mox dicemus. Non tamen ad hoc constringit, vt aliū Christianum aut quempiam proximum ames tantum, quantum teipsum, aut tanto labore ac studio quæras illi successum rerum, ac tibi ipsi.

Luc. 23.

Dilectio proximi est iuris naturæ & diuini, magis constringens Christianos quàm ethnicos.

Quousque se extendat particula præcepti, Sicut teipsum. CAP. XIIII.



Vsque igitur extendit se illa particula, sicut teipsum? M. Vox, sicut, non quantitatis, sed similitudininis significationem habet: est enim aduerbium similitudinis, & hæc significatio illi propria est & germana. Itaque, sicut teipsum, est perinde ac si diceret, eo modo quo teipsū: non autem quantum teipsum. Quia conuenit ordini naturę, amoris insuper caritatis, de qua scriptum est, Ordinauit in me caritatē, vt plus diligam me q̄ proximum meū. Attamen modus dilectionis proximi, est dilectio tuiipsius vt similiter illū diligas sicut teipsum. Te quidem sic diligis, vt velis tibi bene esse, teque optes eò posse venire felicitatis ac perfectionis ad quam creatus es. Præcipitur ergo vt sic diligas & proximum. Quòd autem propterea non obligaris procurare proximo copiam rerum vel honorum, sicut tibi ipsi procuras, ex eo patet: multis enim malè est per rerum copiam, multis optimè per rerū inopiam, multis latuisse faustum, multis eminuisse super alios admodū infelix. Meliùs erat Diogeni Cynico, per arctum inanis dolij habitaculum, q̄ Alexandro magno per ingentes thesauros, & imperium mundi. Meliùs item Ioanni Baptistæ in deserto per escam locustarum, quàm Herodi in atrio regio per varium epularum apparatum. Nam & Lazarum subuexere paupertas & patientia ad sinum Abrahæ, diuitē verò epulonem demerserunt opes & luxus ad infernum. D. An igitur sufficiat præcepto, beneuolum esse erga proximum? M. Minimè: quia oportet & beneficum esse pro loco & tempore. Exhibitio enim operis probatio est veræ dilectionis. D. Ioannes Apostolus loquens de dilectione proximi, sic respondet ad tuam quæstionem, Filioli mei nō diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Non sufficit itaque ad impletionem præcepti, vt affectu diligas, benefacere cogites, atque sermone promittas, quod est diligere verbo & lingua, nisi simul & opere diligas & veritate, hoc est, præstes ex dilectione tantū proximo, quantum officium Christianæ pietatis requirit. Exēpli gratia, Eget proximus tuus cibo quo tu abundas, debes itaq; illi de tuo cibo cōmunicare, quantum satis est necessitati eius. Si enim nihil porrexeris, non diligis opere. Si verò vales, & non porrexeris tantum, quātum necessitas illius requirit, nō diligis veritate. Apostolus Ioannes terribiliter intonat dicens: Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrē suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Quasi diceret, Neutiquàm manet in eo. Vera enim caritas otiosa esse non potest. Si enim est, operatur, sin autem, vtique non est. Simili modo & D. Iacobus nos instruit dicens: Si frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis, Ite in pace, calefacimini & saturamini, non dederitis autē eis quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? aut quæ ibi caritas, quàm laboriū? Optat quidem benè, & dicit perbenignè: at nihil impendit de eo, quod habet: non igitur amat, nisi lingua & verbo, quod non est aliud quàm

D. Vox, Sicut non quantitatis, sed qualitatis significationem habet.

Cantic. 2.

Non satis est præcepto, beneuolum esse erga proximum.

1. Ioann. 3.

Diligere aliquem opere & veritate.

Ibidem.

Vera caritas otiosa esse non potest.

Iacob. 2.

q̃ simulare amorẽ quẽ nõ habet. Opere oportet implere officiũ dilectionis simul opere & veritate. D. An sit veritas aut falsitas in opere dilectionis? M. Omnino, Quemadmodũ enim sermo est sine veritate, quoties vocum significatio discrepat aut à rebus significatis: vt cùm dicitur esse quod non est, aut à mente annunciantis, vt cùm foris aliud sonat in ore, aliud intus latet in meditatione cordis. Ita & operatio est sine veritate, quãdo nõ est debitè moderata ratione, inter tale obiectũ & potentiam. Vt cùm quis credit verbo Dei, sed non alia constantia quàm verbo hominis, aut amat redemptorem Christum, at nõ alia affectione quàm hominem, aut diligit proximum suum etiam operis cuiusdam exhibitione: verùm non vti oportet, pro illius indigentia, suaque abundantia. Verbi gratia, Vir admodum opulentus certum habet egestati istius miserrimæ creaturæ non posse suf ficere ne libram quidem grossorum, nihilominus non nisi stipẽ donat, is profectò quanquam diligat affectu & opere, non tamen diligit veritate: quia opus, quo diligit non habet debitam proportionem ad copiam rerũ donantis, & tantam inopiam accipientis. Quanquam enim non obligeris hoc præcepto dilectionis teipsum impendere alijs iuuãdis, ditandis, euehendis, quantum tibi ac tuis debes tamen subuenire omni proximo necessitatem patienti in eo, in quo tibi proximus est: idque opere proportionato illius indigẽtiæ simul & tuis facultatibus. Natura tibi proximus est, & eget his quæ conseruandæ naturæ necessaria sunt, debes quantum poteris cõtribuere, quo subleuetur illa naturæ ipsius necessitas. Christianismo tibi proximus est, & incidit in necessitatem habendi ea quæ Christiano homini secundum Euangelium necessaria sunt, debes vel per temetipsum, vel per ministrum Ecclesiæ, eius in hac parte necessitate subuenire. Sanguine tibi proximus est, vtpote pater tuus, aut mater tua, aut germanus frater, & eget eo quod consanguineorũ est impendere consanguineis, nimirum consilio, auxilioque tuo in fœdere, pace, contractu aut ineundis aut rescindendis, in curatione funeris, in executione Testamenti, in tutela vxoris ac prolium, debes hæc illi quantum sufficis, impendere. Singulis enim, teste Aristotele, propria & congruentia sunt attribuenda, vt homo diligatur ad id quod hominis est: Christianus ad id quod est muneris Christiani: consanguineus ad id quod conuenit secũdum sanguinis principium. D. Mendicantes ostiatim & veste egent & cibo & omnib. ferè alijs; his ergo petentibus propter Deũ, si tantummodo stipẽ porrexero aut frustum panis & non tantum quantum toti egestati tollendæ satis est, an offendo contra mandatum dilectionis proximi. M. Minimè. Mendici enim vt indesinenter circumeunt petentes à singulis, ita symbolo, hoc est, collatione iuuandi sunt. Et valet plerunque hoc genus indigentium multò meliùs, accipiendo á singulis minimum quid, quàm opifices in sudore vultus sui per diem perque noctem laborando. Nos hactenus de illis locuti sumus qui verè patiuntur necessitatem, sicuti regulam Apostoli Ioannis, quam loco epilogi repeto, Qui habuerit, inquit, substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo? quomodo poterit dici dilexisse opere & veritate? An non optaret quisque in tali necessitate sibi ab alijs benefieri? Optaret vtiq;. Diligat ergo proximũ suũ in ea necessitate sicut seipsum diligeret constitutus in eadem. Tu autem quid repetendum putas post clausulã, Sicut teipsum? D. Verbũ diligis, secundum formã constructionis Gramaticæ. M. Quid si perditè diligas teipsum? Nunquid & eo modo diliges proximum tuum? Quid taces? Nihil hic cunctandum ob eã obiectiunculam. Præcepta ei im non dantur nisi de actibus virtutum. Itaque intelligi debet præceptum de ea dilectione, qua te debitè & secundum virtutẽ diligis: nã q̃ fit non bene aut semiplenè: quasi non esset, reijcitur, vt in omni prætorio, ita & in doctrina Euangelica. De Iudæis dicit Christus: Videntes non vident, & audientes non audiunt. Ad Apost. verò dicit, Vestri autẽ beati oculi, quia vident, & aures, quia audiunt. Isti enim sicut oculis & auribus ita & intus iudicio & affectu audiebant & videbant: illi verò minimè: sed tantummodo organo sensus, interim malitia subuertente iudicium cordis. Dicit insuper in materia dilectionis. Qui amat animam suam, nẽpe solùm humano modo ad felicitatem aliquã huius mundi, quod est semiplenè amare: potissimum publicato Euangelio, perdet eã. Et qui oditanimam suam in hoc mundo, hoc est, qui negligit & posthabet hic vitam suam mortalẽ præ illa quæ offertur in Euangelio, in vitam æternam custodit eam. Simili paradoxo dicens & illud, Qui non odit patrem suum & matrem, & c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Itaq; diliges proximum tuum sicut teipsum: diliges, inquam, debitè & secundum virtutem, ea scilicet dilectione, quæ reuera est dilectio, & non potiùs odium ac perditio tuipsius.

Marginal notes: In opere dilectionis debet esse veritas. — Omni proximo subueniendũ in eo quo proximus est. — Mendici sunt symbolo seu collatione iuuandi. — Intelligendum præceptum de dilectione qua diligis te debitè & secundũ virtutem. — Matth 13. — Ibidem. — Ioann. 12. — Luc. 14.

Non

Non omnes proximos æqualiter esse diligendos. CAP. XV.

M. Si vna coniunctio faciens quempiam tibi reuera proximum, vera est sufficiensque caussa, cur debeas illum diligere sicut teipsum, meritò plures tales coniunctiones maioris dilectionis caussa erunt. Vbi enim concurrunt plures diligendi caussæ, ibi conuenit propensiorem ardentioremque esse in diligendo. Atque hinc rectè colligimus Christifideles debere plus diligere conparticipes gratiæ in Christo, quam illos qui foris sunt, aut hostes agunt Christi & religionis eius: quòd illi non solùm generatione, sed & regeneratione proximi existat. Quam collectionem veram demonstrat illud Apostoli, Ergo dum tēpus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Nam quid opus erat illa cōparatione, Maximè autem ad domesticos fidei, si non debeat esse maior beneficentia, ac proinde maior dilectio ad conparticipes gratiæ Euangelicæ, q̄ ad atheos aut antichristos, aut sine fide homines? At pergat ratiocinatio. Itaque & illi qui tibi proximi sunt ea coniunctione quæ coniunctos magis vnum facit, magis erunt diligendi, vt sunt pater, mater, filius, frater, vxor, aliique sanctitate illustres, aut gloria beatitudinis sublimes, ipsa coniunctionis qualitate id exigente. Etenim pater est proximū principiū naturæ tuæ, filius aliquid tui, vxor vero vna caro tecum, homines autem sancti vnus spiritus sunt cum Deo, glorificati deniqne toti in Deo, ex quo & tu vt totus pendes, ita in ipsum totus tendere debes. Quorū vnū breuitatis caussa tibi demonstrabo, vt de simi libus occurrente Scriptura similiter ratiocineris. Apostolus docet in hunc modum: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam (& non tantummodo sicut teipsum) & tradidit semetipsum pro ea. Subdit, Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit, nedum proximum. Nemo enim carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eā. Ceterùm etiā hoc te debeo admonere, quòd neutiquam oporteat omnibus eadem impendere ex dilectione quæ hic præcipitur, sed singulis singula iuxta personarum qualitatem, exigentiam insuper coniunctionis, & virium tuarum facultates: nimirum parentibus honorem, domesticis curam, coniugibus amabilem societatem tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, pauperibus eleemosynā, errantibus instructionē, peccantibus correptionem cū deprecatione, Præpositis Ecclesię & magistratibus obedientiam cū veneratione, dominis honorem, ac tributum, subditis gubernationem & disciplinam. Quæ si per singula velim demonstrationibus prosequi, modum excedam. Sed nec opus videtur: quia habent peculiares præceptiones in Scripturis, quodque suo loco. Tu igitur quæ indicauimus loca inspice, & quod tū tibi defuerit ex Scholastica Theologia pete. D. Faciam. Ceterùm quo tandē colligemus indicio nos vtcunque obseruasse hoc mandatū? M. Huius duas regulas habemus in Scripturis sacris, quarū prior est. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri feceris. Altera est, Omnia quæcunque vultis (vultis, inquam, voluntate debita ratione moderata) vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quas regulas qui obseruat ex corde per dilectionem non fictam, is reuera diligit proximum sicut seipsum, implens hoc secundū præceptum caritatis, adeo debitè, vt & Dominus illi vitam promittat, dicendo: Hoc fac & viues.

Christianus magis diligēdus quàm infidelis.

Galat. 6.

Pater, mater, ac proles magis diligendi quàm extranei.

Ephes. 5. Vxor magis diligēda quàm alieni.

Ex dilectione nō omnibus eadem impendenda sed singulis singula.

Exod. 20. 1. Tim. 5. 1. Petr 3. Tob 4. Matth 18. Hebr. 13. Rom. 13.

Quibus indiciis colligemus nos impleuisse hoc mādatum. Tob 4. Matth. 7.

Secundū mandatum caritatis, simili forma fuisse in veteri lege datū qua in noua. CAP. XVI.

D. Nusquam in lege inuenitur scriptū, Diliges proximum tuū, sicut teipsum. Cur igitur testatur Euangelium, in lege sic scriptum esse? M. Immo Leuit. 19. legimus, Diliges amicum tuū sicut teipsum. D. At aliud significat vox Amicus, aliud vox Proximus: alio item modo sumus amici, alio proximi. M. Optimè. Nā affectu sumus amici, natura verò proximi, etiam si desit affectus. Interim certissimū habe, in lege ea forma dictū esse qua in Euāgelio. Quia Domino interrogante, In lege quid scriptum est? quomodo legis? Atque Legisperito respōdente inter alia, Diliges proximū tuū sicut teipsum: approbauit Dominus responsionē eius dicens: Rectè respondisti. Rursum Dñs interrogatus quod esset mandatū magnū in lege, dixit inter alia: Diliges proximū tuū sicut teipsum. Igitur legerunt Leuit. 19. tū tēporis proximum tuum, vbi nos legimus amicum tuū, aut aliqua alia parte legis quæ non peruenit ad nos, sic scriptum fuerat. At illud prius multò est verisimilius, eò quod vox Hebræa רע qua vtitur textus Leuit. 19 significat tā proximū quàm amicum. Et subinde vertitur ab interprete proximus, etiā eodē cap. Adhæc D. August. citans idē cap. Leuit. 19. legit, Diliges proximum tuū, sicut teipsum, pro diliges amicum tuum &c. D. Nihilominus Matth. 5. dicit saluator: Audisti quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicū tuum, quasi tempore legis, inter homi-

Aliud significat amicus aliud proximus.

Luc. 10.

Matth. 22

De illo, Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum.

nes amicus fuisset dilectione: inimicus verò odio prosequendus. M. Caue scripturis im ponas falsum:non enim adiecit Dominus il lam vocem, Antiquis, neque vsquam præci pitur in lege, vt odio habeas inimicū. Sed in quit Dominus, Audistis quia dictum est, scili cet inter vos. Celebri namque prouerbio pas sim Iudæis in ore erat, Diliges amicum tuū, odio habebis inimicum tuum: idque vel eo

Deut. 28.

quòd Moyses annumerasset ruinā inimico rum inter cæteras benedictiones obseruatæ legis dicens: Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent aduersum te, corruentes in conspectu vestro. Per vnam viam venient cō tra te, & per septem fugient à facie tua. Vel ex aliqua alia persuasione, vt animatiores fie rent contra hostes. At Dominus qui venerat

Luc. 6. Præcipit Christus tria circa dilectionē proximi.

implere legem, corrigit malum illud dictum hoc modo, Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calūnian tibus vos. Præcipiens tria ad maiorem illuci dationem præcepti caritatis: nempe vt inimi cis dilectionem, osoribus beneficium, calum niantibus impendamus orationem, etiam eo ipso tempore, dum contra nos inimicitias, o

Naturam proximi diligere oportet, non quali tates malarum affectionū.

dium, vel persecutionē exercent. Cuius man dati hæc datur ratio: quia oportet magis at tendere naturam proximi, quàm accidentes illas qualitates inimicitiæ, odij, persecutio nis. Illa manet, illa tibi consors est, & tecum capax eiusdem felicitatis, tantum abest, vt illa sit tibi contrarius, quomodo naturalē quan dam inter se repugnantiam habent aqua & ignis, ouis ac lupus. Istæ verò affectiones per uicsæ pro voluntate mutantur, nisi eas in na turam verti contingat. Quo facto, vt fit in dā

Prouc. 25. Rom. 12.

natis, reijcendi sunt & amici & inimici à dile ctionibus nostris haud secus atque lupi ab amicitia ouium reijciuntur. Qui dixit, si esu rierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, po tum da illi: nequaquam dixisset, Si necem pa rat tibi inimicus, gladium illi porrige, aut pro positum eius conforta. Quare? quia natura ho minum semper est amanda, vitia verò homi num deploranda, odio prosequenda, corripie da. Itaque, Dilige inimicum: quia tam veraci ter tibi est proximus, quàm amicus tuus, & ci ba illum dum eget, quia proximus est natura. Ora insuper pro ipso, vt Deo tuo lucrifacias quem redemit Christus, sanctificauit Spiritus sanctus, animam eius. Hoc enim faciens, car

Rom. 12.

bones ignis cōgeres super caput eius: quibus scilicet tandem incalescit cor eius veræ cari

Ibidem.

tatis flammulis. Noli vinci à malo: sed vince in bono malum. Addit autem Saluator, Vt si

Matth. 5.

tis filij Patris vestri qui in cælis est. Qui Solē suū oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: in huiusmodi cōmu nibus ac necessarijs beneficijs præstandis, nul lo habito respectu affectionum, quibus ho mines intus aut bene aut malè affecti sunt: sed tantummodo naturæ, qua dum sunt, factura eius existunt. Vt sitis, inquam, filij Patris ve stri non natura duntaxat illi consortes: sed & moribus & actione persimiles. Quales pe culiari tropo filij patris sui dicuntur: eò q in se repræsentent & naturam & viscera ac mo rum honestatē, quæ in patre conspiciuntur, quàm proximè totum quod patris est, in se

Matth. 5.

exprimentes. Si enim diligitis, inquit Domi nus, qui vos diligunt, quam mercedem habe bitis? Quasi diceret, Nullā nisi mundi huius. At mundus transit, & concupiscentia eius. Et vbi tū remuneratio vestra? Nònne & publi cani hoc faciunt, quos certum est perire, nul la pro tali dilectione accepta remuneratione? Et si salutaueritis fratres vestros tantū, quid amplius facitis? Nònne & ethnici hoc faciūt? Nihil sanè dignum nomine Christiano, ni hil paternis affectionibus simile feceritis, si hoc tantum facitis, quod & ethnici, & publi cani, & omnes omnium hominum nationes faciunt. Vos ergo renati, redempti, cælestibus que muneribus reformati, estote perfecti, sci licet in norma dilectionis prosequenda, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Quam perfectionem ferè sustulerant Iudæi suo ma lo, sed trito prouerbio, Diliges amicū: odio habebis inimicum. Hominum namque alios diligere, alios odio habere imperfectionis est. At diligere omnes eam perfectionem imi tatur, quam est cernere in opere Dei, cumu lantis sua beneficia in bonos simul & malos.

De eo quod dictum est, Mandatum nouū do vo bis, vt diligatis inuicē sicut dilexi vos. C. XVII.



Aluator noster Ioan. 13. Mandatū, inquit, nouum do vobis, vt diliga tis inuicem, sicut dilexi vos. Rur sum Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: admodum seriò inculcans hanc præceptio nem, velut eximium quid, antea non auditū. D. Nònne in lege scriptū erat, Diliges pro ximum tuum sicut teipsum, prout hucusque me docuisti? Cur igitur nouum appellatur quod tam vetus esse conuincitur? M. Dici mus medicinam sanam, quia sanitatē in cor

Præceptū Christi dicitur nouum quia nouum facit.

pora malè affecta inducit. Mortem item palli dam, quòd membra efficiat pallida. Timo rem gelidum, vinum audax simili figura. Qua & hoc loco dicitur mandatum caritatis no uum, non quòd recens datum sit: sed quia

noxia

noxia vetustate pulsa, totum hominem innouet, vt sit noua creatura in Deo: & renouetur interior homo de die in diem, etiamsi is qui foris est corrumpatur. Et reuera qui afficitur erga proximum suum, quomodo erat affectus erga suos Christus, nouus homo efficitur, nouus intus in corde, nouus foris in conuersatione, totus alius quam anteà erat, totus azymus, totus Christianus, nihil spirās præter spiracula vitæ, nihil quærens præter eaque Dei sunt & aliorū. At istud licet bene sit ac mysticè dictū secundū D. Aug. atque alios vetustissimos patres: tamen longè verius conformiusq; textui dixeris, ideo vocari nouum madatum, quia nunquam anteà datum. Anteà quidem præceptum erat, Diliges proximū tuū sicut teipsmu: verùm à Christo præcipitur, Diligite inuicem sicut dilexi vos. Dilectionis quæ antea præcipiebatur exemplar erat dilectio suijpsius: dilectionis verò per Christum præceptæ exēplar est dilectio, qua Christus dilexit nos. Illa sequitur formam iuris naturalis: quia amicabilia quæ sunt ad alterum naturaliter surgunt ex amicabilibus quę sunt ad seipsum, secundum Philosophos. Ista verò ordinem ingreditur rerum supernaturalium. Nam Christus dilexit nos diuinè, affectu plus quàm naturali vel humano, purè gratis, purè spiritualiter, purè propter Deum nostramque salutem, purè ad omnium quæ habuit communionem: adeò quòd sanguinem cordis poneret pro nobis, non spectando aliud, quàm vt nos secum vnum faceret cum Deo. Quemadmodum pulcerrime explicatur, Ioan. 17. Vt omnes, inquit, vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Rursum, Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Præcipit ergo vt Euangelicæ philosophiæ duces & discipuli, ita se mutuo diligant, sicut ipse dilexit nos. D. Siccine præcepit? Et quotusquisque saluus erit? Aut vbi sunt qui omnia, qui sanguinem cordis vel animā ponunt pro proximis suis? M. Rursum tibi hoc loco perpendendum, quòd vox, sicut, non quantitatis, sed similitudinis significationē habet. Non enim præcipitur à Christo, vt tantùm diligamus nos mutuò, quantùm Christus dilexit nos: sed vt simili modo nos diligamus: nempè diuinè, spiritualiter, prorsus gratuitò, non ob sanguinis odorem, non commodi vel relationis gratia, sed tantummodo hoc spectando, vt sint vnum nobiscum in Deo & Christo filio eius, nosque illis impendamus, quantum commodè pro loco ac tempore, nostrisque facultatibus possumus, ad eum finem vt sint, quod

2. Cor. 4.

Secūdo dicitur nouū: quia nunquam antea datum.

Christiani debēt se mutuò diligere sicut diliguntur à Christo.

Sicut, similitudinis nō quātitatis significationē habet.

eos esse oporter, in Christo, hoc est, vt verè Christianè diligamus quoscunque diligimus. Repetit autem Dominus hoc suum mandatum Ioann. 15. dicens: Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Quasi diceret; Nunc à me datur vobis hoc mandatum, quod ante me datum est nunquam, sicuti nec dari potuit. Siquidem exemplar primum exhibēdum, ac deinde quod ad eius imitationem fieri debet præcipiendum. Atque eàm ob caussam non dedit hoc mandatum, nisi cùm decessurus esset ad mortem, iam iam positurus animam suam pro amicis suis. Augustinus verò intelligit quasi per emphasim dictum, hoc est præceptum meum. Ac si diceret, Hoc in primis, hoc præ omnibus, cordibus vestris impressum cupio, tanquā non sit vllum aliud mandatum. Etenim vnum hoc sufficit, vnoque isto obseruato, sunt obseruata omnia: ne multitudine præceptorum onerosum habeatur Euangelium. D. Ceterùm an nos similiter pro nobis mutuò debeamus animas nostras ponere? M. Omnino. Si officium susceptum, si necessitas Ecclesiæ, si fidei confitendæ, vel scandali præcauendi occasio sic postulant. Nam Apostolus Christi Ioannes expressè docet, Quoniam ille animā suam posuit pro nobis, & nos pro fratribus debemus animam, hoc est, vitam qua corporaliter viuimus, ponere. Sicuti & innumera agmina sanctorum suas vitas deposuerunt pro fratribus. Non vtique vt illis sanguinis sui effusione salutem pararent: hoc enim ad vnum spectat mediatorem generis humani Christū, qui est vitis vera cunctis palmitibus succum præbens & fructum, sine quo nec S. Martyres quidquam facere potuerunt. Vnde D. August. tractans hunc locum Ioannis dicit, Etsi fratres pro fratribus moriamur: tamen in peccatorum fraternorum remissionem nullius sanguis Martyris funditur, quod fecit Christus pro nobis: neque in hoc quid imitaremur, sed quod congratularemur contulit nobis. Hæc August. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quinimmo, vt Ioannes Apostolus inquit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiā pro totius mundi. Nihil defuit passionibus Christi: dixit enim, Consummatum est: quidquid scilicet pertinet ad mysterium redemptionis generis humani. Nullius hominis sanguis fundendus restat in pretium pro animabus fratrum redimendis. Verùm vt, quod deerat passionum Christi, in corpore suo adim-

Quando Christianus pro Christianis animā suā ponere debet.

August. super Ioan. Tract. 84.

1. Cor. 1.

1. Ioan. 2.

Ioan. 19. Quomodo homo implet quæ desunt passionum Christi.

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS DVODECIMI.

Qvid differentiæ sit inter consilium ac præceptum, & de varia significatione vocis Consilium. Cap. I.
De quibus danda quærendaq; sunt consilia Euangelica. Cap. II.
De verbis Apostoli quibus consulit virginibus, innuptis, ac viduis vt sic permaneant. Cap. III.
De quibusdam difficultatibus circa verba Apostoli. Cap. IIII.
Quid ipsemet Christus de virginitate ac cælibatu tradat. Cap. V.
Cælibatum ac viduitatem, in primis virginitatem habere magnificam promißionem in Scripturis. Cap. VI.
Qualia quantaq; exempla sanctæ virginitatis ac cælibatus proponant nobis Scripturæ sanctæ. Cap. VII.
De illo Scripturæ, Nemo potest continens esse, nisi Deus dederit. Cap. VIII.
Vota castitatis licita esse & sancta, etiamsi ipsa castitas donum Dei existat. Cap. IX.
Quæ sit paupertas ad quam nos hortatur Euangelium. Cap. X.
Voluntariam paupertatem mundo illatam esse simul cum ipso Euangelio salutis. Cap. XI.
Quid sit illud centuplum quod eligentibus paupertatem Euangelicā repromittitur. Cap. XII.
Paupertatem Euangelicam nō vnius generis esse, sed variam. Cap. XIII.
De verbis Lucæ in Actis Apostolorum, Nemo quidquam ex eo quod posidebat, aliquid suum esse dicebat. Cap. XIIII.
Quid censendum de illis qui volunt omnia omniū Christifidelium bona cunctis esse communia. Cap. XV.
De laudibus quas habet in Scripturis spontanea possessio rerum in communi. Cap. XVI.
De erroribus illorum qui æquant aut præferunt diuitias paupertati. Cap. XVII.
De obedientia quid sit, & quo propriè relationē habeat. Cap. XVIII.
De diuisione obedientiæ in diuersas partes quasi specificè distantes. Cap. XIX.
Obedientia quæ annumeratur inter consilia Euāgelica quibus sit Scripturis demonstranda. Cap. XX.
De diuersis gradibus obedientiæ ex parte illorum quibus est obediendum. Cap. XXI.
De gradibus obedientiæ ex parte obedientis. Cap. XXII.
Quam habeat obedientia promißionem in Scripturis sacris potißimum libera, quæ inter consilia annumeratur. Cap. XXIII.
De monasticē & eius partibus. Cap. XXIIII.
Puram monasticen non debere insimulari hypocriseos aut seruitutis introductæ contra libertatem Euangelicam. Cap. XXV.
De venerādo monastices antiquitate. Cap. XXVI.

TRACTATVS DVODECIMVS.

Quid differentiæ sit inter consilium ac præceptū, & de varis significatione vocis consilium. CAP. I.

IDémne, an diuersum significant consilium & præceptum, consulo & præcipio? D. Longè diuersum. Nam præceptum stringit obligatione: cōsilium verò in beneplaciti libertate relinquit. M. Quàm optimè. Siquidē teste Ambrosio, Consilium inuitat voluntarios, præceptum verò astringit etiam inuitos. Vbi præceptum est, ibi lex, vbi consilium, ibi gratia. Præceptum vt ad naturam reuocet, consilium vt ad gratiam prouocet. Quibus astipulatur Hieronymus in hunc modum disserens: Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: vbi præceptum, necessitas est seruiētis. Sed maioris, inquit, est mercedis quod non cogitur sed offertur. Consiliū qui libenter audierit & fecerit, maiorem habet gloriā. At præceptum qui non impleuerit, nisi pœnitentia subuenerit, pœnam euadere non poterit. Neq; fit præceptio, nisi in eum qui præcipientis auctoritati subijcitur. Cōsilium verò & quibusuis datur, & datum faciendi necessitatem non imponit. Virgo quippe si nupserit, non peccat, secundum Apostolum. At coniunx si vsum sui ad alienum virum transferat, valde offendit, propter præceptum, Non mœchaberis. Dic igitur, vox Consilium quid propriè significat? D. Vox illa vt diuersis characteribus pingitur, ita & diuersas sortitur significationes. Cùm enim scribitur per c, significat idem quod cœtus siue conuentus procerum, aut aliorum consultandi gratia coëuntium. Sic dictum à concalando, hoc est, conuocando: vel à consilio siue consensu, vt Festus opinatur. Cuius generis concilia leguntur inter Ethnicos celebrata, quoties ardua communiaque rerum publicarum negotia id exigebant, dicente Cæsare: Quibus de caussis concilio conuocato de summa rerum deliberare incepit. M. Leguntur & inter Christianos in arduis negotijs Ecclesiæ quàm creberrimè habita istiusmodi concilia. Quæ Græcè Synodi, Latinè verò conuentus Patrum appellantur. Idque potissimùm à temporibus Constantini Magni

M.

Ambros. lib 10. epist o 82. Idem lib. de viduis. Hierō. lib. contra Iouin. & ad Eustochium de custodia virginitatis. Aug. sermo. 61. de tempore.

Vox consilium diuersimodè scripta diuersa significat.

Concilia & Synodi idem significant.

Magni, dantis Christianis liberam conueniendi facultatem, qualem anteà sæuientibus per persecutionibus nunquam habuerant. De quibus sanè concilijs Ecclesiæ, potissimùm ijs, quæ primaria sunt, scribit D. Gregorius in hunc modum: Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere & venerari me fateor: Nicænum scilicet, in quo peruersum Arrij dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Ephesinum etiã primum, in quo Nestorij impietas iudicatur. Chalcedonense verò in quo Euthycetis Dioscorique prauitas reprobatur tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio. Quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. Subdit, Cunctas verò quas præfata veneranda cõcilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector. Quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & nõ illa destruit quisquis præsumit aut soluere quos ligat, aut ligare, quos absoluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis verò prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo patre per Iesum Christum filium eius. Hæc ille libr. 1. epist. cap. 24. scribens Ioanni Constantinopolitano & quibusdam alijs. Sunt autem & alia à Patribus habita venerandæ auctoritatis concilia. Nunc Oecumenica, hoc est, vniuersalia, q ad illa ex omni parte orbis Christiani, patres conuocentur, tractandi gratia quæ vniuersam Ecclesiam concernunt: nunc Prouincialia, in quibus ab vnius prouinciæ episcopis & clero negotia suæ diœcesis pertractantur. D. Ceterùm, an eiusmodi concilia Ecclesiæ vniuersalia vel particularia vllum exemplar aut imaginem habeant in Scripturis aut factis Apostolicis? M. Omnino. Vniuersalia quidem Actorum decimo quinto, vbi narrat Lucas, quòd audita relatione Pauli & Barnabæ venientium ex Antiochia, ac aliorum ex alijs qui diuersam partem sustinebant, Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc, nempe an oporteat circumcidere gentes, & præcipere eis obseruare legalia, præsidentibus in eo concilio archiapostolo Petro, & fratre Domini Iacobo Episcopo Hierosolymitano. Prouincialia verò Actorũ decimo nono, vbi narratur, quòd Paulus Apostolus, conuocatis Ephesi his, qui maiores natu Ecclesiæ erant, fecit Synodum eius prouinciæ, cui & ipsemet præsedit. Vtiq; ergo est inuenire in scripturis formam tam vniuersalium conciliorum quàm prouincialium. Quæ quanta polleant auctoritate, quantaque veneratione ipsorum decreta suscipi

Cui' sint auctoritatis quatuor Ecclesiæ cõcilia

Oecumenica concilia.

Prouincialia cõcilia.

Concilia tã vniuersalia q̃ prouincialia habẽt exemplar in Scriptu ris.

debeant facilè conuincit cui studio est contexere demonstrationem ex Scripturis quas hic subijcio, Ecclesia columna est & firmamentum veritatis. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælo. Cùm autem pertransirent Paulus & Timotheus ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis. An quæso vspiam possit aut pleniùs coire, aut viuacius, aut potẽtiùs Ecclesia, quàm in vniuersalibus concilijs? An non summæ dementiæ foret nolle obseruare decreta conciliorum Ecclesiæ, cùm Paulus & Timotheus per ciuitates doceuerint, retinenda ea quæ tũ téporis ab Apostolis & senioribus in publicis conuentibus cõmuni deliberatione decreta fuerant? Verùm quia isto loco nõ sumus pertractaturi de hoc genere conciliorum, ideo hæc de illis prægustatio sufficiat, nosque ad institutum reuertamur. D. Cùm verò scribitur vox Cõsilium per s, definitur à Cicerone, aliquid faciendi, non faciendiue excogitata ratio. Quoties enim, teste Aristotele, per plura aliquid fieri potest, consilio inquiritur per quod facillimè & optimè fiat. M. Et id sanè optimè. Nam consilium nõ aliud est, q̃ ratiocinatio, inquisitio, ratio siue sententia prosequẽdi id inter plura, quod aptiùs expeditiusque ad præconceptum finẽ videtur. Et surgit aliquando in mente agẽtis, iuxta illud, Mens cordati hominis sedes est consilij: aliquando aliũde accipitur. Hinc Ioseph ad fratres suos, Non vestro, inquit, consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Diciturque tam in malo, q̃ bono. Nam Dauid rogat, Infatua quæso Domine consiliũ Architophel: eò quod peruersissimum esset. Est q; in prouerbio, Malum consilium consultori pessimum. Iudæ autem Machabæo incidit, ait Scriptura, consilium bonum, vt destrueret altare à gentibus pollutum.

1. Tim. 3. Matth. 18. ibidem.

Vox cõsiliũ per s quid significet.

Gene. 45.

2. Reg. 15.

1. Mach. 4

De quibus danda quærẽdaq; sint consilia Euãgelica. CAP. II.



Hoc autem loco in primis scire debes, nec quæri vnquã, nec dari cõsilium de ipso fine, vt finis est, eò q fines principiorũ rationẽ habeãt. Principiorum autẽ non fit inquisitio: sed velut certa in mente agentis præconstituta manent. At consilium inquisitio quædam rationis est. Quis enim prudens vnquam consilio inquirit, num Deo sit adhærendum? cùm is sit finis ac scopus, quò certo tendimus omnes,

M. De fine non quæritur consilium.

Psalm 72. nes, dicente Propheta in persona Ecclesiæ:
Mihi adhærere Deo bonum est, Idque absolutè, citra omnem comparationem. Quasi diceret, Hoc vnum, hoc semper, hoc in primis, & præ omnibus est optandũ. Quia ecce qui
De medijs ad finē datur cõsilium. elongant se à te peribunt. Ceterùm de medijs quibus ad finem peruenitur, dat accipitque consilium vir prudēs. Non tamen de quibuslibet medijs: quia non de ijs quæ certò determinata sunt, aut natura, aut præcepto, aut necessitate. Quis enim consilio inquirit, num cibo vti aut potu debeat: vel parentes colere: vel mortem euadere: Cùm primum natura, secundum præcepto, tertium necessitate certò
Obiectio determinatum existat? D. Nonne Iudæi cõpuncti corde ex sermone Petri, quærebant
Act. 2. consilium super eo, quod certissima lege Euãgelica definitum erat, dicentes: Viri fratres quid faciemus? M. Lex suscipiendi Baptis-
Solutio. mi, tunc quidem data erat Ioan. 3. verùm necdum sufficienter inter alios promulgata, vt omnibus cõstaret lauacrum salutaris ablutionis esse medium necessarium salutis inueniendæ. Quapropter rectè quærebãt illi consiliũ,
Act. 2. dabatque illis Petrus, dicens: Pœnitētiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum. Sicut & Ioannes Baptista dedit consilium militibus, super ea re de qua secundum legem nihil erat dubitandum. D. Cur igitur dabat? M. Quia militaris con-
Consilia Euãgelica nõ datur de rebus minimis seu indifferētibus. scientia larga, corrupta, cæca, plerumq; etiam expresse prohibita inter licita aut indifferētia cõputare solet. Adhæc non dantur cõsilia Euangelica de illis quæ minuta sunt, seu prorsus talia, vt siue sic, siue aliter fiāt perinde æstimatur à Deo. Qualia nunc tempore Euãgelij sunt comedere vel non commedere suillas carnes, lotis vel illotis manibus manducare, edere de idolothytis, hanc aut aliam exercere artem mechanicam, concivem vel exteram in vxorem ducere, hac vel illa indui tunica: De quibus non magnopere curat Euangelium præscribere consilia: sed de eiusmodi pronunciat Apostolus certas quasdam doctrinas, quas præ oculis habere oportet dicēs:
Rom. 14. Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui nõ mãducat, mãducantē non
1. Cor. 8. judicet. Et alibi, Omnia quidē munda sunt: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Nam si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum,
1. Cor. 10. ne fratrem meum scandalizem. Rursum, Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite. In illis itaq; quæ nec lege, nec præceptione, nec propriæ voluntatis voto, nec vlla à Patribus recepta consuetudine vetita aut in alterã partem determinata existunt, neque multum momenti habent ad salutem, sic an secus fiant, oportet permittere secundum Paulum, vt vnusquisq; in suo sensu abundet. Qualitercunque Rom. 14.
enim facit, rectè facit, dummodo in gloriam Dei dirigat quod facit, neminemque scandalizet, nec alium non facientem propterea iudicet. Quas tres conditiones Apostolus in talibus diligenter obseruandas mandat locis prællegatis. Sunt alia quædam media salutis Consilia Euangelica de quibus sint data.
inueniendæ, quæ licet in neutram partem sint definita, mirè tamen conducunt atque expeditum faciunt, vt totus Deo diuinisque rebus inhæreas, nempe virginea castitas, cælibatus, abdicatio rerum, vt nudus nudum sequaris Christum, fraterna possessionum tuarum communicatio, recessus ab hominum consuetudine amore veritatis contemplandæ, submissio suipsius sub alterius potestate, vicem Dei gerentis, dimissis omnibus soli Euangelio annuntiando intendere, carnem mortificare abstinentijs certòue ciborum delectu, & eius eminentiæ alia. Quanquam enim connubium, res itèm temporales, & munia functionum, potestas insuper propriæ voluntatis, suarumque rerum ad suas vtilitates vsus: adhæc edere & bibere quiduis cum moderamine rationis, nihil repugnent Euangelio Christi: imò in eo laudem ac meritum habeant, dum secundum virtutem pertractantur, adferunt tamen secum multam solicitudinem, variasque distractiones, & perturbationes, sed & frenum laxant inquietæ carni, malarumque insuper concupiscentiarum ignem nutriunt, haud secus atque arida ligna focum, ingerentes vndequaque multifariam tentationem donec abstrahant, abstractumque illaqueant atque perdant: adeò vt Apostolus dicat, Qui volunt, inquit diuites fieri 1. Tim. 6.
incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & per- 1. Cor. 7.
ditionem. Rursum, Tribulationem tamen carnis habebunt eiusmodi, loquens de virginibus nubentibus. Et Dominus ad Martham,
Martha, inquit, Martha solicita es, & turbaris Luc. 10.
erga plurima. Porrò vnum est necessarium, Non obstante eo, quòd mulier sancta pientissimè occupata esset in ministerio Domini & discipulorum eius. Alia verò testimonia, quæ hic citari possent, prudens sciensque omitto. Vt igitur amputentur à nobis fomenta malorum, solicitudo insuper & distractio, [illegible] ad manum subsidiarium medium virtutis expeditè colendæ, dedit nobis ipse misericordiarum Dominus in [illegible] suo

suo diuino quædam expressa consilia, quibus inuitat, suadet & hortatur, studio indefesso prosequenda, ea quæ supra commemorauimus. Addens magnificas promissiones ijs, qui eiusmodi suis consilijs auscultant: ne quis arbitretur nõ quàm gratissimum fore Deo suo, si in illis se fortiter exerceat. De quibus nunc demõstrationes singulatim auspicabimur. Et quidem primò de Virginitate, cœlibatu & Viduitate. Secundò de Paupertate Euangelica. Tertiò de submissione suijpsius sub obedientiam alterius. Quibus subijciendum foret de abstinentijs, ciborumque delectu consultis ad corporis mortificationem, & de illa profusissima rerum tuarum largitione in pauperes vt thesaurum tibi reconditum habeas in cælis. Verùm commodior de illis agendi locus erit libro sexto tractatu de virtutibus Euangelicis. Tu autem attentus esto, neque chartæ aut calamo parcas. Iã enim de pretiosissimis margaritis Euãgelicis inter nos ratiocinatio erit.

De verbis Apostoli quibus consulit virginibus, innuptis, ac viduis vt sic permaneant. CAP. III.

M. 1. Cor. 7. Consilia Virginitatis & continentiæ, quibus scripturis data sint.

DE quibus, inquit Apostolus, scripsistis mihi, ô Corinthij, hoc respõdeo: Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationẽ autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Rursum, Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Tertiò, De virginibus præceptum Domini non habeo, consiliũ autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Hęc Apostolus I. ad Corinth. 7. quasi diceret, O Corinthij consuluistis me scriptis vestris super connubio, virginitate, ac cælibe vita: ecce loco consilij verè Euangelici vobis rescribo, Bonum esse homini mulierem non tangere, hoc est, prorsus abstinere à congressibus carnis. Et id quidem dico bonum homini citra exceptionem ætatis aut personæ. Ergo cuiuis mortalium bonum: non vtique soli sacerdoti, sicut quidam, teste Theophylacto, nugantur. Et quidẽ bonum absolutè, hoc est, tale bonum, quod per se est appetibile ratione virtutis ac honestatis & eminẽtiæ, quas in se continet. Non autem ratione alterius, vt connubium & vsus eius, quæ vt inter bona connumerentur, aliunde cohonestari debẽt, nempe Sacramento, fide, & prole, vel incontinentiæ vitandæ caussa. Ne autem ex istis ea constantia pronunciaris per Apostolum, existimarent Corinthij, aut soluenda connubia, aut à maritalibus commercijs abstinendum, mox subiungit per aduersatiuam particulã, Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autẽ & vxor viro. Quasi diceret: Quanquam Virginitas eximia quædam res est, admodum ceteris præeligenda: tamen ipsa coniugia, ipsaque coniugum commercia vtique licita sunt, etiam tempore Euangelij, vel solius fornicationis vitandæ gratia. Rursum, quanquam ad ineunda connubia nullo debito, nulláue necessitate obligetur homo, quia bonum est homini mulierem non tangere, tamen quisquis contrahit matrimonium, vendit libertatem, debitorque alterius efficitur. Nam mulier post cõnubium potestatem sui corporis non habet, sed vir. similiter autẽ & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier. Nolite igitur fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum: ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram. Cui subnectit. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Ac si diceret, Tantum abest, vt priori illa mea sententia velim præiudicare congressibus matrimonialibus, vt ordinẽ vobis post orationem reuertendum in idipsum. Non quidem quòd id præcipiam, nam multi sanctissimi coniuges ex mutuo consensu perpetuò abstinent à congressibus carnis, cum pudicitiæ amore tum orationum caussa: sed concedo, vt fiat regressio in idipsum propter quorundam incontinentiam, ne detur Sathanæ tentandi vos occasio. Quæ si non obstaret, profectò vellem, quantum in me est, omnes homines esse sicut meipsum. Sed vnusquisque proprium donũ habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Quo loco obseruabis ꝙ Apostolus non dedignatur se in mediũ proferre, quo magis persuadeat sanctam cõtinentiam. Quod sanè quoties facit, reuera arduum quid & excellens proponit. Hucusque, fili, velut in genere egit Apostolus de cõtinentia & coniugio. Exinde autem in specie, & quidem nominatim agit de cælibatu, de viduitate, & de virginitate, intexens de coniugij indissolubilitate, nisi fortè ob irrecuperabilem disparitatem cultus. Quod vnum missum faciemus, de reliquis qua poterimus diligentia pertractaturi. D. At quàm bonũ homini mulierẽ non tangere, cùm dicat conditor Deus, Non est bonũ hominem esse solum, Genes. 2.

lum, faciamus ei adiutoriū simile sibi? M. Expecta paulisper. Posteà opportunior obijciendi hæc & huiusmodi locus erit. Apostolus verò quod cœperat, prosequitur in hunc modum, Dico autem nō nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant. Meliùs est enim nubere q̃ vri. Rursum hic obserua, qua constantia consulat Paulus cælibatum & vidualem continentiam. Per non nuptos enim intelligit cælibes, etiāsi aliquādo parū virginea fuerint mente. Per viduos verò quosque à matrimonio verè continentes. Quamq̃ue claro sermone cōputet cælibarum & viduitatem inter ea quæ sunt simpliciter bona, per se expetibilia. Probans interim coniugium, vbi est incontinentiæ periculum. Addit enim, Quòd si non se continent, nubant. Meliùs est enim nubere quàm vri. D. At homines sumus omnes, tentamurque omnes concupiscentijs, quod est vri, igitur singulis meliùs est nubere, quàm sine coniugio permanere.

Quid sit vri. M. Haudquaquam idem sunt tentari & vri. Quod enim vritur, detrimentū accipit ab igne, iamque concupiscentiæ flammulis crematur. Tentatio autem vt oppugnat in carne contra carnem militantem: ita & in carne suamplius carnem vincentem probatum reddit atq; coronat. Dum surgit motus in carne, vel cogitatio mali in mente, tentatio est. Cæterùm adustio tum primùm dicitur, quando tentatio trahit in consensum peccati. *1.Cor.12.* Sensit vtique Paulus stimulos seu tentationem carnis. Non tamen vrebatur. Neque ob id sibi conuolandum ad nuptias putauit: quin potius ad orationem, qua tertiò, hoc est, instanter orauit Dominum, eiusque beneficio victoriam inuenit, nihil vstus, nihilque læsus in conscientia. At si raperis libidinibus in consensum, teque adurit concupiscentiæ ardor, coniux fias. Meliùs est enim inire connubiū à Deo institutum, quàm scortationibus, alióue genere libidinum vri, quæ nunquam non fuêre prohibita. *Tentari neque bonum neque malum.* Vri semper malum est, tentari verò neque malum per se, neque bonum: sed bonum vincentibus, malum verò efficitur succumbentibus. D. Itaque abusiua est comparatio qua vtitur Apostolus. M. Esto. Nam tales comparationes sunt admodum familiares Scripturis sacris. Vt ibi, Meliùs est mihi (Ionæ fugienti à facie Domini) mori q̃ viuere. *Ionæ 4.* Et illic, Expedit ei, nempe scandalizāti pusillos, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. *Matt.18.* Neque enim Ionæ bonum erat mori, neque scandalizanti bonum est demergi in mare: sed vtrique idipsum bonum dicitur cōparatione deterioris quod euitatur. Vt cùm dicimus, Meliùs est proijcere merces in mare, quàm naufragium pati: aut, Meliùs est habere vnum pedem quàm nullum. Sic cùm occurrūt duo nempe vri & nubere, istud certè præeligendum tibi quia licitum est, quò vites illud quod nunquam licere potest, semperque nocet.

Cōsilium virginitatis seruandæ. Progreditur porrò Apostolus ad consilium seruandæ virginitatis, quæ cæteris præeminet, & inter homines Angelicæ excellentiæ gloriam habet, dicens: De virginibus autem præceptum Domini non habeo (Dominus quippe nihil præceperat de virginitate aut seruanda, aut in nuptias cōmutanda: tantummodo id dixerat, Qui potest capere, capiat) consilium autem do. Non quidem vt priuatus quispiam, sed tanquam is qui misericordia Dei acceitus sum ad Apostolatum, vt sim fidelis, vtique in dispensandis scientijs & mysterijs eius. Existimo enim hoc (nempe dare vobis expressum consilium super hac re) bonum esse propter instantem necessitatem, scilicet persecutionum, tribulationum, dolorū, curarum, solicitudinum. Et quale est illud cōsilium? Quoniam bonum est homini sic esse, nempe vt virgines sunt, in ea scilicet pudicitia quæ nullam vnquā admisit sui corruptionem. De hoc consilium siue sententiam meā libera voce pronuntio, quoniam simpliciter bonum est homini sic esse. Ne autem hæc dicendo videatur aut virginibus necessitatem imponere, aut contractis nuptijs velle derogare, mox subiungit, Alligatus es vxori, ne quære solutionem. Solutus es ab vxore, (vel quia nondum duxisti, vel quia morte coniugis libertatem nactus es) noli quærere vxorē. Nam vt liberis suadeo perennem castitatem, ita coniugatis non permitto coniugij dissolutionē, sicuti nec permittere possum. Quod enim Deus coniunxit, homo non separet. Si autem acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Non peccat cælebs, nō peccat virgo, neque, vt infrà dicit, peccat vidua, si coniugium ineant. Attamen tribulationem carnis, siue secundum carnem habebunt eiusmodi per coniugium ad quod conuolarunt. Quid possit aut clarius dici, aut conformius communi doctrinæ catholicæ Ecclesiæ? D. Nunquid cælibes maiorem subinde tentationem carnis sustinent, quàm qui matrimonio iuncti sunt, ipso vsu coniugij præstante refrigerium æstuanti concupiscentiæ? M. Quæ sunt secundum inclinationem naturæ non minuunt naturalem affectionem, sed vsu suo magis accendunt. Neque cessarent in

eiusmodi ardores volendi, nisi deficerent vires agendi: quinimmo nec tunc quidem. At Apostolus per tribulationem carnis non intellexit lubricas illas tentationes carnalis concupiscentiæ, quibus vel extra coniugium vexantur cælibes: sed labores, sed pressuras, sed angustias, curas, solicitudines, quales plurimas, ne dicam, sexcentas secum adfert coniugium, tum coniugis tum prolium caussa: Adeò vt somnum auferant ab oculis, vires prosternant, rugasque obducant, & in florida adhuc ætate aridum ac quasi decrepitum plerunque reddant. Pergit autem Apostolus post pauca, in explicandis caussis dati sui consilij, ac dicit, Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, id est, non vt vos cogam, teste Augustino, sed vt prouocem ad id quod honestum est, & quod facultatem præbet, sine impedimento Dominum obsecrandi. Hucusque Apostolus adeo plano disertoque sermone, vt nihil putem addendum. D. Est tamen quod mihi remoram facit. Nam quæ sunt ista, quæ Dei esse dicit, cùm inquit, Innupta & virgo cogitat quæ Dei sunt? M. Explicat id fusè alio loco dicens: Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ. Adde, quæ vitæ, quæ incorruptionis, quæ Angelicæ nobilitatis, quæ beatitudinis, quæ æternæ vnionis cum eo qui semper est, omniaque potest, omnia habet, omnia præstat. Cetera tu ipse adiunge. Verùm obserua quòd dicit, Vt sit sancta & corpore & spiritu. Corpore, inquit, non autem membro. Membrum enim corporis pars est, corpus verò omnium compago membrorum intelligitur. Itaque vt sit sancta corpore, hoc est, omnibus membris. Non resonet lingua nisi puritatis sermonem, non festinet pes nisi à turpium consortio, nulla lubricitas in oculis, nulla in manibus, nulla sit in meditatione cordis. Illud quoque debes insculpere memoriæ tuæ, quòd asserit honestum esse seruare virginitatem aut cælibem vitam, quòdque præbeat facultatem indiuulsè adhærendi Domino in oratione, alijsque pijs meditationibus. An non igitur val-

Quid intelligat Apostol. per tribulationem carnis.

Phil. 4.

dè decorum, vt sacerdotes qui precationibus ministerijsque diuinis peragendis pro populo dedicati sunt, virginitatis aut saltem cælibatus seruent statum. Vis nunc vt tibi summatim recenseam caussas dati consilij per Apostolum? D. Admodum. M. Prima est, Quia bonum est homini sic esse. Secunda, Quia hoc exortem facit à quàm plurimis tortionibus, angustijs, tribulationibus. Tertia, Quia virgo & cælebs vnica duntaxat tanguntur cura, nempe, quomodo placeant Deo, vtque sancti sint & corpore & mente: cùm interim vtentes coniugio nec mente valeant, nec corpore esse sancti, id est, mundi & separati ab actibus impuritatis. Quarta, Quia cælibatus, potissimùm autem virginitas præbet facultatem sine impedimẽto precandi Dominum, à qua coniugati longè absunt, hinc vxore querula, illinc liberis petacibus, istinc habendi solicitudine quod sibi alijsque alendis satis sit, inde quod reliquum est iuxta appetentiam carnis, in diuersum rapientibus. Quinta, Quòd status ille per se honestamẽtum quoddam habeat. Sexta, Quòd ipsemet Apostolus Paulus eum statum tanquam Euangelio magis conformem amplexus sit. Igitur (sic enim infert ex his alijsque Apostolus) qui matrimonio iungit virginem suam, benefacit: qui non iungit, meliùs facit. Et, Beatior erit vidua si sic permanserit, secundum meum consiliũ qui Apostolus Christi sum. Quæ certè omnia vt pressiùs menti insideant tanquam consilia Dei, subnectit in fine capitis velut inuictum robur doctrinæ suæ, ac dicit, Puto quòd & ergo spiritum Dei habeam: vt scilicet quæ Dei sunt aptè consulam.

Caussæ dati cõsilij per Apostolũ.

De quibusdam difficultatibus circa verba Apostoli. CAP. IIII.



Vnt circa hunc textum Apostoli, quæ non sinunt cogitationem meam quiescere. M. Gradatim itaq; ac ordine propone singula. D. Primum, Qua ratione dicit Apostolus, Bonum est homini mulierem nõ tangere, cùm dixerit Deus, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi? M. Aliud conditor Deus, aliud spectabat Euangelij prædicator Paulus. Cùm sic diceret Deus, replenda erat terra hominibus. Cùm sic diceret Paulus, replendum restabat cælum animabus sanctis. Deus vt perficeret, quod cœperat condere, genus humanum, tum necdum consummatum, noluit hominem esse solum, hoc est vnius sexus: sed vt pos-

D.

Obiectio Explicatio illius, nõ est bonũ hominem esse solum. Solutio.

vt poſſet propagare naturam, dedit Adæ adiutorium, natura quidem ſimile ſibi, ſexu verò diſſimile. Enimuero tum demum vnumquodque in ſuo genere dicitur perfectum, cùm poteſt generare ſibi ſimile. Apoſtolus verò cùm iam cæli patefacti eſſent, hominúmque genus ſufficienter multiplicatum, vt ruina Angelorũ citiùs inſtauraretur, docuit continere à congreſſibus carnis, quò hîc inciperemus eſſe ſimiles Angelicis ſpiritibus, quib' perpetuò poſſe aſſociari in cælis, per Chriſtũ iam donatum fuerat. Nec tamen id præcipit, ſed conſulit: & quidem ijs duntaxat qui voluntarij ſunt.

Replica.

D. At ſubiunxit Deus ſuis verbis mandatum, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, quæ non repletur ſine congreſſu maritali. Malè igitur docet Paulus: Bonum eſſe homini mulierem non tangere. Aut certè verba eius aliam, quam dictum eſt, accipiunt intelligentiam.

Solutio. An ſit præceptum, Creſcite & multiplicamini

M. Verba illa Genes.1.& 9.cap. non ſunt præcipientis, ſed dantis facultatem propagandi naturam. Sicut & illa, Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, ſunt donantis imperiũ ſuper omnia animantia mundi. An peccent, qui non exercent imperium ſuper lupos, aut tigrides, aut ſerpentes, aut ſuper grandia cete maris? Verbis Imperatiui modi aliquando iubemus, vt ibi, Voca operarios, & redde illis mercedem. Aliquando damus facultatem, vt ibi, Hoc facite in meam commemorationem. Et ibi, Creſcite & multiplicamini. Aliquando damus conſilium, vt ibi, Sine vxore es, noli quærere vxorem. Aliquando indulgemus, vt ibi, Iterum reuertimini in idipſum. Aliquando hortamur, vt ibi, Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, &c. Eſto autem ſit præceptiuè dictum, Creſcite & multiplicamini. At præcepta iuris naturæ, non antea, non magis, aut diutiùs obligant, quàm ipſamet natura. Vti demonſtrauimus Tractat.10.cap.5. Natura autem non obligat ad generandum niſi quantum ſatis eſt propagationi. Vbi autem illa ſufficienter eſt facta, & eidem adhuc inſiſtunt, quantum ſatis eſt, multi alij bene ſpontanei, in hodiernum vſque diem, ceſſat tum obligare ius naturæ, quare & ipſum præceptum iuris naturæ expreſſiuum. Quid verò mirum ſi ſtatu rerum mutato, mutentur præcepta? Alius ſtatus erat hominum ante Euangelium, alius eſt ſub Euangelio. Alia inſuper tunc hominũ diſtantia à conſortio cæleſtium quàm nunc, ideoq; plurima quæ olim licita fuerunt, vt pluralitas vxorum, libellus repudij, circunciſio, ritus agni Paſchalis, nunc planè illicita ſunt. Multa etiam nunc licita ſunt, vt cælibatus, vt negotiatio in die Sabbathi, vt ſacer Baptiſmus, vt communio corporis & ſanguinis Domini, quæ olim in populo Iudaico nullum habuere vſum, ſed nec habere potuerunt. Hinc D. Hieronymus, Pro conditione, inquit, temporum alij, illi (ſcilicet patres veteris legis) ſubiacuerunt ſententiæ, alij nos, in quos fines ſeculorum decurrerunt. Quàm diu lex illa permanſit, Creſcite & multiplicamini. Et, Maledicta ſterilis quæ non parit ſemen in Iſraël, nubebant omnes, & nubebantur, & derelictis parentibus fiebant vna caro. Quando verò vox illa pertonuit, Tempus breuiatũ eſt. Reliquum eſt, vt qui habent vxores, ſic ſint quaſi non habeant. Et, Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo, aliter ſcilicet res ſeſe habet.

Matt. 20.
Luc. 22.
Gene. 1. 9.
1. Cor. 7.
ibidem.
2. Tim. 4.
Hiero. contra Heluidium.

Obiectio Explicatio illius, Vnuſquiſque ſuam vxorẽ habeat.

D. Illud autẽ, Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum, eſt'ne vniuerſaliter, & præcipiendo dictum ab Apoſtolo, quaſi conſtituente, vt ſinguli ineant coniugium, rem tutam, imbecillitatémque noſtram adiuuantem, ne Eccleſia Dei libidinibus fœdetur?

Solutio.

M. Quantum terra à cælo, tantum hoc diſtat à mente Apoſtoli, prout luculenter demonſtrat tum phraſis orationis: nam dictum hoc, habere ſuam coniugem, ad vſum refertur eius, quæ tibi legitima vxor facta eſt: non autem ad contractum, quo tandem tibi vxor fiat. Alioqui dicendum fuiſſet, Propter fornicationem autem vnuſquiſque aliquam habeat vxorem, & vnaquæque aliquem habeat virũ: nunc verò dicit, Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, hoc eſt, vtatur ea quæ iam per præeuntem contractum ſua facta eſt: tum ſcopus totius capitis, qui eſt, quòd ſancta virginitas, & ſacer cælibatus præferri debeant cõnubijs & vniuerſis moderatis eorum vſibus: tum denique ea quæ mox ſequuntur. In quibus ſeipſum ſpeculum continentiæ proponit dicens: Volo autem vos omnes eſſe ſicut meipſum.

Replica.

D. Fortaſſis Paulus tum temporis coniunx erat, Deoque ſub coniugali continentia militabat.

Solutio.

M. Non ſit hoc veriſimile. Nam iteratò ſubdit, Dico autem non nuptis ac viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, nempe ſine coniugio & vſu eius, ſicut & ego, expreſſè ſe annumerans inter cælibes. Quòd ſi ſe non continent, nubant, hoc eſt, conuolent ad coniugium. Vt certò certius ſit Paulum ſaltem tum temporis fuiſſe ſine vxore: etiamſi non vſque adeò certum exiſtat de perpetua ipſius virginitate, ſicuti nuſquam ſe inter virgines connumerat: Nam & Ambroſius dicit, Exceptis Ioanne & Paulo omnes Apoſtoli fuerunt cõiugati. At paulò exactius inquiramus num coniunx tum temporis

Paulus erat ſine vxore.

Ambroſ. in cap. 11. 2. ad Cor.

fuit si fuit, aut prorsus tum abstinebat à cõgressu vxoris, aut moderatè vtebatur coniugio, quia vir sanctus erat. At neutrum verè dici potest: igitur tunc sine coniugio erat. D. Cur non posterius? M. An precor bonum non nuptis ac viduis sic permanere in moderato congressu carnis extra matrimonium, sicut Paulus mansit in matrimonio? Absit vt hoc voluerit Apostolus Christi. Scelus enim est, extra matrimonium matrimonialiter viuere. Ideoque subdit, Quòd si non se continent in eo statu, nubant. D. Cur non priùs? M. Quia non erat consulendum non nuptis, ac viduis, sed præcipiendũ vt contineant quamdiu tales sunt, sicuti & mandatum Dei idipsum præcipit. Verùm cõsulendum erat eisdem quòd sic permanerẽt, nempe non nuptæ aut viduæ, sanctè colentes cælibatum, sicut ipse Paulus in cælibatu persistebat.

Obiectio

Philip. 4.

D. Quorsum igitur alio loco dicit, Rogo & te Germana compar, hoc est, coniux, adiuua illas: si vxorem nullam habuit?

Dilutio.

M. Chrysostomus & Theophylactus vetustissimi auctores, vterque Græcus, & in Scripturis explicandis oculatissimus, citant hunc locum non feminino genere, vt: tu germana compar: sed masculino genere germane compar, referentes ad virum, qui iam germanus frater erat in fide, ducens simul cum Paulo iugum Domini: ideoque compar siue coniux.

Theoph. in 4. cap. ad Philip.

Certè Theophylactus dicit, Nonnulli hic in errorem inducti aiunt Paulum hic propriam coniugem adhortari & precari: verùm enimuero hoc esse haudquaquam potest. Vt enim, inquit, alia prætermittam, si suam vxorem intelligere voluisset, debuisset dicere genere feminino γνησία σύζυγε, id est, Germana coniux.

Oecumenius in 4. cap. ad Philip.

Dicit insuper Oecumenius, & ipse inter Græcos interpretes percelebris auctor & vetustus. Ex hoc loco quidã suspicati sunt, vxorem habere Paulum, & huic scribere: sed insulsum est hoc. Quale enim esset, si Philippis eam hospitem & aduenam reliquisset, & neque Tharsi vnde oriundus erat, neque Ierusalem vbi nutritus? Sed dicimus, quòd vel maritus alterius fuit ex duabus illis quarum fecerat mentionem vel certè nomen proprium. Probatus autem fuit quidam, cui etiam quas dixerat commendat. Hæc ille. Quod itaque alij rethoricantur hoc loco, quasi ad vxorem locutus sit Paulus, eò quòd secundum Atticũ morem possent Græca & feminino genere accipi, vt σύζυγε γνήσιε cõiux sincera siue germana (Nã σύζυγοι Græcis à iugo pariter ducendo dicuntur) pro alieno & insulso habere debes. Non enim tale quid tã acriter fuisset reprehensum à Græcis auctoribus proprietatis illius linguæ scientissimis, si vlla ratione constare posset eũ veritate, & ipsius Apostoli dictĩ. 1. ad Corinth. 7. vbi se inter cælibes annumerat.

Hiero. in 4. cap. epist. ad Philip.

Sed & D. Hieronymus legit hunc locum masculino genere, referens ad quendam nomine Germanum: si tamen illi verè sunt Hieronymi commentarij. Sic & D. Ambrosius legit masculino genere. Immo B. Hieronymus ad Eustochium, Non sunt, inquit, audiendi, qui Paulum vxorem habuisse confingunt. Cùm de continentia disserens & suadens perpetuam castitatem, intulerit, Volo autem omnes homines esse sicut meipsum. Notanda certè contra temerarios, sententia Hieronymi.

Quid propriè intelligatur per has voces, virgo, innupta, vidua.

D. Adhæc cuperem intelligere quousque se extendant secundum Paulum hæ voces, Virgo, Innupta, Vidua. Si enim virginem intelligit eam esse, quæ velo votóue Deo sacra est, quomodo ergo dicit, Virgo si nubat non peccat. Si verò per virginem, vnaquamque viro incognitam, quæ erit differentia inter virginem & innuptam siue cælibem?

Virgo.

M. Virginis diffinitio est, secundum Hieronymum, & mente & corpore incorruptam esse. Nam etsi corpus nulla labe fuerit maculatum, non constat tamen pudicitiæ ratio, si animus incestus est, nec illibata castitas videri potest, vbi conscientiam cupiditas coinquinauit.

Cælebs.

Cælebs verò siue innuptus dicitur, qui vel semper fuit, vel nunc est sine coniugio, & ab amplexibus amore continentiæ abstinet. Dignus secundum Hieron. ac alios eo nomine, quòd in carne cœlestium, siue cælo dignam vitam agat. Quamuis enim apud auctores literaturæ secularis Quintilianum ac consimiles, cælebs oppositione quadam relatiua sese habeat ad coniugatum, & dicatur cælebs quicunque coniunx nõ est, etiamsi more lenonum & perditissimorum nepotum luxuriosè viuat: tamen Patribus Hieron. August. Ambros. & vniuersis Tractatoribus Theologicis, nemo dicitur cælebs, nisi extra matrimonium, reuera & pudicitiæ amore nunc contineat, qualis qualis antea fuerit. Non enim qui impuram vitam agunt, nefarijsque libidinibus coinquinantur, vitam cælestibus consimilem agunt. Quare nec cælibes dici merentur, etiamsi coniugio careant.

Vidua.

Porrò vox vidua expositione non eget, notam enim significationem habet.

Virginũ viduarũq; varia cõditio.

Vt autem virginum aliæ sunt voto velóue ad perpetuam virginitatem obstrictæ, aliæ libero studio amoreque virtutis tales permanent. Sic cælibum, sic & viduarum aliæ voto aut cõsecratione sunt tales, aliæ verò in sua adhuc libertate retinent permanere vel non permanere quales sunt. Et quanquam de vtrisque

in sacris

in sacris literis magna pertractatio fiat: tamē Apostolus hoc loco ad velatas votóne astrictas virgines aut viduas haudquaquam suum consilium dirigit. Quis enim consulit apprehendendum, quòd iam apprehensum est? Eiusmodi enim virgines ac viduæ iam apprehenderunt consilium Domini, sequentes illo propriæ voluntatis votò confirmauerunt. Præcipiendum itaque illis est magis quàm consulendum, vt sic permaneant. De quo mox fusius dicemus. Sed vtitur Apostolus dictis vocibus, virgo, vidua, innupta siue cælebs in sua generalitate, vt virgines dicantur omnes vtriusque sexus, qui se integros ab actibus Veneris & incorruptos seruarunt. Viduæ omnes vtriusque sexus, qui trāsacto coniugio, exinde continent. Cælibes denique ac innupti, quicunque continent à commercio carnis, quales quales anteà fuerint. Omnes siquidem eiusmodi hortatur Apostolus, vt quod sunt perpetuò esse velint. D. An verò salaces fœminas, quibus nihil prius est in votis quàm nubere, matres fieri, & voluptatem carnis, licitis tamen medijs, experiri, Apostolus hoc loco appellat virgines, aut viduas, vel cœlibes? M. Prima quidem facie apparet sic. Dicit enim, Quòd si non cōtinent, nubant. Melius enim est nubere, quàm vri. Et, Virgo si nupserit, non peccat. Verùm si rem propiùs inspicias, longè diuersum inuenies. Qua enim ratione diceret Apostolus de talibus, Bonum est illis, si sic permanserint? An conueniebat adhortari procaces, vt permanerent ita, foris speciem continentiæ, intus habentes nubendi studium, vt nec mente sint quod dicuntur, nec corpore quod imprimis esse quærunt? Non vtiq; illa est virginitas aut viduitas quas præco Euangelicus commendat. Animus sedes est virtutis, non corporis membra. Nec quæuis virtus, sed quæ eximia est ac præcellens, diuinis suadetur consilijs. Qui ergo circumferunt in animo, haudquaquam sincerū studium reuerà continēdi, sed magis nuptias, vllas meditantur, illas ambiunt & somniant, ij indigni sunt nominibus virginum, viduarum, aut cælibum. Licet enim carnem non cō maculent illicitè, nihil tamen habent harum virtutum in animo, ac proinde non habent, quas nisi animo habere non possunt. D.

Obiectio. Ad illud igitur, Quòd si se non continent, nubant. Ergo Apostolo computantur inter virgines ac viduas etiam eæ quæ salaces sunt.

Solutio. M. Dictum hoc non sic est accipiendum, quasi Paulus istiusmodi reputet dignas nominibus virginum vel viduarum. Sed docet, si quæ incipiant degenerare ab eo quod fuerunt, nec reuera ampliùs cōtinent, vt verè sint quales esse creduntur, nubant potiùs, quàm concupiscentiarum incēdio pereant. Itaque, vt tandem finiam, consulit Apostolus, vt omnis vtriusque sexus, qui adhuc mente & corpore manet alienus à voluptatibus carnis, quod est virginem esse, permaneat talis in æternum, propter rationes superiùs expressas. Item quòd omnis vtriusque sexus, qui soluto matrimonio cœpit mente & conuersatione esse viduitati addictus, sic exinde maneat in æternum. Tertiò, qui mente & opere hactenus detractarunt iugum matrimonij, propter libertatem seruiendi Domino: etiāsi animus aliquando fuerit victus, caroque per infirmitatem corrupta, nihilominus exinde permaneāt sic, cœlibatum potiùs quàm connubiū, amplectentes. Quia & victum posteà vincere vincentem se, gloriosum habet triumphum. Quæ sanè consilia haud quaquam perfunctoriè ab Apostolo data sunt, sed sedulò, sed neruosis rationibus adiunctis, multáque repetitione. Principio enim dicit, Bonum est homini mulierem non tangere. Deinde, Volo omnes homines esse, sicut meipsum. Tertiò, Bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego. Quartò, Quandoquidem honestū est sic permanere, & facultatem præbet sine impedimēto obsecrandi Dominum. Denique, Beatior erit vidua, si sic permanserit. Addendo omnibus, Puto autem quòd & ego spiritum Christi habeam. Qualem inculcationē qui leuem existimat, nescio quid non eleuabit siue extenuabit. D. Vnum autem, An quæuis pollutio carnis interimat decus virginitatis? M. Non corpus animo, sed corpore vtitur animus. Ideoque si animo non defuerit ars studiúmque continendi, etiamsi maculetur corpus vel somno, vel stupratoris violentia, non propterea interrumpi censebitur gloria meritúmque virginitatis. Vnde illustris virgo Lucia, O tyranne, inquit, castitas mihi duplicabitur, si me contra meam voluntatem violari feceris. Mens est quæ peccat, si indebitæ libidinis fructum complectitur. Mens est quæ victoriæ laudem possidet, si cauerit. In hac virtus, in hac vitium, in hac totum bonę maléue actionis meritum.

Non omnis pollutio carnis tollit virginitatē.

Quid ipsimet Christus de virginitate ac cœlibatu tradat. CAP. V.



Cæterùm nihil'ne tradidit Christus de prædictis consilijs virginitatis aut cœlibatus? M. Saluator noster postquàm disseruisset multa pertinentia ad repurgandam, instaurandámque primæuam coniugij institutionem, docens non D.

Senētia Christi de perpetua cōtinētia.

perpetuæ continentiæ viam, ingrediantur, Nuptias utrique probo: at continentiam velut magis expedientem præfero. Quam quidam sic amarunt propter regnum Dei, ut se velut spadones effecerint, reddentes se haud secus inidoneos, quàm si execti essent, quod quidem qui potest capere, moneo, hortor, eò sulo ut capiat, quia expedientiùs est: Hæc Christus dominus. A cuius sententia ne transuersum quidem digitum discessit Paulus in sua priori epistola ad Corinth. cap. 7. D. Christus nullam facit virginum viduarumque & innuptarum distinctam mentionem, discrepat igitur à Christo Apostolus. M. Quod verbo vno sententiosè dixerat Christus totú id fusè ac distinctim posteà explicat Paulus, boni hypodidascali munus adimplens. In quo, ne non attigisse sensum magistri sui putetur, addit, Puto quòd & ego spiritum Dei habeá. Illud enim Christi, Sunt Eunuchi, qui se castrarunt propter regnum Dei, vtique dictum est, & de virginibus, & de viduis, & de alijs cælibibus. Nam vri illi qui statim ab initio dum adhuc mente ac carne incontaminati existút, adimunt sibi potestatem deserendi illam carnis suæ incorruptioné, reuera virgines sunt. Ita qui statim à coniuge defuncto præscindút sibi potestaté conuolandi ad secundas nuptias, haud dubiè inter viduas sunt annumerandi. Sic cælibes habendi, qui post aliqualé aut mentis corruptionem aut carnis, tandem se voto astringunt ad perpetuam vlteriore continentiam, quod est verè cælibem esse. Atque omnes isti castrant se propter regnum Dei, alij quidem citiùs, alij verò tardiùs: omnes tamen vlterioris voluptatis capiendæ sibi potestatem præscindunt, quod est seipsum castrare, quodque capiendú hortatur Christus eos, qui capere possunt, omnesq; sic permaneant, nempe aut virgines, aut viduæ, aut cælibes, quod singulare & eximium quoddam bonú existimat Apostolus. An itaque discrepant Christus & discipulus eius? D. Vt video, minimè. Sed Christus sententiosè locutus est, vt auctor; Paulus verò fusiùs vt commentator. M. Vterque verò idem, vterque hoc ipsum quod vsque nunc docet vbique Ecclesia Catholica.

Obiectio

solutio.

Cælibatum ac viduitatem, imprimis autem virginitatem habere magnificam promissionem in Scripturis. CAP. VI.

D. N precor habeat vllam promissionem in verbo Dei nō ducere vxorem, seque virginem custodire aut viduam? M. Habet sanè, & admodum magnificam. Nam cùm dicerent Apostoli, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Respondit Dominus inter alia, Omnis qui reliquerit domú vel fratres aut sorores, aut patrem aut matré, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Profectò relinquere domum, fratres, sorores, patrem ac matré, propter Christum, haud dubiè arduum est: attamen non tanti momēti quin idipsum passim fiat propter vxorem modicum perituræ carnis oblectamentum, Dicente Scriptura: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ. Relinquere verò vxorem quæ tecum vna caro efficitur: item filios, qui aliquid tui sunt, vel agros, sine quib' neque tibi prospectum erit, neque tuis, hoc in primis magnum, hôc multo maximè centuplo, vitæque æternæ retributione præmiandum. An non magnifica promissio addicere pro spontanea dimissione coniugij quod centuplo melius est, & insuper vitam æternam? D. At loquitur ibi Saluator de vxore quam habes, quid igitur hoc ad encomium virginitatis? M. Et de ducta & de ducenda vxore sermo est. Qui enim dimiserit ducendam, castrando se propter regnum Dei, quò indiuulsius adhæreat Deo virgo aut cælebs; potiùs; quàm compedibus matrimonij in diuersum trahatur, is centuplú accipiet, & vitam æternam possidebit. Qui etiam dimiserit ductam malens rectè confitendo Christum separari ab illa, quàm diffitendo adhærere ei, vt fit tēpore martyrij, cuius est inuenire illustre exemplum in diuo Adriano Martyre & vxore eius: vtque fit casu quo illa nollet cohabitare sine contumelia creatoris, aut libetú consensum præbuerit se seruiendo Deo, super quibus nos instruit Paulus primæ ad Corinth. 7. etiam talis centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ceterùm si hæc tibi longiùs petita esse videantur, properemus ad Euangelicum illum Prophetam Esaiam, qui luce clariùs exprimit, quantum promiserit Deus Eunuchis Euangelicis dicens. Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridú. Quia hæc dicit Dominus eunuchis, Qui custodierint sabbatha mea (hoc est, ea quibus verè requiescit in me spirit' hominis à solicitudinibus, ac curis, & voluptatibus mundi & carnis) & elegerint quę volui (siue vt alius interpres habet quæ mihi placent. Elegerint autem (quod fit libera voluntate: ná consulta eligere liberum, præcepta verò exequi non liberum sed necessarium est, & tenuerint fœdus meú (ná virginitas consulta, nisi decoretur obedientia mandatorum

Math 19 Promissio facta contuentibus per Christum.

Genes. 2.

Esa 56. Promissio facta continentibus in Esaia.

De loco & nomine quibus hō notantur virgines in cælis Augu. lib. de sancta virginita te cap. 24.

tarum Dei, reputabitur quasi nulla) dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Ecce pro mißionem permagnificam sanè. Et ne mihi adhibuisse fidem pœniteat, hunc locum tractans D. Augustin. interrogat, sibique respódet ad hunc modum: De quibus eunuchis loquitur Dominus per Esaiam Prophetam, nisi de ijs qui seipsos castrarunt propter regnum cælorum? Et mox deinde rationibus demonstrans, non loqui Prophetam de eunuchis diuitum ac Regú, sic natis, aut exectione homi nú factis. Quo ardens Poëta describens ait.

Nec non infelix ferro truncatus iuuenus,
Atque execta virum.

Nam talium cælibatus si coniugio adæquetur, est quòd gaudeant. illis autem dat Deus in domo sua locum, & nomen melius, quam reliquis filijs ac filiabus regenerationis. Habet sanè & coniugati locum suum in regno Dei. At eunuchis Euangelicis promittitur locus sublimior, nomenque melius præ alijs filijs regenerationis. Et quidé nomen sempiternum quod non peribit, vt perpetuo aut virgines Dei, aut simili aliqua decoris appellatione sublimes existant in curia cælesti. Vnde porro, vnde procul non solùm congressus matrimonia les, sed & coniugij nominatio. Nam qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores æquales enim Angelis sunt. Ceterùm Augus. æternum nomen, inquit, de quo Propheta loquitur, quidquid illud est, non erit spadonibus Dei cum alijs commune. Nam ideo fortassis & nomen dictum est, quòd eos, quibus datur, distinguit ab alijs. Vis autem scire nomen, locum, functioné, quibus præ alijs gaudebunt virgines in cælis, lege quam scribit Apocalypsim virgo Ioannes. Ecce, inquit, agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, habentes nomen eius, scilicet agni, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Frons vtique sedes pudoris est, fronsque palam ac primò obijcitur obtutibus aliorum ad notitiam, & eam ob caussam frontibus inscripta habebút virgines nomina Dei & agni Christi, vt claré, vt palàm, & quidem primo obtutu constet eas semper diuinè pudibundas fuisse, vnique Deo ac Christo suæ integritatis pudicitiam perenni contemplatione dedicasse. Omnes quidem sancti signum habebunt in frontibus suis. At solis virginibus datum est, & Dei & agni immaculati nomen circumferre in frontibus suis, ad peculiarem tantæ virtutis prærogatiuam. Stant autem cum agno in monte

Luc. 20.

Apoca. 14.

Virgines cur nomina Dei & agni frontibus inscripta habeant.

Sion, in signum quòd de valle rerum mutabilium suauiumque secundum carnem, ad ascédentem sursum & eleuatam contemplationem rerum cælestium animos suos elongarunt. Cantabant veró quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores. Et nemo poterat discere canticum, nisi il la centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra. Ecce peculiarem functió nem quam solæ virgines habent in triumpho gloriæ Dei. Si veró nunc quæras, quod sit illud canticum nouum. D. Profectò hoc ipsum interrogaturus eram. M. Respondeo. Vbi id nobis expresserit Ioannes Apost. ex primam & ego tibi. Interim certum habe officij virginalium agminum esse, ante aliarum Deo in gloria cælesti, quoddam canticú nouú, quud nemo aliorum canere potest. Quod autem hæc specialiter dicta sint de virginibus, patet ex eo quod sequitur: nam subdit Ioannes, Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit. Vides applicatum nomen ad virgines. Vides & nomen locus, quo gaudent pre ceteris. Virginitas quippe vt non tol litur, sed consummatur accedente gloria, ita & virginis nomenclatura in æternum stabit, velut signaculum illibatæ incorruptionis in corpore inuiolatæque puritatis in mére. Quid enim aliud est incorruptibili carne incorruptionis perpetuæ meditatio, quàm portio Angelica, quàm Seraphicæ functionis inchoatio? Si plus iubet audire de loco illo virginum, Hi inquit, sequuntur agnum quocunque ierit, vel lut indiuulsi à tergo eius. Gradiebatur agnus in mundo itinere virginali, sequuntur & illi. Amplectebatur agnus adhærere Deo præ alijs omnibus, sequuntur & illi. Voluit agnus esse Nazaræus, hoc est, Deo consecratus, sequuntur & illi, consecrantes se Deo per votum aut velum. Agnus ex virgine ortus in virginali coniugio, non tamen ipse fructus coniugij, permansit virgo in æuum, etiam illi, licet non processerint ex virgineis visceribus, vt agnus: attamen sequuntur quò processit, nepe vt se quoque mente & corpore incorruptos offerant Deo immaculatú sacrificiú quo modo fecerat & ille. Processit agnus ad dexteram virtutis & gloriæ Dei, sequuntur & illi incorruptione gloriaque proximi agno, comitandique studio indiuulsi. Vt solent proceres præ alijs proximè Imperatoriam Regiamue maiestatem circunstare, ad illius [illegible]que nobilitatis gloriam omnibus prælucentem. Quare, inquit Hieron. vocat eas emptas primitias Deo & agno, nisi quia viduæ & in matrimonio continentes erunt post primitias, id est,

De cantico nouo quod decantát virgines ante thronú Dei.

in secundo ac tertio ordine. Ne autem videar peregrinum quid te docuisse, lege August. de sancta virginitate 24. & 25. cap. lege D. Hieronymum aduersus Iouinianum libr. 1. Et Cyprianum tractatu de habitu virginum. Primasium insuper atque Ansbertum scriptores illustres & vetustos. Nam omnes isti eo modo quo nos, sed fusiùs, hanc Apocalypsim Ioannis interpretati sunt. Vt autem hoc addam, Nonne Dominus noster Iesus Euangelio suo promittit conspectum Dei speciatim ijs qui sunt mundo corde, dicens: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt? Certè vt speculum si fuerit mundum accipit imaginem eius quod opponitur, non autem si fuerit commaculatum. Sic & anima si puritate nitet faciem Dei, & scripturarum ac reuelationum scientiam suscipit, & quo nitet magis eò suscipit expressius. D. Mundities de qua ibi loquitur Christus, nónne in puritate à sordibus peccatorum consistit? M. Esto. Consistit enim in eiusmodi emaculatione, verùm non solùm in illa. Nam & congressus matrimoniales, & ipsa membra verenda turpitudinem suam habent, dicente Scriptura: Ne reueletur turpitudo tua. Nec potuerunt tempore legis sacerdotes assistere altari, aut edere de panibus sanctificatis, nisi mundi ab vxoribus, dicente Abimelech ad Dauidem: Si mundi sunt pueri, & maximè à mulieribus (id est, à pollutione, quæ contrahitur congressu mulieris, etiamsi vxor sit) licet. Exhalationes enim quæ surgunt de voluptatibus carnis, vel in actu coniugij benè moderato, inficiunt aliquo vsque animam, haud secus atque nubiferus vapor aërem, aut speculum anhelitus expirantis in ipsum. Non quòd animam semper peccatricem reddant, sed carnalem, sed animalem, sed ita nubilam vaporosis oblecta mentis carnis, vt lumen Solis, hoc est, iustitiæ radios suscipere nequeat pro eo tépore. Hinc illud Scripturæ: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Quia concupiscentiæ exhalationes surgentes de carne ac sanguine, nec partem, nec locum habent, vbi cernitur Deus in decore gloriæ suæ. Antea exuta, quæ sunt eiusmodi, antea expurgata oportet. Nō enim intrabit in eam ciuitatem aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens. Ideoque in resurrectione neque nubent neque ducent vxores, sed erunt sicut Angeli Dei. Nuptiæ enim motusque carnis, & omnis voluptuaria operatio impeditiua est contemplationis diuinæ, sicut imbriferæ nubes nostrum Solis impediunt conspectū. Quam vnam ob caussam coniugati qualibet sancti non videbunt Deū facie ad faciem, nisi depurati à talibus, cœperint esse dispositi tum corde, tum corpore vt virgines, imò vt Angeli Dei in cælis, agam vt illi, prorsus alieni a congressibus carnis, vt illi toti spirituales sicut illi. Itaque mūdicia à peccatis non sufficit ad hoc vt contempleris Deū facie ad faciem, nisi adsit & castimoniæ puritas, de qua diximus. Quoniā autē absolutè dixit Saluator: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, ostendens cordis munditiam caussam esse videndi Deum. Consequitur luculenter pleniorem mundiciā cordis, caussam esse plenioris visionis diuinæ. Si enim res, quia colorata, ideo est visibilis: aut quia odorifera, ideo est olfactibilis. Magis itaque colorata, aut odorifera magis visibilis, aut olfactibilis erit. Prærogatiuam ergo spectando Deo & gloria maiestatis eius habebit præ omnibus sancta vereque Euāgelica virginitas, Secundam illam verò, vidualis continentia, & cælibatus. Exinde coniugalis castitas. Quæ tamen & idipsum quod castè tractauit posthabere debebit priusquam in conspectum sancti sanctorū prodeat. O virginum decus, ô immortalium spirituū inter mortales homines gloriā, quàm felix qui te possidet, quàm excors, qui te perituris nuptijs cōmutat, quàm ineptus, qui sine te tui appellatione celebris esse studet, vt student multi de clero, multæ etiam sub velamine sacro, nihil minus quàm in te propensi, nihil sæpe magis, quàm à te alienissimi. Quod probè intelligentes olim Martialis Christi discipulus, & Clemens Apostolorum comes, multa scripserunt in laudem sanctæ virginitatis, ille epistola sua ad Tolosanos, iste libro ad hoc edito. Post hos Ignatius martyr, & Ioannis Apostoli auditor. Post hūc Tertullianus, deinde Eusebius, exinde sanct. Cyprianus edidere libros siue tractatus de encomio virginitatis. Sicut & D. Athanasius, D. Basilius, D. Ambrosius, D. Augustinus, D. Hieronymus plurima scripserunt in laudem & defensionem sanctæ virginitatis & viduitatis. Ac curatissimè autem Hieronymus contra latratus Heluidij & Iouiniani nihil præter impuritatem eructantium. D. Quid autem si omnes virgines fiāt, quomodo stabit genus humanum? M. Noli metuere ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas, & ideo rara, quia difficilis. Multi vocati, pauci verò electi. Si omnes virgines esse possent, nunquā Dñs dixisset, sub hac forma, Qui potest capere capiat. Nec Apostol. in suadendo quasi trepidasset, dicens: De virginibus præceptū Domini nō habeo, consiliū autē do, tanquam misericordiam consecutus. Vis autē audire quid ad tuam quæstionem respondeat Augustinus meo iudicio admodum verè ac piè? Vtinam, inquit,

[Margin notes: Tertia permissio sancta continentibus. — Matth. 5. — Exod. 20. — 1. Reg. 21. — 1. Cor. 15. — Apoc. 21. — Nominatim quisam scripserunt in laudē virginitatis. — Matt. 19.]

inquit, omnes hoc vellent (nempe virgines permanere (duntaxat in caritate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: multò citiùs ciuitas Dei compleretur, & accelerareturterminus seculi. Quid enim aliud hortari apparet Apostolū vbi ait, cùm inde loqueretur, Vellem omnes esse sicut meipsum? Hęc Aug. de bono coniug. contra Iouinianum.

1. Cor 7.

Qualia quantaq́; exempla sanctæ virginitatis, ac cœlibatus proponant nobis Scripturæ sanctæ. CAP. VII.

M. Exempla magis rapiūt quàm præcepta.



Abent nescio quid viuidiùs ad docendū exempla magis, quàm præcepta. Vt enim erudiunt ista, ita rapiunt, animosque impellunt illa, haud aliter atque calcaria equum. D. Non immeritò. Siquidem facile imitatu arbitramur, quod palàm & à multis factū cernitur. Vtile quoque ac religiosum, quod hereditario quodam paternæ virtutis vsu celebre esse constat. M In medium itaque adducā præclara virorum, mulierumque illustrium exempla, qui se sua sponte castrarunt propter regnum Dei: sumpto exordio á virginitate, quę quantum ceteris astris Sol, tantum ipsa omnibus alijs præeminet pudicitijs. Christus dominus & redemptor noster, dux & antesignanus Religionis quam profitemur, de virgine natus, virgo fuit, virgoque permansit, ac permanet in æternum. Volens cùm iam virilis ætatis esset vita exprimere non illud legis. Crescite & multiplicamini, sed nouum illud nouæ legis, Bonū est homini mulierem non tangere, quò huius, non illius post se exemplum relinqueret. An verò erret? An ridendum committit, qui sibi Saluatoris sui vestigijs insistendum credit? D. Christus Deus erat & homo, potuitque omnia perficere quæ voluit. Nec omnis illius actio sequenda: sed alia in eo miranda, alia sunt imitanda. M. Non dixi debere nos imitari illius virginitatem: sed si imiteris, quis culpabit, imò quis non laudabit in te, quod in illo laudant omnes, celebrant vniuersi? Vt autem missum faciamus de Christo, Maria mater eius, tantummodo homo erat vt nos, sexu fœmina, annis puber, viroque matura, vt ceteræ filiæ hominum, carne & sanguine vestita, vt omnes. Attamen virgo fuit, virgoque permansit toto tempore vitæ suæ. Nā ea ætate, qua solet in alijs petulantior esse caro, dixit ad Angelum Gabrielem nunciantē virginei partus conceptionem, Quomodo fiet istud (nempe quod nuncias) quoniam virum non cognosco. Virgo itaque fuit eousq;. Virgo insuper post conceptionem cùm iam grauida esset, dicēte Angelo ad Ioseph. Quod natum est in ea de spiritu sancto est. Qui neutiquam violat, sed sanctificat virginitatē. Virgo prætereà vsque post partum, teste Matth. dicente: Et non cognouit eam, Ioseph, donec peperit filium suum primogenitū. Virgo denique à partu, & vsque in sempiternū. Siquidem responderat Angelo, Quoniam virū non cognosco, nullo scilicet qui est, vel poterit esse cognoscendi modo, non carne, non affectu non proposito aut voluntate, non cogitatione, quia cogitatem aut proponerē me aliquando id facturam. Etenim particula, Non præcedens verbum cognosco negat prorsus omnem cognoscendi modum respicientem carnis officium. Ex quo licet colligere, vti collegerunt Patres, & tota Catholica Ecclesia, Mariam voto disposuisse, perpetuò se mansurā mente & corpore incorruptā, prout inferiùs latiùs probabimus. D. Veruntamē ex phrasi textus illius, Et non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum, videtur cōsequi, quòd posteà cognouerit, posteàque habuerit secundò vel tertiò genitos. Quale etiā de ea approbare videtur is locus, qui de fratribus & sororibus Iesu mentionem facit.

Christus virgo.

Maria virgo perpetua.

Luc. 1.

Matth. 1.

Ibidem.

M. Fumi sunt Heluidiani quę proponis quos discussimus excussimusque procul libr. 2. harum Demonstrationum cap. 9 tractac, meministine? D. Iam redit in mentem, nec opus est repetitione. Ceterùm Virginem Deiparā, cui se infudit, teste Hieronymo, gratiarum plenitudo, quis imitandam cogitabit, quis imitari poterit etiamsi cogitet? M. Lege & relege omnia volumina eloquiorum Dei, non inuenies vspiam sic præuentam, sicque munitam fuisse Mariam gratijs Dei, vt labi nequierit, aut mater fieri ordine naturæ, ne velle quidē potuerit. Non enim ad Angelum nuntiantem dixit, Quomodo fiet istud, quoniā gratia Dei non sinit me cognoscere virū, etiamsi velim. Nec vicissim Angelus respondit, Omnipotēs Deus tollet á te quod omnibus naturale est: sed inquit, Virtus Altissimi obūbrabit tibi, ne sit æstus in concipiendo, néue integritatis læsio in pariendo, quemadmodū vmbra frondium solet ab ęstu Solis protegere eos, qui se sub tegmine ramosæ arboris continent. Gratiā Dei adiuuans Mariā in pudicitia & proposito virginitatis suæ, plenissima sufficientissimàque fuit: attamen ipsa vouit, ipsa in se seruauit perpetuæ virginitatis constantiam, ipsa se continuit ab omni concubitu, omnique voluntate cognoscendi virum, vtique per gratiā Dei: Non enim gratia Dei continuit illam sine ipsa, sed adiuuit, sed obumbrauit vt maneret in integritate sua, ipsa. Adeóque studiose

& in-

& indefessa gratia Dei vsa est, vt vocetur intacta, alma, perpetuaque virgo. Gratia itaque Dei adiuuante imitari poterunt [illegible] qui homines, quod ipsa homo gratia Dei incepit, gratiaque Dei adiuuante perfecit, nempe hoc quod mente carneque incorrupta manserit (nam quòd pepererit virgo singulare priuilegiũ est caussa mysterij, nec ab alijs exigitur.) Si autẽ imiteris munere Dei auxiliante, quis dixerit vanum, & non potiùs valdè eximiũ? An quod in illa tam fuit gratum Deo, vt attraxerit filiũ Altissimi de solio gloriæ in vterum virgineæ pudicitiæ suæ, id in nobis displicebit, aut nullius meriti erit? O maledicentiam intolerabilem, ô detestanda malarum mentium spiracula. At pergamus. Virgo fuit in finem vsque gloriosissimus ille præcursor Domini Ioannes Baptista, quo non surrexit maior inter natos mulierum, qui & plus quàm Propheta à Domino appellatus est. Adhæc virgo fuit & permansit Ioannes Euangelista, Hieronymo, Epiphanio, Ambrosio, Oecumenio totaque Ecclesia sic attestantibus. Cui virgini, virgo Dominus, virginem matrem in cruce cõmendauit, qui & supra pectus Domini in cœna recubuit. Virgo item fuit Abel, virgo Melchisedec, virgo Elias, virgo Eliseus, virgo Ieremias, virgo Daniel & filij Prophetarum. Vt referũt Ignatius martyr & Hieronymus: ille in epistola sua ad Philadelphenses iste agens contra Heluidium & Iouinianum. Virgines fuerunt filij Zebedæi, vti affirmat Epiphanius contra Valesios. Virgines aut continentes alij Apostoli. Virgo D. Paulus (vt videntur Epiphanius & Ambrosius asseuerare) aut saltem continens post Apostolatum, quod omnino est extra controuersiam. Virgines filiæ Philippi de quibus in Actis Apostorum, & in Eusebio fit mentio. Virgines Timotheus, Titus, Clemens, teste Ignatio in epistola prætallegata. Virgo aut continens Marcus Euangelista. Et examina illa sanctorum Eremitarum abeo docta in terra Aegypti, de quibus tam admiranda refert Philo Iudæus, & Eusebius libro secundo suæ historiæ, Hic si pergam recensere tibi Patrum scripta, aut quæ vsu publicè comprobata habemus, annumerabimus myriades & agmina infinitæ multitudinis virginum cælibumque vtriusque sexus, qui se castrarunt propter regnum Dei. Nam si Ioannes Apostolus per Apocalypsim vidit stantes ante thronum Dei & agni centum quadraginta quatuor millia eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sed virgines permanserunt sequentes agnum quocunque ierit, ex ollis tribubus filiorum Israel, quanta credendum est esse agmina eorum, qui ex gentibus toto terrarum orbe, Deo & Christo suam virginitatem conseruarunt? In iudicijs forensibus quæ notoria sunt, proponi quidem possunt, probari autem non debent, eò quòd omnibus sunt certa, omnibusque manifesta sunt. At de B. Agneta, B. Cæcilia, B. Catharina, B. Agatha, B. Martino, D. Antonio, D. Nicolao, & sexcentis alijs reuera notorium est, quòd virginitatem suam eum sanctimonia vitæ Deo seruarunt & consecrarunt. Etenim ideo celebres sunt, ideoque festis ac statuis decorantur toto Christiano terrarum orbe. His itaque probandis insistere, quid aliud est quam acta agere, operamque ludere? D. Ceterùm quibus præsidijs hoc tam præcellens virtutum decus prosequi tutarique in se potuerunt? Vt non modò eius quod fuerit, sed & illius, qua scilicet ratione perstiterit tuta floridaque in multis virginitas, exemplum habeamus. M. Præsidia quib. tutatus est Ioannes Baptista suam virginitatem, fuerunt secessus, abstinentia, cilicium, zona pellicea, contemplandi, orandique studium nunquam intermissum, vt licet legere Matth. 3. 11. præsidia quibus vsa est D. Virgo Maria, fuere solitudo meditatio, lectio sacra, ieiunium, precatio, domi sedulitas, foris modestia, vbique pudor vbique puritatis amor. Prodire quippe domo nescia erat, nisi religionis caussa. Esse verò foris absque festinatione inconsueta. Alienis intenta nunquam, nisi ob pietatem, vt cùm ministraret cognatæ ferenti vterum in senectute sua. Factorum mysteriorumque Dei obseruatrix assidua, conferens ea in corde suo, & inter sese, & cum vaticinijs Prophetarum, & cum omnipotente bonitate Dei. Istiusmodi namque eam memorat D. Ambrosius fuisse in virgine Maria velut tutamenta virginitatis suæ, dicens: Talem hanc Euangelista, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quæ denique præsidia suæ virginitatis electissima virgo Asella nomine elegerit, D. Hieronymus edisserit dicens: Ab anno duodecimo ætatis suę vnius cellulę clausa angustijs, latitudine Paradisi fruebatur. Idem terræ solum & orationis locus ei extitit & quietis. Cùm eam non vescendi desiderium, sed humana conditio traheret, pane & sale, & frigida aqua concitabat magis esuriem quàm restinguebat. Per omnem annũ iugi ieiunio pascebatur, biduo triduoque sic permanens. Vestem fulciori monachæ contenta, ita se intra cubiculi secreta custodiuit, vt nunquam pedem suũ proferret in publicum, nunquã viri agno sceret colloquium. Adeò assidua in oratione vt durities de genibus camelorũ in sancto illo corpusculo præ orãdi frequentia occalucrit.

Hæc

Ioannes Baptista virgo fuit

Multi in Scripturis clari floruerũt virginitate.

Philo lib. quem de vita theoretica supplicium inscribauit. Euse. lib. 3. cap. 17.

Apoca. 14.

virginitas quib' præsidijs sit tutanda.

Ambros. lib. 2. de virginib. & alijs locis.

Hiero. ad Marcellã.

Exempla insignia seruatæ viduitatis. Iudith. 8. Hæc & similia de sancta illa virgine Hieronymus. Seruatæ verò viduitatis quàm insignia exempla ministret nobis Scriptura vtriusque Testamenti, nunc audiamus. Iudith vxor Manasses de tribu Ruben, mortuo viro suo mansit vidua vsque ad diem obitus, his adminiculis ad tutelam suæ viduitatis vtens, Clausa, dicit textus, morabatur in superiori cubiculo domus suæ cum puellis suis. Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha, & neomenias, & festa domus Israël. O eximia munia, munimentaque amabilis Deo viduitatis. In qua quoniam sanctè ac fortiter perstitit vicerunt fœmineæ eius manus exercitum mundo terribilem, referentes de medijs hostibus caput Holofernis, ad communem totius gentis Iudaicæ salutem. Huic licet addere insignis pudicitiæ fœminam Noëmi, quæ mortuo viro suo, quoniam post alterum non abijt, digna inuenta est, vt ex nuru sua Moabitide suscitaretur virga Iesse, de qua natus est Christus. Euangelium denique Lucæ edisserens de Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, dicit, Quòd vidua fuerit vsque ad annos octoginta quatuor. Quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die & nocte. Quam ob caussam & ipsa meruit præ alijs videre & agnoscere Saluatorem nostrum in infantia carnis suæ. Tu autem obserua hic veræ viduitatis arma, nedum exempla. Cetera autem Scripturarum exempla præter mitto, sufficiunt enim hæc. Quæ tibi explicata volui, vt in ipsis velut viuis formulis spectes præcipua munimina sanctæ virginitatis ac viduitatis esse, solitudinem, ieiunium, sedulitatem, orationem, rerumque cælestium meditationem, habitum denique sobrium ac humilem, qui magis Dei oculos quàm hominum oblectet. Nam,

Ruth. 4.

Luc 2.

Otia si tollas periêre Cupidinis arcus. Sic
Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Neque mens verè intenta diuinis, illecebras recipit carnis. Feruens quoque oratio facilè impetrat gratiæ, sine qua nemo virgo est aut vidua, subsidium. Vbi crapula, vbi otium omnium malorum ferax, vbi purpurissum, cerussa, muscus, vnguentum, capillatura, gemmarum vestiumque luxus, ibi ignis & fomentum libidinum, neque diu ibi subsistere potest virginalis aut vidualis pudicitiæ radix. Quidam titulis Ecclesiasticis perecelebris rogans me, Cur, inquit, adeò exagitor stimulis carnis præ ceteris hominum? Cui ego, Precor domine, ne tam admiratiuè roges de quo nihil est mirandum. Tu tibi tuisque functionibus totus dees: Sacerdos preces horarias non persoluis, sacra non facis, nec te magis mysterijs, ministerijsque diuinis impendis, quam si homo laicus esses. At hæc nunquam abstines. An mirum quod tali subtrahat sua munera Deus, tã deinque procul abijciat? Nonne sic factum de seruo nequam & pigro testatur dominus? Igitur ô generose domine, imple officiũ cui obstringeris, otium vita & crapulas, Deoque supplex esto, & tum, nisi gratia Altissimi te inuictum reddiderit contra impugnationes carnis, ipse iniqui consilij reus ero.

De illo Scripturæ, Nemo potest continens esse, nisi Deus dederit. CAP. VIII.



Omne virginalis continentia venit inter dona Dei annumeranda? M. Et virginalem, & vidualem, & coniugalem continentias, dona Dei esse certo citra omnem ambiguitatem credimus. Dicit enim Deus per os Sapientis. Non possem esse continens, nisi Deus det: Plano quidem id & vniuersali sermone. Volens significare, hominem, in quocunque fuerit statu, non posse continere, nisi Deus dederit, neque ante coniugium, neque in coniugio, neque post coniugium (etiamsi dictum illud Sapientis de continentia, ab omni genere mali intelligendũ sit.) Cui probè consonat sermo Apostoli dicentis: Sed vnusquisque propriũ donum habet ex Deo: alius quidem sic, nempe vt integram incorrupti corporis castitatem seruet, vel post solutum connubium exinde prorsus contineat: alius verò sic nempe vt sanctiones matrimonij inoffensè custodiens nullam incontinentiæ maculam admittat. Ex quibus verbis Apostoli tradidere Patres & virginalem & vidualem, & coniugalem pudicitias reuera dona Dei esse. D. Si autem dona Dei sunt, igitur non habet ea in sua potestate homo. M. Valde indebitè & præter artem colligis. Dona enim dici nequeunt, nisi vbi donata fuerint. Vbi autem donata sunt, iam vti illis vel non vti, eius, qui dono accepit, efficitur. An ob aliud, quàm vsum & vtilitatem donatarij dentur munera? Dicit Poëta.

D.

Virginalis, vidualis, coniugalis continentiæ dona Dei sunt. Sap. 8.

Augustin. Theoph. Oecume.

Quo mihi diuitias, si non conceditur vti?
Dicam & ego,
Quo Deus omnipotens, si non concesseris vti, Munera largiris.

D. Non vtique de hoc, an donatis muneribus Dei vti liceat: sed de illo ambigimus, an dentur è cælo singulis munera instituto vitæ suæ Christianè peragendo necessaria. M. Apostolus constanter pronũciat in hunc modũ, Vnusquisque propriũ donũ habet ex Deo.

An singuli habeant sua dona à Deo

Ex

Ex Deo, inquit, ne putetur ex naturæ suę qualitate habere. Et vnusquisque, non tantum vnus aut alter, nec sane vnusquisque omnium hominum, sed eorum qui mystico corpori Christi Sacramento insiti sunt, hoc est, Christianorum (de illis enim erat sermo) habet donum, & quidem proprium donum, hoc est, suum, sibi à Deo ad vsum salutis in Christianismo deputatum: ne putemus vnum atque idem habere omnes. Varia enim sunt dona Spiritus sancti, qui distribuit singulis prout vult, vti docet cap. 12. eiusdem epistolæ. D.

Quando dentur dona Dei.

Eiusmodi verò dona quando dantur, dum nascimur ex vtero materno? An dum renascimur ex fonte sacro? An alio tempore? M. Id Deus posuit in sua potestate, & inter mysteria abditum à nobis esse voluit. Nam si Spiritus sanctus distribuit munera sua prout vult, etiam distribuit ea quando vult, & medijs quibus vult. Christo & intemeratæ matri eius, Ieremiæ item & Ioanni Baptistæ creditur eximium illud munus perpetuæ continentię donatum in sua natiuitate, dum in vteris maternis sanctificabantur. Alijs in Baptismo dari potest, alijs alio tempore, dum conuenire, aut opus esse incipit, videlicet dum ipsa functio egens dono subsidiario Christianè apprehenditur. Siquidem ideo munera dantur è cælo, vt subsidio sint rebus Euangelicis Euangelicè peragendis. Aut dum homo virium suarum infirmitate animaduersa incipit supplex deuotisque precibus implorare diuinæ miserationis auxilium. Itaque dona Dei subsidiaria ad peragendum debitè certum genus vitę Euangelio comprobatum, dantur aliquando præueniendo, aliquando in ipsa assumptione status, aliquando postea, dum virium suarum infirmitate explorata cœperit homo Deo supplex esse. Tanta autem est Dei erga nos munificentia propter Christum, vt nulli homini Christiano desit vlla gratia necessaria ad peragendam debitè functionem Euangelio Christi comprobatam, dummodo ipse nō defuerit sibi. D. At quibus istud scripturis stabiliri poterit? M. In exordio epistolę prioris ad Corinthios, in qua hæc materia peculiariter tractatur, Gratias ago, inquit Apostolus, Deo meo semper, in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu. Quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi. Libet autem hic quęrere, verúmne an falsum dixerit hoc loco Apostolus. Si verum, quod omnino fatendū est, ergo ita est locupletata fidelium Ecclesia per

Nemo Christianus relinquitur sine donis Dei necessarijs.

Christum, vt nemini quidquam in gratijs ac donis ad vnum Euangelicum genus vitæ Euangelicè peragendū, desit, desit, inquam, ex parte Dei. Nā qui sua culpa æger est aut egenus, ipse sibimetipsi imputet. Si enim cuipiam deest, adeo vt nec habeat, nec habere possit, etiā si faciat quod in se est iuxta traditionem Euangelicam, is qua ratione dicetur diues effectus in omnibus per Christum, & non potius pauper & inops derelictus? Aut quomodo verū, quòd nihil ei desit in vlla gratia, cùm non habeat, sed nec habere possit, ne per supplicationem quidem, donū Dei, quo contineat post votum aut nuptias, vti oportet? An diues, qui eget necessarijs? An dicedum nihil illi deesse, qui necdum habet, quo carere non potest? Vt nuptiæ, ita & virginitas, ita & vidualis continentia cōprobantur doctrina Christi, quod plus est, laudantur istæ atque suadentur. Si igitur Christifidelibus desint dona Dei, sine quibus impleri nequit, quod status illi requirūt, non iam homo, sed Christus culpandus erit, docens seruandum quod viribus maius est, non addens simul gratiarum dona, quibus seruari possit. Inuenitúrque Apostolus falsus testis dicens: Quemadmodum testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. Testimonium quidem Christi est, Non relinquam vos orphanos. Et illud, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Item illud, Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. An non valde orphanus, Christoque suo destitutus, & quasi in obliuionem datus, qui in conditione vitæ probata aut consulta per Christum, caret necessario auxilio Christi? D. Fortassis meritò caret, sua culpa sic exigente, Mirum quidem si non dentur promissa munera dignis. At quid mirum si negentur indignis, quales sunt multi? M. Prò dolor, nimium multi. Eamque ob caussam in præmissis tetigi tria hoc loco obseruatu perquàm necessaria. Quorum primum est, vt homo muneribus Dei iuuādus, sit insitus in corpus Christi fide vel fidei Sacramēto. Quomodo enim recipiet gratiarū influxum à capite quod nulla compagine est coaptatum in corpore? Et ideo locutus sum in præmissis de homine Christiano, non autem de quouis homine. Quemadmodum & Paulus scribens Corinthijs ad Christum conuersis dicit, Vt nihil vobis desit in vlla gratia: vobis, inquam, qui in Christum credidistis. Nam qui extra Christū manet, conclusus in massa perditionis, quid mirum si multis, imò si non omnibus gratui-

Ioan. 14.
Matth. 28

Esa. 49.

Tria obseruanda.

Rr tis

tis donis Dei indigeat, cùm per ipsum Chri-
stum, & in ipso sint omnia? Secundum est,
quòd ipsum genus vitæ vel susceptum vel su-
scipiendum sit Euangelio Christi comproba
tum, vt sunt comprobata virginitas, cæliba-
tus, sacerdotium, coniugium, abdicatio pro-
prij, vsus rerum in communi, suiipsius sub al-
terius obedientia submissio, & eius generis
multa alia. Non enim futilibus aut reproba-
tis generibus vitæ aptat sua munera Deus:
Tertium est, quòd homo non desit ipse sibi,
neque in suscipiendo, neque in prosequendo
quod susceptum erat, hoc est, vt faciat homo
quantum in se est, quò Christianè ac dignè
probatum aliquod vitæ genus suscipiat, at-
que susceptum exinde prosequatur simili mo
do. Sunt qui præproperè & inconsultò, aut il
lotis, quod aiunt, manibus statum perpetuæ
continentiæ, onus suis viribus impar, appre-
hendunt, non magis de Christo auxilioque di
uino cogitantes, quàm si non essent Christia
ni homines. Ii certè sibimetipsis desunt, non
vtentes, sicuti deberent, illuminatione fidei
semel desuper accepta. Sũt præterea, qui post-
quam bona fide, animoq; Christiano appre-
henderunt, exinde decidunt irreligiosè & os-
citanter, ne dicam, sceleratè viuentes. Et isti
sanè non solùm desunt sibi, sed & muneribus
diuinis obstacula ponunt, dum officium neg
ligunt, ociaque quærunt, aut luxui indulgent,
quibus velut armatura quadam caro potens
efficitur aduersus spiritum, etiam gratijs Dei
adiutum. Qui autem hostem suum armat,
quid aliud quàm superari quærit? Non audi-
tis, inquit Cyrillus, ex diuinis scripturis, quia
certamen est inter homines, carnis aduersus
spiritum, & spiritus aduersum carnem? Et nes
citis, quia si carnem solam nutriatis, & ipsam
frequenti mollitie, ac iugi deliciarum fluxu
foueatis, insolescet necessariò aduersus spiri-
tum, ac fortior illo efficietur? Quod si fiat si-
ne dubio eum in ditionem suam redactum
suis coget legibus ac vitijs obedire. Si verò
ad Ecclesiam frequenter veniens aurem lite-
ris diuinis admoueas, explanationem cæle-
stium mandatorum capias, sicut cibis & de-
licijs caro, ita spiritus verbis diuinis conua-
lescet, ac sensibus & cupiditatibus robustior
effectus carnem sibi parere coget, ac suis le-
gibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sũt
diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctri
næ. His alitur cibis, his conualescit, his victor
efficitur, Quod quia non facitis, nolite con-
queri de infirmitate carnis, nolite dicere,
Quia volumus, sed non possumus, Voluimus
continenter viuere, sed carnis fragilitate deci
pimur, & impugnamur stimulis eius. Tu das
stimulos carni tuæ, tu cã aduersus spiritũ tuũ
armas, & potẽtem facis, cũ cã carnibus satias,
vino nimio inflãmas omni mollitie palpas. &
illecebris nutris. An nescitis, quia nõ potest ę
dificium istud Ecclesiæ ex leprosis lapidibus
construi? &c. Hæc ille Precor autem, si adsit
auxiliator in bello ferre suppetias paratus, at
tu ipse arma proijcis, tu tempore excubiarũ,
aut insurgẽte prælio aliena pertractas: nũquid
hic dicere poteris, perij auxilij defectu? Nõ
arbitror. Sed magis dicere debes, perij mea
culpa, quia quod in me erat facere nolui, & ip
se mihi turpiter defui. Sũt insup. q licet sẽtiãt
virium suarũ imbecillitatem, fomitis insuper
potentiam, ac stimulos lapsusque carnis: ta-
men non magis supplices fiunt Deo gratiarũ
donatori per orationes, quam si opus non es
set in eiusmodi certaminibus vllo gratiarum
Dei subsidio. Et ij sibi desũt non implorãtes,
quod possunt & debent, diuini muneris auxi
lium. Oportet enim imitari Apostolum orã-
do Dominum instanter pro subsidio, dum tẽ
tationes carnis insurgunt, quemadmodum
ipse fecit dicens, Ter, hoc est instanter Domi
num rogaui, vt discederet à me, scilicet stimu
lus carnis. Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea.
Ecce vbi fit oratio ad Deũ, ibi mox sufficiẽs
diuinę opis auxilium adest. Dicit Iacobus, Si
quis vestrum indiget sapiẽtia, postulet à Deo,
qui dat omnibus affluenter, & non imprope
rat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil
hæsitãs. Dicam & ego nuptiatoribus istis, qui
semper caussantur carnis suæ infirmitatem,
Si quis vestrũ eget dono continẽtiæ, postulet
à Deo, & dabitur ei. Dat enim Deus omnib[9]
affluenter, & non improperat. Dat certè, sed
præeunte oratione. Quod satis demonstrat
ordo verborum Saluatoris dicentis: Petite,
& accipietis, quærite & inuenietis: quasi pete-
re, donũ, quærere verò debeat præcedere in-
uentionem. Et alibi, Vigilate, inquit, & orate,
ne intretis in tentationem. Ecce vt vincas ten
tationẽ, vult præcedere orationẽ. Sũt deniq;
quidã adeo sordibus peccatorũ, & perituris
rerum mundi amoribus repleti, vt nihil sint
minus, q̃ munerũ Dei capaces. Et hi sibi de-
sunt, non conuertentes se ad debitam pœni-
tentiam, qua expurgenti quod gratiarum re-
ceptacula præoccupat. Cócurrentib[9] autẽ ex
parte hominis prædictis, nempe, quòd Chri-
stian[9] existat, sedulò sua prece ad ostiũ, quod
Christus est, pulsãs, nec sibi in his quæ potest
desit, dicimus tãtas esse diuitias bonitatis di
uinę, tamque locupletam fidelium Ecclesiam
per Christum gratijs ac donis Dei, vt nemo
dixerit veraciter, perplexus sũ, aut in laby-
rinthũ incidi, aut quasi lupum auribus teneo.

Quod-

Causæ ob quas desunt multis munera Dei.

Cyrill. li. 9 super leuiticũ.

2. Cor. 12.

Iacob. 1.

Matth. 7.

Marc. 4.

Tob.3.

Notanda sententia homini Christiano.

Quodcunque enim genus vitæ à Deo probatum ingressus fuerit, poterit illud Christo auxiliante perficere, dicente Scriptura: Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, hoc est, omnis fidelis, quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: & si in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam venire licebit. Itaque qui corrupto animo iniit coniugium, aut irreligiosè vouit virginitatem, vitamúe monasticam, neutrum tamen facturus, nisi à Christo fuisset cōprobatum: Rursum, qui rem benè ac religiosè inceptam posteà deseruit prolapsus in turpitudinem contrariam, non debet quasi perplexus esse, vt cauetur se nec posse retinere eum statum, nec dimittere sine peccato, quémadmodum impuri Sacerdotes, monachi insuper & nonnæ subinde caussantur. Quoniam si pœnitudine conuersus supplex fiat Deo, ad misericordiam ei venire licebit. Si autem ad misericordiam, ergo & ad donum Dei, quo inoffensè eundem statum pertranseat, modò ipse non defuerit sibi. Alioquin insufficienter redemisset Christus genus humanum de captiuitate & impotentia in qua anteà fuerat.

Offenso Deo non statim recedunt dona Dei.

Rom.11.

D. Nónne offenso Deo mox recedunt à nobis gratuita munera eius? M. Nequaquam. Sine pœnitentia, inquit Apostolus, sunt dona & vocatio Dei. Hoc est, non ducitur Deus pœnitudine super donis suis, vt mox vbi peccát homines, illa reuocet. De gratijs gratis datis, non autem quæ gratum faciunt loquimur.

Matth.25.

D. Euangelium tamen apertè dicit de seruo, qui non bene fuerat vsus talento sibi concredito, Tollite ab eo talentū, & date ei, qui habet decem talenta. M. Exprimit ibi Christus formam quandā iudicij diffinitiui, quod dabit super animabus fideliū, vel in die mortis, vel in consummatione sæculi. Quàm diu autem peregrinamur in carne sub vexillo dominicæ crucis, tamdiu expectat nos misericordiarum Dominus ad pœnitentiam, secundum diuitias bonitatis suæ, patientiæ & longanimitatis, vt habet Paulus ad Romanós cap.2. Venit enim Christus in hunc mundum,

Luc.27.

quærere, & saluum facere quod perierat. Est autem & illud diligenter aduertendū, quòd sicut virtutes habituales, & actus vitij contrarij non directè inter se contrariantur, nec se mutuo expellunt. Vna enim detentio auara virtutem liberalitatis non tollit, neque vna veneris contrectatio virtutem continentiæ expellit. Quare nec donum Dei, actus vnus cōtrarius abigit: quia dona Dei sunt quasi habitualia subsidia ad functiones Euangelicas Euágelicè perficiendas data. Actus actibus, & virtutes habitualibus vitijs contrariantur.

Actus vnus Venereus non expellit donum continentiæ.

Veneris itaque congressus vsum quidem impedit tam virtutis continentiæ quàm doni diuini, non autem illa extinguit, nisi assiduitate sui, aut nimia forte exuberantia. D. Et virginitas, nónne vel vnico congressu carnis perditur? M. Perditur sanè ipsa incorruptio siue integritas mentis & corporis, in quibus ratio virginitatis consistit, vt amplius dici nequeat alma, intacta, intemerata, aut reuera virgo, quæ sua sponte semel veneream voluptatem experta est. At secus se res habet de ipsa virtute cōtinentiæ & dono eius. Quandoquidem & nupti, etiam inter moderatos amplexus coniugales, & viduæ post vsum coniugij, virtutem donumq́ue continentiæ retinent, haudquaquā virginitatē. Habitus virtutū ex multis actibus præuijs generantur, quare nec perduntur: nisi multiplicatis actibus contrarijs. Quærit autem D. August. Nunquid impij dona Dei habent? Sibique respondet, Habent vtique per eum, qui illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum.

Virginitas perditur vno cōgressu carnis, nō autem continentiæ virtus aut donum.

Vota castitatis licita esse & sancta, etiamsi ipsa castitas donum Dei existat. CAP. IX.

D.

NEmo potest continens esse ex suis solius viribus, vti superiùs probatū est. M. Esto. D. Temerariè igitur faciunt, qui se voto obstringūt perpetuæ castitati. M. Non consequitur quod infers: Quanquam enim ex suis solius viribus continens esse nemo possit: omnes tamen tales esse possunt diuino auxilio accedēte. Id enim reuera dicimur posse, quod amicorum auxilio possumus, secundum Aristotelem veteris Philosophiæ antistitē. Rursum, id dicimur posse, etiam in fidei & salutis nostræ negotijs, quod Dei munere, Deoq́ue adiuuante possumus, secundum Paulum traditionis Euangelicæ Apostolum. Nam dicit, Omnia possum in eo qui me confortat. Neq; dixit Sapiens: Nemo potest cōtinens esse absoluto sermone, sed cum hac cōditione, Nisi Deus dederit, quasi diceret: potest vtique homo, si Deus dederit. Quid obsecro magis extra vires nostras, aut magis est in donis Dei, quàm credere, siue Deo fidem seruare religionis? Et tamen profitemur Sacramentaliter in Baptismo, nos perpetuò adhæsuros Deo per fidem, secundum Euangelium Christi. An temeraria fit Sacramentalis professio religionis Christianæ, eam ob caussam, quód dicit Apostolus: Gratia enim estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur? D. Absit. M. Tamen & fides, & perseuerantia in fide,

Philip. 4.

Sapien.8.

Probatur à simili nos posse vouere cōtinentiam etiamsi donum Dei est.

Ephes.2.

& omnis

& omnis totius religionis obseruatio, donũ Dei est, quod nemo habet, nisi illo misericorditer donante. Itaque à simili, nequaquam te merari umerit vouere castitatem, licet eadem sit donum Dei. Nonne & matrimonialis pudicitia donum Dei est, quod nisi precibus impetrent à Deo, non habent coniugati? D. Omnino, vti iam probatum est. M. An eam ob caussam dicemus, impium esse, innectere sese inseparabili iugo cũ vxore, quod nescias si donum continendi tecum vnà sit perseuera turum? An ideo opinabimur licere separare quod Deus coniunxit, quia inardescit libido in eam, quæ non est propria vxor? Vides, fili, ad quæ monstra ducit impura dogmatizatio hominum, qui dum prohibent continentiam vouere, etiam prohibent nubere: dumque soluunt vota, etiam coniugia solui posse, admittere deberet: nam eadem in vtrisque est ratio. Sicut enim continentia donum Dei est, ita & coniugalem castitatem inter dona Dei referre nos oportet. Sed hæc docent non aliam ob caussam, quàm vt libido sua insolens freni vbique inueniat nefarij operis libertatẽ. Nos fatemur cũ Apostolo Paulo, quod vnusquisque proprium donũ habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Sed & hoc simul fatemur neminem vnquam corde bono, & ob finem honestum suscepisse statum vllum probatum in Euangelio, cui desit necessarium auxilium Dei: modò non desit ipse sibi, hoc est, modò faciat quantum in se est, & Christo verè supplex fiat. Adhæc fatemur cum Apostolo, quòd meliùs est nubere quàm vri. Nihilominus etiam confitemur eum Propheta, reddendum esse Deo, quod illi voto promissum est. Nam loquitur Apostolus de ijs qui potestatem corporis sui habent, nullo vinculo Sacramenti, aut voti, aut naturæ ligati. Alioqui posset & maritus cogitare de libello repudij, dicens: Meliùs est mihi ducere in vxorẽ hanc quam amo, dimissa mea, quàm assiduè vrentis igdis sustinere æstum. Quod tamen si fieret manifestè esset contra Euangelium Christi dicentis: Quod Deus coniunxit, homo nõ separet, & contra doctrinam Pauli asserentis, His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Et vir vxorem non dimittat. Vt ergo liberis hominibus melius est nubere quàm vri, ita ijs qui voto astricti sunt, melius est reddere quod sacrosanctè promiserunt, q̃ nubere. Si post votum vrget impetus petulantis naturæ, confugere oportet, vt antea diximus, ad orationẽ Dei, sicut ipse Paulus fecit. Siquidem vt alijs, ita & Apostolo suo permittit Christus pugnam carnis, vt sit & vnde coronet strenuum, & vnde humiliet miraculis clarum, ne extollatur. Nunquam tamen vlli ... militem suum tibi non deest, deseruit Deus, dicens ad Apostolum, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Verùm de his paulò latiùs in tractatu de cælibatu sacerdotum. D. Interim cupio edoceri, num nuperum sit & recens inuentum sese voto, virginitati aut viduitati astringere. M. Nuperũ esset? Quinimo tam est vetustũ quàm ipsum Euangelium, tamque constanter hucusque productum ab incunabulis Ecclesiæ, quàm vel la doctrina fidei. Nolo mihi credas, rem Scripturis sacris, deinde & succedentium sibi patrum attestationibus demonstrabo. Enimuero Apostolus informans Timotheum Episcopum sic inquit, Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quo loco fides accipitur pro cõstantia animi in præstando quod antea promiseras. Vt sit sensus, Fidem primam irritam fecerunt, id est, constãtiam & fidelitatem, quàm debebant voto suo siue sponsioni semel emissæ in Ecclesia super viduitate exinde seruanda. Nam viduæ, quæ tum temporis recipiebantur in tutelam Ecclesiæ, alendæ sumptibus Ecclesiæ, voto suam viduitatem Deo consecrabant. Vt autem certò certius constet hunc esse germanum sensum verborum Apostoli, ipsum Concilium Carthaginense quartum decretorum suorum capite vltimo explicat verba Apostoli hisce tinos sed fusiùs, dicens: Vt si quæ viduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & maturæ ætate, à viro relictæ se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transierunt, secundum Apostolum damnationẽ habebunt, quoniam fidem castitatis, quàm Domino vouerunt, irritam facere ausæ sunt. Subdit, De talibus ait Apostolus, Quum luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Hucusque Concilium Carthaginense quartum. Sed & Concilium Toletanum quartum capit. 55. sic habet, Duo sunt genera viduarum, seculares & sanctimoniales. Seculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt, quæ iam mutato habitu seculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis & Ecclesiæ apparuerunt. Hæ si ad nuptias transierint iuxta Apostolum, non sine dãnatione erunt, quia se primum Deo vouẽtes, postea castitatis propositum abiecerunt. Hęc Conci-

Castitas matrimonialis donum Dei. Matrimonia nõ propterea debẽt irrita esse, quia castitas matrimonij est donũ Dei.

1. Cori. 7. Vnusquisque proprium donũ habet. Nemini deest necessarium auxilium Dei, modò sibi nõ desit. 1. Cor. 7. Melius est nubere q̃ vri, his qui liberi sũt. Vouemissa reddere oportet.

Mat. 5. 19. 1. Cor. 7.

2. Cor. 12.

Mos vouendi castitatẽ per vetustᵘ esse scripturis probatur.

1. Timo. 5.

Cõcilium Carthaginense.

Cõcilium Toletanũ

Concilium Toletanum quartum. Adhæc D. Augustin. libr. de bono viduitatis cap. 9. & 10. dicit, Voto à virginibus vel viduis emisso, iā non solùm non capessere nuptias, sed etiam si non nubant, nubere velle damnabile est. Nam vt hoc demonstraret Apostolus, non ait, cùm in delitijs egerint, in Christo nubūt: sed, nubere volunt: habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: etsi non nubendo, sed tamen volendo: non quia, ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ iudicantur, sed damnatur propositi fraus, dānatur fracta voti fides, damnatur non susceptio boni inferioris, sed ruina à bono superiori. Hucusque Augustinus. Simili modo intellexerunt eadem verba Apostoli D. Hieronymus, & reliqui Patres quotquot dictum locum interpretati sunt. Itaque non dubitandū, quin ibi fides accipiatur pro fidelitate seruanda in promissis ac votis. Secundò non dubitandum, quin tum temporis pleræque viduæ voto se astringebāt perpetuæ viduitati vt sanctimoniales essent mutato habitu. Quantum verò ad virginitatem spectat, verba quibus virgo Maria respondit Angelo satis luculenter innuunt, quod ipsa suam virginitatem antea Deo dedicauerat, ait enim, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò, inquit August. non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Non enim dubitat de facto, sed modum requirit & ordinē. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo fiet. Quasi diceret, inquit Bernardus, Cùm sciat dominus meus testis conscientię meę, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me infringere votum vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito, fiat tamen voluntas eius. Hucusque Bernardus. Sed & venerabilis Beda tractans eadem verba Euangelij, Propositum suæ mentis, inquit, reuerenter exposuit Maria, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Quæ quia prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ ceteris feminis beatitate meruit excellere. Vides quo acumine perspexerunt sancti Patres responsionem Mariæ ad Angelum plus aliquid significare, quàm, Actu nō cognosco virum: id enim videbat Angelus: aut, quàm hucusque non cognoui virū: nam potuisset Maria post discessum Angeli nubere viro, & cognoscere eundem, eaque cognitione concipere, sicut Sara & Anna vxor Phanuel post annunciatum fetum cognouerunt viros suos, & ea cognitione conceperunt, adeo vt nihil fuerit opus dicere, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Quapropter dicēdum est, quòd Maria intellexit suum responsum secundum plenitudinem significationis, quasi dixisset, Equidem Angele Dei, eo sum animo, eòque sum proposito ac voto, vt dispofuerim non cognoscere virum, nullo sane tēpore, nullóque modo: adeò vt merito debeā interrogare, Si Deus me filium parere voluerit, quomodo id fiet? An per cognitionem viri contra animi votum, an alio quopiam modo. Hæc ex Scripturis. Ex sidis autem historijs ac scriptis Patrum eadem luculenter constant. Nam Epiphanius contra hæresim vocantium se Apostolicos refert hoc modo, Tradiderunt sancti Dei Apostoli, peccatum esse post decretam virginitatem, ad nuptias conuerti. Igitur illi & comprobauerunt vota virginitatis seruandæ, & reprobauerunt nuptias quæ pòst decretam virginitatē contrahuntur. Et Basilius libro de Virginitate adulteros vocat eos qui prætextu nuptiarum Deo dicatas virgines sibi copulant, inquiens: Nullus seruus ad id impietatis erumpat, vt sponsam Domini contingere audeat. Nullus adeò insanus, ac sacrilegus sit, vt immaculatā hostiam impudicis manibus tractet. Nemo in tantum audaciæ temeritatisque prosiliat, vt huiusmodi vltionem sacrilegis impendere cōsiderans, nō vasa inanima ex auri argentique materia elaborata, sed animata ipsa, & viua donaria, latronis more profanis manibus temerare, atque incestare præsumat. Immo verò nullus adeò impius, atrox, impurusque sit, vt non inanimata templi vasa, sed ipsum Domini templum, virginitum scilicet corpus, ipsamque omnium prætiosissimam animam in templo Dei, sacratissimi donarij vice locatā libidinis facibus barbarica immanitate succēdat. Et paulò post, Si autem qui dimissam à mortali viro ducit, adulter atque impius est: qui immortalis viri sponsam nuńquam dimissam violare præsumit, multò profectò funestriùs adulter atque impius erit. Et Hieronymus aduersus Iouinianum libr. I. Si nupserit, inquit, virgo, non peccauit. Non illa virgo, quæ se semel Dei cultui dedicauit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum obiecerit, quanto magis de virginibus prævalebit: cùm etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, nō tam adulteræ sunt quàm incestæ. Cui contemporaneus D. Ambrosius sic scribit, Melius est nubere quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cete rùm quæ se spopondit Christo, & sanctum vela-

Aug. lib. de sancta virginitate, cap. 4.
Bernard. Homil. 4. super Euāgel. Missus est, &c.

Monstratā castitatē probatur ex Patribus.
Epiphanius.

Basilius.

Hieronymus.

Ambr. ad virg. lapsā cap. 5.

velamen accepit iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Et iam si voluerit nubere, cõmuni lege coniugij adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est, quæ occultè & furtiua turpitudine constupratur, & fingit se esse quod nõ est? Habitu virgo, facto non virgo. Bis adultera, & in actu, & in aspectu. Idem Ambrosius alio loco mirum in modum extollit B. Theclam virginem & martyrem, quòd duplex fuerat certamen professa & castitatis & religionis: Sed & Eusebius in historia sua Ecclesiasti ca scribit, quòd erat apud Alexandriam Dorothea quædam satis nobili orta familia, ingẽtibus diuitijs & propinquis nobilibus pollens. Cui formæ & decoris gloria tanta fuit, vt mirum ac speciale in ea Dei figmentum crederetur. Sed illa quæ religione animi & honestate vitæ pulcrior quàm vultu corporis esse studeret, æquissimo mentis iudicio, quod pulcrum & decorum inter homines videbatur, id potiùs Deo consecrare, quàm vsui humano statuit indulgere, vt virgo Deo sacrata perfisteret. Cùm verò posteà à Maximino Cæsare ad stuprum interpellaretur, Aequè nefas sibi esse, respondit, templũ corporis sui quod semel Deo consecrauerat, idolorum cultu ac libidinis contagione polluere. Ecce virgo martyr tantum nefas putat esse virginitatem semel Deo consecratam polluere, quãtum nefas est post Baptismum se idololatriæ cultui impendere. Adhæc refert Sozomenus in hist. Eccles. Tripart. hoc modo, Igitur Imperator (Iouinianus, siue, vt alij legunt Iouianus Iuliani successor) tunc etiam secũdo nomine pręfecturam gubernanti prætoriam legem dedit, vt capitali sententia plecterentur qui vel sacram virginem nuptiali toro violare auderet, vel impudico aspectu aspiceret, ne dicam abripere fortè tentaret. Quam legẽ ideo posuit eò quòd Iuliani temporibus quidam huiusmodi virgines vxores ducere ausi fuerant. Hactenus de consilio Euãgelico castitatis seruandæ.

Amb. lib. 2. de virginibus.
Euse. lib. 8 cap. 17.
Sozom. li. 7. cap. 4.

Quæ sit paupertas ad quam nos hortatur Euãgelium. CAP. X.

M. Rogrediamur nunc porro ad cõsilium Euangelicũ Paupertatis eligendæ. D. Paupertatis? Pauper vbique iacet. Et.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiẽ fugiens, per saxa, per ignes.

Horatius ad Mœcenatem.

Et hanc eligendam suadet Euangelium? M. Suadet multifariam, & quidem viuis apertissimisque cum rationibus, tum exemplis, tam Christi, quam Apostolorũ, milliumque hominum eorum vestigia insequentium. D. At magnũ pauperies opprobrium, inquit quidam. M. Quin nulla faciamus istæc profanorum hominum dicta. Nos filij sanctorum sumus, alũni traditionis diuinæ, qua erudimur in aliam vitam, quam simul cum felicitate perfecta repositam habemus in cælis. Actionis quidem humanæ vtique finis est felicitas. Omnis enim omnium hominum labor ac studium in eo est: vt sit sibi bene: nemo quippe ad malum respiciens operatur. Iuxta finium autem diuersitatem diuersa datur de medijs institutio, præceptio, aut consultatio. Qui opinati sunt finem hominis, hoc est, felicitatem consistere in diuitijs contemptim docuerunt de paupertate. Qui verò in voluptatibus eam consistere voluerunt, sanctæ virginitati, & cælibatui, & abstinentijs mirum in modum detraxerunt. Qui autem in virtute illam collocarũt, vt Stoici ceteris paulò cordatiùs philosophãtes, ij sanè laudibus celebrauerunt quidquid virtuti colendæ subsidio esse considerabant. Ceterùm, quia & ipsi vim præcipuaque membra veræ virtutis ignorabant, & qualis foret consummatio eius, per felicitatem quæ saluum facit totum hominem, intus & foris, & quaqua versum in beatitudine æterna: Ideo de paupertate, & humilitate, de pudicitijs, de abstinẽtijs, de dilectione, de pœnitudine qua mentem in melius commutamus: &, vt vt semel dicam, de officijs hominis tendentis in Deum verè pietatis felicitatisque principium ac finem, imperitiùs ineptiusque disseruerũt quam conueniebat, vibrantes enses suarum disputationum velut in tenebris, & reuera vix meliùs iudicantes de prædictis quàm cæci de coloribus. Itaque & illis dimissis, inquiramus quid filius Dei, quid spiritus veritatis, qui è cælis venerũnt, vbi vera possidetur felicitas, quid eorum Apostoli docuerunt de paupertate Euangelicè prosequenda. Sicut suprà demonstrauimus quid per ipsos doctum sit de virginitate ac cælibe vita, In primis autem obseruare debes, variam esse paupertatem. Est enim paupertas quam pateris est quam eligis: Illam parit vel necessitas, vel rerum indigentia contra voluntatis affectum. In istam te inducit volentem spiritus fidei religioso quodam amore commutandi caduca æternis, terrena cælestibus. Illa pœna peccati est, ista vehiculum ad portum felicitatis. Illa qui stringitur miser est, quia patitur, nec eluctari potest quanquam conetur: Istam vel fugientem sequitur homo pius spontanea deuotione, & dimittere non vult, nec rogatus quidẽ vel impulsus. Illa inter media seu indifferentia, istã verò

Finis actionis humanæ felicitas.
Paupertas duplex.
Sola paupertas voluntaria computatur inter consilia Euangelica

verò inter eximia bona Euangelica est collocanda. Quam Baptista fortiter inchoauit, Christus insigniter verbo factoque commendauit, Spiritus autem Dei mox post primum illapsum visibilem in corda hominum consummauit, ac velut in politiam quandam digessit, ad ipsam millibus Christifidelium cõuersis: quam rectè spontaneam, fidelem, Euangelicam appellamus. Nam si voluntaria non est, vt non sunt communes indigentium paupertates, pertractatio eius non hoc loco fieri debet, sed alio quopiam, vbi agitur de miserijs ceterisq; mundi malis, dum sic visum est superis, fortiter perferendis. Si verò voluntaria est, non tamen fidelis ac Euangelica, hoc est, propter fidem Christi & Euangelij prædicationem, aut saltem ob spem Euangelicæ salutis prælecta, certè parum habet, vnde admodum cõmendari debeat. Quid enim paupertas Diogenis, aut Cratis Thebani, aut aliorum similis propositi, quid, inquam, boni ipsis peperit, præter admirationem quandam inter homines, & philosophandi commoditatem? At quam nos spiritu fidei apprehendimus secundum formam quam duces religionis nostræ præmonstrarũt, ea demum & viam veræ philosophiæ colendæ struit, & centuplũ pro dimissis rebus accipit, & omnia mundi bona possidet, insuper & ius ad regnum Dei tribuit, eaque omnia in hoc seculo: superaddens denique in futuro seculo vitam æternam, cuius nunc demonstrationem exordiemur.

Voluntariam paupertatem mundo illatam esse simul cum ipso Euangelio salutis. CAP. XI.

M.

Paupertas Euãgelica simul cũ Euãgelio mũdo illata est.

PRincipio autem, nisi paupertas, quam spontaneam, fidelem, Euangelicã dicimus, permagnã haberet vim virtutis colendæ, & mirè expeditam faceret philosophiam Euangelicam, profectò non esset illata mundo simul cum Euangelio salutis. Ioãnes præcursor Domini, & primus prædicator Euangelij, ipse dimissis omnibus factus est incola deserti, contentus locustis & melle siluestri pro esca, & cilicio de pilis camelorũ pro vestimento, prædicans regnum Dei, & dicens: Qui habet duas tunicas, det non habẽti. Post hunc venit filius Dei dicens: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Et ipse prædicans regnum Dei dixit, Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Vnde & adolescenti dixit, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Post Filium verò missus est Spiritus sanctus visibiliter in specie flammularum, & ita ignifecit pectora credentiũ, vt dicat Scriptura. Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebãt, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Rursum, Multitudinis autem credẽtium erat cor vnum, & anima vna. Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Subiungit, Quotquot enim possessores agrorum aut domorũ erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Et istud quidem tum temporis, cùm esset multitudo credentium aucta in millibus, vt ex eisdem Actis patet. Adhæc duces fidei intonant cõstanter, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, Christum dominum nostrum nudum nudi non tantùm retia nostra, & nauiculas quæ habemus, sed omnia quæ mundi sunt, & acquiri à nobis possint, relinquentes. Potissimum autem filius accrescens Paulus Apostolus: Existimo, inquit, omnia detrimẽtum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei, propter quẽ omnia detrimentũ feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Nec est in Ecclesiam hoc genus vitæ sine certa eaque amplissima promissione Dei introductum. Enimuero Saluator ab Apostolis interrogatus, Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Respondit Christus: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me & omnis (non solùm vos) qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽm, aut vxorem, aut filios, aut agros (nota disiunctiuam particulam: nam qui vel vnum dimiserit, quãtò magis qui vniuersa) propter nomen meum, Marcus, propter me & Euangelium, centuplum accipiet. Marcus, Centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in futuro seculo vitã æternam. Quod ipsum Matthæus dixerat, Centuplum accipiet, & vitam æterna possidebit.

Matth 3. Marc.1. Luc 3. Matth. 8. Luc.14. Matt.19. Act. 2. Act.4. Matt.19. Philip.3. Matt.19. Promissio Euãgelica pro suscepta paupertate. Marc. 10.

Quid sit illud centuplũ quod eligentibus paupertatẽ Euãgelicã repromittitur. CAP. XII.

D.


Ertè irrefragabilis est, quæ ex verbo Dei promis, cõmendatio paupertatis Euangelicæ. Ceterum quid est, & quale illud cetuplum, quod

quod ei repromittitur? M. Iam audisti ex Marco. Est enim centies tantum. Vis autem expresse nominem, & exinde verbo Dei demonstrem? D. Obsecro. M. Est ius siue actio ad ipsum regnum cælorum, cum suauissima affluentia rerum in hoc mundo, quantum cupis, ac satis est illi virtuti colendæ, cum qua & nascitur & consummatur omnibus expectanda felicitas. Quod sic demonstramus.

Illius cẽtupli, quo remuneratur paupertas Euãgelica, explicatio.

Saluator noster cùm se ad docendum in monte composuisset, aperiens os suũ dixit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Eandemque doctrinam in campestribus siue plano loco iterum repetens sub his verbis, Beati, inquit, pauperes, quia vestrum est regnum Dei, voce illa, spiritu, prætermissa.

Matth. 5.

Luc. 6.

Verùm cùm & Lucæ Euãgelium sit à Spiritu sancto profectum, nec in illo docetur nisi quod à spiritu surgit, spiritu fouetur, spiritu perficitur: Igitur si vera est hæc doctrina Christi, vtiq; per paupertatem spiritu fidei apprehensam acquiritur verum ius, solidaq; actio ad omne illud, quod nomine regni cælorũ, aut regni Dei intelligitur. Cuius posteà dabitur possessio realis, vt Iurisperiti loquuntur, cùm per sententiam sedentis pro tribunali super sedem maiestatis suæ dicetur, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Ius autem ad tantum regnum an nõ centies melius est omni auro, omnibusque possessionibus, quæ hic dimitti possunt? Arbitror ꝙ sic, nec quenquam contrariũ esse opinionis certũ habeo.

Per paupertatem Euãgelicã acquiritur ius in regnũ Dei.

Matt. 25.

D. Putãt plerique Matth. 5. sermonem esse de humilitate, non autem de rerum indigentia. M. Humilitas quidẽ parens est & nutrix, indiuiduaq; comes paupertatis Euangelicæ. At sermo Christi est de paupertate, quæ diuitijs opponitur. Quod manifestiùs liquet ex Luca, dicit enim simpliciter, Beati pauperes siue mendici, vt Græcus textus interpretari potest. Et mox subdit horrenda quædam, Væ, aptata contrarijs eorum, quibus antea beatitudines coniunxerat, dicẽs: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ qui saturati estis, &c. Et quid opus erat Matthæum dicere, Beati pauperes, & non potiùs, Beati humiles spiritu, si nihil peculiariter dictum voluit de paupertate diuitijs opposita? Ne autẽ de omni tali locutus videretur, addidit vocẽ, spiritu, quo cõstaret Christum tantummodo locutũ de ea paupertate, quæ spiritu fidei suggerente eligitur, partim humiliationis, partim salutiferæ cõmutationis caussa, quo te æques minimis, immò omnibus minorẽ facias, atque pro onerosis diuitijs, quod centuplicitèr vberiùs suauiùsque possideatur obtineas.

An illud, Beati pauperes spiritu sit dictũ de humilitate.

Luc. 6.

Voluit namq; Christus communẽ falsamq; cùm vulgi, tum Philosophorum opinionem nouis cælestis suæ doctrinæ paradoxis penitus eneruare, docendo veraciter inesse beatitudinem paupertati, luctui, patientiæ, modò spiritu Euangelico apprehendantur (Nam vox, spiritu, ad singulas beatitudines repeti debet) quibus illi non nisi miseriam & infelicitatem attribuebant, quẽadmodum certè ferè nihil aliud habent spiritu Dei secluso, dicente Apostolo: Si in hac vita tantùm, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. At carere rebus mũdi non necessitate, non infortunio, non natura, sed spiritu propriæ volũtatis per fidem, hoc beatum prædicat Christus, beatũ, inquam, quoniam talium est regnum cælorum. Non vtiq; erit, sed nunc illorum est, nũc enim in illud verum ius habent, quomodo crebrò ius habetur in rem ante actualem possessionem eius. Qualis sensus reuera est vt genuinus literæ, ita cõsonus per omnia & vitæ, & reliquæ doctrinæ tam Christi quàm Apostolorum, omniumque qui primitijs Spiritus sancti in die Pentecostes ac posteà decorati fuerunt.

1. Cor. 15.

Nec tantummodo acquiritur pro dimissis bonis temporalibus præfatum ius ad regnum Dei, sed simul etiam suauissima quędam affluentia rerum huius mundi, quousq; cupis, & satis est virtuti Euangelicè colendæ, vti diximus. Habet enim textus Euangelij secundum Marcum, Amen dico vobis, Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, matres & filios, & agros.

De affluẽtia rerum quã accipit paupertas Euãgelica in hoc mundo.

D. Etiãsi ad ipsum nõ pertineant? M. Neque vnquam pertinuerint, aut iure naturæ, aut iure gentium, aut successionis lege, aut vlla ciuilium constitutionum obligatione, ad eum vel eos qui sua propter Christum relinquunt. D. Quomodo igitur accipiũt? Immo quomodo habent, quod ipsorum non est? M. Habent ad vsum, non ad opes, aut proprietatem possessionis, accipiuntq; spontanea donatione aliorũ, qua affluunt eis sufficientissimè per flumina caritatis: sic disponẽte Spiritu sancto, qui vnus singulorum corda tangit, dirigit, patefacit ad singula cõmembra mystici corporis, haud secus atque vnus spiritus vitalis singulorũ mẽbrorũ vires, opes, officia conuertit in vsum aliarũ partium eiusdẽ corporis, quantũ cuiq; opus est, & sufficit. D. At quomodo accipiũt centũ domos pro vna, aut centũ agros pro

pro vno, aut centum matres pro vna? Id necdum intelligo. M. Nec hoc dixit Christus. Sed inquit, centies tantum, domos, agros, fratres scilicet accipiunt, hoc est, centies tantū vtilitatis ac beneficij accipiunt ex domibus agrisque alienis, ex fratribus, sororibus, matribusque non suis, quantum ex proprijs accipere potuissent. Omnium enim domus eis apertæ sunt, omnium agri ipsis fructificant, omnesque piè fideles officia plus quàm paterna, aut fraterna, aut materna in eos congerunt & accumulant. Adhæc tam habent singulos cōparticipes fidei pro fratribus, quàm si de eisdem visceribus geniti forent, sicuti sunt per eadem viscera vnius Christi, eiusdēque Spiritus sancti, noua creatura in Deo. Habent insuper vniuersos qui regendi docendiue in Ecclesia munia subeunt, tam pro colendis patribus, quàm si de ipsis viuendi initium sumpsissent, sicut & sumpserunt, loquēdo de vita Euangelica, qua Deiformes efficimur. Vnde Apostolus Corinthijs confidenter scribit. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu, per Euangelium ego vos genui. Omnes denique quibus ipsi aliquod incremētum gratiæ Euangelicæ impartiti sunt, vt proprios filios amplectuntur, vti liquet ex eo quod Galatis scribit, Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Quales appellationes Euāgelicæ cognationis passim per omnem Scripturam sacram obuiæ sunt. Vt autem pergamus, legistine qua magnitudine spiritus Paulus ad Corinthios loquitur? Quasi tristes, inquit, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. D. Legi frequenter, & non sine magna admiratione. M. Ibi explicat dulcedinem diuitemq; remunerationē paupertatis Euangelicæ. Quasi diceret, Nos qui nudi nudum sectamur Christū, videmur quidē mundi hominibus instar mēdicantium egere rebus: at locupletes reddimus q̃ plurimos, non solùm bonis spiritualibus, sed & temporalibus. Quis enim pauperum in Hierusalē subleuauit inopiam? Nónne ego? Quis autem peperit Ecclesię diuitias, quibus opulenter sustentat ministros suos, nónne sancta illa primorum credentium paupertas? Nam & tum temporis cùm nihil videbantur habere Apostoli, possidebant omnia. D. Falsò itaque dixerunt, Ecce nos reliquimus omnia. Nam omnia possidere, omniaque relinquere ex diametro sibi repugnāt.

1. Cor. 4.

Galat. 4.

2. Cor. 6.

Quomodo dulcedo & remuneratio paupertatis Euāgelicæ explicatur in epistola ad Corin.

M. Neque falsò dixère duces fidei, neque inter duo illa, vt arbitraris, est repugnantia. Quæ enim, ad nutum inseruiunt nobis, rectè possidere dicimur. Quādoquidem possidere est in posse, hoc est, in potestate sua habere. Aliud possidere, aliud est rem tāquam suam, sibiq; propriam habere. Quam differentiam Cicero linguæ Latinæ parēs insinuauit dicēs: Sua esse omnia, atque à se possideri sicut propria volunt Philosophi. In monastica omnis professus omnia quæ monasterij sunt possidet, nihil tamen suum habet, quia omnibus per votum renuntiauit. Omnia ergo possidebant Apostoli, quia de omnibus quantum libuit in sua potestate habebant, idque per spōtaneam piamque aliorum communicationē. Omnia nihilominus dimiserant, quia omniū rerum dominium & proprietatem à se abdicauerant, habentes rursum quæ aliorum sunt adeò ad nutum, vt nihil eis defuerit, imò vt dicat Apostolus, Testimonium enim perhibeo vobis (Galatis) quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Illi autē hoc facturi, an pecunijs, an alijs bonis pepercissent erga Apostolum? Sed nec possunt magis volupe esse opes diuitibus, quàm homini sancto sua paupertas voluntaria. Hinc Apostolus, Quasi tristes (scilicet iudicamur à ceteris) semper autem gaudentes. Non enim aliàs lætamur, & aliàs mæremus, sed semper gerimus intus merum gaudium Spiritus sancti. Quale est virtuti proprium, habens in se prægustationem eius dulcedinis quæ in cælis est, finémque nescit. Atque hæc cui coniunctim accrescunt in tēpore isto pro ijs quæ dimisit, nónne tibi centies tantum accepisse videtur? D. Omnino. Verùm adiecit Marcus, Cum persecutionibus. Vbi autē persecutio, ibi amaritudo, ibi & dolorum pondus. M. Virtus in infirmitate perficitur. Virtus sub aduersitatibus, vt palma sub onere, crescit. Virtus sola verum de se gaudiū gignit. Igitur quidquid virtutem exacuit, fouet, perficit, hoc accumulat & gaudium cordis, sit persecutio, pauperies, ægritudo, sint enses, vndæ, sartagines, aut qualecunq; velis. Nónne Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati? Gaudentes, inquit, ea ratione, quia digni erant pro nomine Iesu pati. Non enim ignorabant donum Dei esse pro Christo pati, secundum Paulum dicentem: In nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est caussa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo. Quia vobis donatum est, pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Itaque gaudebant de munere caussam salutis adferente, certi neminem posse lædi, nisi a seipso: certi nihil posse separare

Quid sit omnia possidere.

Galat. 4.

2. Cor. 12.

Quidquid auget virtutē auget, & gaudiū cordis.

Act. 5.

Philip. 1.

Donū Dei est pro Christo pati.

Rom. 8. separare à caritate Dei quæ in Christo siue per Christum est, præter vnam propriæ voluntatis auersionem: certi denique de promissione quam antea audiuerant, Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo. Sentientes simul in semetipsis cum Paulo, quòd licet is qui foris noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem. O si fide bene persuasam haberemus sententiam illam Pauli, qua dicit, id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, Deus bone, quāta dulcedine & nostrū interiorem hominem perfunderent paupertes, tribulatio, ægritudo, mors denique ipsa. Profectò velut nouo, electoque musto inebriarēt corda nostra, Non contemplantibus nobis, vt inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Ceterùm præoccupatus affectus noster fuco rerum præsentium carnaliumque voluptatum, quæ Dei sunt non percipit, neque enim potest. Gaudium spiritus et in tristitiam ac tædium conuertitur, haud secus atque febricitantibus dulcedo vini in amaritudinem.

Luc. 6. Gaudium spiritus foris affligi propter veritatē. 2. Cor. 4. Ibidem.

Ibidem.

Qua ratione paupertas quę foris est generet intus in corde gaudium.

D. Rogo autem quale potest adferre gaudium aut dulcedinem tenuiter victitare, duriter cubare, inopia, inediaque premi, qualia pauperibus Euangelicis primitiuæ Ecclesiæ quotidiana fuere? M. Quemadmodū venter satur super omnibus cibis nauseat, ita bene vacuatus stomachus vel solo pane & aqua delitiatur, subinde magis, quàm regijs lautitijs quispiam epulo potest. Post longa quippe ieiunia post feruorem aut orādi, aut quid peragendi in opere Dei, quidquid apponitur delitiæ sunt, sapit beta, sapit faba, sapit ater mucidusque panis. Nec dissimiliter, vt ijs qui dietim somno indulgent, omnis lectus est insuauis, neque vllum ceruical satis sub capite aptatum: ita ijs qui naturæ per vigilias vim faciunt, omnis locus pro suaui lecto est, cubant commodè super terram, suauiter super scamna & saxa. Prout miles post productas excubias stertit profundum, altumq́; , etiam quouis in loco. Et vndè gaudium? nónne ex eo quòd voti compos efficeris? Cur opes titillant animum? nónne quia vsui sunt ad finem quo tendis? Itaque qui fit voti sui compos perueniendo ad desideratam propter Christum, inopiam, famem, nuditatem, cur obsecro nō gauderet habens quod vult, quodque quærit, & quo sibi quàm optimè esse secundum spem promissæ salutis arbitratur? Verè igitur Paulus dixit de se, ac alijs Euangelicæ paupertatis sectatoribus, Quasi tristes, semper autem gaudentes. Verè & Lucas de cæsis Apostolis asserit, Ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Nec alienum haberi debet, quod infert Christus discipulorū auribus, nempe sub maledictis & persecutionibus gaudendum atque exultandum, eò quòd eorum merces copiosa est in cælis. Hucusque de promissione Dei quam repositam habent, qui propter Christum & Euangelium sua bona dimiserunt, spontè propria paupertatem eligentes. Nunc autem demonstrandum restat, num vna tantum, an varia sit paupertas Euangelica, quod modò facere tentabimus.

Act. 5.

Paupertatem Euangelicam non vnius generis esse, sed variam. CAP. XIII.



Enuntiatio siue dimissio rerum temporalium propter Christum fit multifariam. Primò nudè relinquendo absque vlla de illis dispositione. Quomodo Apostoli relictis omnibus secuti sunt Iesum. Luc. 5. ac alijs locis. Secundò relinquendo certo quodam modo. Et hoc iterùm bifariam, vel vendendo quæ habes, vt distribuas pauperibus. De quo modo inquit Saluator ad adolescentem. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, Matt. 19. Vel conferendo omnia in communem vsum dimissa proprietate, vt iam non sint amplius tua solius, sed omnium, omniumque vsibus inseruiant, quodque superest ad sinum pauperum recurrat. Prout factū est post acceptum Spiritum sanctum, Act. 2. & 4. Et certe permanet praxis horum modorum in Ecclesia Christi in hodiernum vsque diem, tum in conuentibus monasticis, tum extra tales conuentus. Olim ante tempora Basilij Magni crebriùs extra monasticam professionem, & citra votum, vel Euangelij annunciādi caussa, vel virtutis absque remora colendæ, nunc magis in monasterijs, & ferè non sine voto. Vtroque tamen modo, & sine voto, & cum voto fieri potest. Verùm quò fiat admodum Euangelicè atque vtiliter, necesse est vt sibi coniunctum habeat & illud, Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. Cor, inquā, vnum, hoc est, studium commune, quo idem quærebant omnes, idem volebant, eodemq́; tendebant. Anima insuper vna, vt nemo sibi viueret, sed quisque quod erat, quod habuit, quod potuit, omnium existimabat esse. D. Cur obsecro horum modorum plus inest per-

M. Vario modo fit dimissio rerum propter Christum.

perfectionis? M. Non facilè id dixerim ego: at tibi quid apparet? Quòd perfectius agant ij qui in secundo aut tertio ordine sunt. Quoniam non solùm ipsi ad studium pietatis, ... disponunt, vt omnia sua quæ relinquũt eidem inseruiant pietati, quod magnum momentum habet. M. Valde lepidè dixit Terentius, Pecuniam in loco negligere, interdum magnũ est lucrum. Haud dissimili modo, nonnunquã vel summæ pietatis est, negligere quod per se pium videtur, intuitu maioris pietatis exercendæ. Domine, inquit, quidam, permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum. Sepelire verò patrem an non pium? Dicit tamen Saluator: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem me sequere. Et alter ait, Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare (nota renuntiare) his quæ domi sunt. Ait ad illum Iesus, Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Etiam pia contrectatio bonorũ mundi remoratur animum, & nonnihil habet periculi, Cuius euidens inuenitur exemplum in redargutione qua Christus monuit Martham dicens: Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò, vnum est necessarium. Itaq; Apostoli aspicientes in Euãgelium Christi, habebant bona huius mundi vt stercora, præ magnitudine eorũ quæ offerebat Christus, imò tãquam detrimenta. Vnde proijcientes ea, ab ipsis velut de compedibus exiliebant ad Christũ, intra se cogitantes, Valeant quæ inter nos & Christum dissidium volunt, tractent mundani mundi bona, nobis in Christo domino multò vberior fructus erit. Profectò dimissio rerum temporalium, hoc modo, hæcque cõtẽplatione facta, vti valde est cõformis factis Apostolicis, ita plurimũ perfectionis habet, mereque Euangelicæ, nedum heroica repurari debet. Quod tibi explicatum volui, ne mò dum quo Apostoli reliquerunt bona mundi inter cæteros infimum locũ habere putares. Quis autem inter sectatores Christi paupertatis Euangelicæ cacumen propiùs attigerit, solus ille iudicare potest, qui renes scrutatur & corda. Nam quo quisque in dimittẽdis rebus puriori fide, ardentioriq; caritate fertur, plus fiduciæ habens in promissionibus verbi diuini, eò gratiùs Deo virtutis suæ sacrificium offert. Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Quã coronidẽ subiecit Christus, postquam in hac materia plenè respondisset Apostolis. Quasi diceret, Multi nunc primi in hac virtute apprehẽdẽda, erunt postea nouissimi, Vt Iudas qui posteà adeò inci-

Pientissimum est, pium maioris pietatis caussa negligere.
Luc. 9.
Luc. 10.
Marc. 10. Quomodo nouissimi fiant primi, & primi nouissimi. Matt. 26.

dit habendi sitis, vt dominum suum, seruatorẽ suum, Deum suum triginta argenteis, tantilli scilicet lucelli caussa venderet. Vtq; Ananias & Sapphira, qui veluti præcipuo feruore ad consilium paupertatis aduolantes, mox lõgè vltra nouissimos exterminati sunt, propter fœdum suum mendacium. Et multi nouissimi erunt primi. Quia multi adhuc hærent depressi onere eũm infidelitatis, tum cupiditatum suarum, qui tamen reliquos vsque ad primum gradum huius perfectionis prætervolabunt. Vti fecerunt, quorum tetigit corda Spiritus sanctus in die Pentecostes, fecerunt que posteà in Aegypto Eremitæ, quos Philo Iudæus vocat θεραπεύοντας καὶ θεραπευτρίδας, hoc est, cultores & cultrices, libro de vita contemplatiua. Qui non solùm dimisis rebus, sed & mundo, & hominum consuetudine, secesserunt, habitantes seorsum in prædijs extra vrbes, aliquando procul in solitudinibus, in montibus, atque speluncis, & in cauernis terræ. Alij solis fructibus folijsque arboreis famem nuditatemque refocillantes. Alij non nisi herbarum radicibus sustentantes naturã. Omnibus potus vnus erat aqua. Plurimis verò aliquid cocti sumpsisse (vti fidæ historiæ testantur) luxuriæ deputabatur. Adeò vt non solùm bona temporalia, sed & naturæ necessaria, quantum possibile erat, deseruisse videantur. Et certè hos quis non inter primos huius perfectionis sectatores annumerabit? Rursum, multi primi erunt nouissimi, quia multi feruenter incipientes, posteà vix aliquid de hac virtute retinebunt. Vt apostatæ, & qui in monasticã resplendent tandẽ mundi apparatu, non minus quàm purpurati in principum aulis. Et multi nouissimi, hoc est, aut tardè, aut tepidè incipientes, succrescente paulatim ardore caritatis tandem enitentur summum. Denique multi primi hic inter homines secundum quandam apparentiam, reijcientur aut inter aut vltra nouissimos, cùm veniens Dominus illuminabit absconditа tenebrarum, & consilia cordium, reddens vnicuique secundum opera sua. Multique rursum, hominum iudicio nunc nouissimi, tunc iudicabuntur fuisse in hac perfectione præcipui. Qui sensus, & plures alij in dicta coronide Saluatoris veraciter secundum literam continentur.

De verbis Lucæ in Actis Apostolorũ, Nemo quidquam ex eo quod possidebat aliquid suũ esse dicebat. CAP. XIIII.



VT autem perspicias magnitudinem simul & rationem perfectionis, quæ est in ea paupertate Euangelica, qua nemo dicit aliquid suum esse, M.

sed

Aug ser. 25 de verbis apostoli.

ſed omnia in communi cum alijs poſſidet, D. Auguſtinus ſic inquit, Legimus in libro qui Apoſtolorum actibus adſcribitur, tantã ſub memoratis viris deuotionem plebis fuiſſe, ita populi Chriſtiani floruiſſe primitias, vt poſt acceptam fidem nemo domum propriam ſibi defenderet, & nemo ſuum aliquid vendicaret, ſed iure fraternitatis eſſent illis cuncta communia, ſcilicet vt qui eodem conſortio religionis tenebatur, eodem conſortio fruerentur & vitæ, hoc eſt, vt quibus erat vna fides, eſſet vna ſubſtantia, & quibus erat communis Chriſtus, communis eſſet & ſumptus. Nefas enim putabant religioſi viri eum ſibi participem non aſciſcere in ſubſtantia, qui particeps erat in gratia. Atque ideo caritate fraternitatis omnibus communiter vtebantur, quia maior eſt fraternitas Chriſti, quàm ſanguinis. Sanguinis enim fraternitas ſimilitudinem tantummodo corporis refert, Chriſti autem fraternitas vnanimitatem cordis animæque demonſtrat. Sicut ſcriptum eſt, Erat autem credentium cor vnum, atq; anima vna. Verè ergo frater ille eſt, qui tã corpore, quàm vnanimitate germanus eſt: veriùs, inquam, frater eſt, cuius idem ſpiritus & voluntas in fratre eſt. Melior ergo eſt, ſicut dixi, fraternitate ſanguinis, Chriſti fraternitas, quoniam interdum illa ſibi inimica eſt. Illa inter ſe communia cum æmulatione diuidit, hæc etiam cum gratulatione communicat. Illa in conſortio ſæpè deſpicit germanos, hæc aſſumit frequenter alienos. Tanta ergo, ſicut dixi, illo in tempore Chriſtianę plebis deuotio fuit, vt nemo domum ſua diceret, nemo proprium aliquid vendicaret, ſicut ait S. Lucas dicens: Nemo quidquam ex eo quod poſſidebat, ſuum proprium eſſe dicebat. Non enim, inquam, erat quiſpiam eges inter ipſos. Beata igitur plebs, quæ dum plures in Chriſto habet diuites, nul lum in ſeculo habet indigentem, & quæ dum æternas cogitat diuitias, à fratribus temporalem repulit paupertatem. Vendebant enim, ſicut ait Scriptura, prædia, & domos ſuas, & pretia venditorum ante pedes Apoſtolorum ponebant, vt erogaretur prout cuique opus erat. Videte ſanctorum virorum fidem, quemadmodum propter Chriſtum toto ſe expoliebant patrimonio, & nihil ſibi reliqui faciebant: Non enim verebantur ne eſurirent ipſi, dũ timebant ne alius eſuriret. Hæc igitur ſub Apoſtolis fuit plebis deuotio. Modò quid ſimile reperimus? Et certè Chriſtus in nobis, idem quidem Chriſtus, ſed non idem animus in nobis. Eadem plebis fides, ſed non in plebe eſt ipſa largitio. Hæc Auguſtinus. Quem quidem ſermonem alij attribuunt B. Ambroſio: verius autem ſit, doctè profecto & cordatè enucleat vim & rationem perfectionis, quæ retinetur ibi expreſſa, ibique inchoata poſſeſſio rerum in communi.

Quid cenſendum de illis qui volunt omnia omnium Chriſtifidelium bona cunctis eſſe cõmunia. CAP. XV.



Vr igitur reprehenſione dignos iudicamus eos, qui aſſerunt Chriſtianis debere omnia eſſe communia, prorſus abdicata proprietate rerum? M. Cur? Quia aliud euangelizant quàm euangelizatum eſt ab initio. Siquidem dicta factaq; Chriſti & Apoſtolorum vt docent bonum eſſe ac ſanctum, multumque expediens, eum ad functionem Euangelicam, tum ad virtutem expeditè colendam, ſi beneuoli ſua ſponte conferant in cõmune omnia quæ habent, nihil ſibi proprium reſeruantes, ita nuſquam prohibent, ne Chriſtianus ſua ſibi ad proprium vſum reſeruet. At Anabaptiſtæ, & olim Adamitæ, atque Apoſtolici contendunt hominem non poſſe eſſe Chriſtianum, vereq; piũ, niſi renunciet priùs omni proprietati rerum. D. Idem quoque docere videtur Chriſtus inquiens: Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. M. Hoc loco notandum, Saluatorem non dicere, Omnis ſimpliciter, ſed, Omnis ex vobis, ad hoc ſcilicet delectis vt mecum ſitis, & ante faciem meam præcedatis in omnem ciuitatem, poſteà mittendi in omnem mundi partem. Omnis, inquit, ex vobis, qui non renunciat, id eſt, ſupremum vale dicit, omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Talis vtique diſcipulus, quales vos duodecim, voſque ſeptuaginta duo eſtis, quos mihi peculiariter ex omnibus auditoribus meis delegi. Et in hoc induxit ibidem Saluator duas parabolas, quibus perſuadet, neminẽ ſic poſſe eſſe diſcipulum Apoſtolicæ functionis, vt deferat mandata mea per vniuerſum orbem, niſi priùs ſupremum vale dixerit prorſus omnibus, quò ſit expeditus. Vide quæſo, quàm viuis rationibus ſolidiſque ſcripturis doceat B. Chryſoſtomus hæc & eiuſmodi non omnibus imperata eſſe, ſed ſolis Apoſtolis, & diſcipulis, & neque illis in omne, ſed ad præſcriptum & determinatum tempus. Verbis illius vtor. Tu perlege tractatum eius ad Priſcillam & Aquilam de colendis ſacerdotibus. Non ergo mandatum imponit Chriſtianis in vniuerſum, ſed pręmonet duntaxat Apoſtolos & diſcipulos, quid ipſis facto

D.

Dicere Chriſtianis debere omnia eſſe communia hereſis eſt.

Obiectio. Luc.14.

Solutio. Ioan.17. Luc.10. Marc.16.

1 Tim.3. Ab initio multi Christiani habuerunt proprium. cto opus erit. Alioqui Apostolus Paulus loquens de Episcopis ordinandis per ciuitates, non diceret, Oportet Episcopum domui suæ bene propositum esse, hospitalem, &c. Nota domui suæ. Ergo Christianus habet domum propriam, & factus Episcopus non iubetur illi renuntiare, sed vt eidem sit bene præpositus.

Obiectio. D. Erant tamen omnes qui credebant pariter, vt Lucas refert Act.2. & habebant omnia communia. Dicens ille omnes & omnia nullam personam, nihil etiam rei propriæ exclusisse videtur.

Solutio. M. Vtique sic est: nequaquam tamen cōsequitur, Omnes tunc temporis sic faciebāt, ergo posteà, vel etiā tū temporis sic factum oportuit. Tunc erant primitiæ Spiritus sancti, & flammulæ illæ cælitus delapsæ tantum impresserant feruorem mentibus credentium, vt non solùm susciperent communia fidei præcepta, verùm etiam contenderent singuli ad primos illos perfectionis gradus, quos appellamus consilia Euangelica. Nihil tamen, neque illis datum fuit in præcepto de hac communi rerum possessione, neque nobis. Quin potius cap. sequenti Act. 5. inquit Petrus ad Ananiam, Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Manēs manebat Ananiæ, & venundatum in illius erat potestate, ergo non oportuit renuntiatum ante Christianismum: nam Ananias iam Christianus erat. Sed & hoc constat ex Actis Apostolorum, non prorsus omnes in nascente Ecclesia renūtiasse omnibus quę possidebant, quia

Act.10. Simō coriarius in Ioppe Christianus retinuit domum suam, fuitq; Petrus in domo ipsius hospitio susceptus. Et Lydia purpuraria ciui-

Act.16. tatis Thyatirorum cum tota domo sua baptizata Philippis, domum propriam habuit dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse,

Exempla imitari bonū, sed nō necessarium. introite in domū meam, & manete. In meam, inquit, domum intrate, ergo propriam habebat. Neque exemplis iudicandum est, sed legibus, vti eleganter iuxta ac verè dixit Iurisconsultus. Non enim exempla, sed leges viuendi necessitatem imponūt. Multarum perfectionum habemus exempla in Christo, deinde in Apostolis, postea in electis illis militibus primitiuæ Ecclesiæ, quos imitari res magna est, & eximium perfectionis studium: verùm non imitari culpam nullam habet, eò q̃ non sint constituta sub præcepto. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, inquit Saluator, hoc necessitatis, nam sine obseruatione

Marc.10. mandatorum, vita esse non potest. Verùm, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & veni, sequere me, & habebis thesaurū in cælo. Non quidem hoc necessitatis, sed supererogationis. D. Contendunt tamen nōnulli & illud habere vim præcepti. M. Sed imperitè, ne dicam, impiè. Siquidem modus loquendi sub conditione, finis insuper ob quem dicit, Vende omnia, & da pauperibus, nempe vt sis perfectus, & thesaurum habeas in cęlo, luculenter demonstrāt, loco cōsilij dictum esse. Non enim dantur præcepta sub conditione, potissimùm cuiusdam perfectionis caussa, aut sub spe præmij accessorij, quale est thesaurus in cælo, vt faciendi non faciendiue arbitrium penes subditum permaneat: sed enuntiatiuo sermone dantur, atque de eo quod necessario esse debes, videlicet cultor Dei, æquus, pudicus, non fur, non mœchus, non testis iniquus. D. Attamen & illud, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, sub conditione dictum est. M. Ideoque propriè non est mandatum, sed instructio doctrinaque, necessario quidem apprehendenda propter necessitatem finis, eo quòd sine vita nemo esse potest, quod esse debet. At velle perfectionis gradu ceteros præire, aut habere amplius quid, quàm vitam, nępe thesaurum, in arbitrio manet auditoris: sine illo enim esse potest quod esse debet. Lege homil. Chrysost. in Priscillam & Aquilam, & me vera Patribusque consentanea docere videbis. Sed & Saluator eodem penitus loco cōmemorat inter præcepta necessariò obseruanda, Non furtum facies. Præceptum autē furti præsupponit dominia & proprietatem rerum legitima esse. Nam furari, est alienum auferre, suumque facere, inuito domino. Adhæc eodem loco verbis venditionis & donationis vtitur. Quid autem vendere? Nónne tuum ad alterius transferre dominium, suscepto ab illo pretio? Item dare pauperibus an aliud est, q̃ pietatis studio efficere, vt quod tuum erat, nunc sit alterius indigētis? Omnia igitur hæc vt improbant violationem dominij in rem tuam, ita approbant venditiones, emptiones, donationes: At venditio, emptio, donatio esse nequeunt, vbi non subsistunt legitimè meū & tuum, propriaq; possessio rerum. Adeò vt nulla valeat ratione dici, verbis Saluatoris vetitum esse, ne quis rem in suo retineat domuio, sibiq; propriam habeat. Vbi vnquam requisiuit Dominus viua illa membra doctrinæ suæ Euangelicæ, Martham, Lazarum, Magdalenam, Iosephum, Decurionē, Regulum, Centurionem, Nicodemum, vt sua omnia venderent, darentque pauperibus? Quinimo paralytico curato dixit, Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Permittens ei suum lectum, suamque domum, tamē is vt foris, ita intus curatus ad Euangelicam

Nō præceptum datur, sed consiliū. Matt.19.

Christus approbauit proprietatem rerum. Matt.19.

Matt.9.

 locie-

societatem iam tum pertinebat; nam & remissionem peccatorum suorum tum simul acceperat. Sunt autem qui alia ratione circa dicta verba Saluatoris Ecclesiæ negotium facessunt, contendentes per ea præcipi nō quidem actualem rerum abdicationem, sed habitualem, hoc est, promptitudinem animi ad dimittendum omnia, vbi persecutio, aut fidei confessio, aut necessitas, publicaue religionis vtilitas id postulauerint. Verùm hoc serpentinum caput aliàs comminuemus, huc enim non pertinet. Nam qui volunt omnia omnibus Christifidelibus esse communia, statuūt actu vendenda esse dandaque indigentibus, neminemque verum Christianum posse dicere, Hoc meum est, hoc tuum, sed debere omnia omnibus communia esse. Quod tamen nusquam docet Scriptura noui aut veteris Testamenti, quin potiùs mille pænè locis contrarium, vt partim ex his quæ induxi liquet, pleniùs autem ex demonstrationibus quas Tract.7.cap.6.fecimus. Meministine?

Viuunt Anabaptistæ in cōmuni sicut religiosi: sed illi hæreticè, isti catholicè.

D. Memini. M. Igitur Anabaptistæ, Adamitæ, & Apostolici sunt hæretici, annuntiantes aliud Euangelium, quàm annuntiatum est ab initio. Qui verò sua sponte vtuntur rebus cōmuniter ob pietatem expeditius colendā, nec interim improbāt alios res proprias possidentes, sunt orthodoxi, & veri Euangelicæ traditionis sectatores. Illi sub falsa specie pietatis callidè quærūt de alienis sudoribus suauiter viuere, isti verò adeò pietatem colunt vt etiam spontè cōtribuant sua: illi confundūt, immo subuertunt vniuersa iura: isti nihil cōtradicunt, neque iuri gentium, neque vlli legum constitutioni. Approbant enim possessionum proprietatem, sicuti eandem approbant scripturæ vtriusq; Testamenti. Interim simul docent, & per naturam, & per Euangelium licere beneuolis sua sponte inter sese viuere cōmuniter, atq; hoc ipsum non solùm licere, sed & consultum esse tum à Christo, tū à Spiritu sancto velut eximium quoddā opus perfectionis.

August. ad Quoduult deū.

Augustinus in libro de hæresibus, Apostolici, inquit, sunt qui se isto nomine arrogantissimè vocauerunt, eò q̄ in suam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet Ecclesia Catholica & monachos & monachas, & clericos plurimos. Sed ideo isti hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent. Hæc Augustinus.

De laudibus quas habet in scripturis spontanea possessio rerū in cōmuni. CAP. XVI.

M. Communis rerum possessio inter beneuolos principio nihil prorsus mali continet, vnde meritò culpari posset. Nihil enim pugnat aduersus ius gentium, nihil cōtra ius ciuile, vt patet ex his quæ dicta sunt Tract 7. cap.6. Nihil etiā continet seruile aut coactionis, quia procedit de spontanea vniuscuiusque voluntate: nihil ociosum, fit enim intuitu pietatis expeditiùs colendæ. Deinde habet vnde toti mundo præclara & venerabilis esse debeat. Est enim veraciter secundum naturam optimè dispositam, qualis fuit tempore innocentię, & qualis erit rursus in cælo. Est insuper ad amussim conformis Euāgelio Christi, vt est videre Act. 2. & 4. cap. Est expedita properatio ad perfectionem, vt patet ex verbis & factis Christi & Apostolorum eius. Est mutatio melioris pro eo quod bonum est, aut saltem non malum. Nam meum & tuum non sunt mala, etiamsi nonnunquam sint à malo, & non rarò malorum & dissidiorum caussa. Est reditio ad primitias Spiritus sancti, qui mox vt datus fuit, in primis velut eximium quiddam docuit viuere in communi. Est præludium eius societatis quæ expectatur post hanc vitam in cælis. Siquidē in cælis regnū commune est vniuersis Sanctis, prout clarè insinuat Saluator Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratū vobis regnū à constitutione mūdi. Multi benedicti, regnū vnum: tamē possidere illud omnes, quia omnibus paratum est vnum, vt possideatis illud vnanimiter. Et quibus cōmunis est Deus, & Christus dominus, illis quomodo poterūt nō omnia esse cōmunia? Est deniq; status quidā firmans hominē in vno, ne amplius circūambulet in circuitu.

Vnde commendetur possessio rerū in cō muni.

Nam sicut impij secundū Prophetā ambulāt In circuitu, sic & cupidi rerū mundi huius laborant quasi in circulo siue circūitione semper quærentes, & nunquā peruenientes ad id quod est propriū diuitiarū, nimirū suis rebus cōtentum esse secundū Ciceronē. Nunc hoc quærūt, nūc illud, post illud quoq; aliud, nec interim minuitur sitis quærendi: quia omne quod habēt sperato min⁹ apparet. Porrò qui Euangelicè habēt omnia cōmuniter, sibi imponūt statum, vt deinceps præter cælestia nihil quærant in terris, apprehendentes praxim illius dicti Apostolici, Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nihil sibi de suis, nihil de aliorum rebus petentes præter subuentionem necessitatis: vltra quam si quid inter eos superest, hoc continuò ad manus indigētium abit. Nā si inter illos qui viuunt communiter, singuli quidē renuntient proprietati possessionū, sit tamen

Psalm. 11. Auari laborant in circulo.

1. Tim. 6.

Quorumdā possessio in cōmuni parum laudanda.

tamen commune ſtudium omnium augere rem ſupra modum, vt apud ſingulos maneat profeſſio paupertatis Euangelicæ, apud communitatem verò ipſorum ſint Crœſi diuitiæ, nec minus quàm Euclionis auaritiæ, certè nõ eſt hæc Euangelica illa, de quâ loquimur, cõmunio rerum. D. Tamen iſtud perquàm frequẽs eſt in multis cõuentibus noſtræ prouinciæ. M. Ideoque verſi ſunt in prædam, facti eſca nobilium & laicorum. Iuxta illud: Quod non habet Chriſtus, rapit fiſcus. Ad mulos trãſit aut equos, aut his peiores ſycophantas, quod in vſum pietatis ſancta pepererat religio. Vindex manus Domini eſt, monaſticos religioſos nõ infrequenter dura premi neceſſitate ſub potentibus Prelatis, etiam inter ampliſſimas ſuarũ poſſeſſionum opes: Quia dum haberent abundè, maluerunt theſaurizare ad copiam, quàm indigẽtium ſubuenire inopiæ. Quod vidimus teſtamur. De illis hic agimus, quibus Chriſtus quærendus primum eſt, poſt Chriſtum virtus, reſpectus verò ad tranſitoria mundi vix vltimum locũ ſibi vendicat. Quibus quod habent ſeruit ad vſum, ſecundum rationem & ſobrietatem, adeò vt nullus ad luxum, nullus non habeat ad ſufficientiam. Quod verò ſupereſt, ad ſinum recurrit pietatis. Quidquid de contemptu rerum prædicat Euangelium, in hoc profectò genere vitæ, quàm pulcerrimè ſeſe demõſtrat. Quidquid de vera pietate, nuſquã adeſt vberiùs. Fieri enim non poteſt, vt qui tam amicè communicant bona ſua temporalia, quæ vſu conſumuntur, non communicent multò ſtudioſiùs ſua bona ſpiritualia, videlicet doctrinam fidei, adhortationem, orationem, fructum bonorum operum, gaudium in proſperis, ſubuentionem in aduerſis, & omnem affectum cordis, quæ vſu conſumi non poſſunt: ſed quo communicantur liberaliùs, eò fiunt & vberiora in ſe, & hero ſuo vtiliora. Quàm igitur bonum, & quàm iucundum habitare fratres hoc pacto in vnum. O quàm deſideraui ego frequenter, vt ipſe noſti, ſic viuere in communi cum aliquot doctis & pijs ſacerdotibus, meditando perpetuò in ſcripturis, non tam diſcendis, quàm vita exprimẽdis, citra votum & diſtincti habitus obſeruationem, quàmdiu vniuique voluntas bene prompta & ſpontanea foret. Qualiter olim ſimul vixiſſe plurimos ſacerdotes non dubito. Sed neſcio quis cacodæmon ſemper impediuit ne eſſet in operis executione, quod multo fuit tẽpore in voto. Credo me planè indignum incepto tam ſancto, tamque verè Euangelico. Valde enim pur gatos oportet in quibus Spiritus Dei operabitur tam eximia ſua futuræ vitæ præludia. Necdum tamen diffido, quin Deo dante fiet aliquando, & tum temporis, tu fili meecum vnus eris, ſeu potiùs ego tecum: noui enim quàm ardeat intus in corde tuo pietatis ſtudium.

De erroribus illorum qui æquant, aut præferunt diuitias paupertati. CAP. XVII.

M.



CApit vnum portentoſi dogmatis circa paupertatem Euangelicam præcidimus, Verùm alia ex parte aliud ſuccreſcit plus habens veneni, magiſque difforme errorum varietate. Nã quidam diuitias paupertati æquant, vt Iulianus. Alij præferunt, vt Vigilantius. Alij contendunt Euangelium nec pręcipere, nec conſulere à facultatibus diſcedendum ſi non eripiantur, ſicut nec præcipit aut conſulit res ſuas in commune conferre, vti illi qui ſe noſtro æuo vocarunt Proteſtantes, haud multum diſtantes ab errore illorum, qui tempore Thomæ Aquinatis dogmatizabant in ſcripturis ne laudari quidem paupertatẽ actualẽ: ſed tantùmodo habitualem, qua diuitijs, etiamſi affluant, cor non apponitur: qua qui poſſident, tanquam non poſſidentes ſunt. Ac omnibus his faucibus inferni obijciendum eſt. quod obijcit impetuoſo Vigilantio D. Hieronymus, nimirum illud Saluatoris, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cælo. Rogo enim ſi meliùs, aut æquè benefaciunt, qui vtuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum pauperibus diuidunt, quàm qui poſſeſſionibus venũdatis ſimul omnia largiuntur, cur æterna Dei ſapientia fecit hanc neceſſariam conſequentiam, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus? Omnis ſiquidem facta illatio per coniunctionem, Si, eſt neceſſaria. Omnis autem ſermo indefinitus, vale t vniuerſalem in diſciplinis tradendis. Itaque vende quæ habes, & da pauperibus, idem eſt, ac ſi diceret, vende omnia quæ tua ſunt, omniumque precium pauperibus diſtribue, vt à compedibus liber expedite efficiaris nobis vita & functione ſimilis. Nemo inter nos aliquid poſſidet, omnes omnibus mundi bonis renuntiauimus, vnicè ſectamur, vnicè tractamus, quæ regni Dei ſunt, quod nunc appropinquauit, nos prorſus, quoad neceſſaria vitæ, diuinæ prouidentiæ committentes. Quod certè eſt præcellentis cuiuſdam perfectionis, vltra communem vitam credentium conſiſtentem in obſeruatione manda-

Varius error nolentiũ diuitijs præferre paupertatem.

Pſalm. 61.
1. Cor. 7.

Exponitur illud, Si vis perfectus eſſe, &c.

torum Dei. Cuius perfectionis, quam tibi deesse video, si particeps esse quæris, veni nudus & exutus facultatibus tuis, & sequere me, similimodo quo isti qui mecum sunt. Paupertas expeditum facit, paupertas virtuti præparat, paupertas contra tyrannos & aduersitates armat, paupertas ad ea quæ regni Dei sunt anhelum reddit, totumque hominem diuinæ prouidentiæ fide fiduciaque velut funibus quibusdam alligatum tenet. Hanc nos cultores aduenientis regni Dei, præ regno mundi toti sectamur. In hac te nos sequi oportet, si vis perfectus esse. Quicunque igitur aut æquant aut præferunt diuitias paupertati, duces errorum sunt, subuertentes doctrinam veritatis, ne suis facultatibus addicti, à perfectione Euangelica longiùs abesse videantur, potissimùm quos vltimo & penultimo loco induximus. Non veniat igitur anima tua in consilium eorum. Non enim tantummodo dixit, Vende quæ habes, sed vade & vende. Quo significatur propediem & citra moram faciendum quod consuluit. Putant quidem illi satis esse paratum habere animum vendēdi dum tempus, locus, aut fidei confessio postulauerint. At cōtrà, Nunc, inquit, pede tuo adhuc stante vade, & vende, vtroque verbo imperium præsentis temporis habente. Atque illam fuisse Saluatoris sententiam probè intellexerunt Apostoli actu dimittentes omnia. Intellexerunt & primitiæ credentium in
Act. 2. die Pentecostes, de quibus scribitur. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebāt illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Rursum,
Act. 4. Quotquot possessores agrorum aut domorum erāt, vendentes afferebant pretia eorum quæ vēdebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Vendebant, inquit, diuidebant, afferebant pretia ad pedes Apostolorum. Hæc ad habitum bonæ voluntatis pertinent, an ad operis executionem? D. Arbitror ad operis executionem. M. Arbitraris? Quin potiùs certo certiùs habe. Iuncta est historica narratio eorum qui sic fecerunt, cum doctrina qua ita faciēdum edocuerat Christus, quæ duo te fallere non possunt. Sic autem fecisse ex inspiratione Spiritus sancti, idque recens post primum illapsum eius, & adhuc sub ipsa Apostolorum gubernatione, an non maioris virtutis ac meriti esse debet, quàm retentis facultatibus, in bono pioque earum vsu persi-
Act. 5. stere? Vindex Dei manus exterminio damnauit Ananiam & Sapphiram vxorem eius, eò quòd hanc Euangelicæ paupertatis sophiam fraude aspergerent, mentientes Spiritui sancto. Vbi ergo parebunt, aut quæ damnatio illorum, qui non solùm mendaciter, sed superbè, sed malitiosè, confictis confutisque argumentis, eam prorsus subuertere nituntur [illegible] dumtaxat partem de pretio fraudabant, metuentes forte ne res non haberet successum. At isti toti in hoc sunt, vt Apostolicum vitæ genus, quod pro sua cupiditate auersantur, penitus aboleant. Adeò vt deinceps nemo laudet, nemo promoueat, nemo denique sectetur. Reddat illis Deus secundum mensuram malitiæ retributionē in sinu ipsorum. D. Quid autem dicemus ad has Scripturas, Propter inopiam multi deliquerunt. Item, Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, & alias eiusmodi? M. Quod loquuntur de paupertate communi, qua premitur homo nolēs, qualis & inter gentes est. Nos autem hucusque disseruimus de spontanea, fideli, Euangelica paupertate, quam Christus omnibus prætulit velut commodum vehiculum perfectionis Euangelicæ. D. Quid ad istas, quæ admodum contemptim paupertatem eleuant, videlicet, Etiam proximo suo pauper odiosus erit. Item, Fratres omnes pauperis oderunt eum. Item, Sicut abominatio est superbo humilitas, sic & execratio diuitis pauper? M. Quòd loquuntur de communi paupertate idque secūdum communē vecordium insensatorumque hominum æstimationem, longè autem aliud esse iudicium Dei, eorumque qui spiritu Dei nobilitati sunt, dicente Psalmista: Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Et alibi, Factus est Dominus refugium doch, hoc est, pauperi, contrito, & confracto. Valde disertè Iesus filius Sirach, Est homo, inquit marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum. Communis etiam paupertas quālibet misera & contēpta, si per fidem & patientiam animo infracto, cum gratiarum actione à Domino suscipiatur, habet permagnum meritum apud Deū. Nónne Lazarus mendicus vlceribus plenus, iacens famelicus ante ianuam diuitis epulonis, desertus, contemptus, cui ne de micis quidem cadentibus ex mensa diuitis dabatur, nónne, dico, hic talis misericordiarum Domino curæ fuit, & ab illo remunerationē accepit? Sic enim describit Lucas, Factum est autem vt moreretur mendicus, nempe Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Ostendere autem hoc loco innumeris scripturis & exemplis propensionem beneficentiæ diuinæ qua eiusmodi paupertates fouet atque remunerat, profectò non

Quæstio. Eccle. 27. Prou. 30.
Responsio
Alia quæstio. Prouer. 14 Prouer. 19 Eccle. 13.
Responsio.
Psalm. 67.
Ecclesi. 11.
Luc. 16.

foret operosum. Verùm quia non est huius instituti ad reliqua consilia Euangelica exinde properabimus.

De obedientia quid sit, & quò propriè relationem habeat. CAP. XVIII.

M. Obedientia felicitatis mater. Greg. lib. 35 Moral. cap. 12. PRouerbium erat inter priscos, obedientia felicitatis mater. A fabulosis quidem figmentis poëtarum sumptum, attamen verissimum. Nam teste Gregorio, Obedientia sola virtus est, quę virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Virtus autem felicitatis possessio est. Rursum, Obedientia meritū fidei habet: quę enim fides prēmōstrat, ea exequitur. Ipsa igitur est felicitatis acquisitio, cuius illa premonstratio erat. Preterea, Obediētia inferiora superioribus connectit, & quæ horum sunt, illorum facit. Nam bene morigerum esse progenitoribus suis, item naturæ, in primis autem Deo, participem facit felicitatis paternæ, felicitatis naturalis, felicitatis denique diuinæ. Sed & politicæ felicitatis alumni permanent, qui gubernationi primatū per obedientiam consentiunt. Immorigeri verò, quicunq; illi fuerint, omnes tandē excidūt à felicitate eius, cui per obedientiam subesse noluerunt. Filium rebellem patri leges exhęredem definiunt. Et qui naturæ inobediens, ipsam suis prauis affectibus parere cogens, haud diu inter naturalia bona suauiter viuit. Vt enim sobrietas sanitatis mater est, ita plures crapula q̃ gladius necat. Effusa libido quos non reddit miseros, egenos, cadauerosos, vel inter ipsa naturæ bona? De inobedientia autē contra Deum vel Christum Dominū
2. Thes. 1. scriptum est, Quòd retributio eius erit in flāma ignis, dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euangelio domini nostri Iesu Christi. (illud est infidelium, istud verò Christianorum non obedientium) Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderūt. Vidétne quàm excidunt omnes inobedientes Euangelio à gloria felicitatis Christi, ipso di-
Luc. 13. cente, Discedite à me omnes operarij iniquitatis? Quam ego non tradidi iniquitatem vestra voluntate quæsistis: quam tradidi Euangelio meo iustitiam, per inobedientiam despexistis: discedite nunc à me, quia non est talibus pars vlla mecum in regno Patris mei.
Matt. 7. Ioan. 17. Verùm, Qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorū. Ipse mecū vnus erit (in felicitate mea) sicut & ego cum Patre vnum sum in gloria eius: quia voluntatem ipsius perfeceram. Ceterùm vt a vocis interpretatione exordium sumamus, Quid obedire? D. Obtemperare, auscultare, obsequi, aurem mentemque præbere. M. Hæc autem quò relationem habent, ad imperium'ne potestatem habentis, an etiam ad alia? D. Puto ad iussum eius qui vel natura, vt Deus, & Pater: vel gubernatione superior est, vt Præpositus & Magistratus. M. Nonne melioris obedientiæ filius est, qui dicto obedit, & ad nutum obsequitur, quàm qui imperium expectat? D. Sic apparet. M. Rursum, Tractus siue impulsio suauiorne est, an spontanea accessio? D. Vtiq; accessio, & illa quò magis volūtaria, eò suauior. M. Igitur inferiores quò magis præueniūt maiorum imperia, solo nutu vel signo voluntatis eorum contenti, eò purior est ipsorum obedientia, plus habens dulcedinis, & vim maiorem vniendi cum superioribus, vt fiat quod dicitur, Obedientia felicitatis mater. Videtur ergo relationem habere ad omnia, quibus superiorum placita, nedum iussa innotescunt. Placent autem maioribus & quæ docent, & quæ consulunt, & quæ monent, & ad quæ inuitant, plerumq; magis, quàm quæ per imperiū iubent. Filij Israel cùm ad obediēdū bene spōtanei essent, Omnia, inquiūt, quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Non tantum ea, quę iubet imperando, faciemus: sed omnia quæ locutus est, hoc est, quæcunque sibi beneplacita fore vel verbo significauerit. Scripserat certè tum temporis Moyses in volumine legis vniuersos sermones Domini, iussa eius, monitiones eius, consilia, documenta. Nec expectauit Abrahā imperiū vt obediret, sed satis erat innotuisse sibi quoquo modo beneplacitū domini Dei sui. Neque per imperium dictum fuit, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quā monstrauero tibi: sed per insinuationem siue inuitationem; qua Deus auribus Abrahę insinuauit, quid sibi bene gratum in eiusmodi foret. Quantulum enim esset, aut non magna laude dignum, aequiescere omnipotenti Deo de cęlo per expressum imperium iubenti? Quis ue adeò est barbarus, vt numini prodigiis e nubibus imperanti non pareat? D. Tamē verba imperatiui modi sunt, quib' dicitur: Egredere de cognatione tua, veni in terram, quā monstrauero tibi, tolle filium tuum, & offer mihi in holocaustum, &c. Sed & ipse textus vtitur verbo præcipiendi dicens. Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus. M. Esto. At vtentes verbis eius modi

Quid sit obedire.

Quò relatione habeat obedientia.

Obedientia relatione habet ad omnia, quibus superiorum voluntas innotescit.

Exod. 24.

Genes. 12.

Obiectio

Solutio. Verba imperatiui modi nō solùm habent imperandi significationem.

non semper imperamus: sed aliquando inuitamus, nonnunquam consulimus, aut adhortamur, vti suprà ex Scripturis tibi demonstratum meminisse debes. Nec verbum præcipere, est propriè per auctoritatem imperare: sed potiùs anticipare, præoccupare, præmonere, instruere, docere. Vnde & artium magistri vocantur præceptores, & eorum documenta præcepta. Quemadmodum etiam Apostoli ac Iudæi, qui à Christo doctrinam fidei susceperunt, uocant ipsum præceptorem suum, eiusque salutares doctrinæ rectè Euangelica præcepta appellantur. Ad hæc, quando dixit

Math. 4. Saluator ad Petrum & Andream, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Non vtique per imperium dixit. Enimuerò veniens Iesus de deserto, vbi quadraginta diebus ac noctibus in oratione Dei latuerat incognitus omnibus, nullamque vllius potestatis speciem præ se ferens, quomodo imperasset piscantibus casu repertis? Aut illi qua ratione persuasum habuissent, se homini illi ad obediendum subiectos esse? Non igitur imperij erat quod dixit, Venite post me, sed inuitantis. Illi tamen videntes totū habitū inuitantes esse hominis Dei, per omnia ad functionē virtutis compositi, relictis omnibus q̃ promptissimè obedierunt vocanti. Præterea

Ierem. 35. obedientia illa Rechabitarum scripturis non parum commendata, qua obtemperabāt patri suo Ionadab filio Rechab in istis, Non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum. Et domum non ædificabitis, & semētem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis. Nequaquā respiciebat istiusmodi velut imperata à Patre (siquidem pater talia imperare non potest, quod patriam potestatē longè excedant) sed velut ea, quæ piè à pio patre præcepta, hoc est, docta erant, rectèque consulta, tanquam multum momenti ad colendam pietatem habentia. Hæc autem omnia ideo induxi, vt tandem videre valeas, quæ sit natura illius obedientiæ quam inter consilia Euangelica annumerare oportet.

De diuisione obedientiæ in diuersas partes quasi specificè distantes. CAP. XIX

M. Vemadmodū omnem disciplinam, domesticam, scholarem, politicam, militarem multipliciter partiri licet in ea, quæ per imperium iubentur aut vetantur, & in decreta siue consulta (vnde & Senatusc ōsulta, plebiscita, & id genus alia) in doctrinas, positiones, exhortationes, redargutiones, qualia etiam, & quidem magis propriè, præcepta dicuntur, Lumen insuper quo dirigimur in actibus nostris quod vlterius diuiditur in Lumen fidei, & lumen naturaliter inditum. Ita & obedientia multifariam partienda est. Primò in obedientiam naturæ, & obedientiam fidei. Illa sequitur lumē inditū naturæ: in hominibus quidem lumen vultus Dei signatū super nos, hoc est, lumen rationis: in reliquis verò creaturis instinctum naturalem. Hæc autem sequitur directionem fidei, quam Paulus vocat obeditionem fidei, dicens: Reuelationem mysterij temporibus æternis taciti nunc patefactam esse in obeditionem fidei. Secundò in obedientiam necessariam, nempe à lege vel natura impositam, & obedientiam liberā, quam sponte propria eligis caussa virtutis circumspectiùs perseuerantiusque colēdæ. Illa respicit præcepta per imperium iussa, ista omnia quibus placita Dei vel superioris quoquo modo innotescūt. Non quòd omnibus obstringeris, sed quòd te illis sponte propria obstrictum velis salutis caussa. De necessaria obedientia intelligitur illud: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata hoc est, ea quæ iussione imposita sunt, quorum si vel vnum per inobedientiam prætermiseris, factus es omnium reus secundum Iacobum Apostolum. De libera verò dictum est, Sequuntur agnum quocunque ierit, hoc est, quocunque præcesserit beneplacitum agni, eò prorsus, & quam obedientissimè conuolant virginea illa agmina, de quibus ibi sermo est. Et illud, Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit, vt perficiā opus eius. Hoc est, tam sapit mihi tamque reficit me, implere quæcunque placita sunt ac grata Patri, quàm famelicum reficere potest bene parata esca. Rursum autem obeditionū quæ Deo aut superioribus impenduntur, alia est seruitutis, qua quidem ira iubentis cauetur, sed obedientis conditio nihilo melior redditur. Quam secundum Scripturam licet inertem, inutilē atque seruilem appellare. Cuius descriptio habetur Luc. 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite, Serui inutiles sumus quod debuimus facere, fecimus. Nam facere duntaxat opus imperatum, quid est præter necessitatis debitum exhibere? Quid vltrà præstat, quàm animata inanimataque omnia? Quibus satis est pro impletis obsequijs, esse quod sunt, & interteneri in rerum ordine quomodo intertenentur, nihil eis ob hoc amplioris gratiæ aut remunerationis debetur, vt pleniùs tibi ostendimus in primo tractatu huius libri: Alia est caritatis iuxta formam loquendi quam Apostolus Petrus obseruat dicens: Animas vestras

Prima diuisio obedientiæ.
Psalm 4.
Rom 16.
Matt. 19.
Iacob. 2.
Apoc. 14.
Ioan. 4.
Necessariæ obediētię subdiuisio.
1. Pet. 1.

vestras castificantes in obedientia caritatis, pulcrè eam ipsam sequestrans ab inerti & seruili obedientia, quæ habenti inutilis manet. Nam quæ caritatis est, grátia & remuneratione omnipotētis Dei digna habetur. Si quæris caussam diuersitatis, hæc est, Quoniá non solùm facit opus imperatum, sed sic, eoque modo & affectu obtemperat, vt faciendo opus voluntatem Patris qui in cælis est simul adímpleat: vtque affectui paterno iubentis respondeat correlatiuus affectus filialis obsequentis. Quod vnum successione in felicitatem ac hereditatem paternam dignum iudicatur, secūdū omnia iura, etiam secundú ius verbo Dei expressum, dicente Saluatore: Nō omnis qui dicit mihi. Dñe Dñe, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris, vt Patris est, & à Patre procedit, quod nō fit, nisi correlatiuo affectu filiali. Præsidebat Deus olim Israelitico populo tanquam dominus, imperio quodam dominatiuo, ac lege, quæ secundum Apostolum iram operatur, dicens: Ego dominus Deus tuus (qua phrasi plena est Scriptura veteris Testamenti) illiq; largiebatur bona terræ, & fœcunditatem in vxoribus ac gregibus, veluti stipendia quædā temporalia, qualia seruis conductieijs à Dominis dari solent. At renatis in Christo nunc tempore gratiæ presidet tanquam Pater, gubernans eos paterno affectu, vt filios suos atque heredes, coheredes autē Christi. Et eam ob caussam ab eisdem renatis debet impleri voluntas ipsius, velut eius qui pater est, affectu scilicet & amore erga eum tanquam patrem. Quod vtique est obedire obeditione, quam Petrus appellat caritatis. Zacharias verò prophetando vocat seruitutem, qua seruimus Deo in sanctitate & iustitia, quas qualitates promeruit Christus his, qui in suo sanguine renati sunt, vt sancta grataque obeditione Deo patri obediant tanquam filij.

Aliud est facere opus imperatū, aliud facere voluntatem Patris in opere imperato.
Matt.7.
Rom.4.
1.Pet.1.
Luc.1.

Hæc de priori genere obedientiæ quam necessariam appellamus. De posteriore vero genere, quam obedientiam liberam vocamus, hoc habe, quòd & ipsa sub diuiditur in eam quæ semper manet in arbitrij libertate, & eā quæ spontaneo tuo voto tibi in præceptum commutatur. Illa promptè imples quæcúq; Deus pater aut alius pro Deo legatione fungens annunciat, etiamsi nec lege ad ea obstrictus fueris, nec natura. De qua dicitur, Populus, quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Hoc est, mox, atque promptè obediuit, vbi placeta mea peruenerunt vel ad alteram duntaxat aurium eius. Qua phrasi significatur paratissima summeque obuia obedientia: adeo vt non expectetur donec præcipiendo præceptum fuerit, aut ita pœnis ac comminationibus iussum, vt ambæ tinniant audientium aures. Cui simile est secundum phrasim Scripturæ, Audire vocem domini, autem, audire verbum Dei, dicente Zacharia: Erit hoc, si auditu audieritis vocē domini Dei vestri. Dicente etiam Domino ad Apostolos, Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestrę, quia audiunt. Ideo sanè beatæ aures vestrę, quia sufficit vobis audisse doctrinam salutarem: ideo beati oculi, quia sufficit vidisse mirabilia Dei, vt obsecundantes sitis ad omnia corde bono atque perfecto. Etenim vt Pater me⁹ dixit, Hic est fili⁹ meus dilect⁹, in quo mihi bene cōplacui, ipsū audite, ita facite, suscipientes obuia obedientia quæcunque annuncio Patri vestro, qui in cælis est, grata esse, non expectatis vllis iussionibus ac minis more seruorum: satis enim vobis, vt beneuolis filijs, est quòd is qui intus amoris affectus signo aliquo excitetur. Quādoquidem filius vt aliquid patris est, ita vocem patris tanquā vocem patris agnoscit, illique ea ratione auscultat. Hinc illud, Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Ecce inter audire & non audire verbum Dei, vnam hanc differentiam ponit, esse vel non esse ex Deo. Quod vnum rursum distinguit inter filios & alienigenas. Nā alienigenarum est, ex iussionibus & imperijs pendere eorum, quibus subdūtur: filiorum verò est esse ex patre, hoc est, naturam ex ipso habere. Atque hi sanè significantur per terram bonam in quā semen cecidit, quia corde bono & optimo audientes verbum, retinent, & fructū afferūt in patiētia. Dicit autem corde bono & optimo, vt etiam inter hos insipientium, & proficientium distinctionem subindicet. Magna profectò differentia est inter audire verbum Dei, & facere præcepta eius. Illud propriè non nisi beneuolorum est & proficientium: hoc etiam seruorum & carnaliū, qui oderūt quidem peccatum, sed solùm formidine pœnę, non virtutis amore. Inter illos porrò nonnullis tā orātis, ne hoc quidem satis est, quod pro suo arbitrio propriam voluntatem captiuent in obsequium verbi Dei, quin hoc ipsum etiam alterius iudicio vicem Dei gerentis faciat, quo circūspectiùs pficiāt, quod facere statuerunt, alteri obedientiæ seipsos per oīa subijcientes. Quale in scripturis vocatur adhærere alicui, aut discipulū agere. Quādo filius prodigus redactus ad extremā necessitatē, adhæsit vni ciuium regionis illius. Quomodò & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cū eo credētes adhæserunt Paulo. Quādo & Ioan-

Liberæ obedientiæ subdiuisio.
Psalm.17.
Quod sit obedire in auditu auris.
Dei autem vocē [illegible] vocē Dei.
[illegible] h 6.
Matth.13.
Matth 17
Vnde differentia inter audire & non audire verbū Dei
Ioan.8.
Luc.8.
Magna differentia inter audire verbum dei & facere præceptū eius
Luc. 15.
Act.17.

& Ioannis Baptistæ discipuli adhæserunt ipsi
De libera obedientia ad quam nos voto obstringimus. in omnibus audientes vocem eius. Vtrumque autem horum fit libera voluntate, & quàm diu placet. Posterior verò liberarum obedientiarum tunc incipit, quando homo non solum dimittit quæ mundi sunt, sed & seipsum abnegat, ac prorsus Deo velut holocaustum consecrat, Prout fecerunt Apostoli & infiniti alij post Apostolos, prout etiam faciunt nunc monastiæ perfectionis candidati, per abnegationem propriæ voluntatis, immobili decreto animi firmatam, dum profitendo atque vouendo vertunt sibi consilium in præce-
Psalm.75. ptum. Quo facto non ampliùs integrum est pedem retrahere, aut retrorsum respicere, propter Scripturam, Vouete & reddite. Quia tamen non alia obligatione post votum astringuntur, quàm ea cui ipsi sua sponte se vouendo alligauerunt, etiam talis obedientia inter liberas annumeranda est, quòd ex radice liberæ voluntatis ortum habeat. Vt autem velut epilogo concludam, habes ex præmissis partitionibus obedientiæ differentias, nempe obedientiam naturæ, & obedientiam fidei: obedientiam necessariam, & obedientiam liberam: obedientiam seruilem, & obedientiā filialem, obedientiam seruitutis & obedientiam caritatis, obedientiam denique semper liberam, & obedientiam in radice liberam. Quæ vt ex verbo Dei collectæ sunt, ita eidem intelligendo non parum lucis adferunt. D. At distantiam harum differētiarum needum plenè assequor. M. Quantum lumen naturæ & lumen fidei, tantum distant obedientia naturæ & obedientia fidei. Illa ordinem limitesque naturæ non egreditur: ista verò vltrà conscendens debitè submittit hominem verbo quod locutus est ipse Deus, vel per semetipsum, vt fecit circa nascentis mundi exordiū,
Heb.1. vel per Prophetas, vt fecit olim multifariam multisque modis: vel per filium suum quem constituit hæredem vniuersorum, vt fecit nouissimè diebus istis. Quantum insuper præceptum & consilium siue doctrina, tantum distant obedientia necessaria & obedientia libera. Illa enim si violetur reum facit damnationis. ista verò violata duntaxat minus bonum minusque perfectum constituit: nisi quatenus voto fuerit confirmata. Adhæc quantum timor & amor, tantum distant seruilis & filialis obedientiæ. Denique quantū distat anima tum, & inanimatū, fides sine caritate, & fides per dilectionem operans, tantū differt obedientia seruitutis & obedientia caritatis. Illa ad salutem consequendam ferè nihil confert, hæc penè sola in eam regnumque Dei introducit. De liberis autem obedientijs, quas ipsas filiales ac caritatis esse oportet [illegible] ad meritum inefficaces, quomodo [illegible] consilia Euangelica annumerentur exinde differemus. Postea dicturi de gradibus obedientiæ, qui surgunt tam ex parte eius cui obediendum, quàm ex parte ipsius obedientis.

Obedientia quæ annumeratur inter consilia Euangelica quibus sit scripturis demonstranda. CAP. XX.

Dionysius Areopagita Pauli disci- M.
pulus docet diuinum amorem ec- Dionys. de diuinis nom. lib. cap. 4.
stasim facere, hoc est, amatorē sic extra se rapere, vt non sinat eum suiipsius esse, sed eius quē amat, Vnitiu' enim est amor, nec cessat donec effecerit inter amantem & amatum vnum velle, & vnum nolle, cor vnum, & animam vnam, quò tandem cum Apostolo dicat. Viuo autem, iam non e- Gal.2.
go: viuit verò in me Christus. Cuius affectu & arbitrio penitùs feror, actū ipse non haberem affectum aut arbitrium. Quæ licet habeam, tamen amore rapiente, illius, quem amo, fiūt, illiusque esse volo nonunquam firmo immobiliq; animi decreto. At inquies, Quor- Obedire Deo vsq; ad perfectā sui ipsius abnegationem est cōsilij Euāgelici.
sum hæc? Vt tertij consilij Euangelici rationem, quod est obedire vsque ad plenam suiipsius abnegationem, à fonte, quod aiunt, tibi apertam. Fons etenim talis obedientiæ est amor ecstaticus, quo velut liquescit anima in Deum, cunctis quibus eximiè colitur Deus conglutinata. Diximus de voluptatibus car- 1.Cor.7.
nis abdicandis per continentiam, Quoniam qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Diximus præterea de bonis externis posthabendis per spontaneam paupertatem, Quia faci- Matt.19.
liùs est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Nunc autem dicemus de abrenūciatione propriæ voluntatis quæ fit, tum per obedientiā fidei & caritatis, tum per eam quæ libera est, vel omnino, vel saltem in radice voluntatis spontaneè vouentis perfectam obedientiam. Quasi votiua promissione accedente, tunc demum fit plena suiipsius abnegatio. Christus dominus inuitans discipulos salutari suo consilio ad summam perfectionis, dicit: Si quis vult post me venire, abneget Consiliū perfectæ obedientię exprimitur.
semetipsum, & sequatur me. Abneget, inquit, semetipsum, non sua aut suos tantum, sed semetipsum, hoc est propriam arbitrij sui voluntatem: qua nihil homini æquè propriū, Matt.16.
nihil intimiùs, nihil potest esse amabiliùs. Per hanc brutis animātibus præstat, per hāc frui & vti valet, per hanc suiipsius potens suarum actio-

actionũ dominus constituitur: vt agendo bene, laudem mereatur: malè autem, vituperio ac punitione dignus habeatur. Quapropter rectè seipsum abnegasse dicitur, quicunque arbitrij sui libertatem sibi adimit, statuens nihil deinceps pro sua voluntate gerere: sed in omnibus dicere cum Christo. Veruntamen Pater non mea voluntas, sed tua fiat. Atque ex animo præcari. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Nam in cælo nulla est differentia inter iussa Dei, & placita eius: nullaque differentia obeditionum in animabus sanctis sed in omnibus tam obuia tamque amabilis, quàm naturæ vis & dilectionis plenitudo præstare potest. Ne autem istam, de qua loquitur suiipsius abnegationem putet quis pertinere duntaxat ad actiones personales, aut domesticas, aut ciuiles, in quibus non retinent suam voluntatẽ serui sub dominis, aut paruuli sub tutoribus & pædagogis, sed ad altiùs quid pspectet vniuscuiusque cogitatio, ideo adiecit, Et tollat crucem: non quidem meam, sed suã crucem, hoc est, aduersitatem sibi superueniẽtem propter studium virtutis æquanimiter ferat: non tamen sistendo ibi, sed sequatur me per arduam atque angustam illam puræ obedientiæ viam, pede inoffenso animoque infracto, etiamsi minæ occurrant, & persecutiones & flagella, quantumuis amara aut probrosa. Nam ego hac via, atque his exercitamentis præcedo vos versus portum salutis, factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Vis autem nunc scire, qualiter abnegauerit seipsum filius Dei, vt æternum Patris sui beneplacitum adimpleret? Qui cùm in forma Dei esset, inquit Apostolus, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Igitur abnegatio qua Christus semetipsum abnegauit facta est cum ipsius exinanitione, summaque obedientia vsque ad probrosissimum supplicium mortis: adeò quòd nusquam deflecteret à beneplacito Patris, sed semper constans, semperque immobilis obsequutione persisteret. Dicit enim Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Neque descendi de cælo vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Qualia, & plura similis formæ, quis, obsecro, referat ad ea quę per imperium iussa sunt, & non potiùs ad beneplacita Patris, paterno affectu desiderantis siue amantis tale quid in filio? Nam ideo Deũ passim nominat Patrem, passim suam obediẽtiam cum voluntate Dei, vt pater est, componens, ne nos inter Deum & Christum imperatiuum quid somniemus, quale est inter domini nos & seruos, inter iussa illorum, & obsecutionem istorum: sed quod dulcedine duarum voluntatum suauiter coëuntium festiuum atque amœnum est. Quale est inter beneuola propensamque Patris voluntatem, & obuiũ redamantis filij obsequiũ, nihil sibi ob amoris magnitudinem de suo arbitrio relinquentis. Quale etiam esse debet in omnibus, qui imitatione Christi sectantur eam perfectionẽ obedientię quę est consilij Euangelici, ad quã inuitat Christus loco prællegato, dicens: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me. Adiũgens ibidem, Qui enim voluerit animam suã saluam facere, perdet eam, hoc est, conteret omnes affectiones viuendi, quæ diuinis placitis exequendis remoram præstant. Qui autẽ perdiderit, hoc pacto, animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animę verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. Quibus velut calcaribus incitat suos ad consilium abnegationis suiipsius fortiter subeundum. D. Putabam ego verba illa Christi habere vim præcepti, & ad vniuersos pertinere Christifideles. M. Forma dicendi sub conditione declarat nõ dicta esse per modum iussionis, sed doctrinæ aut adhortationis. Quæ quidem doctrina, quadam tenus omnibus necessaria est, & communis. At in sua plenitudine non proponitur, nisi per modum consilij & inuitationis, ijs qui spontanei sunt ad ardua illa perfectionis Euangelicæ cacumina superanda. D. Quo vsque igitur ad omnes, & quo vsque ad perfectionis studiosos? M. Amãs, vt diximus, non remanet suiipsius, sed amati. Debet ergo quisque seipsum abnegare, animamque suam odisse, quatenus id requirunt amati iussa, quæ præcipiendo præcepit. Alioqui suffunditur frigida, rumpiturq; amor. Est quidam gradus diuini amoris, quo Deus diligitur propter se, & super omnia, quo certe minor esse nõ potest. Quẽ vt attingas, omnia tibi & cuilibet abnegãda sunt, quousque impugnãt hunc amoris gradũ. Qui enim amat patrẽ aut matrẽ plus q̃ me, nõ est me dignus, & qui amat filiũ aut filiã super me, nõ est me dignus. Rursum, Qui non expoliat seipsum veterem Adam, qui est de terra terrenus, & induit nouum hominem, qui secundũ Deum creatus

Luc. 22. Matt. 6. Philip. 2. Obedientia qua se Christus abnegauit Ioann. 5. Ioann. 6. Matth. 10 Colloss. 3 1. Cor. 15. Ephes. 4. 1. Cor. 15. 1. Cor. 6.

tus est, vt sit de cælo cælestis. Tertiò qui non curat ablui & sanctificari, & iustificari in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri, ab illis sceleratis & monstrosis malis, quæ enumerat Apostolus, I. ad Cor. 6. Item in quo adhuc regnat peccatũ per opera carnis, quæ enumerantur ad Gal. 5. nec incipit virescere in fructum aliquem Spiritus sancti, de

Rom. 8. Eph. 5. quibus ibidem. Denique qui nõ habet spiritũ Christi, nec fit filius lucis, sed manet filius tenebrarũ, ac Belial, siue operarius iniquitatis, hic nõ attingit ne infimũ quidem gradum prælatæ doctrinæ Christi, vt aliquousque discipu-

2. Cor. 6. lus eius fiat. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Aut quæ conuentio Christi ad Belial? Igitur qui vult venire post Christum, debet in primis abnegare quod erat quatenus Christo aut veritati, aut diuinis iussionibus aduersatur. Debet præterea & id quod sequitur præstare, nẽpe, Qui non tollit crucem suã, & sequitur me, non est me dignus. Sequitur, inquam, saltem hactenus, vt malit cuncta tormẽtorum genera, & qualiacũque incommoda sufferre, quàm ad vetustatem in Baptismo depositam redire, quàm nouitatem in Christo inchoatam non prosequi, quàm vel minimum contra Dei iussa attentare. Porrò prosequi antedictam Christi sententiam secundum intensum ac eminentem caritatis gradum, quem ipsemet præeundo prosecutus est sic abnegando te vt etiam in licitis tibi tuum arbitrium deneges, nec vlla carnis repugnantia patiaris animi tui obsequium diuelli a placitis Dei, etiamsi tantummodo consulta fuerint aut vt te sponte offeras ad fũctionem Euangelij, quam certo certius manet discrimẽ vitæ: aut ante tribunal tyrannorum prodeas necdum citatus, acclamando, Christianus sũ. Quo sanè genere seipsum abnegare, ad summam perfectionem vitæ Euãgelicæ pertinet. Nec iniungitur cuipiam, sed velut eximium quid atque præcellẽs cùm verbo Christi tum exemplo suadetur vniuersis: persuadetur verò fide illustribus, ac præcellenti caritate ardentibus. Et vocatur perfecta obedientia vocis diuinæ siue verbi Dei, longè & quasi genere distans ab ea quæ vocatur præceptorum obedientia, tantummodo imperium & iussio-

Qui potissimum claruerunt perfecta obediẽtia Abraham

nes respiciens. Claruit autem hac præracta obedientia in primis pater Abrahã credens, & obediens Deo, adeò vt eius placitis posthaberet & patrem & patriam, & omnem cognationem, filium denique vnicum, paratus peregrinari in terra aliena peregrinationem laboriosam & perdifficilem, vsque ad finem vitæ suæ, quẽadmodum clarè patet in libro Geneseos

Rechabitæ. per multa capita. Deinde Rechabitæ, de quibus diximus. Filij itidem Prophetarum illu-

Filij prophetarum stres facti sunt in scripturis, quòd abnegata propria voluntate subderent se per omnia obedientiæ vnius, qui spiritu prophetico ceteris clarior erat, idque in admiranda rerum indigentia, & vitæ abstinentia, vt legere est, 4. Reg 4. In nouo autem Testamento ante omnes claruerunt hac perfecta obedientia fidei

Apostoli. nostræ duces Apostoli, qui dimissis omnibus, firmiter adhæserunt doctrinæ Saluatoris in omnibus tam consultis quàm iussis, vti liber Lucæ de actis Apostolicis, & fidæ insuper historiæ vitæ singulorum luculenter testantur. Post Apostolos verò eodem genere perfectæ

Primitiæ credentiũ obedientiæ valdè eminuerunt primitiæ credentium, supra quos cecidit igneus ille Spiritus sanctus in die Pentecostes, de quibus scribitur Act. 2. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus. Nota quòd dicit. In doctrina Apostolorum. Itaque in omnibus quæ ab Apostolis velut consona pietati Euangelicæ docebãtur, ad omnia admirãda quadam animi prõptitudine aduolantes, nihil vltrá cogitantes de rebus, de solita agendi libertate, de vita denique conseruãda. Omnia enim abnegabant; omnia longè Christo posthabebant, inhærentes perfecta obedientia doctrinæ susceptæ. Post hos surrexerunt

Agonothetæ Martyrũ sanctorum Martyrum innumeri, qui velut antesignani & agonothetæ sponte prosiliebãt ad agones fidei, abnegantes vitam propriam, & prorsus omnia, nedũ suæ voluntatis libertatem, quo sanguine testimonij sui & veram religionem illustrarent, & falsam obscurarẽt, & suos insuper commilitiones præeũdo ad agones sacros inflammarent. (De illis hoc loco nõ loquor, qui adducti in medium, vt aut negarent aut mortem subirent, fortiter elegerũt mori magis quàm negare: quia hoc est

Luc. 12. necessariæ obedientiæ dicente Christo: Qui negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei) Nec inferiores fuerunt in hac perfectione luminaria illa magna Confessorum, potissimùm quos Philo Iudæus, anteà autem Apostoli vti Dionysio placet, θεραπευταὶ καὶ θεραπευτρίδες, hoc est, cultores & cultrices vocabant. Qui inherentes vestigijs Ioãnis Baptistæ, quo non surrexit maior inter natos mulierum, secessus quærebant in montibus, in speluncis & cauernis terræ, adeóque seipsos abnegabant, vt ne summis quidem necessitatibus naturæ satisfacerent, ob intensum mortificandæ carnis studium, solo pane, aut soli radicibus herbarum, alijsue siluestribus fructibus incitantes magis quàm

quàm refocillantes famem, quibus terra pro lecto, solitudo pro paradiso, cilicium, aut aliud magis vile pro indumento erat. Lege precor quæ Philo Iudæus libro de vita contemplatiua: quæ Hieronymus, quæ Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes, & libro de vita Antonij eremitæ: quæ alij vetusti illustrium eremitarum mentionem facientes scripsere. Fuit autem & hoc genere abnegationis suiipsius, siue perfectæ obedientiæ mirè illustrata Ecclesia sub D. Basilio Magno in Græcia, sub D. Hieronymo in Palæstina, sub D. Augustino in Africa, sub D. Benedicto in Italia, sub D. Martino in Gallia, ac longe postea sub S. Dominico in Hispania, & S. Francisco in Assisio, viris sanctitate & miraculis admodum claris, vt ex illorum scriptis quo ad aliquos, claris item historijs, maximè autem ex permanente in hodiernum vsque diem eorū propagine, luce clariùs constat. Nam extant monasteria sine numero, in quibus posthabita ea, quæ non ex Patre, sed ex mundo est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ, firmissimo animi decreto subijciunt se singuli obedientiæ gubernationem tenentis; adeò vt nihil in otio aut negotio, nihil in vsu rerum aut abstinentia, nihil in consuetis peragendis, nihil in nouis inchoandis attentent sine scitu & placito superioris vicem Dei gerentis. Quales profectò meritò vocandi sunt iuxta Esaiam Sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum: eò quòd in ipsis nōn est facere vias suas, nec inuenitur voluntas propria in eis. Et hi quidem sic per votiuam professionem in conuentibus monasticis pulcerrimè exprimunt Euangelicum perfectæ obedientiæ consilium. Quod nihilo minus faciunt & alij quàm plurimi, singuli seorsum in loco habitationis suæ. Vt fecit beatissima Elizabeth filia regis Hungariæ vxor Lantgrauij Thuringiæ, multò illustrior virtute & miraculis, quàm sua regia prosapia esse potuit, obligans se per votum ad præstandam perfectam obedientiam in omnibus quæ fidei & religionis sunt M. Conrado. Non sanè ignota est, neque ab incognitis seculis vel finibus petita historia. Claruit enim hæc sancta mulier innumeris miraculis, vsque ad suscitationem mortuorum, anno 1230. in Hassia nobis vicina.

Perfecta obedientia in monasterijs.

1. Ioan. 2.

Esa. 58.

De diuersis gradibus obedientiæ ex parte illorum quibus est obediendum. CAP. XXI.

M. 

Onne homo vt varias habet conditiones, ita variè intelligi ac considerari potest? D. Omnino. Nam aliquādo intelligitur homo vt creatura Dei, subsistens per Deum, & in Deo. Aliquando vt inops & omnium egenus, sicuti reuera in seipso est. Aliquando vt renatus ac filius Dei, redemptus item & libertate donatus, quales sunt boni Christiani, aliàs quoque alijs modis. M. Rectè. Iuxta hanc autem cōsiderationis varietatem licebit intelligere varias rationes ac gradus obedientiæ ex parte eius cui obedire debemus. Nā homo vt creatura debet obedientiam Deo tanquam creatori, vtque omnium egens Deo tanquam omnium donatori, eodem iure naturæ, quo vniuersa tam animata quàm inanimata. Et quidem magis quàm illa: quòd ipse vniuersis sit natura & cognitione multò præstātior. Quapropter meritò illi non præstanti improperat Scriptura dicens: Generatiò praua atque peruersa, hæccine reddis domino popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Et illud: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem non cognouit, & populus meus non intellexit. Cuiusmodi quanquam ad literam pronunciauerit Esaias in populum fidelem Iudæorum, rectè tamen in omnes dicta intelliguntur. Omnes enim sunt factura & figmentum Dei, omnes alumni eius. Aperit enim manum suam, & implet omne animal benedictione. Deinde homo, vt imago Dei, natura felicitatis æternę capax debet fortiori ratione obedientiam, vti Deo auctori salutis, ita omnibus quæ Deus salutis causa ordinauit; & proinde in primis Christo & Euangelio eius, post mysterium redemptionis nostræ potenter complet ū in sanguine ipsius. Ideoque debet se quisque necessariò subijcere Euangelio salutis, vbi ei sufficienter annunciatum fuerit. Quia non est in aliquo alio salus. Non est enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: quàm illud gloriosum nomē Iesu Christi, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Ad quam certè obedientiam tenetur homo, tantò strictiùs, quantò vita corporis salus animarum potior est atque pręstantior, neq; minꝰ necessaria ad finē creationis nostrę. Porro homo vt filius Dei, factus iam regeneratione noua creatura in Deo, debet deo obedientiā qualem filius patri, & non solùm qualē creatura creatori, aut mente Dei capax, illi, cuiꝰ imaginē gerit (Quarū illa instinctū naturale, ista rationis iudiciū consequitur) Et quidē obedientia filialē tāto honorificetiorē ama uoreq; quātō præstatioꝰ hon.ū patri maiesta-

Deut. 32.

Esai. 1.

Psal. 144.

Act. 4.

Rom 3.

Christianus debet Deo obedientiam filialem.

te,

Prouer.23 Malac.1. te, & melioris immo vtriusque vitæ pater esse cognoscitur. Hinc illud, Præbe fili mi cor tuum mihi. Rursum illud, Filius honorat patrem: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Hoc est, si tu filius meus es, & ego Deus, tuus pater, subdas te mihi amanter, & ex corde, vt honor mihi sit ex te & oblectatio. Honor autem patris est summissio filij eum veneratione. Hinc Israëlitis improperatur. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autē spreuerunt me. Hinc denique cōparatio illa, quam profert de mandato Domini Ieremias, Israëli ostendens filios Rechabitarum obediuisse patri suo Ionadab filio Rechab in ijs quæ pene contra naturam erant: Israëlem verò non audiuisse vocem Domini loquentis: vocatum insuper non respondisse, licet vt filius primogenitus & prælectus enutritus fuisset à Deo & exaltatus. Ad hæc homo vt est emptus atque redemptus à Christo, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso ac intimo sanguine redimentis, adeoque vita ipsius: non etiam à temporanea quadam seruitute, sed ab æterna: neque in vllum redimentis commodum, sed ad solius redempti salutem ac felicitatem, debet haud dubie pro eo redemptori suo Chisto specialem aliquam & eximiam obedientiam. D. Quantam, prçcor, & qualem? M. Multò sanè maiorem quàm homo homini debere potest: imò tantam ac talem, adoptatus filius meritò qualē Deo patri adoptanti debet. Ratio est, quia redemptione Christi efficimur filij Dei patris, & hæredes ipsius, cohæredes autē Christi. Neque egent ista probatione, certa enim sunt. D. Ac alijs locis abundè satis demonstrata sunt. M. Gaudeo quòd memineris. D. Procedat itaq; inductio. M. Præterea homo transiens de Iudaismo, aut Gētilium idololotria ad gremiū Ecclesiæ sanctæ, iamque in ea regeneratus concepto semine Spiritus sancti, haud dissi militer atque infans in vtero materno, debet ipsi Ecclesię obediētiam, qualem filius matri egrediens de vtero ipsius, itaque obedientiam filialem. D. Ergo Christianus talem debet obedientiam Ecclesiæ, qualem Deo ac Christo. M Vtique talem: quia sponsa Christi est Ecclesia, & mater nostra: sed non tantam, quia Christus caput est Ecclesiæ, & saluator corporis eius, quem & Deus dedit caput supra omnem Ecclesiam, in regendo, in viuificando, in prouehendo. Maior ergo obedientia debetur Christo quam Ecclesiæ. attamen vtrique similis, quia vtriq; filialis. Nec tamen quouis affectu filiali, aut in quibusuis negotijs est obediendum Ecclesiæ, sed affectu nouæ illius creaturæ in quàm

Esa.1.

Ierem.35.

1.Pet.1. Homo debet Christo redēptori obedientiam qualem Deo.

Rom.8.

Obedien dū ecclesię obediē tia filiali.

Apoca 21 Gal. 4.

Ephes.1.

cælitus renatus es, qua & Christianus existis, atque in ijs duntaxat quæ sanctificationem hominum, & Ecclesiasticam hierarchiam cōcernunt. D. Et qua tandem ratione tenemur obedire Præpositis Ecclesiæ? M. Eadē qua Christo, & Ecclesiæ sponsæ eius, quaque filius aut filia familiâs illi, quem pater & mater præesse voluerunt. Eadem quippe est mādantis & mandatarij auctoritas, dicente Apostolo: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Itaque & Apostolorum functio & nostrorum præsidentium in Ecclesia non alia quam Christi auctoritate nititur. Quod & Christi verba significāt, quibus dicit. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Quibus insuper nominat Præpositos Ecclesiæ potissimùm consessu vnitos, ipsam Ecclesiam, dicens: Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Licet autem eadem sit mādantis & mandatarij auctoritas, est tamen potior in illo quàm in isto. Iuxta illud Aristotelis: Propter quod vnum quodque tale & illud magis. Ideoque in primis Dei ac Christi mādatis, ac deinde piis hominum constitutionibus est obsequendum. Enimuerò ita est natura comparatum, vt inferiora per superiora regi debeant, per illa subsistere, per illa perfici, vtque media medio quodam modo sese habeant, ad superiora quidem submissiuè, ad inferiora gubernatiuè. Hinc obeditionū quæ superioribus debentur, illa, qua obediendum est supremo, ex quo, per quod, & in quo sunt omnia, summè & præ omnibus stringit. Qua verò medijs, non ita obligat, quòd medijs nō sit obtemperandum, nisi quatenus eum superioribus cōsentiunt. Proinde cùm aliud rex, aliud iussierit prætor: aliud Consul, aliud Proconsul, spreto hoc, illi obtemperandum est. Et cùm aliud natura, aliud mandaret auctor naturæ, Abraham laudabiliter contra ius naturæ tentauit immolare proprium filium, quia sic præceperat auctor naturæ. Cumque aliud iuberent pontifices & magistratus Iudæorum, ad aliud Deus, iustissimè respondit Petrus. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Quemadmodum enim sol super ueniens reliqua astra obscurat, & velut de medio tollit: ita supremorum iussio, mediorum potestatem eliminat aliud volentium. Nec inter obedientias, sed magis inter corruptelas est computanda ea, qua æquè aut plus obeditur illis, penes quos minor est imperandi potestas. Quapropter omnes traditiones humanæ, quę diuinis aduersantur, sunt iniquæ, & de medio tollendæ, nec vlla eis potest impendi nisi præpostera & irrationabilis obedientia. Vn-

Obediendum præpositis eadem ratione qua Christo & Ecclesiæ, 2.Cor.5.

Luc.10.

Matt.18.

Magis superioribus quam mediis obediendum

Act.5. Corrupte la est obedire æquè aut magis hominū constituti onibus atque mandatis Dei. Matth.15.

tia. Vnde merito reprehẽsi sunt Scribæ & Pharisæi à Dño dicente: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nã Deus dixit, Honora patrem & matrem. &, Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Quod est ordini contrariũ, & ab omni politia eliminandum. Quoniam autem Ecclesia catholica adeò per orbem latè est diffusa, vt sub hierarchia sua comprehẽdat primùm regiones & prouincias, diœceses & parœcias, atque in his varia collegia & monasteria, velut familias quasdam sibi inuicem subordinatas, præfecit singulis singulos ministros verbi & gubernatores sibi inuicem similiter subseruientes. Prouincijs quidem Archiepiscopos, diœcesibus Episcopos ac Præpositos, parœcijs verò pastores Episcopis subsidiarios, collegijs denique Decanos, monasterijs verò Patres, in alijs alio nomine appellatos. Multis autem prouincijs Patriarcham, toti denique hierarchiæ, omnibusque simul ordinibus Ecclesiæ vnum, quem summũ Pontificem appellamus, qui & pastor vniuersalis est, secundum Scripturam, omnium agnorũ ac ouium, Petri successor, Christi vicarius. Vt hoc pacto omnis Ecclesiæ partitio atque diffusio in ordine constet, ordineque ad vnum principium relata, vna permaneat, citra scissuram ac turbam. Qualis scissura ac turba non potest non esse, quando infimi aut subijciuntur supremo, medijs prætermissis, aut ad alienam transmittuntur obedientiam, aut aliàs suo Ordinario superiori subtrahuntur. Vt fit per exemptiones, vniones, dispensationes, nõ necessarias, aut ad ædificationem Ecclesiæ inutiles. D. Quomodo? Nã de illis paulò explicatiùs audire cupio. M. Non est huius loci, nec capite vno fieri potest, volumen requirit, quale sedulò meditamur, aliquando id ad tuam aliorumq; vtilitatem edituri inscriptũ de Ordine, & quatuor libris distributum. Vnum autem quod vetusti dicere solent superaddam, videlicet, Principium malorum multitudo: principium verò bonorũ vnio siue vnitas. Quapropter multa nisi ordine recurrãt in vnum, diu firmiterque consistere non possunt. Ordine consistunt orbes cælestes: adeo vt vnum corpus efficere videantur. Ordine mẽbra multa in vnum corpus suauissima quadam harmonia coëũt. Ordine totius vniuersi machina, vpius velut animati corporis formã gerit. Voluit itaque & Christus suam Ecclesiam ordine constare ministrantium & obedientiũ. Adeò vt populus clero, clerus verò vni subesset primati Ecclesiæ. In clero infimi Archidiacono & sacerdoti, illi Episcopo, Episcopus Archiepiscopo, Archiepiscopus Patriarchæ, ille summo Pontifici, summus autẽ Pontifex Christo & Deo, populus denique his omnibus: & inter hos speciatim illi, cuius parœciæ connumeratur. Itaque singulis quo maior est eorum prælatura siue præsidendi potestas, eò magis ac accuratiùs ipsis est obediendum: habita semper vnitatis ratione, ne fit schisma in corpore Christi, quod est Ecclesia. Est autem & hoc summopere laudandum, vt quisque consentiat cum alijs suæ communitatis, non solùm in doctrina, verùm etiam in moribus vsu receptis, tametsi nonnunquam parum momenti habeant, sic an aliter fiant: tum ne percutiant infirmas pusillorum conscientias, néue cuiquam, etiamsi foris sit, offendiculo fiant: tum vt vnitas constet & concordia inter fratres, vt idipsum dicant teneãtque omnes. Qualia admodũ exactè docet Apostolus Corinthios dicens: Si quis viderit eum, qui habet conscientiam, in idolo recumbentem, nõnne conscientia eius cùm sit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autẽ peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meũ, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Deinde Philippenses fratres sermone pleno affectibus dicens: Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idẽ sapiatis, eadẽ caritatẽ habẽtes, vnanimes, idipsum sentientes, nihil per cõtentionẽ, neq; per inanẽ gloriã, sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes, nõ quæ sua sunt singuli considerantes, sed & ea quæ aliorum. Si verò ad aliam cõmigret quis parœcesim aut diœcesim, etiam illius receptas consuetudines insequi debet, & easdẽ ob caussas. Super quo cùm consuluisset Augustinus Ambrosium Episcopũ Mediolanensem respondit ille, Cùm sum Romæ ieiuno in sabbatho, cùm hic sum non ieiuno: Igitur & tu Ecclesiæ ad quam forte veneris, consuetudinem obserua, si neque tu cuiquam, neque quenquam tibi scandalo esse velis. Quòd responsum loco diuini oraculi Augustinus semper habuit: vt ipse testatur in epistola ad Ianuarium. Verùm de his alio loco fusiùs locuti sumus. Hactenus de gradibus obedientiæ qui surgũt ex parte eiuscui obediendum est. Nunc verò dicamus aliquã

1.Cor. 8.

Philip. 2.

Aug. epist. 118.

tulum de ijs gradibus qui surgũt ex parte obedientis.

De gradibus obedientiæ ex parte obedientis.
CAP. XXII.



M. Ollegit D Bernardus & alios gradus siue differentias obedientiæ, ex parte eius qui obsequitur, quos tibi hoc loco subijciam, magis illius quàm meis verbis, sed succinctiùs. Pri-
Psalm. 53. mus est obedire voluntariè, iuxta illud: Voluntariè sacrificabo tibi. Quasi diceret, Non expectabo donec minis exactus aut pœnis
Psal. 107. fuero: quin potiùs, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, vt faciam libenter quæcunque iusseris. Sola voluntas est quæ totius operis ornat effectum, sine qua nec bene aliquid agitur, etiamsi bonum esse videatur Ex voluntate itaq; suscipienda sunt iuperia Prælatorum, & ipsum cor à suis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata mandatum diligat imperantis. Secundus gra-
Psalm. 17. dus obedire simpliciter, vt sit verum, In auditu auris obediuit mihi. Quia post voce Dei, vel vicè Dei gerentis nulla replica, multo minùs autem duplica aut triplica esse debet in mente aut voce subditi querulantis, cur quarèr quam ob rem hoc magis quam illud? aut nunc potiùs quàm aliàs? vel, cur magis ego q̃
Prouer. 22. ille, qui obligatior est, aut me validior? vel vt dicit piger, Leo est foris, in medio plateaȓu occidendus sum. Cuiusmodi querulis vocibus abstinendum est, vt voci superioris simpliciter obsecundet voluntas inferioris. Tertius est hilariter, & non quasi ex tristitia aut
2. Cori. 9. necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Serenitas in vultu, dulcedo in sermone multum decorant obedientiam obsequentis. Vnde & Gentilis ille Poëta, Super omnia vultus accessere boni. Contrà nubilosa compositio corporis, & facies tenebris obsfuscata tristitię deuotionem obediendi ab animo recessisse testantur. Quis autem locus gratæ obedientiæ, vbi tristitiæ cernitur ægritudo? Quartus
Psal. 118. gradus est obsecundare velociter, ac velut fe-
Luc. 19. stinanti studio. Vt Propheta fecit, dicens: Viá mandatorum tuorum cucurri. Et Zacchæus Euangelicus: is enim cùm audisset a Domino, Zacchæe festinans descéde, quia hodie in domo tua oportet me manere, festinans descendit, & excepit illum gaudens. Quam ob causam audire meruit, Quia hodie salus domui huic facta est. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, manus operi, itineri pedes, totúque se colligens, vt imperantis velocissimè colligat voluntatem. Quintus gradus adimplere viriliter, prout Psalmista ait: Viriliter agite, & cō-
Psalm. 30. fortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino. Si tribulatio, aut persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si mali gni tuum iter impediunt, aut caro resistit, tu obedientiæ viam non deseras, sed dic cũ Psal
Psal. 118. mista: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Iunge igitur velocitati obedientiæ animæ etiam fortitudinem in exequendo, & tunc decantabis securiùs, Ma-
Psalm. 35. nus peccatoris non mouebit me. Sextus gradus, obedire humiliter, vt post hilarem, celerem, fortemque obeditionem tuam, sit semper & intus, & foris in voce illud, Serui inuti-
Luc. 17. les sumus, quod debuimus facere, fecimus. Quantulum enim est præstitisse obedientiam eiui illi, cui me meáque omnia debeo, sine quo nihil sum, nihil habeo, nihil valeo, à quo nihilominus spe certa quę non confundit expecto, quod ipse est, quod habet, quod potest
Roma. 5. est autem omnia, & potest omnia, eritque omnia in omnibus, cum illa quæ mala sunt in nobis expurgata fuerint. Nihil igitur obsequiũ nostrum respectu bonorum Dei, sed magna miseratio eius est, nos in iniquitatib' nostris consumptos non esse: Quodque in humilitate nostra memor fuerit nostri, ipse qui fecit
Threa. 3. nos. Septimus gradus est obedire perseueran-
Psalm. 135. ter. Qui enim perseuerauerit vsque in finem,
Matt. 10. hic saluus erit. Non autem qui incepit, aut
& 24. aliquousque bonum perduxerit. Quid enim currere prodest, & ante metam deficere, aut
Ezech. 18. deflectere? Nonne per Ezechielem dixit Dominus, Si auerterit se iustus à iustitia suá, & fecerit iniquitatem secundũ omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vi uet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur in præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur. Sic curríte vt cōprehendatis, quo tandem dicere liceat cum Apostolo, Cur
1 Cor. 9. sum consummaui, fidem seruaui, in reliquo
2. Tim. 4. reposita est mihi corona iustitiæ, quá reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Inter hos obedientiæ gradus non commemorat Bernardus eam quàm Archiapostolus obediẽtiam caritatis appellat: & quidē cordatè, perpendens eam in singulis debere concurrere. Quocunq; enim gradu obedientiæ fulgeam si caritatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest, scilicet ad meritum vitæ, & gratiā retributionis diuinæ, vt latè deducit Apostolus, 1. ad Corinth. 13.

Quam habeat obedientia promißionem in Scriptu-

Scripturis potissimum libera, quæ inter consilia annumeratur. CAP. XXIII.

D. AN Scriptura tribuat liberæ atque perfectæ obedientiæ vim aliquam eximiam & specialem bene merendi de Deo? M. Magnam, Fecit enim huiusmodi obedientia Christum sublimem super omne quod nominari potest, dicente Paulo: Propter quod (nempe, quia factus erat obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis) & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Fecit præterea Ioannem Baptistam esse plus quàm Prophetam, imò Angelum Dei ante faciem Messiæ, ac tantum, vt non surrexerit eo maior inter natos mulierum, vti habes Matth. 11. Fecit & Apostolos iudiciaria potestate eminere super omnes alios, ipso Christo promittente, Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me (nempe obedientia perfecta, non aliud q̃ hoc vnum repetens, Qui secuti estis me, quasi vnum hoc eos tanta euectione, qua sublimandi prædicantur, dignos reddiderit) vos, inquã qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Ecce perfecta obedientia facit hominem quasi Deum, ac iudicem aliorum cum Christo, eodẽ sublimatum quò Christus. Nónne Zacchæus natura pusillus, sed obediendi promptitudine magnus, quia obediuit voci Domini festinãs ac gaudens, ideo audiuit à Domino, Quia hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ? Nónne qui vocatur Abraham, quando fide obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, nesciẽs quo iret, & fidei, & omnium credentium pater appellatus est? Cumque obediret offerre Filium suum vnigenitum, nónne Dominus iurauit per semetipsum ei dicens: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semẽ tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuũ portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Insuper Rechabitarum obediẽtia quàm magnificè remunerata sit latè exponit Ieremias propheta, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, Pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. Quid autem præstet fidei ac caritatis obedientia, quæ & ipsa inter consilia Euangelica est annumeranda antea diximus. Ipsa enim & non alia facit hæredem, ciuem, & alumnum regni cælorum, quòd per eam solam impleatur voluntas Dei patris, vt Pater est. Nihil ferè commendatur in Scripturis velut diuina munificentia dignum adeò atque victimæ & holocaustum: attamen melior est obediẽtia quàm victimæ secundum Scripturã, 1. Reg. 15. Quia vt Gregori⁹ inquit per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quisque Deum citiùs placat, quantò ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat. D.

Philip. 2. Quam exaltet hominem obediẽtia.

Matt. 19.

Luc. 19.

Heb 10.

Gene. 22.

Ierem. 35.

Greg. lib. 35. Moral. cap 12.

Nónne Christus victima erat mundũ Deo reconcilians? Nónne Propheta ait, Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, addens: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies? M. Vtique. D. His autem victimis an maior sit obedientia nostra? M. Nequaquam. Nam & talium victimarum potissima pars, odorque suauissimus est ipsa obedientia. Nã Christus factus obediens vsque ad mortem, post triumphatum hostem veritatis, obtulit se victimam pro mundi vita. Et spiritus contribulatus quid aliud est, quàm obedientiæ per pœnitudinem resumptæ feruens ac sacra oblatio? Propheta autem Samuel loquens Sauli Regi comparationẽ facit inter victimas & obedientiam separatim positas, nec respicit ad internas, sed externas victimas, reprehendẽs Saulẽ, q̄ obedientia seposita, voluerit placare Deũ mactatis bob⁹ ac alijs de præda capta, in victimã. Victima enim propriè hostia est, quæ post victoriam dextra victrice immolatur, dicente Ouidio.

Quibus victimis præferatur obedientia.

Victima quæ dextra cecidit victrice vocatur.

Et de huiusmodi victimis loquitur textus. Saul enim rediens victor de cæde Amelechitarum erexit sibi fornicẽ triumphalẽ immolaturus victimas pro parta scilicet victoria, dicens ad Samuelem. Tulit de præda populus oues & boues primitias eorũ, quæ cæsa sunt, vt immolet domino Deo suo in Galgalis. Et ait Samuel, Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatũ ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo q̄ abiecisti sermonem Domini, abiecit te, ne sis rex. Victimæ & holocaustomata grata esse non possunt,

 nisi

nisi quatenus deuoto & obediente animo offeruntur. Iure igitur ipsis præponitur obediētia. Nam etiamsi omnia tua pauperibus dederis, reque ipsum tradideris in martyrium, nisi ea per obedientiā retuleris ad implendā Dei patris voluntatem, non magis grata sine meritoria erunt, quàm si facta fuerint absque caritate, cui intima & indiuidua est sancta obedientia. D. An omnis obediētia sit cultus Dei pertinens ad religionem? M. Dicā paucis per distinctionē. Omnis obeditio procedit ex reuerentia, qua cultus atq; honor impenditur. In quantū igitur procedit ex reuerentia erga Prælatos, cōtinetur quodāmodo sub obseruantia. In quātum verò ex reuerentia erga parentem sub pietate. In quantū denique ex reuerentia erga Deum Opt. Max. sub religione, pertinens ad deuotionē, actū principalem religionis. Quo etiā referēda est obediētia quę præstatur homini ea ratione, quia legatione fungitur pro Deo in mandando & præsidendo. Obedire autē religiosè Deo & vicē Dei gerentibus, cultus est gratissim^9, ac proinde multò laudabilior, quàm offerre illi externā victimam.

De monastica & eius partibus. C A. X X I I I I.

M. Voniam autem monastica religio consilijs Euangelicis vita exprimēdis potissimùm insistit, ipsa naturā consiliorum redolens, nō abs re fuerit hoc loco paululum abstergere calumnias & maledicta, quibus admodum respergitur peneque suffocatur. D. Optimè. Nam quidam submurmurant in monasterijs reditionem fieri ad infirma & egena mūdi elementa ideoq; velut mala submouēda esse. M. An malā esse potest, cuius omnes partes bonæ sunt? An non prorsus Euangelicum, cuius singulæ portiones in Euangelio conscriptæ, laudatæ, consultæ inueniuntur? Sunt autem primariæ partes monastices, contigentia, paupertas, obedientia. Quorum si quodque bonum est, miram vim habens præcellentis virtutis Euāgelicæ, vt Scripturis antea demonstrauimus, nec repeti debet: meritò duo simul iuncta meliora erunt & efficaciora. Iuxta illud Sapientis: Si duo simul fuerint mutuò fouebuntur. Porro tribus contextis, fit funiculus triplex, qualis iuxta eundem Sapientem difficile rumpitur, fit & holocausti victima omni suauitatis odore gratior. Nam mente virgineus, aut probè continens, & simul spiritu perituris rebus maior, omnia velut stercora despiciens, suique, vt totus sit Dei, abnegator per fidem & caritatem erga Deum: primum efficitur

Malum non est cuius singulæ partes bonæ sunt.

Eccles. 4.

omni munitione inexpugnabilior, quasi virtus quædam viua in Deo: & quidem virtus armata, si adsint quæ in instituto monastico adesse debent nimirum abstinentia, vigiliæ, ieiunium, orandi psallendique studium, lectio sacra, disciplina, pars nulla temporis vacua sine opere. Cuiusmodi adeo sunt cognata monasticæ, vt sine illis monachus sit hoc ipsum quod corpus sine spiritu, arx sine portis ac propugnaculis, auis implumis, sepulchrum dealbatum. Secundò efficitur holocaustum medullatum Deo, de quo Propheta, Holocausta medullata offerā tibi. Inter holocaustū autem & sacrificium hoc interest, quòd omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium holocaustum. In sacrificio pars pecudis, in holocausto verò totum pecus offerri solet. Vnde holocaustum latina lingua totum incensum dicitur. Cùm igitur electum quid de rebus tuis, aut de teipso omnipotenti Deo offers, sacrificium est: cùm verò temetipsum Deo deuoues, offerendo illi quod es, quod habes, quod potes, in primis cor contritum & humiliatum, deinde propensam voluntatem ad obediendum, & omnem, quam præstare vales in opere Dei, functionem, reuera holocaustum est, velut adipe de spiritu fidei & dulcium lacrymarum pinguedine ab ardore cordis intinctum. Hoc autem modo seipsum offert monachus per votum, dum abnegatis quæ mundi sunt, quæ carnis, aut oculorum, quæque ad superbiā vitæ pertinent, se obstringit ad ea quibus & spiritus liquescit in Deum, & caro in seruitutem spiritus redigitur, & amor mundi extinguitur, nempe ad continentiam, obedientiam, & paupertatem, iuxta modum monasticæ regulæ in Ecclesia comprobatæ. Efficiturque reuera sacrificiū medullatum Deo, dummodo adsit cogitatio bona in opere, & recta intentio in cogitatione ex spiritu fidei ignescentis in corde. Nam de his qui quod bonum est perperam faciunt, nihil loquimur. Olim nomine Nazaræorum appellati seipsos vouebant Deo, quod est super omne votum, vt Origenes inquit. Nam filium offerre, vel filiam, aut pecus, aut prædium, hoc totum extra nos est. Semetipsum Deo offerre, & non alieno labore, sed proprio placere, hoc est perfectiùs, & eminētius omnibus votis, quod qui facit, imitator est Christi. Hæc ille. Nazaræus itaque efficitur omnis bonus monachus, id est, sanctus siue consecratus ac separatus Deo, vtique in hoc Christo redemptori suo sociatus. At tu an censes monasticen malam esse? D. Minimè, Verùm sic agere, quomodo monachi, nū reditio quędam est, vt dicunt, ad infirma egenaque

Per monasticen sit homo velut virtus armata.

Per monasticen efficitur homo sacrificium medullatum Deo. Psalm. 65.

Quomodo offerat seipsum monach^9.

Orig homil. 24 in per Numeros.

naque elementa? M. Si quæ diximus, videli-
cet, abstinentia vigiliæ, ieiunium, orandi psal-
len[illegible] studium, [illegible] disciplina, pars
nulla temporis vacua [illegible] opere Dei inter ege
na elementa annu[illegible], admodum
malè docuit Saluator dicens: [illegible] oporte
Luc. 18. tet [illegible] orare, & non deficere. Et alibi, Vi-
Matth. 26 gilate, & orate ne intretis in tentationē. Rur-
Matth. 17 sum, Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur,
nisi per orationem & ieiunium. Admodū ma
2. Cor. 6. lè Apostolus dicens: Exhibeamus nos sicut
2. Cor. 11. Dei ministros, in multa patientia, in vigilijs,
in ieiunijs, in castitate. Et iterum, In vigilijs
2. Petr. 1. multis, in fame & siti, in ieiunijs multis. Admo
dum malè Petrus cùm dicit, Vos autem om-
nem curam subinferentes, ministrate in fide
vestra virtutem: in virtute autem, scientiam: in
scientia autem, abstinentiam. Ecce omni cura
secundum Petrum subinferenda est abstinen-
tia. Admodum denique malè docuit Iacobus
Iacob. 5. dicens: Tristatur autē aliquis vestrûm? Oret:
Aequo animo? & psallat. Sed quid tempus te-
ro in re certa? An nos, fili, inter infirma & ege
na computabimus, quæ Christus, & Apostoli
eius velut sancta & efficacia virtutis colendę
exercitia nobis proposuere? Hæc autem cū
illis tribus eximijs virtutibus continētis, spō
tanea paupertate, obedientia, verbo Dei con
sultus, sunt præcipua quæ monachismum con
stituunt. Quæ reliqua sunt, politiam seu disci
Exercita- plinam domesticam concernunt, vt sit inter
mēta mo- multos vnio, pax, cōcordia, sitque virtuti sua
nastica nō laus, quod verò diuersum est iusta vindicatio
sunt annu- ne non careat. Absit igitur, absit, inquam, ab
meranda omni cogitatione hominis orthodoxi, vt e-
inter ege iusmodi inter infirma elementa computanda
na elemen censeat. D. At Paulus nunquid id dicere vo
ta. luit scribens Galatis in hunc modū. Nunc au-
Galat. 4. tem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti si-
tis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad
infirma & egena elementa, quibus denuo ser
uire vultis? M. Nequaquam non enim po-
tuit veritatis doctor aut sui immemor, aut si-
bi contrarius fieri. Sed loquitur eo loco de Iu
daicis ritibus, & typis veteris legis, qui tum
aboliti erant propter veritatis præsentiam, tū
mortiferi esse incipiebant propter falsitatis
significationem, figurando futurum quod ex
hibitum fuerat. Quibus etiamsi per fidem de
traxeris significationem, tamen infirma sunt,
quia non valent iustificare: & egena, quia non
ipsa, sed quæ Christus instituit, vasa sunt gra-
tiæ diuinæ in nos Christianos transfunden
dæ. Quòd vt certius constet, subdit de certis
ritibus Iudaicis, dicens: Dies obseruatis, &
menses, & tempora, & annos. Dicta itaque
virtutum exercitamenta vt Euangelio docta

atque consulta sunt, ita permagnam vim ha-
bent & mortificandi carnem, & roborandi
spiritum in Deo. Proinde [illegible], ibi
demum valet vigetque vera monastice. Vbi
verò desunt, & hostis habet [illegible]
monasterij intrarunt mundus, [illegible]
carnis, videlicet, ocium, crapula, [illegible]
tia, ibi sane tam tuta consistit [illegible], medi-
cam, monastice, [illegible] inter [illegible] ca-
ne sepulculus, aut inter hostes armatos in[illegible]r
mis. Quòd verò dicunt, [illegible] in
monasterijs quam [illegible], [illegible] inter quos [illegible]
audimus, sed non ob id co[illegible]. Siqui-
dem monasticę porti[illegible] regni cælorum hu Multū pa
ius peregrinationis, quod est Ecclesia. At i- learū sem
psemet Christus comparat [illegible] per etiam
rum sagenæ missæ in mare, & ex omni gene- loc[illegible]tate
re piscium congreganti bonos & malos. [illegible] monastica
areæ in qua triticum est con[illegible] paleis. Matth. 13.
Deinde & Apostolus comparat Ecclesiam Matth. 3.
magnæ domui, in qua sunt vasa aurea & ar- 2. Tim. 2.
gentea, sed & lignea & fictilia: & quædam in
honorem, quædam autem in contumeliam.
Igitur quemadmodum Ecclesia, ita & mona-
sticè pars eius, dum stabit, bonos habebit &
malos, electos & reprobos, perfectos & im-
perfectos, pœnitentes & impœnitentes. An [illegible]
lus conuentus purius institui, aut accuratius
custodiri potuit quam instituit Christus, & cu
stodiuit suum collegium Apostolorum, ipse
præsens, & moderationem eius gerens? D.
Certum est quod non. M. Attamen in illo Fuerūt pa
conuentu Apostolico fuere zelo vindictę suc lear in cō-
censi, qui dicebant, Domine vis dicamus vt uentu apo
ignis descendat de cælo, & consumat illos? stolico.
Fuerunt & ambientes primatum, Intrauit e- Luc. 9.
nim cogitatio in eos, quis eorum maior es- Ibidem.
set. Fuerunt insuper murmurantes. Nam vi- Matt. 26.
dentes discipuli, factum scilicet M[illegible]enæ,
indignati sunt dicentes: vt quid perditio hæc?
Potuit enim istud venundari multò, & dari
pauperibus. Fuerunt desertores, [illegible]nt &
perseuerates. Etenim multi ex discipulis eius
audientes, dixerunt, Durus est hic sermo, nem Ioann. 6.
pe de manducanda carne filij hominis, & bi-
bendo sanguine eius) & quis potest eum audi
re? Et abierunt retro, & iam non cum illo am
bulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim, Nū
quid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Si
mon Petrus, Domine ad quem ibimus? verba
vitæ æternæ habes: Et nos credimus & cog-
nouimus quia tu es Christus filius Dei. Respō
dit ei Iesus, Nonne ego vos duodecim elegi,
& ex vobis vnus Diabolus est? Quid peius
Diabolo? Attamen vnus in conuentu Aposto
lico Diabolus erat. Fuerunt denique inter eos Matt. 27.
pœnitentes, & impœnitentes. Na Iudas post Matt. 26.

traditum Dominum abiens laqueo ſe ſuſpen
dit. Petrus verò poſt trinam negationem pro
greſſus foras fleuit amarè, profluuio lacryma
rum diluens quod timiditate quadam com-
miſſum fuerat. Sic & ceteri ſi quid effuſione
ſpiritus humani peccarant, ilicò audita me-
liori informatione Domini, ab illo reſiliebãt
ſe indeſinenter continentes in diſciplina & o-
bedientia ipſius. Quomodo boni religioſi ſi
quid indignum ſua profeſſione commiſerint,
vt contingit, homines enim ſunt, id mox vel
lacrymis, vel monaſtica diſciplina expiatum
curant. Quid autẽ ſi perſiſtant quidam in ma
litia ſua obſtinati, ſicut perſtitit Iudas vnus de
duodecim? Quid ſi retrorſum abeant lapſi in
apoſtaſiam, quemadmodum abierunt illi, de

Ioann. 6.

quibus Ioannes ſcribens dicens: Ex hoc mul-
ti diſcipulorum eius abierunt retro, & iam nõ
cum illo ambulabant? Nũquid propterea ex-
ecranda ſunt monaſteria, cùm tamen eam ob
cauſſam nemo execratione dignum cenſeat
collegium Apoſtolicum & diſcipulorum? Si
ergo in illo ſanctiſſimo conuentu fuere om-
nes iſtiuſmodi differentię bonorum, malorũ,
fortium, infirmorum, pœnitentium, impœni-
tentium, abeuntium, perſiſtentiũ, meritò non
debemus conturbari videntes domum mona
ſticam omnino non eſſe ſine ligneis & fictili-
bus vaſis, hoc eſt, imperfectis perſonis: imò
etiamſi videamus non eſſe ſine vaſis in contu
meliam paratis, hoc eſt, ſine ijs qui enormiter
mali alijs ſcandalo exiſtunt. Neque in hac pe
regrinatione ſperandum, quòd area monaſte
rij erit vnquam ſine paleis, hoc enim tantum-
modo fiet in conſummatione ſeculi. Nã tunc

Matth. 13. In cõſummatione ſeculi fiet plena ſeparatio malorũ à bonis.

exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de me-
dio iuſtorum, & mittent eos in caminum ig-
nis. Tunc permundabit Dominus aream ſuã,
& congregabit triticum in horreum ſuum, pa
leas autẽ comburet igni inextinguibili. Tunc
duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & vnus re

Matth. 3. Matt. 24.

linquetur. Duo in lecto: vnus aſſumetur, &
vnus relinquetur. Vbi per lectum quietem in
telligere voluit, ſecundum Auguſtinum, non
ſe miſcentium turbis, aut tumultui generis hu
mani: ſed in otio ſeruientium Deo, vt faciunt
monachi vitæ contemplatiuæ dediti. De illis
enim ibidem loquitur Auguſt. Et ſanè etiam
inde vnus aſſumetur, & vnꝰ relinquetur. Quã-
quam autem fieri nequeat vt non ſint paleæ
in monaſterijs: modis tamen omnibus ſata-
gendum, vt ſint tam paucæ, tam penè nullæ
quam fieri poteſt, gratia Dei adiuuante. Ne-
que ſuſcepta monaſtica profeſſione, ob id ſta
tim perfectus efficitur aliquis. Nam monaſti-
cè non eſt perfectio Euangelica, ſed via, ac ſtu
dium ſeu aptum medium enitendi eò, in quo

inuenitur perfectio Euangelica, nempe ad e-
minentem gradum caritatis, qua mens lique-
ſcit in Deum ſi[redacted] vnicè amatum. In quo
ſanè ſtudio omnibus religioſis perſiſtendum
eſt, ne retrocedant, néue ad dextram vel ſini-
ſtrã declin[redacted]t hinc vocatur monaſtica vi-
ta ſtatus perfectionis, non quidẽ adeptæ, ſed
quærendæ per media ad hoc apta ſecundum
Euangelium. Cuius ſi exactam demonſtratio-
nem velis habere, perpende verba Apoſt. ad
Philip. 3. cap. Non quòd iã, inquit, acceperim,
aut iam perfectus ſim (tamen Apoſtolus erat,
quod eſt multò excellentiùs q̃ monachum eſ
ſe) ſequor autem, ſi quo modo cõprehẽdam,
in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Ieſu.
Fratres, ego me non arbitror comprehendiſ-
ſe. Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obli
uiſcens, ad ea quæ ſunt priora, hoc eſt, potio
ra, extendens meipſum, ad deſtinatum proſe-
quor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in
Chriſto Ieſu. Quicũque ergo perfecti ſumus
hoc ſentiamus. Ex qua ſententia Apoſtoli li-
quet, quòd religioſorum & Epiſcoporũ con
ditio non ſit habenda pro Euangelica perfe-
ctione, ſed pro ſtatu quodã tendendi ad per-
fectionem, hoc eſt, per firmum animi decre-
tum perſiſtendi in vno illo, nempe, vt ijs quę
retro ſunt prorſus in obliuionem datis, conti
nuo ſe extendant toto ſcilicet conamine ad
priora, hoc eſt, ea quæ ſecundum profeſſio-
nem præ manibus eſſe debent, & dimiſſis lõ-
gè potiora ſunt. Quod eſt tendere ad perfe-
ctionem, donec deſtinatum ſupernę vocatio-
nis attigerint. Vbi cõtrectatio rerum tempo-
ralium, ibi diſtractio caritatis: vbi cura earun
dẽ rerum, ibi plęrunq; diligendi interruptio:
vbi autẽ magna cupiditas, ibi demũ nulla eſt
caritas. Rurſum, vbi oblectatio quæritur car
nis, ibi venenũ paratur caritati, ac proinde cre
ſcente illa, decreſcit puritatis amor: efferueſ-
cente autem illa in libidinem, nulla prorſus
manet Dei dilectio. Adhæc, qui ſuo confidit
arbitrio, nititur baculo arundineo. Nã lubri-
ca eſt & cæca, atque in malum prona ferè o-
mnis hominum cogitatio. Itaque quo quiſq;
hæc firmius per votum abnegauerit, magiſq;
in obliuionem dederit, extendendo ſe ad po-
tiora illa, quæ monaſtices ſunt propria, eo ꝓ-
piùs ad ipſam Euangelicam perfectionem ac
cedit, qualis conſiſtit in puritate & abundan-
tia dilectionis Dei & proximi. D. Nónne &
nos ad eandẽ perfectionem niti poſſumus vel
extra monaſticen? M. Poſſumus: ſed certiùs
ibi, vbi plura concurrunt adminicula, & pau-
ciora ſunt impedimẽta, vbi ſi tuæ curæ imme
mor ſias, alij tui curam gerunt, alij pro te vigi
lãt, alij tua onera tecũ portãt, ſicut ſcriptũ eſt,

Monaſtice non eſt perfectio Euangelica, ſed via tendendi ad perfectionem Euangelicam.

Alter alteri⁹ onera portate: te exẽplis inuitãt, oratione impellunt, officio deliniunt, vbi ipsi in te, & tu in illis inuicem consolamini per eam quæ in singulis est fidem, quemadmodũ
Rom 1. Paulus Romanis scribens, optat simul consolari in eis per eam quæ inuicem est fidem illorum & suam.

Puram monasticen non debere insimulari hypocriseos aut seruitutis introductæ contra libertatem Euangelicam. CAP. XXV.

D. Dicunt præterea monasticen plus habere hypocriseos quàm puræ religionis, & velut in seruitutem quandam ab Euangelica libertate retrahere. M. Siccine dicunt? Et quam precor ob caussam? D. Quòd color, compositio, materia distincti habitus, secessus item, viuẽdique singularitas, excogitata videantur popularis existimationis captandæ caussa. M.

Quæ est istæc dementia, ne dicam, malitia sic iudicantium? Quid enim æquè conducit vel vnanimitati fouendæ, de qua Act. 2. cap.
Monasticus habitus sua vniformitate valde cõcordiæ seruandæ cõuenit.
vel concordiæ fraternæ stabiliendæ, de qua Psalm. 132. atque communis omnium habitus vniformis, vnicolor, vnius pretij & materiæ, non inuentus ab vtere, sed à patribus acceptus, communis insuper mensa, fercula eadem, eisdem vasis illata, eodemque iure perfusa? Nonne patresfamiliàs, & heri vel domini, quibus cor est in pectore, eiusmodi medijs propulsare student extra suam familiam omnem offensionis & dissidiorum ansam? Elegit sibi præcursor Domini secessum à populo, & siluestrium partium loca horrida pro habitaculo, cilicium de pilis camelorũ pro vesti-
Matth.3. tu, locustas & mel siluestre pro esca. Elege-
4. Reg 1. runt similia Elias Thesbites, & Iudith victo-
Iudith 8. riosa sanctitate bellatrix, nec non vetusti illi
Heb. 11. monachi solitudinis Aegypti, & qui, teste Apostolo, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus nõ erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Sed & Christus habuit singularẽ vestem desuper contextam per totũ. Nequa-
Ioan. 19. quam igitur talium electio aut vsus hypocrisis iudicari, debet: nam illi fuère per hæc toti mundo sanctitate venerabiles. Quòd autem ante annos mille, centum, aut ducentos ac vltra fuerit distinctus habitus monachorum & sanctimonialium à communi habitu laicali, viduarum insuper ac virginũ Deo dicatarũ a cõmuni habitu femineo, patet ex Epist. 199. August. ad Ediciam. Item ex Epist. D. Ambr. 56. ad Sabinum Episcopum vbi sermonem facit de Paulino monacho facto. Patet quoq; ex regula D. Benedicti ante annos mille cõscripta. Denique ex Dionysio Areopagita lib. de Eccles. Hierarch. cap. 6. vbi dicit, quòd sacerdos profitentem monachum tondet, exutumque veste omni, aliam induit. Exterminare quidem faciem, vt videaris hominibus ieiunans: aut orare in angulis platearum, vt deuotulus appareas: aut tuba canere ante eleemosynam tuam, reuera hypocrisini habent, sic docente Christo Matth. 6. cap. Verùm hęc longè minùs conueniunt monasticis personis, quàm alijs de populo. Illi enim inter se, & intus in suis monasterijs, imò sæpè in solitudinibus, & clausis ostijs, magisque nocturno tempore quàm diurno hæc pertractant, idq; iuxta constitutionem patrum insequentium eas ipsas cautelas quas Christus vitandæ hypocriseos caussa eodem capite docet. Ieiunijs autem & orationibus, & eleemosynis se indesinenter exercere, modò absit captandæ gloriæ studium, tam non pertinet ad hypocrisim, vt nihil æquè diuinis adhortationibus per omnem scripturã inculcetur. Immo Angelus de cælo veniens ad vtrumque Tobiam
dixit, Bona est oratio cum ieiunio & eleemo- Tob. 12.
syna magis quàm thesauri auri recõditi. Sunt enim tria hæc igne dilectionis succensa, velut currus igneus Eliæ. Ieiunia leuant, eleemosynæ portant, orationes verò anhelis suis desiderijs sursum trahunt. Nec possunt mala esse à quocunque fiant, nisi quatenus malo animo facta fuerint. At animus solius Dei iudi-
cio relinquitur. Nam teste Scriptura, Homo 1. Reg 16.
videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Qui itaque culpant in monasticis personis quę per se bona sunt, & mala esse nõ possunt, nisi malo fiant animo, ijs obijcien-
dum est illud Apostoli, Nolite ante tempus 1. Cor. 4.
iudicare: quoadusq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Siquidem probare vel improbare factum ante plenam ipsius cognitionem est ante tempus iudicare. Et il-
lud, Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Rom. 14.
Domino suo stat aut cadit; stabit autem. potens est enim Deus statuere illum. An non tui comparatione alienus seruus est, qui seculo abnegato se totũ diuinis mãcipauit seruitijs? Ceterũ, de huiusmodi temerarijs iudicijs, & quid sit hypocrisis, adhæc an omnis qui aliud foris apparet, aliud intus existit sit censendus hypocrita, fusè & dilucidè disseruimus supra Tract. 8. cap. 3. 4. 10. D. Memini. Verùm num seruile est, & impotentis animi, semper ex alterius pendere arbitrio, velis nolis: vt pendent monasticis institutis obstricti? M. Id si fiat aut legis aut na-

Monastica obediētia nihil habet seruilitatis.

turæ necessitate, sub imperio eius qui suam vnius vtilitatem spectat, sanè miserum ac miserandum est, nedum seruile. At sponte propria velle subesse beneplacito patris Dei, cuius essentia, bonitas, cuius directio, virtus, cuius amor nostra est salus, id profectò summæ perfectissimęq; libertatis exordiū habet. Iuxta illud Agathę. Summa ingenuitas ista est, in qua Christi seruitus cōprobatur. Quid enim libertas, nonne facultas agēdi quod velis, tuis insuper, teq; ipso vtendi ad tuā vtilitatē quomodo velis? D. Vtiq;. M. Seruitus autē, an aliud, q̃ non posse quod velis? Quàm operis opibusq; tuis nihil tibi posse lucrifacere, sed tantummodo alteri? D. Sic apparet.

Quid libertas.

Quid seruitus.

M. Igitur, qui sponte obsequitur diuino beneplacito, nec vult aliud, habens potestatem faciendi fructum in opere salutis quomodo velit, is verè liber est ea libertate qua nos liberauit Christus. Qualis libertas neque præsidentiam Dei patris, neque gubernationem filij, aut vicem eius gerentis, neque seruitutem iustitiæ vllo modo excludit, non valens ne momentum quidē sine illis subsistere. Nam seruitus iustitiæ ac Dei, ipsa demum libertas Euāgelica est. An nescitis, inquit Apostolus, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Gratias autem Deo, quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde, in eam formam doctrinæ in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, serui autem facti estis iustitiæ. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationē. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Itaque libertas Euangelica vt liberum reddit à peccatis, ita seruum facit Dei, requirens obeditionem ex corde, in eam formam doctrinæ, in quam traditi sumus. Requirit etiam, vt exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem, sicut antea exhibueramus eadem membra nostra seruire iniquitati ad iniqoitatem. Quicquid igitur promouet, aut fouet, aut perficit seruitutē Dei & iustitiæ, ac membra cogit in obsequium Christi, id promouet, fouet, perficit libertatē Euangelicam, qua nos donauit Christus. Promouent autē in primis ac perficiunt

Galat. 4.

Libertas Euangelica. Rom. 6.

Quæ requiratur ad libertatem Euangelicam.

Libertas Euangelica in pri-

seruitutem Dei & iustitiæ [illegible] quæ mo[illegible]es propria [illegible]e osten simus. O[illegible] instituta [illegible] hoc da[illegible]unt, vt cogant membra seruire iustitię in sanctification[illegible]m, vt ca[illegible] sub jciant spiritui, spiritum verò Chri[illegible] ac Deo: illam mortificando, hunc ro[illegible]ndo, & charismatibus Spiritus [illegible] [illegible]cundando. Quibus charismatibus ablu[illegible] [illegible]ns à peccatis, iustificatur insuper, & sancti[illegible]ca[illegible] quibus & consors red[illegible]itur homo di[illegible]æ naturæ, vt sit verè ingenuus & illustris summa quadam nobilitate, qua[illegible] à patre lu[illegible]inum est, habens hic fructum suum in sanctifi[illegible]e, hoc est, actionum suaru[illegible] merita: quibus gratior Deo atque in se sanctior red[illegible] finem verò vitam ęternam. Cuius quidem libertatis gustus ab omnibus [illegible]ijs in Ecclesia habetur, cuius incrementum in monastica quæritur, cuius consummatio in cælis per beatitudinē æternam possidetur. D. Ex prædicta sententia Apostoli satis liquet, ser[illegible]e Deo & iustitiæ, carnemq; cōgere in obsequium spiritus, partes esse libertatis Euangelicę. At quid pertinet eò, obstrictū esse illi qui ipse homo est, vt tu: ipse peccator sicut tu: ipse fortassis magis procul ab obediētia Dei quàm tu, vt sunt obstricti omnes monachi? M. Esto, sit talis qui monasterio præest: attamen vicarius Christi est, & legatione pro Deo fungitur, eaque ratione superior. Itaque vt Deus, d[illegible]inaque præsidet auctoritate, iuxta illud: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes: nam sermo ibidem dirigitur ad iudices, & gubernatores populi. Eadem quippe potestas est, qua Deus, qua Christus, & qua Præpositus in Ecclesia aut monasterijs gregi domin ico præsidet: sed non in singulis est modo eodem. In Deo etenim est per potentiam: in Christo donatione Patris: in Præpositis verò vicaria Christi commissione. Quapropter erga Deum ac Christum obediētia est, qua cœnobita Priori suo vicem Dei gerēti, & ea sanè ratione obsequitur. E diuerso autem erga Deum & Christū inobedientia, qua cœnobita obstrepit Priori suo. D. Quid si mandet Abbas quod cōtra Deum est? M. Huic, vt antea diximus, respondendnm illud Petri, Obedire Deo magis oportet quàm hominibus. D. Quid si aliena à regula præcipiat? M. Hic retinēda sententia D. Bernardi, qua dicit, Potestas imperantis nequit se extendere, nisi quatenus attigerit votum profitentis. Qua & dicit, Obediendi modus tenor est professionis. Et illud, Prælati iussio vel prohibitio nō pręterèat terminos professionis. Vota mea, inquit, nec augeat sine mea voluntate, neque minuat sine certa necessitate, quæ legem non habet,

mis fouetur in monastica.

Quousq; debeat monach⁹ obedire. Bernard⁹ de pręcepto & dispēsatione.

habet,& ob hoc excusat dispensationem. Ceterùm subiectus religiosus eiusmodi obedientiam quæ voti finibus cohibetur nouerit esse imperfectam. Nam perfecta obedientia legē nescit, terminis non arctatur, nec contenta angustijs professionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne opus quod iniungitur spontanea vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Nimirū vt perficere velit quidquid potest, & nonnunquam vltra quam potest, vt is sit terminus obedientiæ, qui & vitæ. Cuiusmodi obedientiæ supremum gradum nobis commendat vnigeniti Dei exemplum, qui factus est Patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Hæc ex Bernardo. D. Quid si imperet superior planè indifferentia, quæ siue fiant, siue nō fiant perinde est? M. Quoniam in superiore residet maiestas fungentis legatione pro Deo, nō potest obediendi promptitudo, ne in talibus quidem esse indifferēs, etiamsi indifferentia sint quæ præcipiuntur. Nam induit religionis speciem, si præstetur ea ratione, quòd a viro Dei, Dei vicem gerēte iussa fuerat: iam enim Dei caussa præstita est, Deus autem nihil sui caussa factum relinquit irremuneratum. Profectò pomum vnū in medio paradysi res minimi momenti erat: tamen postquam numinis edicto veritum esset, gustus eius per inobedientiam factus, est mortis & exilij plaga in præsentem vsque diē.

4.Reg.5. Spreuit principiò Naaman Syrus velut rem nihili lauare se in Iordanis flumine: at vbi audiuisset à domesticis suis, Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit, Lauare, & mundaberis, tum per obedientiam lauit iuxta dictum prophetæ, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, atque mundatus est. Nihil itaque quantumcunque exiguum super quo cadit beneplacitum aut iussio Dei, velut indifferens, aut parui momenti æstimari debet. Iussio autem superioris rectè præcipientis, quodammodo Dei iussio est. Secundum illud, Qui vos audit, me audit: qui me audit, audit eum qui misit me.

De venerandæ monastices antiquitate.

CAP. XXVI.

D.  Vdent nonnulli & dicunt, monasticen nuperam esse, & humana inuentione excogitatam. M. Certè nuperrima est istiusmodi pessimorum hominum maledicentia. Eadem quippe monastica religio quæ nunc est, fuit ante annos trecētos, vti clariùs est videre in scriptis Thomæ, Bonauenturæ, Alexandri, & aliorum qui tum temporis claruerunt, & hoc genus vitæ non tantùm scriptis, sed & vita optimum esse docuerunt. Eadem fuit ante annos quingētos cùm floreret D. Bernardus Abbas Claræuallensis in Burgundia mirificus illustrator eius. Cuius illustratio extendit velut palmites suos innumera monasteria per Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, viuente adhuc S. illo Malachia Episcopo Hiberniæ viro monastici propositi tenacissimo. Vlteriùs eadem fuit ante annos mille, cùm exurgeret velut lilium inter spinas D. Benedictus admiranda sanctitate illustris. In cuius regula vouenda proponuntur continentia, paupertas, obedientia cum stabilitate loci, haud secus atque nunc tria illa vota in omni monastica fiunt. Manetque innumera monasteria eius instituti per omnem tractum orbis Christiani, alia extructa ab annis mille, alia à nōgentis, alia ab octingentis, alia his vetustiora, alia recentiora. Ex quibus prodierūt Sedis Apostolicæ Pontifices decem & octo, Cardinales ducenti, Archiepiscopi in diuersis locis mille sexcenti, Episcopi verò fermè quatuor millia. Ex quibus & catalogo sanctorum feruntur asscripti ob sanctitatem & miraculorum operationem plùs quàm quindecim millia religiosorum hominum. O benedictam monasticen, quæ tanta sobole ditas Ecclesiam, tam claris luminibus pietatis illustras. Adhæc viguit monastice in Italia ante tempora D. Ambrosij, qui claruit circa annum Domini. 380. Quoniam, vt ipse refert, Eusebius Vercellensis Episcopus illam primus in occidentis partibus cum cleri disciplina coniunxit, videlicet eosdem habens clericos & monachos. Viguit & in Gallia, quando vixit illustris ille Martinus Turonensis Episcopus, quo vix fuit alius secundū Apostolos sanctitate & miraculis clarior, qui ipsemet monasticè vixit cū lxxx. fratribus eidē proposito addictissimis, ante annos mille centum & septuaginta. Præterea D. Hieronymus propositum monachorum arripiens circiter annum Domini plus minus 402. Aegyptum & Oriētem petijt, quod illis in locis magis vigeret monastica institutio. Cassianus quoque florens ante annos mille centum, quatuor egregios libros de monachorum institutis scripsit. Sed & Chrysostomus eò vetustior tribus libris editis monasticæ vitæ calumniatoribus quàm efficacissimè respondet. Insuper Ruffinus regulam Basilij Latinam fecit, sub qua militant ferè vniuersi monachi Orientales. Refert & Eusebius de Valente Imperatore, quòd data

Qua ferè vigue rit mona.

stica religio ab hinc vsq; ad tēpora Apostolorum.

data lege iusserit monachos militare, nolentes fustibus interfici. Igitur debuit tum temporis admodum numerosa fuisse monachorum propago. Si verò nō erat, quid opus fuit edicto Imperatorio illos ad militiam armatā cogere? Aut quorsum illi magis mori, vt dicit, eligebāt, quàm militare, si nullum habuit decorem virtutis supra communem Christianismum monachatus? Refert & Sozomenus Græcus historiographus, ex quo partim collecta est tripartita historia de monastica philosophia in hunc modum, Siue Aegyptij siue alij quidam huic ab initio philosophiæ præfuerunt: illud tamē apud omnes constat, quia ad suam reuerentiā atque perfectionem, moribus exercitationibusque decentibus, hanc conuersationem vsque perduxit D. Antonius maximus monachorum, quem tunc in desertis Aegypti morantem propter gloriam virtutis eius Imperator Constantinus amicum fecerat, literis honorabat, & vt pro quibus vellet ei rescriberet, expetebat. Refert quoque Sozomenus lib. 8. hist. Tripart. cap. 1. quod Pausus de Libya in Schyti, non pauciores quingentis monachos secum habuerit. In fine eiusdem capitis narrans in hunc modum, Multi apud Palæstinam & Syriam atque Persas fuēre monachorum, quorum si vel nomina conscribere quispiam voluerit, multos libros implebit. Et hæc quidem temporibus Valentis imperantis circa annū Domini 360. quibus vt valde viguit monasticè, ita supra modum affligebantur per eundem Valentē, quotquot monastico instituto dediti erant. Adhæc vt refert Nicephorus in sua historia Ecclesiastica, imperantibus Constantio & Constante, post mortem patris sui Constantini magni, illo in Oriente, isto in Occidente, extiterunt in Thebaide septies mille monachi, & quidem admodum celebres. De quibus si plura memoratu digna scire desideras, dictas historias atque alias diligenter perlege. Nos interim ad ipsa tempora Apostolorum demonstrationem extendemus: vt & tum viguisse monasticen liquidè constare valeat. Dionysius Areopagita primùm Pauli discipulus, deinde Galliarum Apostolus, quo nemo traditionis Apostolicæ callentior esse potuit, graphicè depingit libro suo Hierarch. Eccles. cap. 6. cum mysteria monasticæ consummationis, tum diuinam appellationem, qua illos dignati sunt duces siue præceptores fidei nostræ Apostoli, dicens: Porrò initiandorum omnium excellentior ac sublimior ordo, monachorū est sancta distinctio. Subdens post paucula, Vnde sancti præceptores (quo nomine intelligit Apostolos) diuinis appellationibus sunt prosecuti: partim therapeutas, id est, cultores, à sincero Dei famulatu ac cultu, partim monachos, ab indiuidua & singulari vita appellantes, vt quæ illos sanctis diuisibilium complicationibus, in diuinam & Deo gratam monadem perfectioneq; promoueat. Et posteà, de mysterio quo initiantur sic ait, Stat quidem sacerdos ante altare, monasticam imprecationem psallens. Ille autem, initiandus scilicet, post sacerdotē astat, non vtrumque ponens genu, non alterum, non habens impositā sacra eloquia capiti: verùm solum sacerdoti astans mysticam super illum inuocationē prosequenti. Ea verò finita, sacerdos ad eum accedens, interrogat primū, an renunciet diuisibilibus omnibus, id est, ijs quibus à Deo plerumq; diuidimur, non solum vitijs, verùm imaginibus ac phantasijs. Deinde exponit illi perfectissimā vitam, illud apertè contestans, oportere illum medio longè antecellere: obserua hic monasticen requirere perfectionem vltra cōmunē Christianismum. Vbi verò ille ista omnia intentè promiserit (ecce votum siue professionem) consignans eum crucis signo sacerdos tondet (vide rasuram monasticam tēporibus Apostolorum vsitatam) trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans (ne putes Deo nō gratam esse eiusmodi ceremoniam) exutumque veste omni aliam induit (ecce distinctum habitū in monachis) & eum sanctis alijs (hoc est, cū alijs simili modo consecratis, tale enim sanctum secundum Scripturam vocatur) qui astant viris, ipsum salutans (velut vnum ex illis) diuinorum mysteriorum participem facit. Hæc Dionysius cum adhuc quidā Apostolorum viuerent. Quæ si contuleris cum professionibus monasticis nostri tēporis, videbis illa mysteria monasticæ inchoationis, à nostris neutiquam aliena esse. Ne autem & illud prætermittatur. Philo Iudæus Alexandrinus, qui Romæ Apostolum Petrum vidit, & librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribēs Ecclesia, in nostrorū (potissimùm qui circa Alexandriam colebant monasticen) laude versatus est, nō solùm eos ibi, sed in multis quoque prouincijs esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet inquit Hieronymus, talē primùm Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiūt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper. Patrimonia egentibus diuiduntur, orationi vacatur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ. Quales & Lucas refert primùm Hierosolymæ fuisse credentes. Sed nec hoc silentio prætereundum, quòd

Lib. 1. hist. Eccle Tri part. cap. 11.

Viguit monastica religio temporibus Apostolorum.

Hieron. de Eccles. script.

quòd ſicut reliqua præcellentia Religionis Chriſtianæ, in lege, figuris, ac vaticinijs præſignata fuêre: ita & monaſtice tum temporis eſt præformata in Nazarçis, in Rechabitis, in filijs Prophetarum, de quibus antea diximus. Videtur autem & Dauid cœnobitarum, quos probat Eccleſia, vitam & ipſum pœnè nomē in ſpiritu præuidiſſe cùm diceret, Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Nec id ſolùm mihi vſum eſt, ſed & Auguſtino interpretanti eundem pſalmum. Dicit enim, Iſta verba pſalterij (nempe, Ecce quàm bonum, &c.) iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia, tam in cantico quàm intellectu etiam monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum. Sonuit per orbem terrarum, & qui diuiſi erant, congregati ſunt in vnum. Et monachi appellati ſunt, vt ſubiungit dicens: Quare ergo & nos non appellemus monachos, cùm dicit Pſalmus, Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum? Μόνος enim vnus dicitur. Et nō vnus quomodocúq;, nam & in turba eſt vnus, ſed vnà cum multis dici poteſt: μόνος non poteſt, id eſt, ſolus: μόνος enim vnus ſolus eſt. Qui ergo ſic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt ſit illis verè, quomodo ſcriptum eſt, vna anima, & vnum cor: multa corpora, ſed non multæ animæ: multa corpora, ſed non multa corda, rectè dicitur μόνος, id eſt, vnus ſolus. Hæc Auguſtinus. Quæ adieci, ne exiſtimes, ſicut & ego aliquando inſipienter exiſtimaui, nomen monachus ad ſolos Anachoretas & ſolitarios eremitas reijciendum eſſe. Adeò autem vnum ſunt, vnumque fiunt boni religioſi vnius monaſterij, etiamſi vrbes inhabitent, vt non aliter, atque ſolent Germani fratres, ſemper habeant & in mente, & in ore fraternitatis appellationem, ſimul & amorem. Quę appellatio etſi omnibus Chriſtifidelibus conueniat, illis tamen eſt peculiarior, quòd loco & inſtituto, habitu & animo peculiariùs vniti ſint. Videtur inſuper & Moyſes ad hos reſpexiſſe cùm Leui benedicens diceret, Qui dixit patri ſuo & matri ſuę, Neſcio vos: & fratribus ſuis, Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos. Vniformiter loquens cum illo Matthæi, Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus, &, qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. D. At putabā ego id Matthæi generatim dictum ad omnes Chriſtifideles. M. Quadam quidem tenus, nempe quantum præceptum Dei & fidei confeſſio requirūt, pertinet ad omnes. Quadam verò tenus, nempe vt eminentem illum gradum perfectæ caritatis comprehendas, quo ſic adhæremus Deo, vt nec ad licita ſit reſpectus retrorſum, pertinet ad ſtatum perfectionis, qualem apprehenderunt qui aut monaſticæ vitæ, aut contemplationibus, aut functioni Euangelicæ addicti ſunt.

(Auguſt. in Pſal. 132.) (Interpretatio vocabuli monachus.) (Deut. 33.) (Matt. 10.)

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS DECIMI TERTII.

QVid voces permittere, indulgere, & diſpenſare ſignificent. Cap. I.

Quomodo Deus cùm ſit ſummè bonus mala fieri permittat. Cap. II.

De permiſſionibus quæ per cōceſſionem fiunt, aut per indulgentiam aut diſpenſationē. Cap. III.

Multa fieri contra Dei præceptum: ſed nō contra ipſius voluntatem. Rurſum præter Dei voluntatem: ſed non præter eius permiſſionem. Cap. IIII.

TRACTATVS DECIMVS TERTIVS DE PERMISSIONIBVS DIVINIS.

Quid voces permittere, indulgere, & diſpenſare ſignificent. CAP. I.

M. COſmocrator Deus ne in ſe poſſit vllo ſpecimine retorqueri quod ipſe improperat paſtoribus Iſraëliticı populi per Ezechielem dicens: Imperabatis cum auſteritate, & cū potentia. Quod infirmū fuit non cōſolidaſtis, & quod confractum non alligaſtis: ſapientiſſimè hominum genus gubernandum duxit, non ſolùm præceptis & conſilijs, ſed & permiſſionibus. Quibus ſanè multa aut tolerat, aut cōcedit, aut indulget, aut de ſeueritate remittendo diſpenſat aliter quàm ius commune requirit. De quibus nunc pauca dicemus. Verùm quoniam luculentior eſt omnis inſtitutio quæ à vocum explicatione procedit, dic quid hæ voces permitto, indulgeo, diſpenſo ſignificent. D. Vox permitto variam habet ſignificationem. M. Quin dicito quàm variam. D. Aliquando ſignificat tranſmittere, dicente Columella, Hoc genus caſei poteſt etiam trans mare permitti. Aliquando incitare, Magiſter equitum, inquit Liuius, Romanus infeſta cuſpide ita permiſit equū, vt vno ictu exanimem equo præcipitaret. Aliquando dedere. Nam idem, Omnes, inquit, ira & ſpe fallacibus auctoribus nos ipſos, noſtraque omnia cognitæ permittimus fidei, ſcilicet aduerſariorum. Aliquando autem,

(Ezech. 34.) (Quid ſignificet permittere.)

autem, & quidem sæpius significat concedere, tolerare, sinere, non impedire. M. Hæc sanè postrema vocis significatio huc demum pertinet. Siquidē hoc modo permittit Deus, permittit homo, permittit lex diuina, permittit lex humana. Deus enim tametsi prohibuerit mala, præceperit bona, consuluerit meliora: multa tamen misericorditer, plura longanimiter, nonnulla ęgrè, & non sine magna indignatione permittit: mala quidem omnia quæ fiunt tolerando, minora autem bona concedendo: inter prohibita verò nonnulla indulgendo, ne damnabiliter fiant, alia dispēsatione sua licita reddendo. Et certè totum hoc, haud secus atque benignus pater, ne si omnia ad gnomonem perfectę iustitiæ exigeret, hominem quem cœli capacem condiderat, nimia seueritate in barathrum damnationis præcipitem daret. Qui enim vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui nimium onerat mulam, perdit bestiam suam. Si Deus calamum quassatum ipse vlterius seueritate contereret, aut linum fumigans, dum adhuc enitentis flammulę lux quędam speratur, extingueret, vbi miserationes eius? Vbi quod dicit Sapiens: Tu autem Deus noster, suauis & verus es, patiens & in misericordia disponens omnia? Quid indulgere? D. Valla, indulgere, inquit, est cōcedere, &, vt sic dicam, obsequenter, & quasi delicatè tribuere. M. Optimè ille. Significat enim peramantem & facilè concessionem: verùm nō semper accipitur in malam partem, vt culpandus sit qui indulget, licet propriè non indulgeamus nisi mala, potissimùm in Scripturis sacris, vt infrà patebit. At nihilne interest inter indulgere & ignoscere? D. Ignoscimus post factum, indulgemus ante factū, cōcedendo vt fiat citra offensionē nostrā, potissimùm enormē atque graue. M. Hinc Apostolus, Hoc autem dico secundū indulgentiā, non secundū imperiū. D. Dispensare verò propriè est distribuere, quomodo à natura alendis seminibus de cœlo imbres dispensantur, hoc est, distribuuntur. M. Quemadmodū etiā pastores in Ecclesia, & in familia œconomi res cōmunes ad singulorū vsus & vtilitates distribuūt, hinc dispensatores vocati, dicente Apostolo. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Significat nihilominus & potestatē facere agendi quod secundum legem communem vetitum erat. Qua significatione dictum est à Seneca, Nūc in petulātiam & audaciam erumpet malè dispensata libertas. Qua eadem significatione dicitur dispensatio esse quædam iuris relaxatio. Sunt autem & indulgentiæ & dispensationes, secundum nouissimum dispensandi modum, permissiones quædam. Sed quia peculiarem quendam permittendi modum obtinent, ideo primò de communibus permissionibus: deinde de illis quæ concedendo, indulgendo, aut dispensando fiunt in sequentibus dicemus.

Prou. 30. Esa. 42. — Sap. 15. — Quid significet indulgere. — 1. Cor. 7. Quid significet dispensare. — 1. Cor. 4.

Quomodo Deus cùm sit summè bonus mala fieri permittat. CAP. II.



Rincipio Deus permittit fieri mala, id est, peccata, imò omnia mala quæ fiunt, quantumuis enormia, aut scelerata, Deo permittēte fiūt, nec omnino fieri possent, ipso non permittente. Non enim fit aliquid, nisi quod Omnipotens sic fieri velit, vel sinendo vt fiat, sicut mala: vel ipse faciendo, vt bona. D. At si mala sunt, cur Deus fieri permittit? M. Cur? Certè ideo, quia bonus, nolens detrahere quā in creatione rerū dederat arbitrij libertatem. Siquidem Deus ab initio constituit hominē, & reliquit illum in manu consilij sui, ponens ante eum aquam & ignem, vitam & mortem, bonum & malum, vt ad quod vellet porrigeret manum. D. Attamen in cœlis, vbi nulla fiunt aut permittuntur mala, eadem est arbitrij libertas quæ hic. M. In cœlis quidem manet in nobis eadem arbitrij libertas quæ fuit anteà: sed longè aliter ibi disposita quàm hic. Ibi inflexibilis erit ad malum propter cōsummatam beatitudinem, æternū bene actæ virtutis præmium. Hic verò ad vtrumlibet flexibilis manet, vt gloriosior sit pugna, & ex teipso quodammodo surgat futuræ coronationis meritum. De quo aliàs dicendi opportunior locus erit. Deinde verò quia Deus est benignus, longanimis, patiens, cupiens omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ideo tolerat iniquitates hominum postquam commissæ sunt, nec statim adhibet vltionis iudicium: sed expectat patienter etiam multò tempore ad pœnitentiam, vt habes ad Rom. 2. cap. ne debeat per seueritatem perdere, quos per bonitatem condiderat. Tertiò autem quia omnipotens, omnisciens, omnitenens, qui omnia quæcunque voluit fecit, portans omnia verbo virtutis suæ, omnium præscius antequam fiant, intuens omnia dum fiunt: adeò vt nec passer cadat in terram sine eo, nec folium de arboribus, nec capillus de capitibus nostris. Ideo & malorum quę fiunt nihil potest sine scitu & permissu fieri Dei patris, volentis omnia, quousq; bona sunt, permittentis omnia, quousq; mala. Vt illa velit & operetur, ista autem non nisi sinat & toleret.

M. — August. in Euch. cap. 95. — Cur Deus permittat fieri mala. — Eccle. 15. — 1. Tim. 2. — Psal. 113. & 134. — Matt. 10.

D. Nōn-

D. Nònne mala ſunt & fiunt inter homines? M. Vtique, & quidem multa nimis. D. Ergo ſunt à Deo, & per Deum, quoniam ex ipſo & per ipſum ſunt omnia. M. Ens bonum, & verum conuertibiliter dicuntur: vt quantum habeat quodque de ente, tantum de bono & vero. Et è contrario, quantum de bono & vero, tantum de ente. Omnia itaque mala quantum habent de entitate, vt ita dicam, hoc eſt, de natura rerum, tantum ſunt bona, & a bono Deo auctore ac volente. Cum enim, teſte Auguſt. Deo auctore dicitur, ipſo volente dicitur. Quantum verò participât de non ente, hoc eſt, de malitia, aut defectione, aut priuatione, in tantum non ſunt à Deo auctore ac volente. Non enim eſt Deus cauſſa qua homo malus fiat aut deterior: ſed ipſemet homo ſua mala voluntate deficiens ab eo quod attactũ in operatione oportuit, Deo patienter idipſũ permittente. Quemadmodum vna illa Ioannis Euangeliſtæ ſententia demonſtrari poteſt, qua dicit: Omnia per ipſum, ſcilicet Deum Verbum, facta ſunt. Quia omnium quæ ſunt, & in quantum ſunt, ipſe auctor eſt. Sunt autem omnia, quatenus bona: quatenus verò mala, non ſunt, Ideóque ſubdit, Et ſine ipſo factum eſt nihil, hoc eſt malum ſiue peccatum, quatenus malum eſt. Quatenus enim malum vel peccatum, eatenus nihil eſt. Neque dixit Ioannes, Ex ipſo, aut per ipſum factum eſt nihil: ſed, Sine ipſo, hoc eſt, abſque eius voluntate aut operatione. Bona igitur ſũt à Deo volente & operante: mala verò, hoc eſt, peccata ſine ipſo: quia ſine ipſius voluntate, operatione, vel cooperatione fiunt. D. Nunquid verè dicitur, quòd omnia quæ fiunt, aut Deo volente, aut Deo nolente fiunt? M. Nequaquam: Nam priori conceſſo concedendum reſtaret, Deus malorum auctor eſt, quod nulla ratione concedi poteſt. Poſteriori verò admiſſo, reſtaret admittendum, Deus non omnipotens eſt: eò quòd ipſo nolente & inuito mala fiant à praua humanæ voluntatis cupiditate. Neutrum itaque cõcedendum eſt. Neque enim Deo volente, neque Deo nolente fiunt mala: ſed dicendum eſt, quòd Deo non volente fiunt mala, quę fiunt: nempe per negationem voluntatis diuinæ operantis vel cooperantis, atque ita citra poſitionem contrariæ eius voluntatis, qua nollet malum fieri dũ fit. Tantummodo enim permiſsiuè ſinit abſque hoc quod velit vel nolit fieri. D. Nunc rurſum interrogandi datur occaſio, Mala fieri bonúmne ſit an malum? M. Haud dubiè malum. Vt enim malum eſt defectus ſiue priuatio: ita facere malum eſt deficere, deficere, inquam, a regula rectæ rationis, à fine quo tendendum, à præſcripto ordinationis diuinę: quod vtique malum eſt. Fieri itaque mala malum dici debet. Prætereà deficere eſt tendere ad non eſſe, ſicuti ad oculum cernimus in lumine, in igne, in animalium vita, in aqua & aëre deficientibus. Quantum enim deficiunt, tantum ad non eſſe tendunt. Mala itaque fieri, quemadmodum deliquia fieri aut defectiones, malum eſt: nõ tamen ſic malum, quin aliquid boni plærunque in ſe contineat. (Quod enim ex toto malum eſt, ſeipſum deſtruit, nec ſubſiſtere poteſt) Quin etiam aliquibus certa aliqua contemplatione ſit bonum, dicente Auguſtino: Quãuis ea quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, nõ ſint bona: tamen vt non ſolùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, vt eſſent & mala, nullo modo ſinerentur ab omnipotente bono. Cui procul dubiò quàm facilè eſt quod vult facere, tam facilè eſt quod non vult eſſe, non ſinere. Quod certè tu ea ratione dictum intelliges. Quia ex malis quæ fiunt, Deus bona elicit. Deus enim omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, nullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Hinc illud Apoſtoli, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Quid æquè vtile generi humano atque Chriſtum vendi a Iuda, poſtulari ad crucis ſupplicium à Iudæis, adiudicari à Pilato? Attamen idipſũ vt factum fuit ab illis ſceleratiſſimum erat. Et congreſſio Iudæ cum Thamar nuru ſua in biuio, an aliud quàm ſcortatio erat? vt de inceſſu taceamus, quia ignorabat nurũ eſſe. Attamen ex illa natus eſt Phares, ex quo lineam genealogiæ duxit Saluator mundi Chriſtus. Ad hæc quæ ab infidelibus fideles, aut ab hæreticis perferunt orthodoxi, an non apprimè mala ſunt, vt fiũt ab illis? Veruntamen proſũt mirum in modum ijs quibus fiunt: vel ad delenda peccata, vel ad exercendam probandáque iuſtitiam, vel ad demonſtrandam miſeriam huius vitæ, vel ad incrementum meriti, vel quintò ad relinquendum alijs pulcrum præclaræ virtutis exemplum. Quemadmodum aduerſitas, miſeria, ægritudo, & cætera eius generis vitæ incommoda, quæ hominibus mala dicuntur, vt exerceant virtutem eius qui eiuſmodi malis inuoluitur, ita alijs præclarum exemplum relinquunt. Vt eſt videre in Iob, in Tobia, in Lazaro mendico, in Apoſtolis, in Martyribus, in Confeſſoribus, & in ipſomet Chriſto. De quo ſcribit Petrus, Chriſtus paſſus eſt pro nobis,

Margin notes: Mala nõ fiunt Deo auctore. — Rom. 11. — Auguſ. 83 quæſ. q. 3. — Ioan. 1. — Neque volente neque nolẽte Deo mala fiũt ſed Deo non volente. — Auguſ. in Ench. ca 69. — Aug eodem lib cap. 1 — Rom. 8 — Geneſ. 38 — 1. Pet. 2.

vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Nec hoc prætermittendum puto, q malaque facit homo, subinde sibi valde fiűt vtilia, ipso misericordiarum Dño sic disponente, vt inde efficiatur cautior, humilior, circunspectior. Quẽadmodum est videre in Petro Archiapostolo, qui ob negatum antea Christum, adeò profusè toto tempore vitæ suæ fleuit, vt flumina lacrimarum velut aratiunculas in facie eius fecisse perhibeantur.
Luc.15. Deinde in filio prodigo, quem error & luxoriosa profusio rerum reddidêre posteà humillimum optimeque patri suo morigerum.
Luc.18. Denique in Publicano, quem infame malum, quo Publicanus erat fecit in oratione supplicissimum, ac proinde gratia Dei iustificatum. D. Sequiturne, Hoc malè perpetratum, est alijs, aut ipsi perpetranti bonum, igitur est bonum? M. Non, quia bonum dicitur ex integra caussa: malũ verò ex singulis defectibus. At istud consequitur. Igitur non est ex toto malum: aut sic, malum quin aliquid habeat boni, vnde valeat prodesse. Quod enim ex toto malum est, seipsum destruit, nec subsistere valet, quia nihil, vt anteà dictum est.

De permissionibus quæ per concessionem fiunt, aut indulgentiam, aut dispensationem.

CAP. III.



D. Idascalo permittente, non peccat discipulus: œconomo permittente, non offendit domesticus: neque delinquit ciuis, permittente Magistratu. Maior autem est ijs omnibus Deus, & plenioris auctoritatis. Igitur permittẽte Deo, non peccat homo. M. Vide ne paralogismus fit in verbo permitto. Enimurro illi quos induci, si permittant ante factum per concessionem, aut obsecutionem, aut dispensationem, neutiquam peccant, quibus sic permittunt quod in sua potestate habent permittere vel non permittere: vei bi gratia, Si ludimagister cuipiam permittat ingenium laxare lusibus, iam non peccat ille ludendo. Rursum, Si indulgeat quibusdam ne sua ingenia furijs pôeticis exagitent, non peccant illi non componendo versus. Tertio, si dispensando in lege matutini studij permittat ijs quibus parum firmum est cerebum somno indulgẽtiùs vacare, ab ijsdem non peccatur contra legẽ surgendi. Hæc tamen eadem si quispiam discipulorum præsumat ac faciat, magistro duntaxat peccato lerantiam conniuente, nequaquam licita aut bona efficiuntur tali permissione: sed tantummodo impunita, idque ad tempus, donec opportunior adhibendæ disciplinæ occasio euenerit. Haud dissimiliter dicendum de permissionibus diuinis, prout scripturis lucu lenter demonstratur. Eamque ob caussam Doctores poluére plures modos permittendi, videlicet, per meram tolerantiam, per concessionem, per indulgentiam, per dispensationem: Primo quidem modo permittit Deus omnia mala, prout in superiori capite ostensum est. Secundo verò modo permittit, id est, concedit minora bona. Quoties enim maius bonum non est præceptum, sed tantummodo consultum, toties minus eiusdem generis permissum intelligitur. Vt ex eo quòd virginitas non præcipitur, intelligitur matrimoniũ permissum: non vtique tãquam malum, sed tanquam minus bonum, dicente Apostolo: Si acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Similiter, quia non præcipitur paupertas Euangelica, permissa est proprietas & contrectatio rerum temporalium: etiamsi, teste Domino, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Quo etiam modo permittuntur nobis Christianis cibi sine delectu, quales in lege, aut inter gentes prohibiti fuerãt, modò citra offendiculum fratris, & cum gratiarum actione comedamus non contra ordinationem ecclesiæ, aut promissionis tuæ votum. Vt in superioribus fusè demonstrauimus. Tertiò permittit Deus nonnulla mala per quandam indulgentiam, vel quoad pœnam, vel quoad culpam. De posteriori modo habes 1. ad Corinthio. 7. dicente Apostolo. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Id est, hoc vobis permittitur per indulgentiam quandam, velut minus malũ: sed non iubetur tanquam aliquod necessarium bonum. D. Ceterùm, quid est illud Hoc? nam pronomen demonstrandi semper aliquid certi designat. M. Putant nonnulli eo loco designari non tantùm id quod proximè dictum erat, nempe, Iterum reuertimini in idipsum: ne tentet vos sathanas propter incontinentiã vestram: sed totum, ipsum scilicet matrimonium, & omnẽ vsũ eius. Ceterũ cum matrimonium, & multi eius actus non egeant vlla indulgentia, ideo diuũ Augustinũ tibi sequendum censeo, qui exactissima demonstratione colligit ex scripturis, quid in hac materia sentiri ac doceri debeat. Verba eius sunt ista, Nunc autem quid dicturi sumus aduersus euidentissimam vocem Apostoli dicentis: Quod vult, faciat: nõ peccat, si nubat. Et si acceperis vxorem, nõ peccasti

Multi modi permittendi

Minora bona permittuntur per concessionem.

1.Cor.7.

Matth.19

Permittũtur minora mala per indulgentiam.

1.Cor.7.

Nuptiæ non egẽt indulgẽtia.

Aug. lib. de bono cõiugali cap.10.

peccasti: & si nupserit virgo, non peccat. Hinc certè iam dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secũdum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissimè dici, nõ eos peccasse quibus venia datur? Sed illum concubitum secundũ veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola caussa procreandi: quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant: si tamen non ita sit nimius, vt impediat quæ seposita esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum vsum qui est contra naturam. De quo Apostolus tacere non potuit, cùm de corruptelis nimijs immundorum & impiorum hominum loqueretur. Concubitus enim necessarius, caussa generandi inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui vltra istam necessitatem progreditur, iam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere coniugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet cõiugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non planè nuptiarũ. Veruntamen si magis in sua coniũctione diligunt quod honestum, quàm quod inhonestum, id est, quod est nuptiarum, quàm id quod non est nuptiarum, hoc eis auctore Apostolo secũdum veniam conceditur. Cuius delicti non habent Dei hortatrices nuptias, sed deprecatrices: si Dei misericordiam non a se auertãt: vel nõ abstinendo quibusdam diebus vt orationibus vacent, & per hanc abstinentiam, sicut per ieiunia, commendent preces suas: vel immutãdo naturalem vsum in vsum qui est contra naturam, quod damnabilius fit in coniuge. Nam cùm ille naturalis vsus, quando prolabitur vltra nuptialia, id est, vltra propagandi necessitatem venialis sit in vxore, in meretrice damnabilis: iste qui est contra naturam execrabiliter fit in meretrice, execrabilius in vxore. Subdit, Decus ergo coniugale est castitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides: hoc est opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit. Apostolus dicendo: Et si acceperis vxorem nõ peccasti: & si virgo nupserit, non peccat: quod vult, faciat, non peccat si nubat. Exigendi autem debiti ab alterutro sexu immoderatior progressio secundum veniam conceditur. Hæc Augustinus. Matrimonium itaque quia bonum est & sacramentum, propriè non permittitur secundum indulgentiam. Vsus item matrimonij, qui est caussa prolis procreandæ & educandæ ad cultum Dei, vel qui ordinatur ad reddendum cõiugale debitum, indulgentia non eget. Ille enim religionis, iste verò actus est iustitiæ. Omnis autem actus virtutis est Deo gratus, ac

Concubitus caussa incontinentiæ vitandæ permittitur secundũ indulgẽtiam.

Cap. 11.

meritorius, si fiat ex fide per dilectionem operante. Quapropter indulgentia nulla eget, quia prẽmio diuinæ retributionis honoratur. At vsus matrimonij qui est caussa incontinentiæ vitandæ, cùm hac tamen animi moderatione, quòd nullo modo vellet tale quid pertractare extra sanctiones matrimonij, is secũdum indulgentiam permittitur, ne damnabiliter offendat: etiamsi in ipso nihil quod propriè matrimonij est, quæratur. Et talem vsum permittit Apostolus secundum indulgentia. 1. ad Cor. 7. De tali quoque permissione dictum videtur illud prophetæ, Irascimini, & nolite peccare. De priori verò modo permittendi secũdum indulgentiam quoad pœnam, per substractionem disciplinæ siue animaduersionis habetur, Deut. 24. & Matth. 19. dicente Saluatore: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Permisit, inquit, vobis, non simpliciter, sed ad duritiam cordis vestri. D. An igitur peccabant dimittentes vxorem, etiã interposito libello repudij? M. Quia Saluator adiecit, primò, Ad duritiam cordis vestri, apparet repudium fuisse permissum, non ob bonum aliquod cõsequendum, sed ad præcauendum enorme malum, quale est vxoricidium, ad quod procliues reddebat Iudæos duritia cordis. Secundò, Ab initio nõ fuit sic, ex quo constat repudium esse contra primæuum institutum matrimonij. Tertiò, Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et q dimissã duxerit, mœchatur. Significãs nulla caussa solui vinculum coniugale. Videtur quasi certum, nunquam fuisse sic licitum repudiare vxorem, vt sine culpa fieret: quanquã fuerit hactenus licitum, vt sine pœna & animaduersione esset. Licitum quippe bifariam dicitur, aut quia non obuiat legis rectitudo, aut quia non obuiat iuris punitio. Atque hoc quidem posteriori modo licitum erat repudium vxoris secundum legem Moysi: quia in ege, nulla erat pœna repudianti constituta: modo conscripto & porrecto libello repudij legitimè fieret. Non autem licitum priori illo modo, quia repugnat lex naturæ, & rectæ rationis dictamen. Quemadmodum etiam permittuntur secundum leges ciuiles meretricia, & publicæ vsuræ: non quòd tali permissione licita fiant, quia repugnant legi naturæ, & diuinæ: sed quòd legibus ciuilibus in eiusmodi mala non animaduertatur, propter grauiora mala in Republica euitanda. Quintò, quædam permittuntur à Deo iuxta modum dispensationis, qua fit iuris communis rela-

Psalm. 4.

Permittũtur quædam secũdum dispẽsationem.

ratio quædam ob caussam. Quomodo permissa fuit olim sanctis patribus pluralitas vxorum: non vtique ad duritiam cordis eorum, nam sancti erant, sed ob magnum bonum populi Dei augendi, ac mysterium, quod Deus in eo facto significatum voluit. Dispensauit itaque Deus in lege communi qua dictum fuerat, Et erunt duo in carne vna: non tres aut quatuor, quinque aut sex. Dispensauit, inquã, quoad sanctos patres ac reges, qui significationis typum gerebant, nempe illius, quòd Messias nasciturus nõn solùm sibi sociaret vnam Ecclesiam Iudæorum, sed illam, ac simul alias ex varijs nationibus gentium: & media maceriæ dissoluta faceret vtraq; vnum. D. Nunquid passim in lege iungebant sibi plures vxores? M. Potest esse quòd plurimi sic fecerint: alij religionis ergò, vt diximus: alij libidinis caussà ac præsumptione quadam: & hi sanè magis tolerante lege, quàm Deo dispensante idipsum faciebant. Tantùm de permissionibus diuinis, vt intelligas quæ Deo permittente licita fiant, quæ non. Ac simul videas Deum multa indulgere, plurima verò tolerare etiam longo tempore nos expectando ad pœnitentiam. Quia paterno affectu magis quàm dominatu gubernare genus humanum optat.

Gene∫. 2.

Multa fieri contra Dei præceptum: sed non contra ipsius voluntatem. Rursum præter Dei voluntatem: sed non præter eius permissionem.

CAP. IIII.

D. Omne Dei præceptum, Deique consilium, rectè voluntas eius dicitur? M. Omnino. D. Nonne & permissio Dei est voluntas eius? M. Vtique: nihil enim permittit Omnipotens nisi volens. D. Hæc autem admodum diuersa sunt. Deus verò vnus est, & vna simplicissima quæ natura eius. M. Legistine, Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius: quasi plures sint voluntates Dei? Legistine & hoc, Voluntati eius quis resistet? quasi vnica sit voluntas Dei. D. Legi vtrumque, & sæpe multumque hinc meeum disceptaui, pluresne essent an vna duntaxat voluntas Dei. M. Scriptura sacra nonnunquam propriè aliquando tropicè & per schemata loquitur. Propriè autem loquendo, quemadmodum, Vnus est Deus, & vna natura eius, sempiterna, incommutabilis, inpartibilis, simplicissima: ita est & vna duntaxat voluntas quæ in ipso est, prorsus indiscreta à natura eius: quomodo & cætera quæ ipsi rectè attribuuntur. Siquidem, Deus est sua voluntas, sua sapientia, sua bonitas, sua omnipotentia. Hæc autem voluntas Deo propria, non est affectus aut motus in Deo sicut in creatura, vt mutari valeat: aut ab omnipotentia seiuncta, vt impleta maneat, sicut in nobis. Vnde dicitur, Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Et Apostol°, Volũtati eius quis resistet? Quã Dei voluntatem rectè dispositionem aut beneplacitum eius appellamus: etiamsi vocibus illis nonnunquàm figuratè vtamur. Et hæc sanè est voluntas Dei, de qua rectè dicitur, quòd sit omnium caussa, ipsius autem nulla est caussa. Nec dicere Deo quisquam potest, Quare ita facis, aut, quid fecisti sic? Tropicè autem & secundum schemata dicendi sunt etiam voluntas siue voluntates Dei, præceptio, prohibitio, consilium, permissio & operatio Dei. Quę quoniam plura sunt, pluraliter à Propheta dictum est, Exquisita in omnes voluntates eius. Quoniam verò extra Deum sunt, & admodum diuersa ab æterna ipsius natura: ideo nõ nisi impropriè voluntates eius dici possunt, hactenus quidem, quia signa sunt, significatio, aut expressio diuinæ circa nos voluntatis. Idque simili loquendi tropo, quo tremendum futurum iudicium: item flagella quibus Deus vindicat peccata iniquorum, vocantur ira Dei, deprecante Psalmista, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: cùm tamen nulla omnino in Deum cadat ira. Tropicè itaque ea quæ dixi, ac simili ratione dicuntur voluntates Dei. Ne verò in pluratiuo sermone voluntatum Dei offendaris, obseruandæ sunt tibi & reliquę scripturę, in quibus inuenies dictum pluraliter, Misericordias Domini in æternum cantabo. Et alibi: Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. Non aliam sanè ob caussam, quàm quia plures sunt diuinæ misericordiæ & iustitiæ effectus: etiamsi nisi vna sit in Deo misericordia, vnaque iustitia ab ipsius natura penitus indiscreta. Accipitur autem hoc secundo modo voluntas Dei eùm dicitur, Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, hoc est, ea quæcunque voluntate Patris mei iussa siue præscripta sunt, ipse intrabit in regnum cælorum, ipse, meus frater, soror, & mater est. Quales Dei voluntates vtique mutabiles sunt. Pro alijs enim temporibus dantur aliæ leges, alia præcepta, aliæ viuendi formulæ: Quemadmodum aliæ fuère sub lege, quàm ante legem: aliæ nunc post legem, quàm tempore legis. Et sæpè manent tales Dei voluntates, inexpletæ. Multa quippe præcipit Deus, quæ non faciunt homines: mul-

Psal. 110.
Rom. 9.
Psal. 134.
Rom. 9.
Eccles. 8.
Psalm. 6. & 37.
Psal. 118
Psalm. 18
Math. 7.
Math. 12.

nes: multa prohibet, quæ non cauent: multa consulit, quæ non curant. Hoc an probatione egeat? D. Nulla. Quàm vtinam nō tam verū, tamque frequens esset, ac palàm vsurpatum inter Christianos. M. Immo & infideles, teste Augustino, contra voluntatem Dei faciūt, dū eius Euangelio non credunt. Multa itaque fiūt contra præceptum Dei vel prohibitionē, quæ tamen non fiunt contra sempiternam eius voluntatem. Multa etiam fiunt præter Dei voluntatem, quæ ipse est, quæ tamen non fiūt præter illius permissionem, quæ ipse non est, vt fiunt mala opera hominum siue peccata. Quæ, teste Augustino, fiunt præter eius volūtatem, scilicet sempiternā. Quæ semper efficax est & omnipotēs, vt fiat omne quod velit, & nihil fiat quod nolit. De qua verū est quod sēp impletur aut à nobis aut de nobis. A nobis quidem, quādo bonū facimus: ideo enim facimus, quia Deo placere scimus. De nobis, quando peccamus: siquidem etiam de hoc operatur Deus quod vult. Nam vult peccantē corripi, vult pœnitenti parcere, vult perseueranti in bono gloriam dare, vult & in peccatis persistentem puniri, iudicari, damnari denique. Totum quidem hoc ad misericordiæ simul & iustitiæ suæ ostensionem. Atque sanè hæc sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapiēter exquisita, vti docet Augustinus, vt cùm Angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factū est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit: bene vtens & malis tanquam summè bonus, ad eorum dānationem quos iustè prędestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem quos benignè prædestinauit ad gratiam. Quātum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea nanque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius volūtatem, quod etiam contra eius fit voluntatem. Quia non fieret, si non fineret: nec vtique nolens sinit sed volens. Nec fineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Hæc Augustinus. D. At quo modo intelligam illud Aug. Quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt? M. Hoc modo. Quia fecerunt contra præceptum Dei, quod voluntas eius appellatur, licet impropriè: non autem fecerunt contra beneplacitum Dei, quod propriè eius voluntas est. Hoc enim facere non potuerunt propter omnipotentiam eius: illud verò valuerunt propter permissionem ipsius. Et ita per hoc quod fecerunt contra voluntatem Dei, hoc est præceptum, de ipsis facta est voluntas eius, hoc est, impleta est sempiterna ipsius dispositio, qua tales damnare voluit. Sufficiant hæc. Nam eue stigiò mihi aliò ad obsistendum perfidorum conatibus properandum est. D. Quid autem dicemus de tribulationibus ac pœnis, & ceteris eiusmodi, quæ mala dicuntur? M. Quòd à Deo sunt, iuxta illud Esaiæ, Ego Dominus faciens pacē, & creans malum. Immo quòd bene illuminati in fide talia non inter mala, sed inter dona Dei anoumeranda censent, vt anteà ex Paulo docuimus. Vale, & me laborantem in opere Dei tuis deuotis precibus adiuuare ne cesses.

[Margin notes: Aug. de spirit. & lit. cap. 33. — Aug. super 16. Psalm. — August. in Ench. cap. 100. — De malis pœnarū quid censendum. — Esa. 45. — Phil. 1.]

FINIS.





INDEX EORVM, QVÆ NOTATV DIGNISSIMA IN HISCE DEMONSTR. CHRIST. RELIGIONIS LIBRIS OCCVRRERVNT.

A, primam. b, secundam. c, tertiam. d verò quartam columnam significat.

Adoranda an sint omnia eodem modo 148.d
Adorari cur Petrus, Paulus & Barnabas nolue rint. 148.c
Adorabis solum Deum non inuenitur in Scripturis. 148.d
Adoratur Deus duobus modis 149.a
Adorare in veritate quid sit 149.b
Adoratio non fit paris ad parem 148.a
Adorationem fieri ad homines & Angelos Scripturis probatur 148.a
Adorari se cur patiebantur Angeli olim, nō autem tempore Euangelij 148.b
Adorentur quod quidā homines ratio datur 147.d
Aduentum Domini mundum in proximo esse vnde sit verisimile 95.a
Adulatores 203.a
Adulationis malitia ex tribus consideratur 203.b
Adulterium quomodo tractet Euangelium 185.a
Adulterium defendentes hæreses 185.a
Adulterium 184.b
Adulterium potiùs crimen quam delictum 184.b
Adulterium non potest fieri nec de consensu alterius partis 184.c
Adulteri sunt periuri 184.c
Adulteris constitutum erat supplicium mortis in lege 184.d
Adulterari commune est ad omnem corruptionem 185.b
Aërius damnatus est hæresios, eò quòd negaret memoriam defunctorum faciendam in Missis 75.d
Amicitiæ definitio 113.d
Amor lasciuus quanta habeat mala 187.c
Anima Christi habuit duas partes superiorē & inferiorem 54.c
Antequam & priusquam quid significent 50.b
Antichristi aduentus 93.c
Antichristi nomen est in Scripturis 93.d
Antichristi descriptio ex Paulo 94.a
Antichristi finis 94.d
Argumētum affirmatiuum ex scripturis etiam suū periculum habet 18.c
Argumentum negatiuum ab auctoritate Scripturarum quantum valeat 17.d
Arma Sanctorum quæ sint 183.d
Articuli distinguuntur secundum distinctionem personarum in diuinis 38.c
Articulis quibusdam fidei cur præpositio In præponatur, quibusdam non 41.b
Ascendit Christus præsentia multorum 84.a
Ascendit sensim Christus 84.c
Ascendisse Christum non solum probatur 84.c
Ascendit Christus licet Deus, sed secundum quod homo 83.c
Ascendendo accepit Christus pro nobis regni cælorum possessione 85.c
Ascendens Christus an portabatur in cælum 84.b
Ascensio Christi quando facta sit 83.d
Ascensio Christi vbi & quomodo facta sit 84.a
Ascensionis Christi tempore quare eo modo apparuerint Angeli 85.b
Ascensionis Christi necessitas & vtilitas 85.c
Assumi nomen Domini in vanum qui prohibuit, multò magis vetuit assumi super re mala aut scelerata 164.b
Auari laborant in circulo 141.d
Auaritia 210.d

B.

Baliui auferentes per confiscationem 191.b
Baptismus iustificat & saluum facit non sola fides. 31.d
Bello iusto ablata 191.c
Bellum defensiuum, & vindicans in eos qui malè agunt, iudubiè est licitum 185.b
Bellum improbantes hæretici sunt 185.a
Bellum quanta mala adferat exprimi non potest 183.a
Bellum vt iustè indicatur tria requiruntur 185.c
Bona minora permittuntur per concessionē 154.b
Bona nostra & nostra sunt & Dei 181.a
Bona opera quomodo iustificent 34.a
Boni in Ecclesia an maculentur malis 110.c

C.

Calumniatores 201.d
Candelas accendi ante imagines quatenus bonum 161.d
Canones auctoritatis exercendæ pręscripserunt Apostoli 177.c
Carnem & sanguinem regnum Dei non possessura quomodo sit intelligendum 119.b
Caritas habet suos gradus 217.c
Caritas aliquo modo perfecta etiam hic potest haberi 217.d
Caritas vera otiosa esse non potest 214.b
Caritas in quo differat à dilectione 214.d
Caritas neque ad malum, neque ad inanimata aptatur. 214.d
Caritas quomodo sit forma fidei 25.a
Caritas præcepta regula est iustitiæ nostræ 119.a
Caritatis præceptū hominem hic posse implere demonstratur ex Euangelio 119.b
Caritatis mandatum quando implemus Scripturæ quædam indicant 220.a
Caritatis præceptū nos impleuisse quo indicio sciamus 219.d
Caritatis eodem præcepto obligantur homines vbicunque fuerint 116.c
Caritatis præceptum aliud exigit pro alio statu hominis 216.d
Caritatis vis Scripturis ostenditur 211.d
Caritatis præcepta duo 213.a
Caritatis præceptum qua ratione dicitur primum ac maximum 213.b

Caritatis præcepto quod hîc posiim satisfacere 29.b
Caritatis præceptum non potest impleri sine fide & gratia Spiritus sancti 215.d
Caritatis præceptum accuratiua exprimitur in noua quam veteri lege 214.b
Caritatis præcepta explicantes cur varient Euangelistæ idem.
Caritatis lex olim promissa in Euangelio data est 214.b
Castitas matrimonialis donum Dei est 236.c
Caussa omnis præcedit effectum vel tempore vel natura 63.b
Caussa prima non habet caussam 45.b
Cælestia non sunt metienda ex humania 158.a
Cæli multi 83.b
Christianus quando animam suam pro Christiano ponere debet 226.b
Christiani boni hic viuendo sunt in cælo 86.a
Christus ferebatur in cælum suauisimè, & propria sibi inexistente virtute 84.c
Christum sedere in cælo a dextris Dei quomodo sit intelligendum 84.d
Christus mortuus qua ratione descendit 69.c
Christus prædixit passionis suæ qualitatem & tempus 55.b
Christ. an descéderit ad omnia loca Infernorũ 70.d
Christus quos liberet ex inferno, quos non 71.a
Christus plurima passus est citra formã iudicij 52.d
Christus multis modis factus est nobis Sapientia 59.d. 60.b
Christus solus est magister noster 60.b
Christus passus est ignominiosissimum genus supplicij vsque ad mortem 51.a
Christus iniuste afflictus est idq; a suis subditis 52.b
Christus erat Dominus eorum qui ipsum crucifixerunt 52.b
Christus fuit sine omni actuali peccato 52.b
Christus passus est immerito & côtra æquitatẽ 52.c
Christus nihil nobis scripto reliquit 7.d
Christus habuit duas naturas 47.a
Christus quomodo aliter sit Deus secundum diuinam naturam, aliter Dominus secundum humanam naturam 47.b
Christ. specialius Dñs noster quam Gentiliũ 47.c
Christus aliter Dominus piorum, aliter dominus impiorum idem.
Christus nusquam legitur gestijsse sub tormentis passionis suæ 54.a
Christo attribuitur triplex operum genus 54.b
Christus secundum diuersitatem naturarũ habuit geminam vitam geminamq; voluntatem 54.b
Christus qua ratione sit nobis sapientia, iustitia &c. 59.a
Christus patiendo an aliquid meruerit sibi 66.c
Christus quod verus homo esset ideo mœstus, ideo expauit. &c. 55.c
Christus regnans in cælis qua ratione vtitur nobiscũ est in terris 16.a
Christus quod sit Deus de Deo scripturis probatur 46.c
Christum esse vnigenitum, & primogenitũ in multis fratribus non repugnant 47.a
Christi nomen explicatur 48.b
Christum esse Regem ac Sacerdotem idem.
Christo quæ nomina approprientur in Scripturis. 48.c.d.
Christi pasio habuit omni ex parte symbolum perfectæ caritatis 56.b
Christi & Adæ similitudo & dissimilitudo 66.a.b.
Christum habuisse gaudiũ diuinæ fruitionis simul cũm dolore ipsius non est mirum 54.c
Christum pati omni ex parte pulcrum ac pleuum caritate 56.a
Cogitationibus lubricis ludere admodum periculosum est 109.c
Communio rerum & personarum multiplex 111.d
Cõmunio sanctorũ quæ sit exoptanda etiã impijs 112.c
Communionem rerum nec ius naturale præcipit, neque ius gentium proprietatem 191.a
Communionem rerũ natura non præcipit 189.c
Communis societatis fruitio post hanc vitam erit inter Angelos & homines 113.c
Communis rerum possessio est iuris naturæ 189.b
Communia esse omnia sicut Anabaptistæ volunt hæresis est 241.c
Communia omnis Christianis debere esse hæresia est dicere 140.d
Conceptionis opus cur specialiter tribuatur Spiritui sancto 49.c
Concilium & Synodus idem significant 117.b
Concilia quatuor Ecclesiæ cuius sint auctorit. 117.c
Concilia œcumenica prouincialia, vniuersalia idẽ.
Concubitus caussa incontinentiæ vitandæ permittitur secundum indulgentiam 154.a
Concupiscentia non est nimis mala 108.a
Concupiscentia nomine quænã intelligantur 107.a
Concupiscentia duplex 208.b
Concupisc. habitualis non est peccatũ simpliciter. idẽ
Concupiscentia actualis potest esse sine culpa 108.c
Concupisc. habere aliud est, aliud cõcupiscere. idem
Concupiscentia quæ est in carne quomodo & quãdo peccatum est 108.c
Concupiscentia qua ratione vocetur peccatum in hominibus iustis 109.d
Concupisc. solutorũ quæ & quando malæ 109.d
Concupiscentias prauas habere minus decet Christianum quam legalem populum 110.a
Concupiscentia carnis quam rigorosè prohibita sit in Euangelio 110.b
Concupiscentias carnis multis de caussis aggrauat opus 111.b
Concupiscentiæ vitium non imputatur christianis in peccatum 118.d
Concupiscere alienũ virũ an mulieri liceat 109.d
Condemnatur a nemo mortaliũ est q̃diu viuit 113.a
Consensus matris Ecclesiæ in discernenda doctrina fidei 14.d
Consensus interpretatiuus 109.c
Consensus in concupiscentias quibus modis cognoscitur 109.b
Conscientiæ bonę in Deũ interrogatio quid sit 105.c
Consilium non quæritur de fine 128.a
Consilia Euangelica non dantur de rebus minimis seu indifferentibus idem
Consilia Euangelica de quibus siut data 128.b
Consilia Virginitatis & continentię quibus Scriptaris dentur 128.c
Consilium virginitatis seruandæ 129.b

Consilij virginitatis seruandæ dantur caussæ a D. Paulo 219.d
Constitutiones nouas fecerunt Apostoli præter eas quas fecerat Christus 179.a
Constitutiones nouas fecisse Episcopos Apostolorum successores probatur idem
Consuetudinis efficacia 11.e
Consuetudioem vniuersalem præfert Paulus suę epistolæ idem
Consuetudinis efficaciam quomodo depingat Papa Pius 11.e
Consuetudine probantur vt morea viuendi, ita & articuli fidei 11.d
Consuetudini malæ non est obtemperandū. idem
Consuetudini particulari obtemperandum in eo loco vbi obtinuit 13.a
Consuetudinem particularem quomodo depingat D. Ambrosius idem
Continentia donum Dei est 188.a
Contioentiæ doonum non expellit vnus actus Venereus 136.a
Continentē esse non est in hominis potestate 188.a
Continentibus facta promissio in Esaia 231.b
Continentibus promissio facta per Christum idē
Continentibus facta promissio 133.a
Cor pro quo accipiatur in præcepto Dei 114.d
Cor, affectus rationalis, animus fere idem sunt 115.a
Corpus glorificatum nullis potest arctari reb. 81.a
Corripere facile non oportet 101.e
Corruptionem effugiendi ratio 138.b
Creatio hominis, Angeli & mundi quare facta sit 45.b
Creare quid sit, quid facere 44.b
Credentiæ salutem esse alligatam num sit indignū 38.d
Credenda sunt omniū disciplinarum principia. idē
Credere Deo, & credere in Deū an differant 41.a
Credere oportet nunc expresse de Deo patre & de Spiritu sancto sicut de Christo 36.b
Credere oportet simpliciter circa mysteria diuinitatis 41.e
Credere quæ oporteat de Spiritu sancto 97.b
Credo quid significet 38.e
Credo cur sit primum verbum symboli 38.d
Credere quod passim requirat Scriptura non debet iudicari alienum 39.a
Crede vnum Deum quomodo intelligendū 147.c
Credidit Thomas Apostolus aliod aliud vidit 24.a
Credo in Deum quare vocetur symbolum 37.b
Credulitati nudæ omnia tribuentes errant 138.a
Crucem ligneam nō adoramus, sed crucifixum, cox ram cruce 161.a
Crucis prædicatio quare sit Gentibus stultitia, Iudæis vero scandalum 59.b
Crucis signo an Christus benedixerit 84.e
Cultus distinguitur in λατρείαν, δουλείαν, ὑπερδουλείαν 149.c
Cupiditates quomodo sint prohibitæ in Euangelio 210.e
Cupiditates & concupiscentias exactius prohibet Euangelium quam lex 210.d

D.

Damnati non morientur vltra 219.d
Damnatorum corppra, quomodo erunt incorruptibilia, tamen passibilia 130.a
Damnati non amplius nobis proximi sunt: iudicio enim Dei reiecti sunt ab amicitijs nostris 221.c
Damnatis versa malitia eorum in naturam 222 b
Defuncti etiam illa opera quæ fiunt pro ipsis post mortem aliquo modo dicuntur gessisse in corpore suo 76.d
Defunctos iuuandi traditionem vniuersa obseruabat Ecclesia tempore Augustini idem
Defunctos qui dicunt mereri hæretici sunt .77.d:
Deierationes quæ fiunt per Sacramenta aut creaturas 164.d
Depositum quid significet 11.c
Deus rectè vocatur creator, conditor, factor, fabricator mundi, &c. 44.c
Deus & homo diuersi sunt in modo faciendi 44.d
Deus seipso & sua bonitate motus fecit omnia 45.b
Deus semper & quacunque comparatione facta dominus 145.c
Deus solus dominus, & tamen multi sunt domini huius mundi 150.b
Deus suscitauit Christum, & Christus sua virtute surrexit 81.b
Dei amoris vis erga nos non tam discitur quam sentitur 56.b.
Dei dicere & facere non distant 44.d
Dei filius est, ergo deus: Sequitur optima consequētia 46.b
Dei naturam nemo potest comprehendere 38.b
Deo conuenit tam facere quam creare 44.b
Deo omne tempus præsens est 44.a
Deos esse tres cur non sequatur ex eo, quod pater est Deus, & filius est Deus, &c. 41.d.
Deos esse plures includit contradictionem 41.b.
Deum esse vnum qua ratione persuadendum sit ijs qui Scripturas non recipiunt 41.a
Deum laudare in sanctis suis quid sit 153.a
Deum vnum esse probatur scripturis 39.d
Deus cur non dedit, quod nec nostra voluntate consentiente possimus superari 65.d
Deus eur non potest proficere in melius 44.a
Deus & per se, & per alios sua dona largitur
Deus gubernat mundum affectu paterno 42.c
Deus mortuorum, & dæmonum inferni dñs 146.d
Deus non potest facere aliquid vt per se subsistat citra conseruationem Dei 45.a
Deus omni momento dat homini quæcunque habet idem.
Deus pater creauit cælum & terrā per filiū 45.c
Deus pater potuisset multis alijs modis liberasse hominem quam per passionem mortis filij sui 57.d
Deus potest geoerare non tamen Deū aliū a se 44.b
Deus potest omnia quæ sunt potentiæ 44.a
Deus quia sit omnipotens, inde multa consequuntur 43.c.d
Deus qoid significet 39.b
Deus quomodo omnipotens 43.a.b
Deus quomodo sit Deus noster 146.a.c.
Descendere diuersimodē accipitur 86.a
Detractio formalis ex genere procatū mortale 101.e
Detractionibus audiendis aliter peccat pastor, aliter populus idem.
Detractores 201.b
Detrahentem audire an sit peccatū mortale 101.e

Dextrum & sinistrum quid sint 89.c
Diabolum sæpius in die adorantes 95.a
Dies aduentus dñi curcertus, & hora incerta 93.a
Dies aduentus domini omnibus incertus 91.d
Dies domini quis dicatur 72.d
Diei septimæ determinatio 170.c
Die septimo ferias agebant tẽpore legis naturę idẽ.
Die septimo vacandum Deo propter tria 170.b
Dies sept. fuit sacͣ & celebris ab initio mũdi 170.a
Dies septimus quare consecratus, non primus aut quintus 168.c
Dies iudicij licet præsciri non potest, potest tamen ex signis verisimiliter colligi 93.b
Diem quemuis pijs æquẽ esse sacrum, quem sensum Catholicum, & quem habeat hæreticum 173.a
Dies vnus quare celebris non omnes 168.c
Differentiæ inter verbũ Dei & verbũ hominis 5.b
Dilectio non omnibus eadem impendit, sed singula singulis 115.a
Dilectio præcepti qualis 113.c
Dilectio proximi et iuris naturæ & diuini, magis constringens Christianum quam ethnicos 114.a
Dilectio proximi habet sua incremẽta et grad⁹ 116.d
Dilectionis præceptũ cur dicatur nouũ 115.d.116.a
Dilectionis præceptũ intelligitur de dilectione qua te debitẽ fis secundum virtutem diligis 114.d
Dilectionis mandatum nos impleuisse quibus indicijs colligemus 115 b
Dilectionis operi debet inesse veritas 114.c
Dilectione prox. tria à Christo præcipiuntur 115.b
Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, quomodo sit intelligendum idem.
Diligere aliquem opere & veritate 114.b
Diligere tota mente, & tota fortitudine 115.c
Diligere corde, & toto corde 115.a
Diligere tota anima 115.b
Diligere & amare quomodo differunt 114.c
Diligere se mutuo debent Christiani sicut diliguntur à Christo. 116.a
Diligere toto corde aliud est, aliud prorsus ac omnino toto corde diligere 118 b
Diligens alium propter se non implet mandatũ secundum caritatis 113.d
Diligendus magis est christian. quàm infidelis 115.a
Dimisio rerũ propter Christũ fit vario modo 139.d
Dispensator fidelis cõmuniũ bonorũ quis sit 112.b
Dispensare 152.c
Diuina natura quaten⁹ est in scripturis reuelata 38.c
Doctores qui legendi, qui reijciendi 10.a
Dominus nullus est simpliciter nisi Deus 145.d
Dominus quid sit 145.c
Dominica laborare non minus prohibentur pauperes quam diuites 171.b
Dominica nobis celebris in memoriam resurrectionis 170.a
Dominica die ad quid obligemur 170.d
Dominica probatur semper in vsu fuisse à Patribus 169.c
Dominicæ diei mentionem facit Scriptura idem.
Dominicam qui obseruent fructuosè, qui inutiliter qui scelerate & damnabiliter 171.c
Dominicis diebus obligamur ad feriandum vt sanctificemus eas 170.a
Dominicis licet parare cibaria 171.a
Dominicis diebus magis laborãt Sacerdotes & ministri Ecclesiæ quàm alijs diebus 171.a
Dominicis opera caritatis nõ sunt prohibita idem.
Dominicis dieb. licet operari in reb. necessarijs 171.a
Dominium Dei quale 145.d
Dominium Dei quibus epithetis decoretur 146.a
Dominium quomodo sit in Christo secundum humanam naturam 150.c
Donec quid significet 50.b
Donum Dei est patri pro Christo 139.b
Dona Dei quando dentur 135.a
Dona Dei necessaria nõ desunt Christianis idem.
Dona Dei ob quas caussas multis desint 135.c
Dona Dei nõ statim recedunt offenso Deo 136.a
Dona sua a Deo an singuli habeant 134.d

E.

Ecclesia accepit mandatum testandi de Scriptura 15 b
Ecclesia aliter nunc Catholica, quam tempore legia 104.c.d
Ecclesia Christi quo medio hoc nostro sæculo sit cognoscenda 113.a
Ecclesia definit de libris canonicis Scripturæ sacræ. 16.d.
Ecclesia habet tribunalia, & veram auctoritatem iurisdictionis 176.b
Ecclesia dicitur multis rationibus sancta 107.d
Ecclesia quomodo dicatur sancta, etiamsi omnia eius membra nõn sint sancta 108.a
Ecclesiæ attestatione cognoscuntur Scripturę sacræ & traditiones Apostolicæ 14.d
Ecclesiæ bifariam inesse possumus 109.d
Ecclesiæ definitio 100.c
Ecclesiæ de facto ingrediũtur ficti atq; iniqui 106.b
Ecclesia ex alijs iudicat, ex alijs Deus 106.c
Ecclesiæ mẽbra, & nõ mẽbra quid distinguat 106.d
Ecclesiæ membra ab illis qui foris sunt tribus signis internoscuntur 107.a
Ecclesiæ membrum quæ fides faciat 105.c
Ecclesiæ sectariorũ cur non potest esse Ecclesia Christi. 113.a.b.c.d.
Ecclesię nostrę vnitas probatur in omnibus suis partibus, cum præcedentibus Ecclesijs 114.b
Ecclesiæ cui sit inhærendum 114.d
Ecclesiam quomodo describant Patres idem.
Ecclesiæ testimonij infallibilitas probatur 15.c
Ecclesiæ primitiuæ facta promissio transit ad vniuersam succedentem Ecclesiam idem.
Ecclesia Sathanæ multò longiùs se nunc extendit quam Ecclesia Christi 105.a
Ecclesia Dei non est occulta aut inuisibilis 105.b
Ecclesia multis nominib. tropicè exprimitur 100.d
Ecclesia Sancta, & Ecclesia malignantium fuerunt ab initio 101.c
Ecclesia sancta condita à Deo idem.
Ecclesia malignantium semper permista erit cum Ecclesia Sancta vsq; ad consummationẽ sæculi 101.c
Ecclesiæ sanctæ proprietates 101.d
Ecclesiæ vnitas quomodo sit cõsideranda 102.b.c.d
Ecclesiæ caput est Christus 103.d
Ecclesia quod inceperit a Ierusalem quomodo sit intelligendum 104.a
Ecclesia habet potestatem iudicialiter decernendi quæ sit Scriptura sacra quæ non 16.b

Ecclesia testatur de Scripturis quadrupliciter 16.c
Ecclesia primitiua quomodo cognouerit de libris veteris Testamenti quod diuini libri essent 16.d
Ecclesia mater est archimagistra 10.a
Ecclesiæ nisi reconcilietur nō fit peccator iust* 17.a
Ecclesia primitiua aliter discernit verbum Dei quā nostra 13.d
Ecclesia stetit annis multis habens tātummodo tria Euangelia 9.b
Ecclesia quare dicitur Sancta. 110.d. Quare Apostolica 110.d. 111.a.c.
Ecclesiæ auctoritas eadem quæ fuit temporibus Apostolorum 111.b
Eleemosyna danda pro defunctis 76.a
Eleemosynæ etiam ijs prosunt pro quibus fiūt 76.c
Eleemosynæ quibus defunctis prosint 76.b
Eleemosynarum distributiones pro defunctis ātem poribus Apostolorum factæ sunt idem.
Elogium veritatis 6.a
Epistolæ Apostolorum quando sint editæ 8.c
Episcoporum potestas quæ sit 179.b
Euangelij doctrina viguit annos viginti ante omnē Scripturam noui Testamenti 7.d
Euangelistæ quo tempore, & qua occasione scripserint sua euangelia 7.d. 8.a.b.
Euangelio nondum scripto quidnam respondebatur contentiosis 8.c
Euangelium an sit prædicatum per totum mundū temporibus Apostolorum 104.d
Euangelium longè ante datum fuit hominibus quā scriptum in libris 8.d
Euangelium non scripto, sed viua voce à principio fuit traditum 7.d
Eunuchi euangelici 131.d
Excommuoicatio ad quem finem fiat 178 a
Excommunicatio dum iure & debitè exercetur nihil habet crudelitatis 178.c
Excommunicare ob quas caussas lice[at] 177.d
Exenmmunicatio quid sit secundu[m sen]tentiam Cypriani 111.c
Excommunicati traduntur in pot[esta]te diaboli: & diabolus plus auctoritatis hab[et in eo]s, quàm in ethnicum hominem 178 b
Exempla magis rapiunt quàm [ve]rba 233 e
Exempla sequi bonū, sed non n[e]cessarium 241.a
Exequiæ defunctorum 75.a
Exorcismi qui fiunt per adiurat[i]ones 168.a
Extremi iudicij sententiæ 91.a.b.
Extrinsecā iustitiam asserentiū argumenta 29.a.

F.

FAcere opus imperatum aliud est, aliud facere voluntatem patris in opere imperato 144.a
Falsum quid sit 200.c
Falsum testari propter se propter torturas an liceat 201.d
Festa cōstituere an possit Ecclesiast. potestas 171.a
Festa sanctorū sunt nostra quoque Sabbatha 171.d
Festa natalitia Sanctorum ab olim celebrata sunt in Ecclesia 171.a
Festa quædā Christi cœperunt tēpore Apost. 171.b
Festa Sanctorum quare nulla fuerint tempore Christi & Apostolorum. idem.
Festiuitates legis non sunt obseruandę sicut nec Sabbathum legis. 171.a
Festorum constitutio quantæ debeat esse auctoritatis 171.d
Fœlicitas humanæ actionis finis 237.d
Fidei actus pendet à voluntate 12.c
Fides ad sui perfectionem requirit quandam animi fiduciam 21.d
Fidei definitio 23.b
Fidei definitiones aliæ 54.c
Fidei diuersa acceptio 21.a.b.
Fidei doctrina multa habet, quæ non sunt scripta in Euangelio. 9.b
Fidei mensuræ 35.a.b
Fidei plena defensio consistit in tribus 20.c
Fidei qualitas non iustificat, sed ea quæ fide apprehenduntur 31.c
Fidei quare passim tribuatur iustificatio 54.c
Fidei regula quæ sit 19.d
Fidei, spei, & charitatis ostenditur distinctio 24.d
Fidei virtus & necessitas summatim perstringitur. 34.c
Fidem deberi soli verbo Dei probatur 6.d
Fidem esse separabilem à caritate 24.d
Fidem specialē asserentiū erroneū argumentū 16.b
Fidem specialem semel obtentam non posse amitti error maximus 16.a
Fidem specialem poterunt habere de se qui acceperunt specialem de se reuelationem 15.d
Fides accipit diuersitatē ex parte obiectorum suorum 21.d
Fides aliter et aliter accepta ac alio genere caussarum iustificat 34.a
Fides historica siue humana 21.d
Fides catholica certior est scientia idem.
Fides historiæ Euangelicæ quando dicenda sit historica quando Euangelica 21.a
Fides creuit, quantum creuit reuelatio credendorum 36.a
Fides ficta, parua, infirma, sana, modica, magna, viua, mortua, otiosa, &c. 21.b.c
Fides informis, fides formata 25.a
Fides Iudæorum nunc viuentium est perfidia & blasphemiæ hæresis 37.a
Fides probatur esse eorum quæ non videntur 14.a
Fides quomodo reputatur ad iustitiam 34.b
Fides simplicium & maiorum: itemChristianorum & filiorum Israël eadem est 36.d
Fides vniuersalis ex auditu 7.b
Fides specialis coouincitur non esse fides 15.c
Fiducia non solum pertinet ad spem 23.b
Filius Dei æternus tamen conceptus & natus in tēpore 51.a
Finis mundi est consummatio sæculi 95.c
Fornicando grauius peccat Christianus quàm ethnicus 211.d
Fornicatio an sit peccatum 185.c
Fornicatio quæ mala contineat idem.
Fornicationes nō sunt omnes eiusdē naturæ 186.c
Fratres quot modis dicantur secundum Scripturam 59.a
Fructum passionis Christi cur nō recipimus 68.c.d
Fugiendum cur sit in pugna carnis 187.d
Furta & rapinæ an prohibita sint lege naturali 189.a
Furta omnia quare non sint eiusdem generis 194.c
Furta quæ violāt iustitiam distributiuam sunt peiora

iora, quàm quæ communicationẽ violant 194.c
Furtim res sibi ablatas recuperare aliquo casu licet. 193.d
Furtum 188.c
Furtum continet in se duas malicias idem.
Furtum est peccatum ex genere mortale 193.d
Furtum quibus de caussis fiat veniale idem.
G.
Gaudium cordis auget, quidquid auget virtutem 139.b
Gaudiũ spiritus foris affligi propter veritatẽ 139.c
Generare non posse ab initio ac citra moram est imperfectionis 46.b
Gratiam Euangelicam nemo potest mereri 121.b
Gratia procedit de imperfecto ad perfectum sicut natura 65.b
Gratis venundati sumus, & sine argento redimimur 60.c
Gloriosa quæ fortia 65.a
H.
Haedi qui sint 89.b
Hæreticus in vno articulo non retinet Christianam fidem 12.a
Historica narratio Apostolorum re vera verbũ Dei est 4.b
Homicida dicitur qui seducit aliquem 181.b
Homicidium multi perpetrant etiamsi corpus non tangant 181.a.b.
Homicidij genere comprehenditur omnis affectus ad nocendum fratri 181.d
Hominem dici Saluatorem filiorum Israel aut mundi non est contra Scripturam 157.d
Homo spiritu suo eloquitur humanam non autem miseria Dei 4.a
Honor parentum non debet esse fictitius, sed verus & cordialis 175.b
Honorauit Christus patrem suum 174.d
Honorare patrem & matrem includit tria idem.
Humiliantes se nequiter peccant 101.c
Hypocrisis 101.d
Hypocrisis an sit mortale peccatum 101.a
Hypocritæ an sint omnes peccatores cupientes pro bonis Christianis reputari 101.a.b.
I.
Iactantia 101.b
Iactantia an sit peccatum mortale 101.c
Idipsum dicere quid sit 11.b
Idola ethnicorum aliud sunt, aliud imagines Christianorum 161.a
Idoli Christiana descriptio 40.a
Idololatriæ caussam quid præbuerit 40.c
Idololatria fit plerunque non glorificans Deum secundum gratiam acceptam idem.
Idololatræ quomodo increpentur à Domino 40.d
Idololatræ sunt multi Christianorum idem.
Idolum & simulachrum idem significant 40.a
Idolum nihil est in hoc mundo 39.d
Iesus per impositionem vocatur 47.d
Iesus quomodo saluum faciet populum suum 48.a
Iesu nomen quomodo prænuntiauit lex idem.
Ignorantia affectata 118.c
Imagines verarũ histor. solum admittẽdas esse 161.c
Imaginum quis sit legitimus vsus 160.d
Imag. vsum non esse contrarium mandato Dei 161.a
Imagines Sanctorum num possint dici idola 40.a
Imaginum vsum totalem Deum non prohibuisse probatur ex Scripturis 160.a
Imago agni Dei cur seruari debeat 162.a
Impijs prodest habere pios secum habitantes 116.d
Impossibile non cadet sub præcepto 115.d
Indulgere 152.c
Incestus 186.d
Infernaan sint sub terra 69.d
Inferna esse varia ex Scripturis probatur 70.b
Inferna quæ dicantur si termini articuli accipiantur metaphoricè 70.a
Inferna quæ sunt 69.c
Infernalis ignis perpetuo vret, & cruciabit damnatos 91.d
Inferni morsus quomodo sit Christus 71.a
Inferni qualitas quæ sit 79.c
Infernũ esse post hanc vitã negabant Albienses idẽ.
Infernus dicitur relatiuè 69.c
Infernus damnatorum non solum stabit vsque ad iudicium, sed etiam post iudiciũ in æternũ 80.b
Infernus inferior quib. nominibus appelletur 70.d
Infernus varius 63.c
Infideles iam sunt iudicati, sed nondum condemnati 111.c
Iniquitas iudicum pertinet ad calumniam 197.b
Iniustus quare dicendus sit, qui non est in eo statu, vnde posset consequi finem suum 17.c
Institores 197.a
Intercedit Paulus pro alijs, & aliorum intercessiones pro se fieri cupit 157.c
Inuasio, læsio corporalis, diræ imprecationes mortis aut plagæ sunt contra mandatũm Dñi 181.a
Inuenta 194.b
Ioseph mansit perpetuo virgo 50.d
Iudicia quadruplicia prohibẽtur in scripturis 105.b
Iudicium extremũm 86.c
Iudicij diem non sciunt sancti, sed posset Deus eis reuelare si vellet 91.d
Iudicij extremi tempore lamentabuntur impij, & gaudebunt pij 89.d
Iudiciorum aliud interlocutorium, aliud definitiuum 87.b
Iudicium extremum ob quas caussas fiet 91.a
Iudicium non veniet, nisi præcederint defectio & Antichristus 93.d
Iudicium qua maiestate fiet 88.b
Iudicium vniuersale quare non fiet in cælo 87.d
Iudicium quare conueniat fieri in parte mundi inferioris idem.
Iudicij extremi tempore illuminabuntur absconditæ tenebrarum 90.b
Iudicij extremi tempore qualis erit reddenda ratio vitæ idem.
Iudicij extrema actio an multo tẽmpore sit duratura 90.d
Iudicij vniuersalis locus 87.d
Iudicium an sit futurum in valle Iosaphat idem.
Iudicium hypocriticum 105.b
Iudicium aliorum sui ipsius condemnatiuum idẽ.
Iudicio peracto finis omnium rerum 95.a.b.
Iudicium quid sit 87.b
Iudiciũ vniuersale cur addatur post particulare 87.c
Iudicium vsurpatum 104.d

Iudicans

Iudicandum quid sit de notorijs 205.c
Iudiciaria potestate vsi sunt Apostoli 276.d
Iudæi cur peccarint facientes quod secundum decretum Dei faciendum erat 58.a
Iudæi quare inuidebant Christo 58.c
Iudex quis sit futurus 86.d
Iudicabit Christus vt homo, non Deus pater idem
Iudicatur quare sit Christus in forma humana 86.d
Iudicandus proximus nõ est, sed quantum fieri potest excusandus 205.c
Iudicandum est iuste & piè in criminalibus 181.d
Iudicant aliter Doctores, aliter temerarij 204.d
Iudicare alienum seruum non licet 205.a
Iudicare ante tempus, aut secundum faciem, vel secundum carnem quid sit idem
Iudicare de personis aliud, aliud de rebus 203.d
Iudicare indignè de rebus Deo sacris 204.a
Iudicare malè de legibus quàm magnum peccatum sit 204.c
Iuramenta incauta 167.b
Iuramento suo an ligentur qui dolose iurauerunt. 167.c
Iuramentũ dicere non esse licitum hæresis est 165.a
Iuramentum habet laudem & præceptum in Scripturis 166.b
Iuramentum finis est controuersiarum 166.a
Iuramentum vergens postea in deteriorem exitum rescindendum est 167.b
Iurandi consuetudo an excuset 167.d
Iurationis multi sunt casus 163.d
Iurare an liceat alium cogere 167.c
Iurare fit multis modis malè, vno autẽ bene 165.a
Iurare legitimè per Deum est Deum colere actu religionis 166.a
Iurare leuiter in vanum an grande sit peccatũ 167.d
Iurare licet in genere sit prohibitum tamen in certa specie sanctè fieri potest 165.b
Iurare in iudicio & iustitia 165.c
Iurare omnino quare Saluator probibuit 165.d
Iurare per animam an liceat 166.d
Iurare per creaturam more iudæorum quomodo liceat, & quomodo non liceat 166.c
Iurare per creaturã quare Saluator prohibuit 167.a
Iurare per creaturas more Gentilium malũ est 166.c
Iurare per creaturas more stultorum Christianorum idem.
Iurare per nomen Dei in genere continet quandã irreuerentiam 165.c
Iurasse leguntur Sancti 166.b
Iurationi per creaturas debent adesse tres comites. 166.d
Iuratio super turpitudine aut iniquitate magis est polluere nomen Domini, quàm peierare 167.b
Iuratur bene per creaturas more Sanctorum 166.d
Ius ad regnum prius, postea datur eiusdem possessio 91.a
Ius commune 189.b
Ius & iustitia vnde dicantur 26.b
Ius gentium cedit iuri naturæ 190.c
Ius gentium introduxit proprietatem rerum propter tria 190.b
Ius naturale, ius gentiũ, & ius ciuile 189.c.d.190 a.b
Ius primæuum naturæ nulla lege aut ordinatione deleri potest 191.c
Ius quo quis tenetur esse idoneus ad finem creationis suæ vnde surgat 27.b
Iusiurandum computari debet inter ea quæ necessaria sunt, non inter ea quę per se bona sunt 167.d
Iusti homines non moriuntur sed obdormiunt in Domino 133.c
Iustificare etiam potest, quod viuificare potest 219.c
Iustificari extrinsece, & extrinseca iustitia sunt profanæ vocum appellationes 29.a
Iustitia Christi quibus modis se habet ad iustitiam nostram 31.a
Iustitia duplex 194.c
Iustitia & meritum ex parte Christi inuenitur in remissione peccatorum 123.a
Iustitia fidei comparata Deo multum est 30.c
Iustitia fidei suscipit incrementa & decremẽta 29.c
Iustitia nostra an posset dici ex nobis 121.d
Iustitia qua iusti sumus coram Deo non est ea nobis 28.d
Iustitia quomodo accipiatur 60 c
Iustitiã vt non est ex lege Moysi, ita ex nulla lege, neque vllis viribus nostris est 28.d
Iustitiæ nostræ principales caussæ 31.b
Iustitiæ ponuntur quatuor gradus à D. Berna 12.c
Iustitiæ vox quid per se importet 17.d
Iustificatio aliud, aliud remissio peccatorum 28 c
Iusti qui non sint dicendi 14.d
Iustus nemo nisi fuerit restitutus in eum ordinem vnde peccando exciderat 17.b
Iustus nemo nisi reconcilietur proximo quem læserat per iniquitatem 17.a

L.

LAtria intelligitur in Scripturis nomine seruituris 151.b
Lex affert multas vtilitates 142.b
Lex est penes mandantem, obediendi necessitas in subditis idem.
Lex vetus tota interijt 143.c
Lex Moysi, & lex naturæ non iustificant à peccatis 112. d
Libertas Euangelica quæ requirat 250.c
Libertas Euangelica imprimis fouetur in monastica. 250.d
Libertas 250.c
Libri qui aperientur in Iudicio extremo 90.a

M.

MAla minora permittuntũr per indulgentiam. 254.d
Mala neque volente neque nolente Deo fiunt 153.a
Mala non fiunt Deo auctore idem.
Maledictio Dei quàm sit efficax 139.a
Maledici 101.d
Mali manent colligati in Ecclesia non Spiritu sancto intus inhabitante, sed donis eius 110. b
Mali quo inexistendi genere sint in Ecclesia 108.d
Mali perseuerantes & impœnitentes sunt in Ecclesia. 109.b
Mali manifesti an sint in Ecclesia 109.c
Mali omnes an sint extra Ecclesiam, quia sancta est 108.a
Malos in Ecclesia esse probatur Scripturis & exemplis 108.b.c
Malos non esse in Ecclesia ad quem finem contendant hæretici 110.c

Malum

Malum non est cuius singulæ partes bonæ sunt. 148.c
Mandata Dei non esse grauia 141.b
Mandata esse difficilia peccatoribus 141.c
Mandati Dei executio quid sit. idem.
Mandata latius explicandi commissionem habuit Moyses. 145.a
Mandata tractabuntur Euangelice & non legaliter quia lex mortua est 143.b
Mandatorum Dei obseruatio est via ad vitã 137.a
Mandata Dei qui non custodit nõ cognoscit Deũ. 120.a
Mandato etiam cæleste regnum constat 141.d
Mandato constat pędagogia virtutis, & ordinis cognitio idem.
Mandatorum Dei transgressores maledicũtur multis modis in lege 139.a
Mandatorum præuaricatores quomodo extermi nabuntur 139.b
Mandatorum Dei obseruatio si non adsit omnia nihil 237.d
Mandatum obseruans vt seruus non peccat, tamen sibi inutilis manet 141.d
Mandatum primum habet duas partes 145.a
Mandatum sancte exequi sine gratia Dei impossibile est 141.d
Mandatum sanctum & iustum 141.b
Maria veraciter mater Dei 51.b
Maria virgo concepit lege supernaturali 49.a
Maria quod conceperit mirum, & non mirũ idem
Mariam concepisse sine virili semine probatur 49.c
Mariam reuera genuisse & non effudisse Christum velut per fistulam 50.a
Mariam virginem fuisse vsque ad conceptionem, & post conceptionem, & post partum, ac perpetuu virginem permansisse probatur 49.d.50.a
Martyribus quibusdam passionis suę dolorem mitigauit gratia Dei 54.a
Matrimonij legitima 185.b
Mediator quod sit Christus, & sancti tamen sint intercessores quomodo constet 157.a
Mediator qua ratione dicatur Christus 157.b
Mediator non vocatur Christus quia intercedit idẽ
Mendacia iudicum & aduocatorum 207.d
Mendacia quæ videntur multa in scripturis excusantur 107.a
Mendacium est triplex 206.b
Mendacium multipliciter est vehementer perniciosum 206.c
Mendacium quid sit 205.d
Mendacium omne, malum est 206.a
Mendacium habet conuolutam malitiam idem.
Mendacium perniciosum fit tripliciter citra culpã mortalem 206.d
Mendicantium vulgus 193.b
Mendici sunt symbolo seu collatione iuuãdi 224.d
Mens quid sit 215.c
Mentiri licet nullius pietatis intuitu 206.a
Mercedem operariorum fraudantes 197.b
Merita Christi actu non operantur in nobis, nisi Christus fiat noster. 67.b
Meritorum Christi sufficientia & efficientia 67.a
Meritum Christi cur non perueniat ad omnes 66.d
Miracula à Deo designari ad pręsentiam imaginum 161.d
Miraculis Saluator noster doctrinam suam probat. 13.d
Miraculorum attestatio per se non sufficit 16.c
Miraculorum exhibitione antiqua doctrina non eget 14.b
Miraculorum exhibitione noua doctrina fidei semper introducta fuit idem.
Miraculorum attestatio 14.a
Missę Symbolum 46.b
Missarum sacrificia prodesse multis probatur 75.b
Mœchus 184.b
Modi multi permittendi 254.b
Monachus quid significet 252.a
Monachus quomodo seipsum offerat 248.d
Monachus quousque debeat obedire 250.d
Monastica obedientia nihil habet seruilitatis 250.c
Monastica religio qua serie viguerit ab hinc vsque ad tempora Apostolorum 151.b
Monastica religio viguit temporibus Apostolorũ. 151.c
Monastica exercitamenta non sunt annumeranda inter egena elementa 249.a
Monastica societas multum palearum semper habuit 249.b
Monastice non est perfectio Euangelica, sed via tendendi ad perfectionem Euangelicam 249.d
Monastice facit hominem velut virtutem armatã. 148.d
Monastice efficit hominem sacificium medullatũ Deo idem
Monasticus habitus sua vniformitate valde concordię seruandę conuenit 250.a
Morientur omnes ante iudicium 131.b
Mors Christi qua ratione dicatur vicisse mortẽ 63.b
Mors varia 63.c
Mortalis & immortalis vnus ac idem homo simul est 134.c
Mortem omnẽ quomodo paulatim vincimus 63.d
Mortuos iuuari viuorum intercessione exemplis probatur 77.d

N.

NAsci & renasci contingit tantummodo semel, imitari contingit multoties 6.a
Natura est communis mater omnium 190.b
Natura integra multa per se potest quæ per se non potest natura corrupta 190.d
Necessitas extrema qoando sit 193.b.c
Necessitatem patienti non subuenientes peccant grauiter 182.c
Necessitate extrema oppressus si rapit aliena non peccat 191.d
Necessitate compresso qui negat, iniquus est, nedũ impius idem.
Nomen Dei quod ipsi soli conuenit secundum Hebræos. 146.d
Nominis domini Dei, quod Græci τετραγράμματον vocant, mysterium 147.a
Nomina diuorum, plagarum, creaturarum sintne computanda inter nomina Dei 164.b
Nouitates vocum non profanæ 11.c
Nubere melius est quàm vri his qui liberi sunt 136.c
Nubes cæli in quibus veniet Christus ad iudicium quæ sint 88.c.d

Nuptias

Nuptialis vestis quid sit 106.d
Nuptiæ non egent indulgentia 154.d

O.

Obedientia fœlicitatis mater 243.a
Obedientia libera ad quam nos voto obstringi mus 244.c
Obientia qua se Christus abnegauit 248.a
Obedientis perfecta in monasterijs 246.a
Obedictia perfecta qui potissimũ claruerũt 245.c.d
Obedientia quàm exaltet hominem 248.a
Obedientia quibus victimis præferatur 248.c
Obedientia quò relationem habeat 243.b
Obedientiam filialẽ Christianus debet Deo 246.b
Obedientiam homo debet Christo qualem Deo 246.c
Obedientiæ necessariæ subdiuisio 243.d
Obedientiæ perfectæ consilium exprimitur 244.d
Obedientiæ subdiuisio 243.d
Obedientiæ liberæ subdiuisio 244.a
Obedire æque aut magis hominum constitutioni atque mandatis Dei corruptela est 246.d
Obedire Deo vsque ad perfectam sui ipsius abnegationem est consilij Euangelici 244.d
Obedire Deo magis oportet quàm hominib. 151.b
Obedire in auditu auris 244.a
Obediendum Ecclesiæ obedientia filiali 246.c
Obediendum præpositis eadem ratione qua Christo & Ecclesiæ 246.d
Obediendum non est alicui contra iustitiam aut veritatem 180.a
Oblatio in cruce facta fuit tam pro defunctis quàm pro viuis 74.b
Occidens animalia an sit sine culpa. 180.d
Occisio quam facit princeps non propriè vocatur homicidium 181.c
Occisio hominis prohibetur mandato Dei 181.a
Occisio animæ per seductionem an prohibeatur mãdato Dei idem.
Ocium quare fugiendum 187.c
Oeriopolæ 197.a
Offerendi potestas pro defunctis data fuit Apostolis à Christo 75.c
Offerendi consuetudinem pro defunctis ex Patribus probatur esse Apostolicam 75.c.d.
Opera valere ad iustificationem 33.a
Opera bona quæ & fidem sequuntur & iustificationem quantum valeant 33.b
Opera bona iustorum merentur pleniorem iustitiã. 33.c
Opera bona iustorum merentur vitam æternam. idem.
Operum retributio fiet tam iustis q̃ iniustis 33.c
Opera bona hominis peccatoris quid vtilitatis habeant 123.b
Opera misericordiæ cur in extremo iudicio Christus solum explicet 92.b
Opera præcedentia fidem quæ dicantur, & quæ sequentia 32.d
Operarij ac serui infideliter laborantes 197.c
Orandũ pro fratribus qui non perseuerantin peccatis vsque ad mortem inclusiue 74.c
Orandi modum pro fratribus defunctis constitutũ à Ioanne Apostolo semper obseruauit Ecclesia Catholica. 74.d
Orationes viuorum prodesse defunctis, Scripturis probatur 74.c
Oratum est pro defunctis à temporibus Apos. 74.d
Originale peccatum non habuit Christus 52.b

P.

Parentes quales sint non est æstimandũ, sed quod eos habemus parentes 175.a
Parentibus contumeliam aut iniuriam exhibentes peccant grauissime 175.d
Parentum necessitati vt subuenias neque votũ est soluendum, neque matrimonium 175.c
Passionis Christi caussa quomodo nos fuerim' 58.d
Passio Christi continet quatuor annotanda 61.c
Passio Christi licet nunc non sit, tamen nunc operatur per viam meriti 63.a
Passionis Christi fructus 61.b.c.d.62.a
Passio Christi fuit opus multorum, sed diuersimode 58.c
Passionis Christi necessitas quàm denotat verbum oportet vnde nascatur 55.d
Passio Christi quatuor de caussis excedit omnem passionem aliorum 53.a.b
Passionis tempore Christus destitutus fuit omni solatio dolorem mitigante 53.c
Passio Christi vna ratione est deflenda, alia ratione amanda 58.d
Pastores qui fraudant populum necessario pabulo salutis peccant grauiter 181.c
Pater cur potius vocetur Deus quàm dominus in Symbolo 41.c
Pater in diuinis non est antiquior filio 46.a
Pater tribus de caussis ponitur in articulo Symboli 43.a
Patrem fecisse filium suum peccatum quomodo sit intelligendum 55.b
Patrem imposuisse Filio innocenti tormenta passionis non est indecorum 55.a
Patris & matris nomine quid intelligatur 174.b.c
Pauperes spiritu qui dicantur 238.c
Pauperem facilius saluum fieri quàm diuitem 111.a
Paupertas duplex 237.d
Paupertas voluntaria computatur in consilia Euangelica idem.
Paupertas Euangelica simul cum Euangelio mundo illata est 238.a
Paupertas Euangelica cẽtuplo remuneratur 238.c
Paupertas Euangelica quam accipiet affluentiam rerum in hoc mundo 238.d
Paupertas quæ foris est qua ratione generet intus in corde gaudium 239.c
Paupertate Euangelica requiritur ius in regnum Dei 238.c
Paupertatem diuitijs præferre nolentium varius error. 241.b
Paupertatis Euangelicæ dulcedo & remuneratio. 239.a
Paupertati voluntariæ promissio facta 238.b
Peccare aliud, aliud peccatum habere 117.a
Peccare nemo non potest in hoc mundo 115.a
Peccare non posse aliud, aliud non peccare 115.b
Peccandi actus licet cessat: non statim tamen cessat auersio 115.d
Peccant homines non solum commissione, sed etiã omissione, & negligentia 215.c

Peccare propriè quid ſit 115.c
Peccata clamantia 118.d.119.a
Peccata remitti poſt mortem probatur 73.c.d
Peccata an ſint quæ committimus contra leges humanas 115.b
Peccatum ad mortem quid ſit 74.d
Peccatum cui Deus non imputat qua ratione beatus 110.b
Peccatum contra naturam 186.d
Peccatum cur definitur eſſe iniquitas 146.d
Peccatũ eſt auerſio ſeu deuiatio à lege Dei 115 c.d
Peccatum eſt culpa, eſt offenſa, eſt iniquitas 116.a. Eſt macula, & profanatio, & vulnus, & mors animæ. 116.b.c.d
Peccatum æternaliter puniri an ſtet cum immenſa miſericordia Dei 139.c
Peccatum æternaliter puniri æquum eſt ſi ea ria perpendantur 139.d
Peccatum temporaneum rectè puniri æternaliter à ſimili demonſtratur 139.d
Peccatum Originale quid ſit 117.b
Peccatum actuale, mortale, veniale 117.c d
Peccati mortalis diuiſio 117.e
Peccata hominum ſunt inæqualia 118.a
Peccatum tribus modis committitur ſecundũ Gregorium 118.b
Peccatum & incommoda eius 110.c
Peccatum originale remittitur Baptiſmo 121.a
Peccatũ quatuor modis cõſummatur in opere 119.c
Peccatum varium 63.c
Peccatum vnum poſſe remitti ſine alijs includit repugnantiam 114.b
Peccatum tribus impletur 109.a
Peccatorem non poſſe mereri remiſsionem peccatorum ratione phyſica probatur 112.c
Peccatores omnes ſunt exhortandi vt contineant ſeſe in exercitio bonorum operum 113.c
Peccatores quidam difficilius redeunt ad viam ſalutis quàm alij 119.d
Peccatori non aliud debetur quàm mors & perditio 111.e
Peculatores 197.a
Peculium ſibi facientes de publico peccant 199.c
Pelagiani dicunt Chriſtum non redemiſſe genus humanum 59.b
Perfectum, totum, & omne ſeſe comitantur 117.a
Perfecti ſignificatio habet ſuam latitudinem idem.
Perfectio rei eſt accidens eius 89.b
Perfectio animæ alia eſt, alia patriæ 218.b
Periurus non eſt, quicunque malè iurat, ſed quicunque iurat falſum 167.a
Periurium quid ſit idem
Periurium habet conuolutam malitiam, ſic iuratio ſuper re vana per nomen Domini 164.d
Permittere quid ſignificet 152.b
Permittit Deus mala fieri 151.d
Permittuntur quædã ſecundũ diſpenſationẽ. 154.a
Perſonæ tres in diuinis æquè Sanctæ 98.c
Perſonarum diuinarum vna eſſe accipit ab alia 46.a
Pœnarum duplex eſſe genus 55.a
Pœnitentiæ actiones quo ordine cooperẽtur 121.b.c
Plagiarij 197.a
Pontificem ſummum, & alios Epiſcopos habere iudiciariam poteſtatem in foro conſcientiæ 176.c
Poſſeſsio in communi vnde cõmendetur 141.d
Poſſeſsio quorundam in communi parum laudanda idem.
Poſsidere regnum eſt eſſe Regẽ actu regnantẽ 91.b
Poſsidere omnia quid ſit 139.b
Poteſtas hominis & Dei ſuper homines eadem, ſed aliter in Deo, aliter in homine 150.c
Poteſtas præſidendi communitati à Deo eſt 150.d
Præceptum ſecundum in quo ſimilat priori 113.e
Præceptum finis conſiliorum, finis præcepti caritas 137.d
Præceptum vt fiat à nobis vtiliter quibus ſit neceſſarium 143.d
Præcepta Decalogi qua ratione obſeruanda ſunt tẽpore Euangelij, cum Decalogus pars ſit veteris legis 143.b
Præcepta non implentur ſine gratia Dei 119.c
Prædeſtinationis diuinæ nullum eſt meritum 67.d
Prælati an poſsint facere leges & cõſtitutiones 178.b
Præſcriptio Eccleſiæ obijciẽda eſt reijciẽtibus quaſdam Scripturas & antiquas traditiones 17.b
Præſcriptio etiam obtinet in rebus fidei & religionis idem.
Præſcriptione oſtenditur veritas iuſtæ poſſeſsionis 17.c
Primogenitus etiam dici poteſt quem non ſequitur ſecundogenitus 50.c
Princeps & ſacerdos ſimul cum vita poteſtatẽ deponunt 150.b
Principibus timorem & honorem debent ſubditi 180.b
Principibus & magiſtratibus debetur honor & obedientia 179.c
Principibus tam malis quàm bonis obediendũ eſt. 179.d
Prophetæ vet. Teſt. locuti ſunt ſpiritu ſancto 4.c
Proprietas rerum probatur licita 191.c.d
Proprietatem rerum argumenta damnantia, & ſtabilientia 189.a.b
Proprietatem rerum Chriſtus approbauit 141.b
Propriũ ab initio multi Chriſtiani habuerũt 141.a
Proximus non niſi relatione ad aliũ dicitur 220.b
Proximus poteſt eſſe vnus alteri pluribus rationibus 220.c
Proximus quis ſit ſecundum ſenſum mandati idẽ.
Proximus haberi debet omnis qui homo eſſe cognoſcitur 210.c
Proximum eſſe omnẽ hominem omni homini ſcripturis probatur 210.d
Proximi noſtri ſunt hæretici & infideles vſque ad mortem, non autem poſt mortem 213.a
Proximos ſuos ne minimam quidem partem hominum reputant ſectarij idem
Proximi noſtri ſunt Angeli 213.b
Proximi naturam diligere oportet, non qualitates malarum affectionum 215.c
Proximo omni ſubueniendũ in eo quo proximus eſt. 214.c
Proximus aliud ſignificat quàm amicus 215.b
Proximus quod ſit omnis homo omni homini, quibus de cauſis fiat 211.a
Proximos inter ſe eſſe Chriſtianos multis rationib. conſtat 211.b.c.d
Proximum eſſe vna re ſatis eſt 212.b

Purgatorio qui continentor eciderunt ad Austrũ 77.b
Purgatorium esse carcerem expiationis, esse ignem expiatorium scripturis probatur. 71.b.d
Purgatorium quibus continget 71.b
Purgatorium esse docet consurmiter cum Scripturis doctrina Ecclesiæ 74.b
Purgatorium ex Scripturis demonstrari potest 71.b
Purgatorium vnde sit dictum 70.d

Q.

QVæ censendum de malis pœnarum 255.b
Quiescere in Domino non est otiari 171.d

R.

RApina est grauius peccatum q̃ furtum 188.c
Rapina est peccatum mortale 194.b
Rapina & raptus differunt 194.c
Rapinas prohibitas esse probatur scripturis 188.d
Raptus 186.c
Rebellis quis dicatur 141.b
Redemptio quid significet 60.e
Redemptionem quæ est in Christo nobis datam esse, solius est gratiæ non meriti 113.b
Reliquiæ peccatorum expiãtur ab anima post mortem 74.a
Remissio peccati & iustificatio sunt ex reputatione Dei miserentis 112.d
Remissio peccatorum ex parte hominis quæ requirat 111.a
Remissio peccatorum sæpius iterari potest 125.e
Remissio peccatorum & impij iustificatio an idem sint 110.a
Remissio peccatorum suscipit Incrementum 124.d
Remisso peccato an sint simul sublata omnia quæ secum adfert peccatum 124.d
Remittit Christus peccata secundum humanam naturam 113.d
Remittit peccata aliter Deus, aliter Christus, aliter Sacerdos 114.a
Remittere iubetur omnis homo offensam in se cõmissam, in quantum se concernit, non in quantũ Deum concernit idem.
Remittontur peccata à diuersis per diuersa media. 110.e.d. 111.a
Remittit nec Deus, nec homo peccatum cum præiudicio tertij 114.b
Resurgent omnes homines, sed non omnes immutabuntur 119.e
Requies sanctorum incepit post Christum resurgentem 188.d
Resurgent omnes pij eodẽ modo quo Christ' 117.d
Resurrexisse multos cum Christu probatur 83.a
Resurrexio eorum qui surrexerunt cum Christo vera erat 83.b
Resurrectio carnis probatur ex Proph. Iob 125.e
Resurrectio Christi probator scripturis 81.a.d
Resurrectionis Christi tempore ad quid terræmotus factus sit 82.a
Resurrectio carnis probatur testimonijs noui Testamenti 115.d
Resurrectio impiorum quomodo fiet 119.d
Resurrectio mortuorum non erit difficilis 130.e
Resurrectio mortuorũ quomodo per Christũ 118.a
Resur. mortuorum erit in nouissimo die 130.b
Resur. mortuorũ nõ longius hora abestà nobis idẽ.
Resurrectio fiet simul & eodem tempore 131.a
Resur. Christi & aliorũ quæ sit diuersitas 127.d
Resurrectionis Christi fructus 81.c
Resurrectionis nostræ spem viuam habemus per resurrectionem Christi 81.d
Resur. omnium Christus caussa est & ratio 83.b
Resur. iustorũ Christ' forma est & exemplar 83.a
Resur. negãtes velut hereticos redarguit Apos. 117.a
Resur. quib. similitudinibus probet Paulus 128.b
Resurrectione facta qua ratione corpus magis erit spirituale quàm ante 129.a
Reus fit omnium qui offendit in vno 139.e

S.

SAbbathom Domini ab initio mundi typum gessit requiei quæ est per Christum 169.a
Sabbathum filijs Israel datum in præceptum non Christianis 169.b
Sabbathum mutatum in Dominicam idem.
Sabbathi translatio in Dominicam a quo & cuius auctoritate facta sit 169.c
Sacramentis iustificamur, & non fide tantum 31.d
Sacrilegi sunt recipientes beneficium & non facientes officium 195.a
Sacrilegium 186.d. 174.d
Salus non offertur per Christum nisi certo modo qualificatis 25.d
Saluom esse a peccatis quid sit 47.d
Sanguis Christi quoties nominatur reuerentia exhibenda 62.e
Sanguine Christi per fidem redimitur debitam præcedentium delictorum 26.d
Sancta Dei non passim aut omnibus communicanda 112.b
Sancti in quo ordine sint 153.c
Sancti quomodo sint venerandi idem.
Sanctis communis est cum Deo ceremoniarũ cultus: quia vnum sunt sancti cum Deo 153.d
Sanctorum inuocationem semper creditam fuisse in Ecclesia idem
Sancti Angeli orant pro nobis, curam nostri gerũt, nostras orationes offerunt Deo, mittuntur in ministerium eorum qui salui fiant 154.a
Sanctos intercedere pro nobis ostenditur ex lege caritatis 154.c
Sanctorum inuocationem esse vtilem ex articulo fidei probatur 154.d
Sanctorum communio 155.a
Sancti quo modo opitulentur nobis 155.c
Sancti non sunt Dij 151.c
Sancti & Deus ineffabili modo vnum sunt idem.
Sancti possident regiam maiestatem aliter, aliter Christus 151.d
Sancti quomodo sunt vnum cum Christo 151.a
Sanctorum animæ an nũc sint cum Christo in throno Dei patris idem.
Sancti qua ratione sint honorandi 152.c
Sancti Dei homines quod patiuntur qua ratione dicatur pro alijs esse 226.c
Sancti participatione quadam dij sunt 41.b
Sancti intuẽtur speculũ in quo relucẽt omnia 158.b
Sãctos qui rogat subsidiũ Christũ nõ excludit 159.a
Sancti nũq̃ nominandi sunt inter mortuos 157.d
Sanctorum cultum ab initio docuit Ecclesia pro-

pter quatuor 153.a
Sanctorū de numero aliquē esse vnde constet 153.b
Sanctorum cultum non esse reijciendum propter quorundam abusus idem.
Sanct. aliter participes sunt iusti, aliter iniusti. 111.d
Sanctorum dies mortis vocatur natalis 158.a
Sanctorum mors corporalis est ostium vitæ 157 d
Sanctus quid significet 98.c
Sanctum in scripturis accipitur multifariam 107.d
Sanctificatio quid significet 60 c
Sapientia vera, est verbum Dei ad cor transiens 5.d
Satisfacere quid sit 60.d
Schismatici & excommunicati sunt foris extra Ecclesiam 107.c
Scriptura & Ecclesia loquuntur de sanctis tanquam viuentibus, quasi mortui non essent 133 c
Scripturam vbique exigentibus quid respondendū sit ex ipsis scripturis 18.a
Scripturis probatur certitudo qua credi debet verbum Dei 5.d
Scripturis solis esse credendum qui asseuerant hæretici sunt 18 b
Scripturam multi tenent sine verbo Dei 107 c
Scripturæ vt bene intelligantur opus est magistrum sequi 19.c
Scripturas per se non posse intelligi docet Hier. idē
Scripturæ vt bene intelligantur quem oporteat præcipuè ducem sequi 19.c
Scripț. pro se fere semper producunt hæretici 18.c
Scriptura multipliciter vitiatur 18.d
Scriptura vet. Testam. tam est spiritus sanctus quā scriptura noui Testamenti 4 d. (no176.b)
Sectarij odiēdi, vel ea ratione q̄ ... consistant in v-
Sententia damnatorū qua praxi poterit euitari 91.d
Sent. interlocutoriæ & principalis differentia 111.d
Seruire quid propriè sit 149.c.d
Seruit nemo Deo in vitiosis actibus 149.d
Seruimus Deo in quauis re honesta facta secundum rationem virtutis in laudem Dei 150.a
Seruiendum sit cur & quomodo soli Deo 150.b
Seruiēs homini in honestis & licitis Deo seruit 151.a
Seruiendum est Deo soli seruitute latriæ 151.b
Seruiendum esse soli Deo scriptura quæ præcipit, eadem præcipit hominibus seruiendum 151.a
Seruitus 150.c
Seruitus varia 63.d
Sicut non quantitatis, sed qualitatis significationē habet 114.a
Sicut similitudinis non quantitatis significationem habet 116.a
Signum vniuersale facit distributionem aliquando pro generibus singulorum, aliquando pro singulis generum 68.b
Simonia 195.a
Simonia tria capita requirit consideranda 195.b
Simonia sex habet regulas considerandas 195.c
Simonia vt sit puniēda ab Ecclesia duo requirit 196.b
Simonia mentalis, quæ tripliciter inuenitur in homine 196.c.d
Simulachra sua quo loco Gentes habuerint 160.b
Solicitudo anxia venit ex imperfectione fidei 41.d
Solicitudine rerū non oportet angi Christian. 41.d
Speranda quæ propriè dicantur 23.c
Speranda quænam subsistant in nobis per fidem genennæ 13.c
Spiritus varia significat in scripturis 96.a
Spiritus mali varij 96.c
Spiritus sanctus probatur esse Deus 96.d
Spiritus Dei est vita animæ 137 b
Spiritus dicitur sanctus per appropriationem 98.c
Spiritus sanctus habet alia nomina 98.d
Spiritus sanctus aliud est, aliud donum eius 110.b
Spiritus S. an per malos loquatur verbum Dei 5.a
Spiritus sanctus à Patre & Filio 97.c
Spiritus sancti duplex processus 97.d
Spiritus sanctus cur vocetur Spiritus Dei 98.b
Spiritus sanctus est præcipuus tutor fidei 10.c
Spiritus sanctus non quemuis illuminat intus in corde per reuelationem 16.a
Spiritus sanctus quomodo mittitur, & quomodo venit ad nos. 99.a
Spiritus sanctus aliter apparuit visibiliter, aliter Christus 99.c
Spiritus sancti fructus 99.d
Spolia Aegyptiorum facta per Israëlem 192.b
Statuæ sanct. non contrariantur mādato Dei 159.d
Statuis Dei gloriam non exhibent Christiani 160.c
Stuprum 186.c
Suffragia pro defunctis non habenda docentes damnantur per concilia Ecclesiæ 75.b
Surrexit Christus sua virtute 81.a
Susurrones 203 a
Susurratio grauius peccatum quam contumelia idē.
Symbolum fidei est prima traditio Apostolica 37.d
Symbolum fidei traditum & compositum est ab Apostolis 37.b
Symbola quatuor fidei 37.a
Symboli vocis interpretatio. idem.


T.

TEmpus medium inter redemptionem generis humani & extremum iudicium, cur Saluator vocet horam 130.c
Tempus nullum post tempus legis Euangel. 77.c
Tempus merēdi non restat homini post mortē. idē
Tentari neque bonum, neque malum 129.a
Testamentorum veteris ac noui quanta sit corruptio nostro tempore 18 d
Testim. ferentes quidnam debeāt obseruare 200.d
Testimon. falsum dicere cōtingit tribus modis 201 a
Testimonium falsum graue peccatum est: in iudicijs verò malum infame idem.
Testimonium falsum multipliciter dicitur extra iudicium forense 201.b
Totum quid significet secundum impositionem, & quid secundum phrasim 216.a
Totum & perfectū non separantur ab inuicē 220.a
Totius voce plenitudo significata habet suam latitudinem 217.b
Totò corde min⁹ diligitur Deus hic q̄ in cælis 217 c
Toto corde minus diligebatur Deus tempore legis quam tempore Euangelij idem
Toto corde minus diligitur, a sanctis ante, quā post resurrectionem corporum 217.c
Toto animo dicitur fieri q̄ præcipuo fit studio 216.b
Traditione accepta, & ea quæ scripta sunt eandem habent vim 10.a
Traditionis descriptio 12.a
Traditiones aquare cum scripturis seruatę sint 11.a.b

Transgresſio an fieri poſsit ſine contemptu 141.a
Tribunal Chriſti 89.a
Trinitatis decretum de incarnatione & paſsionibus Chriſti 56.c.57.a.b.c
Tuba nouiſsima quid ſit 130.d

V.

VErbi Dei proprietates 5.b
Verbo hominis non debetur fides qua Chriſti fideles ſumus 6.a
Verbum aliter decernunt quibus reuelatur, aliter quibus alterius annunciatur 14.a
Verbum aut vocem Dei audire quid ſit 144.b
Verbum Dei antiquius eſt ſcripturis 7.c
Verbum Dei eſt extenſius ſcriptura ſacra 9.a
Verbum Dei eſt præciſum obiectum fidei 7.a
Verbum Dei eſt fons vitæ 5.c
Verbum Dei eſt imber fecunditatis idem.
Verbum Dei eſt lumen vitæ 5.c
Verbum Dei eſt lux mundi idem.
Verbum Dei non mittit radices in malis 6.b
Verbum Dei non omnes habent, qui habent ſcripturam vtriuſque Teſtamenti 107.b
Verbum Dei nemo recte eloquitur niſi ſpiritu Dei 207.c
Verbum Dei qua fide ſit ſuſcipiendum 6.b
Verbum Dei quam obuie debeat ſuſcipi 6.a
Verbum Dei quid ſit 3.d
Verbum Dei aliud, aliud ſcriptura ſacra 107.c
Victoria duplex 63.d
Victoria per Chriſtum quam ſit valida 65.c
Virginalis, vidualis, coniugalis continentiæ dona Dei ſunt 234.d
Virgin. cantāt canticū nouū ante thronū Dei 231.d
Virgines cur nomina Dei & agni frontibus inſcripta habent 231.c
Virg. in cælis quo loco & nomine honorētur idem
Virgines fuerunt Chriſtus, Maria, &c. 233.c.234.a
Virg. non tollitur per omnē pollutionē carnis 231.b
Virginitas perditur vno congreſſu carnis, non autē continentiæ donum 236.b
Virginitas quibus præſidijs ſit vitanda 234.b
Virginitas vera inter Gentiles potuit eſſe 231.d
Virginitatis commendatores 233.b
Viduitatis ſeruatæ exempla inſignia 234.c
Virgo, innupta, vidua, quid ſint 230 d
Virginum viduarumque varia conditio idem.
Vita quid ſit 131.d Vita humana idem.
Vita æterna 132.a
Vitā æternā multis nominib. exprimere licet idem
Vita hoīs ſancta qua ratione vocetur æterna 131.b
Vita beata qua ratione ſit æterna 132.c
Vita hominis duplex, temporalis & æterna idem.
Vita æterna ſubdiuiditur in vitam gratiæ & vitam gloriæ 131.c
Vitam æternam habentes quod moriantur vnde proueniat 133.a
Vita æterna aliter eſt in Deo & Chriſto, & aliter in Sanctis 133.d
Vitam æternam habere poſſūt omnes homines ante mortem, ſed diuerſimode 134.a
Vita æterna in quibus ſit regulis Euangelicis cognoſcitur 134.b
Vita hominis naturalis, breuis eſt & caduca 131.c
Vita multiplex 180.c
Vitā æternā an mali Chriſtia. habeāt per fidē 134.b
Vita æterna aliter eſt hic diſpoſita, aliter in futura fęlicitate 134.c
Vitam æternam hic habemus in nobis, poſtea verò intrabimus in illam 134.d
Vitam æternam nemo ingreditur, niſi qui prius habuerit hic vitam æternam in ſe 135.a
Vita æterna non eſt ſtipendium noſtrę virtutis ſecundum rationem meræ iuſtitiæ 135.b
Vitæ æternæ initium pure eſt ex gratia, conſummatio tamen eius etiam pro meritis datur 135.c
Vitam æternam ſub merito cadere ex Paulo demōſtratur 135.c
Vita vera, vita virtutis, vita æterna, quomodo vnū ſunt, & idem in ſubſtantia 137.a
Vitam vnde habeant viuentia 180.c
Voluntates duæ in Chriſto 67.c
Vota emiſſa reddere oportet 236.a
Vouendi caſtitatē mos peruetuſtus eſt 236.d. 237.b
Vouere poſſumus continentiam etiam ſi donum Dei eſt 236.b
Vri quid ſit. 119.a. Vſura 197.c
Vſura quibus regulis cognoſcenda 198.a
Vſura implicita quibus regulis cognoſcitur 199.a
Vſuram accipere a parato, &c. licitum eſt 199.c
Vxorum pluralitas olim permiſſa 184.c



FINIS.

Errata ſic corrigito: A: primam, B ſecundam, C. tertiam, D verò quartam columnam ſignificat.

Folio 8 c. linea 25 docta. fol 9 c lin 2 munerum. fol 12 a lin 54 increpat. fol 13 c lin 16 ſcripta fo 15 lin 2 Chriſtiana. fol 18 a lin 40 deeſt neque. fol 29 a lin 25 deuitans. & b lin 44 fic. & c lin 42 adeo & d circa finem ſalute. fo 31 c circa finem fides. fol 32 a lin 36 aſymbola fo 34 a lin 3 optimi. fo 36 d lin 17 perfectiorem. fo 38 d lin 22 inchoetur. fo 42 b lin 24 deeſt M. nona ſcilicet perſona. fo 33 a lin 39 deeſt ſuper. fo 36 lin 38 iuuis. fo 66 d lin 39 deeſt non, nempe, & non ſecundum ſpiritum. fo 77 b lin 40 martirijs. & penultima lin purgatorijs. fo 81 b lin 37 nos. fo 89 lin 42 reprobus fo 91 b ſubſecuta. & c circa finem iudicij. fo 96 c lin penult. halucinantur. fo 99 d lin 26 tamen. fo 105 b lin 3 manducanda fo 114 c penult lin inuiolabili. fo 115 b lin 30 iterum. fo 116 a lin 2 delictum. & b lin 23 ſi. & c lin 13 homicidia. fo 124 a lin 53 ſed. fo 129 a lin 4 pumari. fo 131 d lin vlt falſe. fo 136 b lin 14 permiſsionem. fo 137 lin 22 quit fo 139 lin 8 tranſmittet. fo 141 lin 32 deeſt M. mutatio perſona. & lin 38 abundat vox Domino. fo 143 b lin 42. moralia. fo 144 lin 7 iuriſconſulti. & eadem lin redegerunt. fo 146 lin 22 qua. & d lin 20 fic. 149 a lin 5 oblationibus fo 150 d lin 40 ad. & c lin 12. immutabiliter. fo 151 c lin 34. credidit. fo 153 b lin 51 more fo 157 d 13 vtatuſque. fo 163 c lin 2 liber. fo 166 c lin 19 alios. fo 173 a lin 19 feſti. fo 175 lin penult. manebant. fo 177 b lin 42 authoritate. fo 178 d lin 10 verbo. fo 179 b lin 3 deeſt pro 189 a lin 19 diſtinctionem. fo 210 a lin 33 D. pro M. fo 211 b lin 12 eam. fo 213 a lin 36 quot. fo 215 a lin 23 Rationalis. fo eodem c lin 30 eſt fo 222 b lin 3 immortalitate. & d lin 32 inueniri fo 223 c lin 10 nona. fo 224 a lin antepenult ordine. & c lin 42 neceſsitati. & d lin 12 fecuti. fo 232 d lin 30 in incorruptibilis. fo 235 d lin 48 expergent. & lin 54. locupletatam. fo 243 b lin 30. facietius. & c lin 48 militarem fo 246 d lin 56 ſolis.

